SANCTI ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI OPERA OMNIA

LATINE VERSA,

IN QUATUOR PARTES DISTRIBUTA.



Cum inveneris aliquid ex opusculis Sancti Athanasii, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimentis tuis scribe illud. Abbas Cosmas apud Johannem. Moschum l. 10 cap 40.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

OPERA OMNIA

QUÆ EXTANT

VEL

QUÆ EJUS NOMINE CIRCUMFERUNTUR,

Nova Latina Interpretatione donata: multis aucta: Præfationibus, & Notis illustrata: nova Sancti Doctoris Vita, & copiosissimis Indicibus locupletata.

Opera & studio MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI e Congregatione Sancti Mauri.

Novissimis nunc curis emendatiora, & Quarto Volumine aucta.

TOMI PRIMI PARS PRIMA.



PATAVII, MDCCLXXVII.

EX TYPOGRAPHIA SEMINARII,

Apud JOANNEM MANFRE'.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

M O N I T U M.

UI S. ATHANASII Scripta Græco-Latina edidimus, nunc Latinam tantum eorum interpretationem damus. Ita illis quoque satisfaciemus, qui quamvis non habuerint satis otii ad Græcas litteras addiscendas, tamen legendi illa eadem honestissima cupiditate incenduntur. Non poterunt illi quidem haurire hujus Operis ex ipso fonte præstantiam. Non est tamen, quod nimium doleant. Eamdem enim per Interpretem Sapientissimum degustabunt: qui mediam quodammodo tenens viam nec Auctoris robur enervat ab eodem nimis longa circumlocutione recedens, neque dictionem obscuram atque strigosam reddit, eidem religiose prorsus hærendo: sed ita Græca Latine vertit, ut, quoad fieri potest a Latinæ linguæ consuetudine non recedat. Quanquam alia ex parte quodcumque sit hoc illorum incommodum compensatur. Multo scilicet minore pretio, quam Græca poscentibus, licet ipsis suum desiderium explere. Sit hoc specimen quasi quoddam industriæ nostræ & voluntatis de ipsorum utilitate sollicitæ.

EPISTOLA PRÆFIXA EDITIONI PP. BENEDICTINORUM ANNI MDCXCVIII.

Serenissimo Principi Emanueli Theodosio De Bouillon S. R. E. Cardinali Episcopo Albanensi, Magno Franciæ Eleemosynario, Ordinis Cluniacensis Præposito Generali, & in Romana Curia Ludovici Magni Oratori assiduo.



THANASIUM tibi offerimus, SERENISSIME PRINCEPS, Magnum illud Ecclesiæ lumen, in observantiæ erga te nostræ significationem, conspectui sistimus tuo. Haud ingrato munere instructis aditus ad Magnificentiam tuam perfacilis sane futurus est, qui, qua polles ingenii perspicacitate pretium cuique rei suum adsignare nosti.

Tanti Doctoris opera, etsi a doctis & laudatis viris jamdiu expurgata fuerant, eruditorum tamen judicio, nondum sordibus vacabant; quid quod inerant passim spuria a Græculis adornata, & sagaci indigna viro? Jam vero ille suo cultu ornatus, prisco nitori, quoad facultas nostra tulit, restitutus ac tersus prodit: positoque pudore, suis auctus, alienis exoneratus in publicum venit, ac priorem te salutatum Romam commigrat; ut si quid in Galliis ornamenti, si quid beneficii nanctus sit; id tibi, SERENISSIME PRINCEPS, inter Galliæ Magnates conspicuo & æquo rerum æstimatori recenseat.

Nec insolens est quod Gallorum se officiis cultum testificetur Athanasius, cui Gallia perfugium, dum viveret, non semel fuit. Nunc autem cum non minus scriptorum, quam gestorum suorum ope, in memoria hominum vivit & perennat, sub auspiciis tuis in lucem prodire gestit, EMINENTISSIME CARDINALIS, & te insignis ille Præsul, Gallum Patronum, multis nominibus insignem ambit. Nam sive generis amplitudo, quæ domestica; sive dignitas & ingenium, quæ tua laus est, spectetur, jure tibi nuncupatus oblatusque tantus Doctor, esse censebitur. Quid si accedat LUDOVICI MAGNI, quod unum instar omnium esse possit, judicium; qui te ad præstantissima omnium negotia gerenda delegit, & tui gratia tantam, tam insignibus in rempublicam officiis præclaram familiam, singulari beneficio, singularis adsectus indice, auxit & exornavit? Quid si illa summi Pontificis pro tua dignitate studia, qui delatum a LUDOVICO MAGNO beneficium, lubens sanxit & confirmavit? Annon virum certatim a supremis orbis principibus cultum & ornatum jure ac merito Athanasio nostro patronum adscribere videamur?

Tantum Doctorem, orbis spectaculum, Præsulum exemplar, comi haud dubie placidoque vultu excepturus es, SERENISSIME PRINCEPS. Et quæso, ut si quid tibi otii sit a quotidianis illis curis, & amplissimis negotiis, quæ animum distinent tuum, ne gravere Athanasii scripta lustrare, & tam sagacem virum consiliorum participem admittere. Enimvero ab illo edifcitur quod sit Antistitum munus: qui esse debeant in otio, qui in negotio, qui in periculis, qui in calamitatibus vitæ, qui cum æqualibus, qui plebi, qui Ecclesiæ hostibus. Omnia quippe casuum, omnia calamitatum genera emensus Athanasius, numquam semel initum pietatis cursum intermisit, omniumque virtutum sese specimen obtulit. Nemo est qui tibi sapientius suadere possit Athanasio; numquam labere si ipsum audias.

Hæc ratio tibi, SERENISSIME PRINCEPS, haud injucunda spero fuerit testificandæ obsequentiæ erga te nostræ: Athanasiique concinnandi laborem nos auspicato aggressos arbitrabimur, si lucubrationes nostras in officii signum oblatas tibi, grato animo acceperis, & patrocinium tuum te summe colentibus impenderis

Obsequentissimis Monachis Ord. Sancti Benedicti Congregationis Sancti Mauri.

CA-

CATALOGUS
OPERUM S. ATHANASII,
QUÆ PRIMO TOMO CONTINENTUR.

Quæ asterisco notantur, editioni Monachorum Benedictinorum accesserunt.

PRIMI TOMI PARS PRIMA.

PRIMI TOMI PARS SECUNDA.

* 55. Excer-

SYLLABUS
LIBRORUM ET TRACTATUUM,
QUI IN PRIMO TOMO
OPERUM S. ATHANASII
EDITIONIS PARISIENSIS ANNI 1627. CONTINENTUR.
EX INTERPRETATIONE PETRI NANNII.

Numerus prior paginam Parisiensis illius, secundus nostræ significat.

Ora-

Numeri paginarum præpostere ponuntur in Editione Parisiensi anni 1627.

QUÆ IN SECUNDO TOMO.


INDEX OPERUM S. ATHANASII

ordine qui vulgo in antiquissimis codicibus circumfertur.

Epi-

Epistola Athanasii ad Liberium.
Ad Antiochenos Tomus.
De æterna existentia Filii, contra Sabellianos.
Oratio, Quod unus sit Christus.
Epistola ad Adelphium Episcopum.
Epistola ad Maximum Philosophum.
In illud: Euntes in vicum, *&c.*
Contra Arianos Oratio prima. est epistola Encyclica ad Episcopos Ægyptios.
Contra Arianos Oratio secunda. est prima.
Contra Arianos Oratio tertia. est secunda.
Contra Arianos Oratio quarta. est tertia.
Contra Arianos Oratio quinta. est quarta.
In illud: Omnia mihi tradita sunt.
Opusculum de Doctrina. excerptum ex aliis operibus, de quo alibi.
De Sabbatis & Circumcisione.
Epistola prima ad Serapionem de Spiritu sancto.
Epistola secunda ad Serapionem de Filio.
Epistola tertia ad Serapionem de Spiritu sancto.
Epistola quarta ad Serapionem de Spiritu sancto.
Epistola de Decretis Nicænis.
Epistola Eusebii Cæsariensis ad Cæsarienses. In codice Regio 2284. hic adjiciuntur, Condemnatio Arii & epistola Alexandri, nec non epistolæ aliæ Synodi Nicænæ & Constantini Magni Imper. alibi cusæ.
De sententia Dionysii.
Apologia de Fuga.
Apologia contra Arianos.
Epistola Synodi Alexandrinæ. quæ in ea ipsa Apologia habetur.
Epistola Encyclica. olim ad Orthodoxos inscripta.
Epistola ad Serapionem de morte Arii.
Epistola ad Monachos sive ad Solitarios.
Contestatio Alexandrinorum. habetur ad calcem Epistolæ ad Monachos.
Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ.
Apologia ad Constantium.
Epistola ad Joannem & Antiochum.
Epistola ad Palladium.
Epistola ad Dracontium.
Epistola ad Afros.
Epistola seu Tomus ad Antiochenos. nam bis describitur.
Epistola ad Jovianum Imperatorem.
Epistola Joviani ad Athanasium.
Petitiones Arianorum ad Jovianum, contra Athanasium.
Sermo in Passionem Domini.

Hic ordo vulgo comparet in veteribus manuscriptis, & mos amanuensium est, ut numerum cujusque libri ad marginem notent, ita ut in nonnullis codicibus cum Athanasii operibus alias bene multas insertas hic illic variorum epistolas enumerent. Hinc autem factum, ut ubi eædem epistolæ bis exscriptæ jacebant, quod de non paucis observatur, quæ & in Apologia contra Arianos & in Epistola ad Monachos exstabant, amanuenses, ne actum agere viderentur, ab iis bis describendis supersederent, indicando scilicet jam superius haberi hisce verbis ἐγράφη ὀπίσω ἐν τῷ μϛ, vel, ἐν τῷ ξϛ, exempli gratia, numerum supra positum notantes.



PRÆ-

P R Æ F A T I O
I N U N I V E R S A
S. A T H A N A S I I O P E R A.



IRARI subit quare cum in antiquorum libris emendandis nostro & præterito ævo tanta sit industria desudatum, nonnullorum tamen Ecclesiæ Græcæ Patrum opera scateant mendis, sordescant misere spuriis intermixta; & dum in dies eruditorum manibus teruntur, non sordes deponant, non ad meliorem conditionem revocentur. Hæc sane sunt quæ stimulos nobis addiderunt, ut quoad facultas ferat, Patribus Græcis manum admoveamus, quando jamdudum nostri Latinis. Prior autem suapte dignitate ad hujusmodi curam nos evocavit, qui inter Ecclesiæ Græcæ doctores primas tenet, magnus ille Athanasius. cujus scripta immane quantum vitio laborent. Nemo enim est, qui percursis ejus operibus, & perturbatum librorum ordinem conspicatus, sparsa hinc & inde spuria nulla νοθείας significatione distincta, orationem passim vitiatam, hiulcam, laceram, Homericum illud non exclamet:

Πολλὰ δ' ἄναντα, κάταντα, πάραντά τε δόχμιά τ' ἦλθον.

Tanti Doctoris omnibus retro sæculis celebratissimi scripta in tam misera sorte versari ne pateremur, vetabat recordatio victoriæ olim de perniciosissimis Ecclesiæ hostibus, non aliis quam hisce telis partæ. Quis enim, si perpendat quantum ingenio, quantum peritia litterarum, quantum humana gratia valerent quibuscum Athanasius assidue per totam vitam congressus est, non maximi ea scripta ducat, quibus ii profligati, vera doctrina asserta fuit? His Arii dialectica, Eusebii Nicomediensis calliditas illa, parque maximis gerendis rebus ingenium; his gentilis ejus Cæsariensis eruditio varia, Theodori Heracleotæ sacrarum litterarum peritia erroribus tuendis addicta, his demum hæreticorum omnium tela depulsa sunt. Operæ igitur pretium fuerit, ut ea pristino nitori restituere curemus, per quæ, numine ita providente, id nancti sumus, ut sana fides ad nos usque pervenerit. Qua autem ratione, quid actum sit, quænam hujusmodi scripta complectantur, paucis expendere jubet animus, cum de manuscriptis ac de prius editis pauca præmiserimus.

D E M A N U S C R I P T I S

& de veteribus Athanasii operum editis.

1. RES est explorata, Athanasium certa quædam opera sua asservasse, lustrasse cum id otium ferret, iis quædam adjecisse sicubi res postularet. animadversum id fuit in Apologia contra Arianos, & in libro de Synodis, & fortasse aliis in libris factum, etsi haud certis notis deprehendi queat. Ordinem autem operum, qui in plerisque manuscriptis idem ipse comparet, ut fuit superius recensitus, multis secundum Athanasii ætatem sæculis adornatum fuisse hinc liquidum est, quod multa ille complectatur spuria veris intermixta, ut sese dabant, & sors ferebat, nulla servata temporis vel argumenti ratione. Inter codices autem Basiliensis, cujus varias lectiones edidit Petrus Felckmannus, cæteris præstat antiquitate & accurratione, a Doxapatre quodam exaratus, erudito viro & de Athanasii scriptis bene merito. Hic explanationes hinc inde adjecit, sagacis & periti hominis notam præferentes. Basiliensi codici haud multum concedere putatur Regius numero 2284. septingentorum circiter annorum, egregiæ notæ, qui olim fuit Monasterii τοῦ Κυρίζου: nam ita folio primo, ἡ βίβλος αὕτη τῆς μονῆς τοῦ κυρίζου. Postea vero cum in alias manus devolutus esset, recentiore charactere scriptum fuit, κτῆμα μονῆς τοῦ κυρίου Διονυσίου. De cæteris codicibus sat alias agitur. Est porro manuscriptorum ordo, qualis qualis est, summo quidem opere notandus, tum hoc nomine quod interdum ab iis scriptoribus sequioris ævi, qui Athanasii opera commemorant, hujusce ratio habeatur; tum etiam ut nuperi scriptoris difficultas levetur, qui cum in amanuensis cujusdam verba incidisset, scilicet, ἐγράφη ὄπισω ἐν τῷ ξῳ λόγῳ, inauspicate satis legendum putavit ἐν τῷ ξυλλόγῳ, id est, ut comminiscitur ille, *in collectione monumentorum*, quam esse putat Apologiam contra Arianos. At τὸ ξῳ esse numerum 68. cuilibet laterculum manuscriptorum a nobis editum inspicienti palam erit.

2. Editio autem quæ prior prodiit in publicum, est ni fallor, Vicentina anno 1482. Leonardo Basilensi Typographo. Ibi perpauca Athanasii opera Latine tantum, Omnibono Leoniceno interprete, continentur, videlicet, tres contra Arianos Orationes hinc inde disperse, Oratio contra gentes & de Incarnatione, Epistola prima ad Serapionem, liber de Incarnatione Dei Verbi contra Arium & Apollinarium, Disputatio contra Arium in Synodo Nicæna. Præit ejusdem Omniboni epistola nuncupatoria ad Paulum II. summum pontificem. Neque tamen idem Omnibonus has lucubrationes ipse prælo tradidit, sed ejusdem morte præoccupati operam suscepit Barnabas Celsanus, ut videre est ex Epistolis Petri Bruti episcopi Catharensis ad Celsanum, & Celsani ad eumdem episcopum, huic edito præfixis. Versio Omniboni non mala, quæ satis accurate Græcorum sententiam referat. Secundum hanc editionem publicatus est Hagenoæ anno 1519. liber de variis quæstionibus, Johanne Reuchlino Capnione interprete, idipsumque opus Romæ item anno 1523.

3. Anno 1520. Lutetiæ apud Joannem Parvum prodiit Athanasii nomine volumen unum, cui præfixa est Epistola Nicolai Beraldi ad Michaelem Bodetum Lingonensium episcopum. Hic autem, præter duas Orationes, contra gentes & de Incarnatione, Ambrosio Camaldulense interprete,

te, reliqua omnia suppositia sunt; nimirum Commentarii Theophylacti in Epistolas Pauli, Disputatio contra Arium Probo judice, liber de Exhortatione Monachorum, Historia Imaginis Berytensis, Epistolæ summorum pontificum ad Ægyptios episcopos, Quæstiones ad Antinchum numero pauciores quam nunc exstent: Fragmentum item epistolæ ad Marcellinum de Interpretatione Psalmorum, Vita Athanasii per Joannem Tortelium Aretinum, cui præmittitur ejusdem Tortelii epistola ad Eugenium IV. Pontificem.

4. Sub hęc, anno 1527. Desiderius Erasmus cum in codicem incidisset, Athanasii non pauca complectentem, ea Latine dedit, nimirum binas ad Serapionem Epistolas, tertiam scilicet & quartam, Epistolam de decretis Nicænis, Apologiam de Fuga, partem Apologię contra Arianos, de Passione & Cruce Domini: In illud, *Euntes in vicum quod contra vos est:* De Virginitate: In illud, *Quicumque dixerit Verbum*, &c. Epistolam ad Serapionem, quę prima omnium est, initium libri contra omnes Hęreses. Et mireris, Lector erudite, pręjudicatam opinionem Erasmo fucum fecisse. Nam quia Athanasium inter Gręcorum elegantissimos numerandum, nec injuria, ęstimabant; hinc factum, ut Epistolam primam ad Serapionem, quę apertissime Athanasii est, non sine convitio auctoris Athanasio abjudicaverit, quoniam videlicet in ea τὸ Ἀττικὸν desideratur, non scriptoris vitio, sed quia ab initio ad calcem loca Scripturę sacrę perpetuo congeruntur. quo in genere scribendi eloquentiam orationisque nervos expetere, idipsum sit quod nodum in scirpo quęrere. Non hic unus comparet nęvus in his Erasmi lucubrationibus. Cum enim in Apologeticum contra Arianos incidisset, ubi triginta sex monumenta exstant Historiæ Ecclesiasticæ opportunissima, hæc nihili fecit ille, imo hæc effatus est: *Sequebantur hic diversæ diversorum epistolæ, Episcoporum, Synodorum & Principum de actis adversus Athanasium. quas quoniam & multæ erant & prolixæ, quædam etiam suppositiæ, piguit vertere.* Hæc sane, quamquam pœnitet inclementius effari in tantum virum, minus peritum in Ecclesiasticis arguant. Anno 1532. Lugduni cusa sunt quotquot in Parisiensi editione anni 1520. exstant, iis additis quæ ab Erasmo versa fuerant.

Hactenus igitur valde imperfectæ in lucem venerant Athanasii operum editiones: ac ne plura publicarentur, vetabat, arbitror, codicum Athanasii infrequentia. Verum anno 1555. Petrus Nannius Alcmarianus, vir Græce Latineque peritus, summa cura & studio Athanasii opera multo auctiora quam ante Latine fecit, & Basileæ edenda tradidit; Opusque totum ex Officina Frobeniana in lucem, sed Latine tantum, emittitur anno 1556. Nanniana illa versio diu inter optimas annumerata est: at accuratius rem expendentibus multa sese vitia obtulere, de qua re inferius. Næ multa laude dignus Nannius est, qui prior elegantissima Athanasii opera, necdum nota, publica fecit. Exinde vero aliæ quædam prodierunt editiones, quæ ne transversum unguem ab illa Basiliensi discrepabant. Parisiensis tamen anno 1572. a Sebastiano Nivellio cusa, vitam Antonii insuper complectitur, necnon vitas Athanasii per varios auctores concinnatas. Ad hæc, tria opuscula ex collectione canonum mutuata, scilicet, Epistolas ad Amunem, Trigesimam nonam festalem, & ad Rufinianum; quæ Parisiis seorsim publicatæ fuerant anno 1574.

6. Huc usque Latine tantum cusa fuerant Athanasii opera: verum anno 1600. Græce primum Heidelbergæ typis Hieronymi Commelini in publicum prodierunt; ex codicibusque Bibliothecæ Palatinæ Græca desumta sunt. Sub hæc, confecto pene opere, Petrus Felckmannus summa accuratione fragmenta multa Athanasii hinc & inde collecta, varias lectiones, notas quasdam, Epistolas item duas ad Luciferum, aliamque ad Monachos edi curavit ad calcem omnium. Et fuisset editio illa multum præstantior, si ab initio Felckmannus, vir sane eruditus & φιλόπονος, ejus curam suscepisset. Sed quia ut plurimum operæ, quibus non erat codicum accurationem & præstantiam internoscendi facultas, Græca non quæ magis ad veram lectionem, sed quæ propius ad Nannii interpretationem accedebant, prælo submiserunt, hinc factum ut editio isthæc non adeo accurata sit. Secundum hæc, anno videlicet 1608. ex officina Claudii Chappletii Parisiis prodiit nova Athanasii editio, sed Latine tantum, pauculis adjectis ad marginem Frontonis Ducæi Societatis Jesu notis. Anno item 1612. Latine cusa sunt Athanasii opera cum ejusdem Frontonis Ducæi notis, addita vita Antonii Græce ex editione D. Hœschelii Augustani.

7. Sed hasce omnes editiones obscuravit Parisiensis Græcolatina anno 1627. publicata curante Johanne Piscatore, ubi multa ex variis Felckmanni lectionibus castigata, multo plura prætermissa, nonnulla vitiata fuerunt; quod in variis lectionibus nostris cuique legenti animadvertere est. Versio autem Nannii multis in locis mutata fuit, & plerumque inconsiderate; ita ut contra fidem manuscriptorum editorumque, infeliciter augurando suoque marte, editores sua, non Athanasiana substituerint. Et monuisse juvabit, sicubi nos versionem Nannii memoramus, non Parisiensem significare, quæ innumeris in locis mutata fuit, sed alias ante annum 1600. publicatas. Mirum autem in Parisiensi isthac editione omissas fuisse Felckmanni varias lectiones omnes, quarum pleræque magni pretii sunt. Ut ut sit, castigatior tamen in multis est hæc Parisiensis editio quam Commeliniana, verum in multis etiam inferior. Adjectæ sunt huic editioni Homiliæ septem cura & studio Lucæ Holstenii, quas cum plerisque aliis hactenus ineditis inter spuria ablegavimus. Post eas omnes editiones publicata demum est, Coloniensis nomine, Lipsiana anno 1681. quæ innumeris mendis scatet, adjecto Syntagmate Doctrinæ, ab Arnoldo Norimbergensi edito.

8. Hæ ante nostram prodierunt Athanasii operum editiones bene multæ, quibus tamen, nedum id confectum sit ut non accuratior expeteretur, ne turpiores quidem errores expuncti sunt. Nam si in omnium præstantissimam, Parisiensem videlicet, oculos adjeceris; mirere sane quam oscitantes fuerint, qui tam conspicua vitia ne senserunt quidem. Primo enim germana & vera opera spuriis passim intermixta sunt, tam in primo quam in secundo tomo, nullo delectu, nulla νοθείας vel γνησιότητος significatione: quæ quidem res lectorem quantumvis eruditum in consilii inopiam conjicit, cum non in promtu sit internoscere quid syncerum, quid alienum. Deinde perturbatio ubique tanta, ut nulla temporis, nulla argumenti ratio compareat; imo ne ea quidem, quę natu-

ra sua cohęrent, ac sine vitio semoveri nequeunt, vel minimum inter se ordinem teneant. Sic Epistolę ad Serapionem de Spiritu sancto, quarum prima secundę, secunda tertię, tertia quartę occasio fuit, ita distractę, &, ut ita dicam, dissipatę fuerunt; ut tomo primo, quę prior esse debuit, secunda legatur; quę secunda, primas teneat; duę autem posteriores in secundum tomum ablegatę fuerint, ita tamen ut postremę, quę quarta est, fragmentum, primo tomo avulsum jaceat. Eamdem animadvertere est in Apologiis ἀταξίαν: nam quę postrema omnium sita est, & Apologia secunda inscribitur, primum debet occupare locum, secunda vero tertium. Omnia demum ut casus tulit posita sunt: adeo ut si quis historia Ecclesiastica mediocriter tinctus, aut in Athanasianis hospes, in hęc primum incidat, passim hęreat incertus; imo vero ne periti quidem his sese difficultatibus, nisi manuscriptorum ope expedire valeant. Hinc enim cum alia permulta incommoda, tum hoc omnium fortasse maximum consequutum est: ut quę certissime Athanasii sunt, a doctis in νοθείας suspicionem vocarentur. Sic Erasmus ὁ φιλολογώτατος adversus primam ad Serapionem epistolam sententiam tulit: cui, si debito epistolę illę ordine sitæ fuissent, ne minimus scrupulus hæsisset; namque alia aliam confirmat, alia aliam memorat. Vulgatum sane est, quæ peregrinis in locis versantur, peregrinum olere, & quamcumque rem nonnisi suo loco suas partes implere posse. Ad hæc autem, tot tantæque mendæ ubique locorum adspersæ, tot lacunæ, tot hiatus, ut in operibus permultis vix quidpiam sanum offendas: maxime vero in libris de Humana natura suscepta, de sententia Dionysii, in epistolis ad Serapionem, & in Orationibus contra Arianos: ibi sexcentæ lacunę, infinitę propemodum clausulę vitiatæ, ut vix ubi pedem secure figas reperias. Quid si in epistolam Encyclicam, male ad Orthodoxos inscriptam, incidas; ubi nomina virorum perpetuo alia pro aliis substituta deprehendas: annon indigne feras labefactatum ab imperitis amanuensibus libellum, qui ad historiam Ecclesiasticam quarti sæculi plurimum juvet? Et incommodum accidit, ut pessimis omnium codicibus usi sint qui priores eam ediderunt, duce nimirum Nanniana versione, ex vitiato & ipsa codice expressa. Hinc perspicuum quanto scrupulo & religione Athanasii editis illis uti debeatur, & una quam necesse fuerit novam parare editionem, & errata veterum emendare.

9. Interpretationem Nannii quod spectat, diu hęrebamus incerti novam ne ederemus, an eam, olim probatam, laudatamque & quidem a laudatis viris, prius emaculatam pro facultate, cuderemus iterum. Et sane in hanc potius partem propendebamus initio, ne scilicet actum agere videremur. Verum contra, ne versio illa iterum in lucem prodiret, multa suadebant. Primum enim cum ex manuscripto vitiato, & infinitis prope mendis adsperso expressa illa a Nannio fuerit, necessum erat ut sexcentis in locis immutaretur, ut cum Gręcis quadraret. Ad hæc autem ut Eruditi viri jamdudum animadverterant, versio illa non ea accuratione concinnata fuit, ut Athanasii mentem probe assequutus sit Nannius; qui vir apprime eruditus & multis nominibus pręclarus, pręstantiora nostris fortasse dedisset, si ętatis, manuscriptorumque conditio id tulisset. Verum vitiata lectione, cum quis semel ab auctoris sententia excidit, in reliquis etiam pręceps fertur; & dum ad certos limites redierit, transversus agitur. Innumera possemus adserre ex illa versione exempla: sed pauca satis sunto, ne erudito lectori, dum aliena errata recensemus, fastidio simus.

10. Porro antequam animadversiones illas nostras ordiamur, non ingratum lectori fore puto, si hic adseratur in medium censura Nannianæ versionis, olim jussu Eminentissimorum Cardinalium congregationis Indicis, concinnata, & quidem ab emunctæ naris viro, cujus nomen tacetur in schedis nostris. Eam vero ex codicibus mss. Patris Barisly Congregationis Vallicellanæ exscriptam transmisit nobis vir Clarissimus Stephanotius noster. Necdum, quod quidem norim, lucem adspexit.

Censura prioris Tomi operum D. Athanasii Græce & Latine editorum anno MDC. loco ubi excusa sunt non expresso, jussu Illustrissimorum & Reverendissimorum Cardinalium Congregationis Indicis facta.

Prior tomus operum D. Athanasii ea continet, quæ Latine solum edita multis ab hinc annis, Petro Nannio interprete, circumferuntur. Græcus ipse textus, qui nuper in lucem prodiit, & phrasin certe Athanasii redolet, qualem illi fuisse tradit Gregorius Nazianzenus, minime Atticam & luculentam, sed pietatis & rerum divinarum scientiæ plenam, & nequaquam corruptus aut adulterinum quid passus videtur, nisi quod fortasse ob incuriam Typographorum vel depravata exemplaria, verba quandoque & commata, periodi etiam alicubi desiderantur. Interpres Nannius multa præclare reddidit, ubi præsertim historica narratio fuit illi vertenda. At vero in disputationibus Theologicis, ubi creber & vehemens & argutus est Athanasius, succumbit plerumque, & multa verborum copia exprimere conatur quod non assequitur, atque invitus labitur: & aliquando dicta Athanasii de sanctissima Trinitate & mysterio incarnationis tam infeliciter reddit, ut vix a Theologis in scholis propositiones illæ defendi queant, quales illæ sunt quæ infra v. g. apponentur. Certe in duabus de incarnatione Christi orationibus contra Apollinarium, lxx. locis totum invertit & confundit Athanasii sensum, dum vel omnino contraria, vel longe diversa, pleraque etiam non nimis sanæ fidei consona scribit. In universum Nannius multa sæpe libertate utitur, & libenter vagatur, improprie loquitur, & obscuritate multa involvit; solet confundere tempora, periodos intercidere, & proinde rationum vires enervare: Scripturæ loca ita vertit, ut sua semper interpretatione uti velit, cum sæpe si Vulgata uti voluisset, aptius & apertius rem declarare potuisset. Ea porro loca, in quibus sensa textuum notabiliter corrupta sunt, per totum hunc primum tomum amplius sunt quingenta. In his vel affirmante Athanasio negat Nannius, vel negante affirmat, vel externa loquitur & non cohærentia; ut aliam ipse, aliam Nannius cantilenam videantur cantare. Verum ut res facilius pateat, ex eorum numero jam selecta loca quædam annotata sunt, in quibus interpres non modo diversa loquitur, sed etiam vitiosis utitur dicendi modis, & sententias profert aut ambiguas, aut certe falsas, & omnino Athanasio indignas.

In

In oratione contra Sabellii gregales, *inquit Athanasius*, ὡς Θεὸς τέλειος μὲν ἐν πατρὶ τῆς θεότητος νοουμένης, τελείως δὲ καὶ ἐν υἱῷ τῆς πατρικῆς θεότητος ὑπαρχούσης. *Nannius vertit:* Unus quidem Deus, eo quod perfecta Deitas in Patre intelligatur, & perfecta paternitas in Filio subsistat. *Vertendum erat ita:* Unus Deus, quia perfecta Deitas in Patre intelligitur, perfecta quoque in Filio paterna existit Deitas. T. 2. p. 17.

In oratione 4. contra Arianos, *Athanasius:* οὕτως Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον ἑαυτῷ καταλλάσσων· τῆς γὰρ ἰδίας τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἐστὶν ὁ υἱὸς, ἐν ᾧ ἡ κτίσις πρὸς τὸν Θεὸν κατηλλάσσετο. *Nann.* Ita Deus fuit in Christo, mundum sibi reconcilians; nam propria substantia Patris Filius est, in quo creatura Deo reconciliabatur. *Vertendum ita:* Deus erat in Christo, mundum sibi reconcilians: proprium enim substantiæ Patris est Filius, in quo creatura Deo reconciliabatur. T. 1. p. 209.

In epistola de synodis Arimini & Seleuciæ celebratis, *Athanasius:* λέγει δὲ ὁ υἱὸς, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν, καὶ ὁ ἐμὲ ἑωρακὼς ἑώρακε τὸν πατέρα· πῶς δεῖ νοεῖν ταύτας τὰς φωνάς; ἢ πῶς αὐτὰς ἐκλαμβάνοντες σώσομεν τὸ ἓν εἶναι τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱόν. *Nannius:* Et Filius de se dicit, Ego & Pater unum sumus; &, Qui vidit me, vidit & Patrem meum. Quid de istis vocibus sentiendum est? aut in quem significatum eas accipientes tueri possumus, ut Pater & Filius unus habeantur? *Vertendum:* Ut Pater & Filius unum habeantur. T. 1. p. 280.

In oratione contra Arianos 5. λείπεται δὴ ἐξ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ λέγειν αὐτόν· εἰ δὲ τοῦτο, ἄλλο ἂν εἴη τὸ ἔκ τινος, καὶ ἄλλο τὸ ἐξ οὗ ἐστιν. *Nannius:* Reliquum igitur est Verbum ex Deo existere: quod si concedas, aliud haud dubie fuerit, quod ex aliquo naturam accepit; & aliud, quod sui alteram naturam dedit. *Vertendum:* Alius fuerit, qui ex aliquo est; & alius, a quo ille est. T. 1. p. 210.

In eadem oratione: ἡ δὲ διδασκαλία οἶδε πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ σοφὸν, καὶ σοφίαν, καὶ Θεὸν, καὶ λόγον· πάνυ μέντοι φυλάττει ἀδιαίρετον καὶ ἀδιάσπαστον, καὶ ἀμέριστον κατὰ πάντα. *Nann.* Adversatur enim huic opinioni sacrarum litterarum constitutio, quæ Patrem & Filium sapientem, & sapientiam, Deum, & Verbum; ubique tamen quemque in sua natura indivisibilem, indiremptumque, & impartibilem per omnia agnovit & servat. *Vertendum*: Sacra vero doctrina agnovit Patrem & Filium, sapientem, & sapientiam, Deum, & Verbum: omnino tamen servat utrumque indivisibilem, indiremptum & impartibilem per omnia. T. 1. p. 231.

In eadem oratione: ἐπιφέρει γοῦν, ἵνα γινώσκητε ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί. τὸ γὰρ ἓν ἑρμηνευόμενον, οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ εἶναι ἐκεῖνο πρὸς ὃ ἕν ἐστιν, αὐτὸν ἀλλ' ἐν τῷ αὐτὸν ἐν τῷ πατρὶ καὶ τὸν πατέρα ἐν τῷ υἱῷ τὴν συνάφειαν καὶ τὸ ἀχώριστον. *Nannius:* Infert ergo: Ut cognoscatis quod ego in Patre & Pater in me; quid sit unum esse interpretans, non in eo consistere voluit, quasi in eodem sit illud, quod cum altero est unum, sed quod ipse in Patre & Pater in ipso esset, coaptationem, inseparabilitatemque demonstrans. *Vertendum:* Infert igitur, Ut cognoscatis quod ego in Patre, & Pater in me; quid enim sit unum esse explicans, non in eo consistere voluit, ut ipse idem sit, qui ille ad quem refertur, sed conjunctionem, inseparabilitatemque significare ait, eo quod ipse in Patre, & Pater in Filio sit. T. 1. p. 233.

In epistola ad Adelphium: οὕτω γὰρ καὶ τὴν πατρικὴν αὐτοῦ θεότητα ἐπιγινώσκομεν. *Nann.* Ita enim & Deitatem ejus ex Patre oriundam agnoscimus. *Vertendum*: Ita enim & paternam ipsius deitatem agnoscimus. T. 1. p. 355.

In oratione contra Sabellii gregales: χωριζόμεθά τε καὶ τῶν ἰουδαϊζόντων, καὶ τὸν χριστιανισμὸν εἰς ἰουδαϊσμὸν διαφθειρόντων, οἱ τὸν ἐκ τοῦ Θεοῦ Θεὸν ἀρνούμενοι Θεὸν ἕνα παραπλησίως Ἰουδαίοις λέγουσιν, οὐχ ὅτι μόνος ἀγένητος, καὶ μόνος πηγὴ θεότητος, διὰ τοῦτο φάσκοντες αὐτὸν εἶναι μόνον Θεὸν, ἀλλ' ὡς ἄγονον υἱοῦ καὶ ἄκαρπον. *Nann.* Disjungimur quoque a judaizantibus, qui christianismum in judaismum depravant; & ab iis, qui Deum ex Deo insiciantes Deum unum itidem, ut Judæi prædicant, quique non ideo quod solus sit increatus, & solus fons deitatis, solum Deum nominant; sed quia infœcundum eum existimant. *Vertendum:* Disjungimur quoque a judaizantibus & christianismum in judaismum depravantibus, qui Deum de Deo negantes, Deum unum esse ajunt, itidem ut Judæi, non quod solus sit ingenitus, & solus fons deitatis, sed quia fœcunditate filii careat. T. 2. p. 15.

In epistola de sententia Dionysii contra Arianos: μὴ γὰρ δή τις Ἀρειανὸς μὴ δὴ ἐν τούτῳ ὑπονοείτω κατ' αὐτοῦ, ὡς ὅτι λέγοντος· σύνεστιν ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, ὡς τὰ μὲν ὀνόματα συνῆφθαι ἀλλήλοις, τὰ δὲ πράγματα πλεῖστον ἀλλήλων διεστάναι. *Nann.* Imo ne hie quidem quispiam Arianorum male de eo sentire debet, cum dicit, ita una cum Patre Filium esse, ut ipsa nomina, quæ cum invicem cohæreant, re tamen inter se plurimum distant. *Vertendum:* Ne vero hic etiam quispiam Arianorum male de eo sentiat ita dicente, Filius Patri coexistit; quasi velit dicere, nomina quidem inter se invicem conjuncta esse, res vero ipsas plurimum imer se distare. T. 1. p. 103.

In libello de communi essentia Patris, & Filii, & Spiritus sancti: μαρτυρίαι ἐκ τῶν γραφῶν τῆς κατὰ φύσιν κοινωνίας ἐκ τοῦ ὁμοίως εἶναι τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα πρὸς θεωρίαν δυσεφίκτων καὶ μίαν ἔχειν ἐνέργειαν. *Nannius:* Testimonia ex sancta Scriptura de naturali communione similia esse inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum. *Vertendum:* Testimonia ex sancta Scriptura de naturali communione ex eo, quod Patris & Filii & Spiritus sancti pari ratione difficilis contemplatio, & una sit operatio. T. 2. p. 2.

* lege πατρός, & infra. *In oratione 4. contra Arianos:* εἰ γὰρ τὰ τοῦ * πρὸς τοῦ υἱοῦ ἐστιν, ἀεὶ δὲ ταῦτα ἔχει ὁ πατήρ· δηλονότι ἃ ἔχει ὁ υἱὸς ταῦτα ὄντα τοῦ * πρὸς, ἀεί ἐστιν ἐν αὐτῷ, οὐ διὰ τὸ μὴ ἐσχηκέναι ποτὲ ταῦτα ἔλεγεν, ἀλλ' ὅτι ἔχων ἀΐδιον ὁ υἱὸς ἃ ἔχει παρὰ τοῦ πατρὸς ἔχει. *Nannius:* Si enim quæ Patris sunt ad Filium pertinent, & semper illa Pater habet, certum est Filium semper habere ea quæ sunt Patris; quippe qui semper in eo sit. Quocirca non ideo quod aliquando non habuerit istiusmodi locutus est, sed quæ possidet ut Deus, ea postulat ut Filius. *Vertendum*: Quocirca non ideo quod aliquando non habuerit istiusmodi locutus est, sed quia habens perpetuo Filius quæ habet, ea a Patre habet. T. 1. p. 219. *Græca vitiata sunt.*

Et secunda oratione contra Arianos: καὶ φανερὸν ἐκ τούτων γίνοιτο ἄν, ὅτι αὐτὸς μὲν ὁ υἱὸς οὐδενὸς μετέχει, τὸ δὲ ἐκ τοῦ πατρὸς μετεχόμενον τοῦτό ἐστιν ὁ υἱός. *Nannius:* Atque inde clarum ac evidens fuerit Filium nullius rei extraneæ, diversæque a Patre participatu imbui ac tingi, sed idipsum quod ex T. 1. p. 166.

parti-

participatu Patris existit Filium esse. *Vertendum autem:* Huic porro clarum ac evidens fuerit, ipsum quidem Filium nullam rem participare; quod autem ex Patre participatur, id esse Filium.

T. 1. p. 419. *In oratione quarta contra Arianos:* ὡς γὰρ ὁ κύριος ἐνδυσάμενος τὸ σῶμα γέγονεν ἄνθρωπος, οὕτως ἡμεῖς οἱ ἄνθρωποι παρὰ τοῦ λόγου θεοποιούμεθα προσληφθέντες διὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. *Nannius:* Ut enim Dominus induto corpore factus est homo, ita & nos homines ex Verbo Dei deificamur, eo quod illud receptum sit in carne. *Vertendum autem:* Ut enim Deus induto corpore factus est homo, ita nos homines a Verbo deificamur assumpti per carnem ipsius.

T. 1. p. 331. *In eadem oratione:* εἰ γὰρ καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, ἀλλὰ τῆς σαρκὸς ἴδια τὰ πάθη. καὶ εἰ ἡ σὰρξ θεοφορεῖται ἐν τῷ λόγῳ, ἀλλ' ἡ χάρις καὶ ἡ δύναμις ἐστὶ τοῦ λόγου. *Nannius:* Si enim Verbum caro factum est, ergo carni & sua qualitas, diversæque a verbo affectiones sunt. Rursum si caro in Verbo Deum gestat, gratiam inde commodaque percipit. *Vertendum autem:* Etsi enim Verbum caro factum est, passiones tamen propriæ sunt carnis. Rursus si caro a Deo gestatur in Verbo, gratia tamen & virtus Verbi est.

T. 2. p. 20. *In oratione*, Quod unus sit Christus: οἱ ταῦτα κατηγοροῦντες τὴν ἑαυτῶν γνώμην φανερὰν καθιστῶσιν ὅτι δύο ὑποστάσεις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡμᾶς συκοφαντοῦσι καὶ πειρῶνται ἅμα πανταχόθεν εἰς ἓν τῶν ἀτόπων περιάγειν τοὺς ἡμετέρους λόγους· συμπληρωτικὸν εἰπεῖν τῆς ὑποστάσεως τοῦ λόγου τὸ σῶμα, ἢ ὁμοούσιον τῷ θεῷ, ἢ ξένον καὶ ἀλλότριον παντάπασι τῆς ὑποστάσεως τοῦ υἱοῦ, ὅπερ αὐτοὶ λέγουσιν, ἄλλην ὑπόστασιν εἰσάγοντες τῆς σαρκός. *Nannius:* Cæterum qui ista loquuntur, suam ipsorum mentem sensumque aperiunt, quod duas hypostases sive personas in Christo constituant, & adversum eos calumniis utantur, & undequaque satagant nostros sermones ad aliquid absurdi detorquere, quasi corpus diceremus aliquid conferre ad absolvendam Verbi essentiam, aut illud esse ejusdem cum Deo substantiæ, aut non alienum externumque omnibus modis a persona Filii, quæ tamen ipsorum verba sunt. *Vertendum autem:* Qui talia contentiose ajunt, mentem suam aperiunt, quod duas in Christo hypostases esse velint; & conantur undecumque eo nos redigere, ut unum ex hisce absurdis concedamus, vel corpus esse quid absolvens & consummans personam Verbi, vel esse Deo consubstantiale, aut certe externum quid aut alienum omnino a substantia Filii: quod ipsi concedunt & est illorum sententia.

T. 2. p. 21. *Ibidem:* οὐδεὶς γὰρ τῶν σωφρονούντων, ἢ νοῦν ὅλως καὶ τοῦ λέγειν δυνάμενος εἴποι ἂν ὅτι ὥσπερ ὁ λόγος τέλειος ὢν καὶ ἐνυπόστατος οὐ προσεδεῖτο σαρκός, ἵνα θεὸς τέλειος γένηται, οὕτως οὐδὲ τὸ σῶμα τοῦ λόγου ἐχρῄζεν, ἵνα τέλειος καὶ ἐνυπόστατος ἄνθρωπος γένηται. *Nannius:* Nullus enim eorum qui recte sapiunt, aut quisquis sobrius est, aut mente non destituitur, de ea re dubius esse potest, quod quemadmodum Verbum perfectum est & sua hypostasi absolutum, neutiquam opus habuit carne, ut Deus perfectus esset; ita neque corpus Verbo indiguit, ut integrum pro sua hypostasi fieret. *Vertendum autem est:* Nullus enim qui sapiat, aut sanæ mentis homo, & qui ratione uti possit, dixerit; quod quemadmodum Verbum, cum perfectum esset & sua hypostasi subsistens, non indigebat corpore, ut Deus absolutus efficeretur; ita neque corpus Verbo indigebat, ut perfectus & subsistens homo fieret.

T. 1. p. 868. *In oratione de salutari adventu Jesu Christi:* πῶς δὲ ἴσχυσαν οἱ Ἰουδαῖοι λῦσαι ναὸν θεοῦ καὶ τὴν ἄλυτον σύγκρασιν τῆς σαρκὸς πρὸς τὸν λόγον γενομένην χωρίσαι εἰ μὴ καθ' ὑμᾶς ἔσχε τοῦτον τὸν τρόπον ὁ τοῦ σώματος θάνατος; *Nannius:* Quomodo igitur possunt Judæi solvere templum Dei, & indissolubile temperamentum carnis cum Verbo disseparare, nisi instar nostri, proque nostra ratione sese habuisset corporis mortificatio? *Vertendum autem est:* Quomodo igitur potuerunt Judæi solvere templum Dei & indissolubilem carnis cum Verbo conjunctionem dissolvere, si mors corporis eo modo facta est quo vos dicitis, nimirum per separationem deitatis a corpore?

T. 1. p. 859. *In oratione, de incarnatione contra Apollinarium:* καὶ τίς ἡ ἐν τούτοις εὐεργεσία ὦ μάταιοι, εἰ ταῦτα ἐν Χριστῷ οὐ γέγονεν, ἃ γέγονεν ἐν τῷ πρωτοπλάστῳ Ἀδάμ. *Nannius:* At quænam isthinc beneficentia, o stolidi, si ea in Christo constituatis, quæ in Protoplasto? *Vertendum autem est:* Quænam isthinc beneficentia, o stolidi, si ea natura in Christo non fuit, quæ facta est in protoplasto Adam?

T. 1. p. 350. vide ibi. *In epistola ad Epictetum episcopum:* σῶμα μὲν γὰρ ἦν τὸ ἐν τῷ μνημείῳ τεθέν, ὅτε αὐτὸς ἐπορεύθη οὐ χωρισθεὶς αὐτοῦ, κηρύξαι καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασιν. *Nannius:* Corpus tum quippe in sepulchro erat positum, cum Verbum abiit ut prædicaret spiritibus qui in carcere tenebantur. *Vertendum autem est:* Corpus hoc erat, quod fuit in sepulchro positum, cum ipsum Verbum non separatum a corpore, profectum est ut prædicaret.

T. 2. p. 82. *In disputatione in Nicæno concilio contra Arium:* οὐχ ὡς θεὸς λόγος ἐκοπίασεν, ἀλλ' ἵνα φανῇ ὅτι σάρκα ἣν οὐκ εἶχε πρότερον ὁ λόγος καὶ θεός, ταύτην ἀνέλαβεν· διὰ τοῦτο τῇ σαρκὶ συνεχώρησε πάσχειν. *Nannius:* Non Verbum quod Deus est laboravit lassitudine, sed ideo factum est, ut ostenderet carnem, quam prius non habebat, cum Verbum & Deus esset, eam se denuo resumpsisse. *Vertendum autem est:* Non enim qua est Deus Verbum, lassitudine affectus est; sed ideo factum, ut ostenderetur, quod carnem, quam prius non habebat, Verbum divinum assumpsit.

In oratione de sanctissima Deipara, quæ tamen neque stylum, neque exactum illum scribendi morem Athanasii præ se fert: nam ibi Platonico more philosophatur auctor de vocabulo οὐσίας, & videtur etiam aperte docere, distinctum quid esse in divinis essentiam ab attributis & actionibus essentialibus; quæ fuit posterorum Græcorum opinio, & multum contra divum Thomam agitata a quodam Gregorio Palama, quem fuisse ajunt Marci Ephesini præceptorem: cum Athanasius ipse pluribus in locis contrarium doceat. Dicit præterea sicut beatam Virginem, ita ipsam animam Christi, non habuisse claram Verbi visionem. nec non beatam Virginem hæsitasse ad verba Angeli, etiam cum dixit: Ecce ancilla Domini; *optandique modo dixisse,* Fiat mihi secundum verbum tuum. *Refertur vero ibi propositio illa, quam Cyrillus in epistola ad Successum episcopum Diocæsariensem ait esse Patrum antiquo-*

T. 2. p. 775. *rum his verbis:* διὸ καὶ τοὺς λέγοντας μίαν φύσιν τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην, καὶ μὴ ἐπιφέροντας ἐψυχωμένην λογικῶς τε καὶ νοερῶς, οὐ πάνυ ἀποδεχόμεθα. *Nannius:* Ideoque & eos qui dicunt, solam naturam Dei Verbi incarnatam, neque addunt eam animatam esse, & rationalem, & mente præditam, non admodum recipimus. *Vertendum autem est:* Ideoque eos qui dicunt unam esse Dei Verbi naturam incarnatam,

tam,

tam, neque addunt carnem assumptam esse animatam rationali & intellectiva anima, non admodum recipimus.

Postremo quia in verbis Athanasii in apologia secunda, auctor ille qui confecit indices tomo secundo affixos, deducere vult suam illam conclusionem, quod Julius pontifex ab Eusebio episcopo Ariano judex fuerit constitutus, notata sunt Athanasii verba, quibus ille oppositum asserit: inquit enim, καὶ οἱ περὶ Εὐσέβιον καὶ πρὸς Ἰούλιον ἔγραψαν, καὶ νομίζοντες ἡμᾶς ἐκφοβεῖν ἠξίωσαν σύνοδον καλέσαι, καὶ αὐτὸν Ἰούλιον, εἰ βούλοιτο, κριτὴν γενέσθαι. *Nannius:* Quin & Eusebiani ad Julium litteras misere, & ut nos terrerent, synodum jusserunt convocari, & ipsi Julio, si vellet, arbitrium causæ detulerunt. *Vertendum autem est:* Quin & Eusebius litteras ad Julium mittit, rogans ut ab ipso synodo convocaretur, aut si vellet, ipsemet præberet se judicem, putans se terriculis hisce nos commoturum. T. 1. p. 54.

Explicit censura in primum tomum operum sancti Athanasii Græce & Latine editorum anno 1599. ex translatione Petri Nannii.

Censura in secundum tomum deest in manuscripto codice.

II. Hæc probe observata. Verum haud felicius, ni fallor, in historicis, ut putat iste quisquis sit anonymus, versatus Nannius est, quam in Theologicis. Exemplis id palam fiat: ἄνθρωποι πρᾶοι, καὶ φιλάνθρωποι, καὶ τὸν τρόπον ἐπιεικεῖς· μᾶλλον δὲ, εἰρήσεται γὰρ τ' ἀληθὲς, πονηροὶ καὶ πικροὶ, καὶ ἐκ φόβων καὶ ἀπειλῶν, ἃ ἐξ εὐσεβείας καὶ ἐπιεικείας, ἃ τοῖς ἐπισκόποις πρέπει, τιμώμενοι. Ubi Nannius: *Homines scilicet admodum mansueti, & moribus æquis, vel quod verius est, improbi & perquam acerbi, qui terroribus & minis potius, quam pietate & æquitate, quod episcopos decet, ad pœnas deproperant.* Vides quam importune illud, τιμώμενοι, *ad pœnas deproperans*, interpretetur; ubi vertendum, *honoratur*, vel, *honorari studens*. Et paulopost, κατηγορία γὰρ ἀληθῶς, ἀγαπητοί, τὸ παρ' αὐτῶν γινόμενον, καὶ ταύτης ἀνωτάτω κατηγορία· οὕτω γε καὶ πάντων τῶν ἀνθρωπίνων ἀνωτάτω τὸ δικαστήριον· τί γὰρ ἄλλο τέλος τῆς ἐπὶ τούτῳ ζητήσεως, ἢ θάνατος ἐκ βασιλικῆς κινήσεως ἐπαγόμενος; *Calumnia enim est, dilecti, quam tentant, eaque gravissima & maxime omnium capitalis; idque in summis omnium rerum humanarum tribunalibus. Quis enim alius istius quæstionis finis, nisi ut mors regio tumultu inferatur?* Illud, πάντων τῶν ἀνθρωπίνων ἀνωτάτω τὸ δικαστήριον, palam est significare, *omnium humanorum suprema tribunalia*, ἐκ βασιλικῆς κινήσεως, quam prave, *regio tumultu*, reddit, cum luce clarius sit vertendum esse, *ex Imperatoris ira*, vel, *a commoto Imperatore*. Et paucis interjectis, ut videas lector, quam frequens ruat Nannius, ἢ φονεύειν ἐπιχειροῦσιν, ἐὰν συγχωρῶνται, ἢ ποιεῖν ἐξορίστους· συνεχωρήθησαν γὰρ ὑπὸ τοῦ θεοφιλεστάτου πατρὸς τῶν βασιλέων ἀντὶ θανάτου τῇ μεταθέσει [illegible] τὸν θυμὸν αὐτῶν ἐκπλήσαντος. Hic Nannius non advertens de unius Athanasii exsilio agi, imperite vertit: *Aut necem moliuntur, si ipsis liceat, aut saltem exsules facere. Quod & impetraverunt ab religiosissimo Cæsarum patre, qui iras ipsorum offensasque, cum supplicium capitale posceretur, exsilio damnatorum explevit.* Ne multa, si quis Græce gnarus, & Historiæ ecclesiasticæ peritus, subsequentia percurrat, vix aliquam periodum Nannianis lapsibus vacuam deprehendat. Inferius vero quam incommode illud, καὶ καθαιρεῖν ὀνειδίζων αὐτῷ τολμᾷ, καθαιρεθεὶς αὐτὸς, καὶ μάρτυρα τῆς καθαιρέσεως ἔχων τὸν * ἀντ' αὐτοῦ κατασταθέντα. πῶς δὲ ἢ αὐτὸς ἢ Θέογνις ἐδύναντο καθαιρεῖν ἄλλον, αὐτοὶ καθαιρεθέντες, καὶ τοῖς ἀντ' αὐτῶν κατασταθεῖσιν ἐλεγχόμενοι; οἴδατε γὰρ ἀκριβῶς, ὅτι Ἀμφίων μὲν ἐν Νικομηδείᾳ, Χρῆστος δὲ ἐν Νικαίᾳ κατεστάθησαν ἀντ' αὐτῶν. Ubi Nannius: *Nec veretur ei objicere ejus dignitatis exauctorationem, ipse interim maxime exauctoratus, ut qui suæ exauctorationis testimonium & argumentum in ipsa sui constitutione ostendat. Qui igitur vel ipse vel Theognius potuerunt alios deponere, ipsi depositi & exauctorati, & vitio suæ creationis famosi? Bene siquidem cognitum habetis, Amphionem Nicomediæ in eorum locum.... episcopos constitutos esse.* Ubi vertendum fuit, ut quisque vel mediocriter peritus advertat: *Ac depositionem ipsi (Eusebius Athanasio) exprobrare non veretur, cum ipse depositus fuerit, ac eo ipso testem depositionis suæ habeat, quod alter ejus loco suffectus sit. Quomodo igitur vel ipse vel Theognius alium deponere potuerunt, cum ipsi depositi sint; ut vel hinc arguitur, quod alii eorum loco sint constituti? Probe etenim nostis, Amphionem Nicomediæ, Chrestum Nicææ eorum loco fuisse ordinatos.* Est ubi Nannius nomina propria non advertat, & quasi aliud quam nomen viri significarent, interpretetur. Sic in epistola Alexandri Thessalonicensis hæc, ὅπως μὲν οὖν διεκείμεθα περὶ τὸν μνήμης ἄξιον Σώζοντα, οὐδ' αὐτὸς ἀγνοεῖς, ita vertit: *Quo igitur nos affectu esse erga eum, qui ita viram memoria dignum in se conservat, existimas.* Ubi hæc vera interpretatio: *Quo igitur affectu fuerimus erga Sozontem memoria dignum virum, non ignoras.* Et in epistola Encyclica, olim ad Orthodoxos inscripta, Πιστὸν nomen proprium, *fidum*, perperam interpretatus est: quæ vox inconsulte est a Parisiensibus editoribus in Γρηγόριον commutata. Innumera proferre possem, quibus eruditus lector luce clarius id perspiceret, non licuisse nobis Nanniana uti versione; quando tam multa immutanda oportuit, ut vix Nannii versio exinde vocari posset: verum ne in re nota & pervulgata multus & insolens sim, libenter ingrato labore supersedeo. Miretur autem acutus quilibet inter præstantissimas annumeratam, & quidem a doctis viris, Nannii versionem; ut propalam sit istiusmodi judices in conferenda cum Græcis illa interpretatione non multum otii consumsisse. Nimirum decipit frons prima multos: cum enim in loca quædam feliciter reddita casu incidissent, (& sunt fatemur ejusmodi non pauca,) de cæteris conjecturam fecerunt. Auctoribus igitur & consuasoribus Cll. VV. Bigotio & Cangio, quos memorantem χαλεπὸν ἐμὲ πεῖθου ἰδέα, ad novam edendam versionem animum adpulimus; etsi rem arduam fore prospiciebamus. Etenim quam difficile sit ad tot eruditorum nutum ac sententiam Græca Latine dare, hinc palam, quod quantumvis multi sint qui librum eumdem vertere seorsim aggrediantur, ne duo quidem eamdem prorsus interpretationem edant. Ea porro fuit instituti nostri ratio, ut interpretando mediam ceu viam teneremus inter παραφραστικὴν vertendi rationem, & strigosam illam aliam, quæ Græca e vestigio & κατὰ πόδα consectatur: atque ita Græca reddidimus, ut quoad facultas tulit, a consuetudine Latinæ linguæ non deflecteremus. A vocibus tamen perpetuo usu in Ecclesia admissis, etsi Latine minus usitatis, non abstinuimus, ut sunt exempli causa, *mortificatio*, *tribulatio*, *persequutio*, & aliæ id genus, quia potissimum exstant in Vulgata nostra, & a Patribus frequentantur. Nec morigeros esse visum est iis, qui oblitas Latio voces tam

Edit. Commel. pag. 562. Edit. Parisiens. pag. 723. Edit. nostræ pag. 49.

Edit. Parisiens. p. 727.

* Sic probe legit Nannius, non ἀντ' αὐτῶν, ut habet Editio Parisiensis.

Edit. Parisiens. p. 783.

Edit. Parisiens. pag. 948.

ſedulo aucupantur, ut etiam importuno ſcrupulo a ſuavi, & ab ipſis Eccleſiæ incunabulis ubique recepta SALVATORIS voce abſtineant. Contra vero religio fuit ſacrum nomen cum aliis commutare, etſi magis ad latinæ linguæ idioma accedentibus: cum maxime exploratum ſit voci σωτὴρ nullam e Latinis probe congruere. Audi Tullium: *Itaque eum non ſolum patronum iſtius inſulæ, ſed etiam SOTERA inſcriptum vidi Syracuſis. Hoc quantum eſt? Ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non poſſit. Is eſt nimirum SOTER qui ſalutem dedit.* Fruſtra igitur quæras apud antiquos Latinitatis auctores vocem quæ iſti σωτὴρ reſpondeat: quapropter vulgo Salvatoris eam nomine reddimus, raro ſervatoris; a reliquis vero, nuper excogitatis, utpote inſolentioribus, abſtinemus. Sicubi porro ſublimior res agitur, ut Trinitatis, Incarnationiſque ratio, tum ſimpliciore vocum uſu omnia interpretamur; nam in hiſce, ait Julius papa, non ſpecimen eloquentiæ quærendum eſt. Si occurrunt Scripturæ ſacræ loca, Vulgatam, ubi res fert, ſequimur: ſed quando ex veteri Teſtamento ſententiæ adſeruntur, quia plerumque Vulgata quæ ex Hebræo expreſſa fuit, cum Græcis Septuaginta non convenit, tum neceſſe prorſus eſt litteræ obſequi, aliamque verſionem parare: imo etiam cum Vulgata noſtra ex Græcis exprimitur, non raro ab ea nonnihil deflectere oportet, ſive lectio diverſa, ſive Athanaſii mens aliam interpretationem poſtulet: quod haud raro evenit.

In Verr. 4.

Ordinem quod ſpectat, una nobis fuit temporis ratio, omnium ſcilicet opportuniſſima cum ad hiſtoriam & chronologiam, tum ad judicium νοθείας, vel γνησιότητος ferendum. Admonitiones cuique libro aut epiſtolæ; vel ſicubi plura opuſcula mutuo cohærent, pluribus, præmiſimus. Ibi tempus inveſtigamus; opus germanum eſſe, cum res poſtulat, palam facimus; quæ difficillima occurrunt explicamus, quantum in nobis ſitum eſt. Monitum porro lectorem volumus, nos ſic omnia temperaſſe, ut ne nimia notarum prolixitate ipſi nauſeam, moleſtiamve crearemus: ac multa conſulto prætermiſiſſe, quia vel in Onomaſtico * explanata ſunt, ſi qua voces ſpectant; vel in Athanaſii vita, ſi qua hiſtoriam; vel in Monitis, ſi qua res diverſas & inſolentes; ut poſſit quiſque animum explere ſuum. Dubia & ſpuria in ſecundum Tomum, præmiſſis νοθείας ſignis, ablegavimus. Quanto autem labore ac ſtudio contenderimus, ut ſi qua laterent in variis Europæ Bibliothecis Athanaſii opera non edita tranſmitterentur nobis, fidem ſpero ii facient, quotquot miniſterio atque officiis ea in re uſi ſumus. Et ſane bene multa jam primum Athanaſianis accedunt ſive hactenus inedita, ſive hic illic in editis variis diſtracta. Quæ omnia obſervare licet in catalogo ſuis diſtincta notis. In ἀνεκδότοις vero mole & pretio anteit Commentarius in Pſalmos, qui ex compluribus manuſcriptis jam primum in lucem prodit, & quidem ingenti labore exſcriptus, ut pluribus ad frontem operis indicatur. Sed quanti quanti bene emitur quod neceſſe eſt. Ne quid lectoris commodis deeſſet, Onomaſticon *, quoad facultas tulit, accuratiſſimum damus, ac non Athanaſii modo, ſed aliorum etiam Patrum ſcriptis intelligendis peropportunum. Varias lectiones notis intermixtas ad imum paginæ locamus: quæ ratio omnium eſt commodiſſima. Lectiones autem etiam eas, quæ parvi pretii videntur, non duximus negligendas; id licet noſtrum Gallorum genium non ſapiat, ut minutis, ſi quæ ita videntur, rebus operam demus: qui quodcumque primo adſpectu leve putatur, ſtatim cum faſtidio reſpuimus. Quorſum illæ næniæ? ajentes, Quis uſus lectionis hujuſmodi? Quin iſthæc miſſa faciunt? Verum in promptu eſt quod opponatur: nos omnium inſervire commodis, neque modo curare ut Theologi, ſed etiam Grammatici, Rhetorici, & ſi qui alii, nihil in hoc opere deſiderent. Et præterea non deſunt ex iis, qui in republica litteraria inter primarios computantur, qui id ſumme expetant a nobis. Et ni ea res nos longius ab incœpto traheret, utilitates varias diverſarum lectionum etiam minutiſſimarum commonſtrare in promtu eſſet. Nihil demum, candide lector, quod vires quidem ferrent, negleximus, ut opus totum ſartum & tectum, ut ajunt, tibi offerremus.

* *In Edit. Gr. Lat. Tom. II. pag. 695.*

* *Ibidem.*

DE STYLO ATHANASII.

Variorum judicium de Athanaſii eloquentia.

1. A Priscis perinde atque a nuperis ſcriptoribus admirationi habita eſt Athanaſii eloquentia. Ejus ſcripta quot quantiſque veterum teſtimoniis laudibuſque celebrentur, videre eſt in collectione locorum, quæ bene multa congeſſimus. At ut, ſemper fuere quædam peſtes hominum laude aliena dolentium, unus repertus eſt Philoſtorgius, qui Athanaſium innumeris prope maledictis in hiſtoria ſua inſectatus eſt: & nihil agebat aliud, quam ut dolorem ſuum in talem virum, ſuæ ſectæ perniciem, convitiis exoneraret. Is impudenter ait quodam loco, Athanaſium Baſilio, Gregorio & Apollinario comparatum, inſtar pueri habendum eſſe. Sane tanti facienda Philoſtorgii de Athanaſio verba, quanti hæc Eunomii de Baſilio: quem, ut ait Gregorius Nyſſenus lib. 1. contra Eunomium, vocabat πονηρὸν, κακοήθη, ψεύστην, καὶ ἐπὶ τούτοις, θρασὺν, ἀμαθῆ, ῥᾳδιούργημα, τῶν θείων ἀμύητον. Id eſt: *Malum, improbum moribus, mendacem; & præterea audacem, indoctum, falſificum, divinarum rerum imperitum.* Miſſo itaque iniquiſſimi rabulæ judicio, ad Photium veniamus, æquum peritumque, ſi quis alius, judicem. Is ait in Bibliotheca ſua: Σαφὴς μέν ἐστι τὴν φράσιν, καὶ ἀπέριττος καὶ ἀφελὴς, δριμὺς δὲ καὶ βαθὺς, καὶ λίαν τοῖς ἐπιχειρήμασιν ἔντονος. καὶ τὸ γόνιμον αὐτῷ, ἡλίκον ὅσον καὶ θαυμάσιον. Hoc eſt: *Clarus, nihil redundans, ſimplex; acutus tamen & altus, in argumentationibus nervoſus. Cujus tanta eſt ubertas ut admirabilis ſit.* Et cætera quæ fuſius ille proſequitur: additque in ſubſequentibus, Baſilium & Gregorium Nazianzenum ex ejus contra Arianos ſcriptis Theologiam hauſiſſe ſuam.

Suidas in voce Baſilios.

2. Sublimiorem adhuc dicendi facultate Athanaſium exhibet Eraſmus, qui videtur eum Patribus ferme omnibus anteferre. Sic ille in epiſtola ad Joannem epiſcopum Lincolnienſem. *Erat vir ille ſæculo tranquilliſſimo dignus, dediſſet nobis egregios ingenii facundiæque ſuæ fructus. Habebat enim vere dotem illam, quam Paulus in Epiſcopo putat eſſe præcipuam, τὸ διδακτικόν; adeo dilucidus eſt, acutus, ſobrius, adtentus, breviter omnibus modis ad docendum appoſitus. Nihil habet durum, quod offendit in Tertulliano: nihil ἐπιδεικτικὸν, quod vidimus in Hieronymo: nihil operoſum, quod in Hilario: nihil laciniosum, quod eſt in Auguſtino, atque etiam Chryſoſtomo: nihil Iſocraticos numeros,*

aut

ant Lysiæ compositionem redolens, quod est in Gregorio Nazianzeno, sed totus est in explicanda re.

3. Quid si incidisset Erasmus in exquisitissima illa opera tam multa quæ numquam vidit, in epistolas scilicet de sententia Dionysii, ad Dracontium, ad Monachos, ad Epictetum, in libros contra Arianos, contra Apollinarium? Quid si in librum contra Gentes, in apologiam ad Constantium? Annon tantorum operum artificem, omnium eloquentissimum nuncupasset? Sed paulum libet spatiari: & quia tantam laudem tulit Athanasius, & quidem a laudatis viris, ut elegantissimis Græciæ scriptoribus anteferretur, jam qua in re præstare, qua item aliis nonnihil cedere videatur expendamus; & quæ crebro Athanasii scripta regustando comperimus, proponamus studioso lectori. Primo quidem si Gregorii Nazianzeni illam quadrandæ orationis industriam, si numeros spectes, ab hoc eloquentiæ genere alienus semper fuit Athanasius, cujus dictio plus habet nativæ elegantiæ quam artificiosæ diligentiæ. Et si quando hic plusculum artis adhibeat, ut in oratione contra Gentes, epistola ad Dracontium, apologia ad Constantium; ita tamen omnia temperat, ut lateat artificium, & oratio non adstricte sed remisse numerosa fit: contra vero Gregorius, ultra aliquando quam satis sit, circumscriptione & ambitu utitur, ut certis numeris definita, tamquam orbe inclusa currat oratio. Chrysostomi vero,

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή,

illam expeditam & profluentem verborum copiam, concinnitatis leporisque plenam, non adtingit Athanasius, qui plerumque pressus ac brevis est, & majore sententiarum quam verborum ubertate. Verum longe præstat salibus, nervis & τῷ δεινῷ redundantiam omnem resecante. Nimirum possunt esse summi, qui inter se sint dissimiles: quod in eloquentia pariter & in mutis artibus observatur. Basilio autem nemo propius ad Athanasii dicendi genus accedit. Sed præit ille elaboratione; hic longe præstat acrimonia. Et hac in parte, quæ scilicet nervos spectat, sales, acrimoniam; omnes, mea quidem sententia, longe antecellit Athanasius, estque hoc in genere princeps. Figuris autem, sicubi hæreticos insectatur, frequens est, apte & apposite distributis, etsi potius suopte ingenio quam elaboratione adhibitis. Hujus oratio numquam effluit, numquam longius vagatur.

4. Sunt autem Athanasii, ut & alterius cujusque, opera, non pari elegantia concinnata. Quæ aliis antecellunt, meo quidem judicio, sunt, oratio contra Gentes, eximium opus; & cui, dicere liceat, par in eodem genere vix deprehendas; si respicias vim argumentorum, nervos; si advertas quam perspicuus sit, quam nitidus; quam salse rideat, ubi res fert, gentilium superstitiones, quam concinnus sit in descriptionibus. Nec pœniteat quædam hic apponere. Τίς γὰρ ὁρῶν τὸν οὐρανοῦ κύκλον καὶ τὸν δρόμον ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀστέρων τὰς θέσεις καὶ τὰς περιπολήσεις, ἐναντίας μὲν καὶ διαφόρους γιγνομένας, ἐν δὲ τῇ διαφορᾷ ὁμοίως τὴν τάξιν ἀπὸ πάντων ἅμα σωζομένην, οὐκ ἐνθυμεῖται ὅτι οὐκ αὐτὰ ἑαυτῶν, ἀλλ' ἕτερός ἐστιν ὁ διακοσμῶν αὐτὰ ποιητής; τίς δὲ ὁρῶν ἥλιον μὲν ἀνατέλλοντα καθ' ἡμέραν, σελήνην δὲ φαίνουσαν κατὰ νύκτα, καὶ φθίνουσαν, καὶ πληρουμένην ἀπαραλλάκτως, κατὰ τὸν τῶν ἡμερῶν ἴσον πάντως ἀριθμόν, καὶ τῶν ἀστέρων τοὺς μὲν διατρέχοντας καὶ ποικίλως ἐναλλάττοντας τοὺς δρόμους, τοὺς δὲ ἀπλανῶς κινούμενα· οὐκ ἂν ἔννοιαν λάβοι, ὅτι πάντως ἐστὶν ὁ κυβερνῶν αὐτὰ δημιουργός; τίς ὁρῶν τὰ ἐναντία τῇ φύσει συνημμένα καὶ σύμφωνον ἔχοντα τὴν ἁρμονίαν, οἷον ὡς ἰδὼν πῦρ ψυχρῷ, ἢ ξηρὸν ὑγρῷ κεκραμένον, καὶ ταῦτα μὴ ἀντιστατοῦντα πρὸς ἄλληλα, ἀλλ' ἓν ἀποτελοῦντα ὡς ἐξ ἑνὸς τὸ σῶμα, οὐκ ἂν ἐνθυμηθείη ἔξωθεν εἶναι τούτων τὸν ταῦτα συνάψαντα; τίς ἰδὼν, &c. Id est: *Ecquis enim cæli ambitum, solisque ac lunæ cursum, aliorumve siderum positiones ac circumvectiones, contrarias quidem ac dissimiles; sed in ipsa dissimilitudine æqualem ordinem ab omnibus simul servatum intueatur, quin secum cogitet hæc non a semetipsis, sed ab alio, nempe ab auctore, administrari & regi? Quis solem die exoriri & lunam nocte apparere, immutabilique lege per æqualem omnino dierum numerum decrescere ac crescere; atque ex sideribus alia quidem discurrere, cursusque varie immutare, alia vero citra errorem moveri conspiciens, non intelligat illa necessario ab opifice aliquo gubernari? Quis contrarias naturas mutuo conjungi ac consonam efficere harmoniam cernens: quis ignem cum frigido conjunctum, & siccum humido commixtum, nec tamen secum invicem pugnare, sed unum quasi ex uno corpus conficere, non colligat, alium ab his esse qui illa simul copulavit? Quis videns*, &c. Quibus quid validius, quid concinnius? Horum elegantiam Græce periti solum plene advertere possunt. pag. 23.

5. Miræ sunt eloquentiæ epistola de sententia Dionysii, epistola ad Dracontium; itidemque orationes contra Arianos: ubi in altercando cum hæreticis, aculeis frequenter, maledictis facete utitur; creber in reperiendis, acutus in solvendis argumentis. Apologiæ de Fuga & ad Constantium elegantes, quibus plus inest quam reliquis diligentiæ & artis, tropis apposite & sobrie resperse, salibus frequentissimis. Salsum est illud in priore: Μία δὲ γνῶσις ἐν αὐτοῖς ἐστι τὸ κακοτεχνεῖν, καὶ καθ' ἡμέραν χείρονα χείροσιν ἐφευρίσκειν. Καὶ γὰρ καὶ τὴν φυγὴν ἡμῶν οὐχ ἐπ' ἀρετῇ θέλοντες ἡμᾶς ἀνδραγαθήσασθαι διαβάλλουσι· πόθεν γὰρ εὐχὴ τοιαύτη παρ' ἐχθροῖς, ὑπὲρ τῶν μὴ συντρεχόντων αὐτοῖς τῇ κακοφροσύνῃ; ἀλλὰ κακοήθεις ὄντες χηματίζονται τοιαῦτα τεθρυλλοῦντες, νομίζοντες, λάθοις ὄντες ἀληθῶς αὐτοὶ, ὡς ἄρα δέει τῶν παρ' αὐτῶν λοιδοριῶν προσάξομεν ἑαυτοὺς ποτὲ αὐτοῖς. Θέλουσι γὰρ, καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα περιτρέχουσι, &c. Hoc est: *Una autem est illis scientia, maligne agere, ac quotidie pejora pejoribus comminisci. Nostram quippe fugam non eo criminantur quo velint nos cum virtute ac fortiter agere: nam unde inimicis votum hujusmodi, pro viris qui non uno secum malignitatis cursu feruntur? At improbi cum sint, simulatione usi, hæc ubique spargunt: rati, ita nempe stulti sunt, nos metu ejusmodi illorum convitii aliquando ipsis occursuros. Id peroptant scilicet, eaque de causa ubique circumcursant*, &c. Et inferius hæc quam pulcre quam argute dicta. Ταῦτα δρῶντες οἱ μὴ ἐντραπέντες ἐφ' οἷς πρότερον καθ' ἡμῶν ἐτύρευσαν κακοῖς, ὅτι καὶ νῦν κατηγοροῦσιν, ἐκφυγὴν δοκηθέντες αὐτῶν τὰς ἀνδροφόνους χεῖρας· μᾶλλον δὲ ὀδύρονται πικρῶς, ὅτι μὴ καὶ ἐκποδὼν τέλειον πεποιήκασι, καὶ λοιπὸν προφασίζονται δειλίαν ὀνειδίζειν, ἀγνοοῦντες ὅτι, καὶ τοῦτο γογγύζοντες, εἰς ἑαυτοὺς ἐπιστρέφουσι μᾶλλον τὴν μέμψιν. εἰ γὰρ φαῦλον τὸ φεύγειν, πολλῷ χεῖρον τὸ διώκειν. Id est: *Hæc cum illi agant, nec pudeat malorum quæ adversum nos moliti sunt, nos etiamnum ideo criminantur, quod sanguinarias illorum manus effugere potuerimus; imo potius acerbe lugent, quod me non e medio prorsus sustulerint: ac deinceps simulate timiditatem exprobrant; non intelligentes se, dum ita obmurmurant, in sese* pag. 126. pag. 128.

magis ipsam vertens criminationem. Nam si turpe est fugere, multo deterius persequi, & cætera bene multa, præclara etiam, quæ consulto brevitatis causa prætermittimus.

6. Limatior etiam apologia ad Constantium, quam cum lego videor mihi Ciceronianam orationem ob oculos habere. Annon Ciceroniana isthæc, quæ, cum mentirentur Ariani, misisse illum
pag. 312. litteras ad Tyrannum Magnentium, depellendi criminis causa dicit? Ποίᾳ μοι προφάσει ἔδει γράψαι τῷ τοιούτῳ; ποῖον προοίμιον τῆς ἐπιστολῆς ἔμελλον γράφειν αὐτῷ; ὅτι τὸν τιμῶντά με, ὃ δὴ διηγοῦμαι ἐκ σοῦ ποτε ἐπιλαθοίμην, αὐτὸν φονεύσας καλῶς ἐποίησας; ἢ, ἀποδέχομαί σε τοὺς γνωρίμους ἡμῶν χριστιανοὺς καὶ πιστοτάτους ἄνδρας ἀνελόντα; ἢ ἀποδέχομαί σε σφάξαντα τοὺς ἐν Ῥώμῃ γνησίως ἡμᾶς ὑποδεξαμένους; Hoc est: *Quanam ductus occasione viro hujusmodi litteras misissem? Ecquod fecissem epistolæ ad talem virum mittendæ exordium? Num illud? Probe fecisti eum occidendo qui me cum honore excipere solebat, & cujus beneficiorum numquam oblivìscar: teque laudo quod viros nobis familiares, eosque Christianos ac fidelissimos sustuleris. Te acceptissimum habeo, quod eos Romæ obtruncaris a quibus perhumaniter exceptus fui*. Prorsus simile habes apud Tullium in Verrina 5. *Quæ porro præfatio tuæ donationis fuit? Illa scilicet vetus atque Imperatoria: Quando tu quidem in prælio, in bello, in re militari: cujus ne mentio quidem te Prætore ulla facta est? An illa: Quandoquidem tu nulla umquam mihi in cupiditate ac turpitudine defuisti, omnibusque in iisdem flagitiis mecum & in legatione & in Prætura, & hic in Sicilia versatus es*, &c.

7. Tempus me deficeret, si loca similia congerere vellem, si annotare quæ notatu digna sunt: quam salse nimirum mordeat aversam eunuchorum libidinem, admixtis facetiis, quæ tamen nihil de gravitate decerpant; quam acriter insectetur Meletianorum avaritiam, qui dignitates ecclesiasticas vænales quibuslibet viris proponebant, &c. Acutissimæ sunt etiam orationes contra Apollinarium, in iisque invenimus Athanasium Athanasio δεινότερον. In polemicis enim maxime ætatem contrivit, curans semper ne aliena dogmata Arianorumque ausus plebi catholicæ quid apportarent mali. Etsi vero asper est, & sannis maledictisque plenus, quando res est illi contra hæreticos: nemo tamen est, qui perspecta hæreticorum, maxime Arii sequacium pertinacia, furore, immanitate in Christianos, in Episcopos, proborum item hominum carnificina, in nefarios aliquid inclementius dictum arbitretur. Aspere scilicet agit Arianos, quia nihil contra tantam vim sine vi fieri poterat: & remisse depellere feroces homines, fateri erat diffisum se causæ suæ. Etsi vero mordet acriter, cum insolentia criminum aut hæresum temeritas acrem postulat oratorem; ubi tamen res illi est cum adversariis aliquam æqui bonique rationem tenentibus, sobrie ac prudenter verba facit, *mollitque animos & temperat iras*. Fuit autem illud sobrii temperantisque animi argumentum, cum rogatus a Serapione ut Arii mortem mandaret litteris, hominis Deo juxta hominibusque invisi; perniciem divinitus immissam ægre recensere se testificatur, ne quantumvis
pag. 133. impio post obitum insultare videatur; nimirum,

Athanasius aspere cum hæreticis agit.

Archilochus.

Ζῶντας κολάζειν ὁ ὅσιος·
Οὐ γὰρ ἐσθλὰ κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσιν.

8. Ad mansuetiores vero musas an aliquando se contulerit Athanasius, necne, haud facile dictu est: augurari tamen licet sanctum Doctorem, cum quotidianæ curæ angerent animum, & pro Ecclesia semper ille, pro capite, pro fide decerneret, modicam hujusmodi studiis operam dedisse, descriptionibus videlicet, encomiis, philosophiæ. Carmina vero ne minimum adtigisse videtur. Dictio ejus pura & elegans est ut plurimum: nec inficior tamen nonnullis ejus operibus aliquam peregrinitatem adtulisse Latinæ linguæ usum; quale illud est, ἐκκλησίαν ἔδωκεν εἰς πρίδαν, βετερᾶνος, & alia id genus. Impetratum scilicet a consuetudine fuerat, ut si ex quotidiana Latinorum familiaritate aliquæ hujusmodi dictiones in buccam venirent, ne ab iis vel Græce peritiores abstinerent. Licet autem insidias auribus minime paret, lectoris sibi tamen, illecebris nescio quibus, benevolentiam captat. Nihil morosus in exordiis est, sed statim ab initio in arcem causæ invadit, & contra hæreticos canit quodammodo classicum. Platonis Homerique libros legit assidue, necnon aliorum veterum, ut ex Oratione contra gentes & ex aliis ejus operibus propalam est. Quod si Gregorius Nazianzenus illum hac in parte mediocriter dumtaxat eruditum fuisse narret, id nimirum Gregorio visum fuit, qui magnam ætatis suæ partem his in studiis contrivit. Aliis autem jure videatur Athanasius φιλολόγος, & his in rebus probe eruditus.

DE AMISSIS ATHANASII OPERIBUS.

1. Etsi tam peritum dicendi opificem Athanasium fuisse mox narrabamus, ut ne nos pœniteat dicti, vel id unum satis fit, quod tanta vario scribendi genere Athanasii scripta amissa fuerint, ut nonnihil partem debitæ laudis tulisse ille videatur. Quot, amabo, opera emisit in lucem, qui ineunte adolescentia ejusmodi ludum ingressus, mox specimina dabat magistro digna; qui decursa jam ætate adeo naviter & false Ecclesiæ hostes aggreditur, ut dicas hæc dicendi ornamenta accrevisse viro, dum corporeæ vires deficerent? Quot, putas, tot annorum spatio elucubravit, ita diligens & navus, advigilans semper frangendis hæreticorum consiliis? Anni certe intersunt ab edita oratione contra Gentes, ad absolutos usque contra Apollinarium libros, plus quatuor & quinquaginta, quibus innumera haud dubie scripsit, in otio, in negotio, homilias videlicet, epistolas, commentarios, hæreticorum confutationes. Quanta æstimas edidisse in deserto, dum calamitas, metus, solitudo prohiberent ab officio, & spatii multum esset ad scribendum; atque aliunde curis confectus animus nonnihil litterarum usu sese exonerare posset? Hinc propalam est, etsi multa ab antiquis laudantur Athanasii opera, jam injuria temporum exstincta, multo plura esse quæ a scriptoribus tacita relicta sunt.

Athanasii opera amissa ex Hieronymo.

2. Paucissima sane enumerat Hieronymus, si vel solum conferas cum iis quæ jam edita exstant: & ex illis tamen ab eo memoratis quædam nusquam comparent, liber nempe contra Ursacium & Valentem, liber de Virginitate, alius scilicet ab eo qui inter dubia computatur secundo tomo.
Duos

Duos contra Gentes libros idem doctor commemoravit, unus jam superest ea inscriptione; ne tamen secundum amissum existimato. Nam qui librum contra Gentes excipit, de Incarnatione nuncupatus, quoad magnam partem & ipse contra Gentes datus est, & serie mutua cohæret cum præcedenti; ut exploratum sit hos esse binos contra Gentes libros. Liber de Psalmorum titulis ab eodem Hieronymo inter Athanasiana connumeratus, si non idipsum est quod argumenta in expositionibus Psalmorum, ad frontem cujusque psalmi posita, vel quod expositiones ipsæ, exstinctus pariter fuit.

3. Sed nulla, opinamur, jactura major, quam epistolarum ἑορταστικῶν, aut Festalium, sive in cœtu ecclesiæ legendarum, quas item laudat Hieronymus. Has ingenti numero Athanasius, cum Arianici furoris declinandi causa in deserto Thebaidis latens ageret, ad plebem catholicam Alexandrinam misit. Atque ut ex iis quæ hodieque supersunt fragmentis, conjectare licet, magna pars in enarranda & deploranda Ecclesiæ calamitate versabantur. Hic quæstiones ab Arianis injectæ, ut plebem absente pastore a proba sententia excuterent, & vacillantes animo ad deteriorem partem adplicarent, ab Athanasio solvebantur. Hic quæ doctrinam, quæ disciplinam, quæ mores spectabant, per otium solitudinis explanabat ille. Et demiror plane amanuensium Græculorum gustum: qui dum aniles fabulas, fœdissimaque commenta, Athanasii nomine publicata, plus millies exscriberent, quæ nemo sanus sine stomacho legere possit, hæc ita neglexerunt, ut incuria perierint. Hoi hei quam pungit dolor amissi thesauri! quantum ad historiam, ad consuetudines Ecclesiarum, ad morum præcepta hinc lucis accederet! Et fortassis adhuc alicubi latent in Oriente, ubi bene multa exstant. Nam licet complures inde ad nos perlati codices fuerint, at cum plerumque ut sors tulit, sine delectu & apparatu quopiam, ad eam rem tamen perquam necessario, codices accumularint qui curam hujusmodi suscepere; hinc factum ut sæpe quorum jam operum multi codices exstabant in Bibliothecis nostris; eorumdem alios codices sine fine compararent; & contra quorum vel rari vel nulli penes nos erant, ea prætermitterent. Ad epistolas Festales ut redeamus, exstat sat prolixum trigesimæ nonæ fragmentum, qua Arianorum falsis rumoribus, de Scripturæ sacræ libris, commotam catholicam plebem sedat sanctus Doctor, & verum Scripturarum sacrarum texit catalogum. Ad hæc Colbertinum quemdam codicem antiquissimum evolvendo, in aliud fragmentum incidimus Latine ex Græco versum, quod perquam gratissimum accidit. Hinc cernas in Occidentem usque perlatas fuisse ejusmodi festales epistolas. Hæc autem, cujus fragmentum jam primum publicamus, ab Athanasio post traditas anno 356. Arianis ecclesias, consolationis causa, ad plebem catholicam missa est. Hand improbabiliter conjectamus, Fragmentum item a Theodoreto allatum, ab eoque ad Virgines nuncupatum, fuisse in cœtu Ecclesiæ legendum: nam cœtum populorum alloquitur in masculino genere. Et quia Virgines maxime omnium ab Arianis vexatæ fuerant; cum in illis παραμυθητικοῖς λόγοις, id est *Consolatoriis sermonibus*, frequens virginum esset memoria, & sæpe fortasse virgines alloqueretur Athanasius, hinc factum ut ad Virgines nuncuparetur. Festalium item Epistolarum mentio est inferius. Ex Theodoreto.

4. Athanasius ipse in sua de Nicænis decretis epistola prolixiorem laudat ab se ad amicum datam, quæ jamdiu interiit & a nemine antiquo quod sciamus memorata fuit. Item in Epistola ad Palladium, alterius meminit, ad Monachos Cæsarienses. Ex Athanasio ipso.

5. Ad hæc Basilius, cujus epistolæ ad Athanasium non paucæ supersunt, cum magna significatione familiaritatis, aliquas memorat ab eo ad se transmissas, quas ipse asservabat penes se; iisque velut norma quadam, sicubi res postularet, utebatur. Nam ad res ecclesiasticas componendas dabant illi operas mutuas. Ex Basilio. Basil. epist. 75.

6. Ait Epiphanius Athanasium contra Manichæum scripsisse, quod opus funditus periit. Ejus nomine perpauca adfert Facundus Hermianensis libro undecimo, quæ sunt Serapionis, non vero Athanasii, ut annotavit Sirmondus. Dialogus enim contra Manichæos, qui inter Damasceni opera exstat, in manuscripto quodam adscribitur Athanasio; sed perperam: est enim revera ejusdem Damasceni. Qua de re in præfatione secundi tomi. Memoratur item apud Epiphanium in epistola Synodi Diocæsariensis Epistola Athanasii ad ejusdem Synodi Patres. In Anchorato ejusdem in epistola Tarsini, Matidii & aliorum fertur Athanasius litteris suis multos, qui circumventi in errorem lapsi fuerant, ad sanum consilium reduxisse. Ex Epiphanio. Hær. 73.

7. In chronico Alexandrino epistolæ Athanasii ad Epiphanium excerptum legimus, editum una cum aliis fragmentis ad calcem. Ex Chronico Alexand.

8. Meminit insuper Theodoretus sermonis de fide majoris, ejusque loca nonnulla adfert, quæ nos ad calcem inter fragmenta locavimus. Ex Theodoreto.

9. Synodus VI. Œcumenica maximam partem adfert operis in hæc Scripturæ verba: *Nunc anima mea turbata est.* Ex Synodo VI.

10. Facundus item Hermianensis hæc Athanasii scripta jam amissa memorat, horumque excerpta adfert quæ nos edidimus ad calcem tomi primi, epistolam *ad Diodorum Tarsensem* Tyri tum agentem, Epistolam etiam *ad Antiochenos*: cujus item Fragmentum habetur in Actis Concilii Lateranensis. Ambo edita sunt ad calcem primi tomi. Aliud item Athanasii rescriptum in eodem Concilio memoratur. Ex Facundo. Concil. Lateran. T. 6. Conc. p. 301. & p. 228.

11. Leontius Byzantinus in libro adversus Apollinaristarum fraudes, quorumdam Athanasii scriptorum meminit. Hæc sunt ejus verba: *Sufficiunt hæc iis, qui non sunt nimium rudes & tardi, ad ostendendum Apollinarii esse epistolas quæ nomine Julii feruntur, præter eas epistolas Apollinarii, de quibus Athanasius & historici meminerunt. Discipuli enim Apollinarii antiquiores sunt omnibus qui his usi sunt, quas, ut verisimile est, qui a Julio per schisma discesserunt, inscripsere. Neque solum hoc: sed sunt ex Orthodoxis, qui inscriptione decepti, rectas eas esse intelligere, & dicere perseverabant propter personæ auctoritatem fide dignam. Alioqui magis omnium Orthodoxorum est agnoscere illos sermones proprii doctoris esse. Ne autem ex solo testimonio discipulorum, sermones ipsius Apollinarii agnoscamus, quamvis aliqui eos Julio, quamvis Gregorio, quamvis Athanasio falso inscribant; sed etiam ex* Ex Leontio.

Ex Concilio Lateranensi. *eodem genere sermonis & stylo*. In Concilio Lateranensi T. 6. Conciliorum p. 301. exstat fragmentum epistolæ cujusdam ad Antiochenos de doctrina vera agentis, a nobis pariter cusum ad calcem.

Ex Jo. Damasceno. 12. Laudat Joannes Damascenus in Oratione de Defunctis sub finem librum Athanasii, *de Mortuis in Domino*: qui jam non exstat. Item alium hac inscriptione, εἰς τοὺς κοιμηθέντας παραμυθητικὸς λόγος: qui fortasse idem.

Ex Nicæna Synodo II. 13. In secunda Nicæna Synodo, locum sat prolixum habes ex epistola Athanasii *ad Eupsychium Cæsareæ presbyterum*, quem pariter edidimus ad calcem, una cum fragmentis ex Gelasio desumtis: quæ tamen excerpta videntur ex operibus Athanasii quæ jam exstant, verbis paulum immutatis. In codice Felckmanni quodam adfertur locus ex libro Athanasii *de Honorabili conjugio*.

Ex Photio. 14. Photius in Bibliotheca sua memorat commentarium Athanasii *in Ecclesiasten*, jam penitus amissum. Item *in Cantica Canticorum*, cujus fragmenta dedimus. Alia porro fragmenta Commentariorum *in Jobum & in Euangelia*, quæ itidem edi curavimus ad calcem, suspicamur ex variis Athanasii operibus, cum jam exstantibus, tum deperditis, a Catenarum collectoribus excerpta fuisse, non autem ex perpetuis sancti Doctoris commentariis. Cujus rei sat perspicuum argumentum illud est, quod eorum multa in operibus jam exstantibus compareant.

Ex Michaele Glyca. p. 428. 15. Librum quemdam, *de Incarnatione* laudat Michael Glycas p. 208. ejusque bina adfert fragmenta, quæ ni fallor non exstant io editis. In Concilio Florentino hæc leguntur: τοῦτο γὰρ τὸ πνεῦμα, φησὶν ὁ ἱερὸς Ἀθανάσιος, πνοή ἐστι τοῦ υἱοῦ. Hoc est: *Hic enim spiritus, ut ait sanctus Athanasius, spiratio Filii est*. Quæ videntur ex quodam supposititio opere profecta.

Ex Petro Lambecio 16. Disputatio cum Zacchæo Judeorum Nomodidascalo, quæ exstat in Bibliotheca Vindobonensi, & Athanasii nomine memoratur a Petro Lambecio Tom. V. pag. 135.

17. In schedis quibusdam Emerici Bigotii τοῦ μακαρίτου, quæ penes me sunt, fertur esse quædam beatæ Theclæ vita in Bibliotheca Scorialensi, quæ Athanasii nomen præferat.

18. Exstat item Spicilegii Tom. II. epistola Potamii ad Athanasium, & quidem, ni labor opinione, ingenti suspicione laborat.

19. In vitis Sanctorum Siculorum, Octavio Cajetano Syracusano collectore, est nomine Athanasii vita S. Philippi Agyrrensis, de qua in spuriis.

20. Vir Clar. & nobis amicissimus Gabriel Grodecius linguæ Hebraicæ Lipsiæ professor, in Catalogo quodam mihi transmisso, de quo alias fusius, testatur se Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana vidisse codicem, in quo exstat Commentarius nomine Athanasii in Canticum Moysis & Mariæ.

21. Agmen claudat opus jussu Athanasii a quodam ejus familiari elucubratum, de quo hæc Lambecius ad trigesimum septimum codicem theologicum p. 58. *Valde autem notabile est, in solo hoc codice 37. ante epistolam sancti Jacobi exstare anonymi cujusdam pervetusti auctoris Proœmium sive epistolam dedicatoriam ad sanctum Athanasium Archiepiscopum Alexandrinum, qua clare atque expresse testatur, se hypotheses illas & lemmata capitum epistolarum Catholicarum fraterno ipsius jussu composuisse. Titulus istius Proœmii, una cum principio, est talis.* Πρόλογος τῶν καθολικῶν ἐπιστολῶν. Μικροῖς μὲν καὶ μικρὰ τολμῶσι, οὐκ ἀδεές· ὁ δὲ ἐλάχιστος ἐγὼ τοῖς ὑπὲρ ἐμὲ πόνοις ἐγχειρῶν, οὐχ ἥκιστα πέφυκα κινδυνεύειν· ὥσπερ ἂν εἴ τις, &c. Id est: *Prologus in catholicas epistolas. Pusillis & pusilla aggredientibus, res metu non vacat. Quod autem ego perquam minimus homo laborem qui vires meas longe superat aggrediar, non modici periculi res est. Quemadmodum si quis, &c. Nec multo post Auctor hujus Proœmii sanctum Athanasium appellat fratrem his verbis:* ἐφ᾽ οἷς δὴ ἔγωγε τολμῶ συγγνώμην αἰτῶν τίμιον, ἀγάπης νόμῳ βεβιασμένος ὑπὸ ΣΟΥ ΑΔΕΛΦΕ ΑΘΑΝΑΣΙΕ ΤΙΜΙΩΤΑΤΕ. Οἷα γάρ τις ἡμιθνητῶν, &c. Id est: *De tali ausu meo veniam rogans, vi & lege charitatis abs te compulsus* VENERABILISSIME FRATER ATHANASI. *Nam quasi semimortuus. Clauditur denique idem proœmium hoc modo*: Δέξαι τοιγαροῦν, δέξαι παρ᾽ ἡμῶν ἀσμένως τῶν σῶν ἐπιταγμάτων τὴν πραγματείαν, ἀρχῇ τῇ ὑπὲρ ἡμῶν ἡμᾶς τοῖς παιδὸς δεητικοῖς ἀμειβόμενος. ἐγὼ δὲ στοιχηδὸν τὰς καθολικὰς καθ᾽ ἑξῆς ἐπιστολὰς ἀναγνώσομαι, τὴν τῶν κεφαλαίων ἔκθεσιν ὁμοῦ καὶ θείων μαρτυριῶν ἐνθένδε ποιούμενος. Id est: *Accipe igitur, accipe libenter a nobis opus jussu tuo editum, & assidue precibus tuis obsequentiam nostram remunera. Ego vero Catholicas epistolas ordine perlegam, atque capitum una atque divinorum testimoniorum expositionem edam. Sequitur deinde hypothesis epistolæ sancti Jacobi his verbis*: Ἐπειδὴ οὖν ὁ Ἰάκωβος ταύτην γράφει τοῖς ἀπὸ τῶν δώδεκα φυλῶν, &c. Id est: *Quoniam Jacobus hanc duodecim tribubus rescribit*; &c.

DE DOCTRINA ATHANASII.

1. IN Christianæ fidei exortu non erant ejus mysteria certarum vocum limitibus circumscripta; sed emergentibus demum erroribus vocabula quædam definiri necessum fuit, quibus ceu claustris continerentur temerarii homines rerum novandarum studiosi. Et indicare ne pigeat, cum nihil periculi ex indicio sit, salvis semper & integris rebus, ac fide nihil mutata, multa Athanasii ævo ejusque ope inducta verba fuisse, & ad certam formam redacta fidei capita; ut Pater hodiernæ theologiæ jure ille vocari possit. Quo major vir habendus est, ut qui eam fidei enarrandæ rationem prior induxerit, ex qua peritissimi quique, tamquam ex fonte, verum sentiendi pariter & loquendi modum haurirent: inter quos Ecclesiæ lumina Basilius & Gregorius Nazianzenus pro fidei magistro virum habuere. Nos ut Athanasii doctrinæ specimen demus, a Deo Optimo Maximo orsi, ad cætera progredienur.

Athanasius pater hodiernæ Theologiæ.

Athanasii doctrina.

De Deo. p. 23. & seqq.

2. Primo ait, Deum cognosci ex opificiis, exque harmonia rerum, quæ quidem ratio cognoscendi Dei cuique obvia est, ut nulla sit veoia aut excusatio iis, qui tantarum, tam disparatarum rerum concentum & motum αὐτομάτως & citra cujusdam intelligentiæ moderamen regi & servari putent. A simili autem probat, animam cognosci ex concinnis & cum ratione adornatis corporis motibus. Sed quoniam qui profligatis moribus sunt, quo liberius vivendi sit potestas, & Deum esse & animam esse immortalem inficiantur; contendit ille validis argumentis, animam non exstingui exstincto corpore; scelestorumque perfugium amovet; qui, proh dolor! id summi boni loco efflagitaot,

p. 24.
p. 22.

tant, ut aliquando exsistendi finem faciant. Cujus rei in propria salute periculum facere grave est. Ferreum sane pectus, quod tanto discrimine non moveatur; cum vel ipsi gentiles & prophani præmia & pœnas, felicitatem & infortunia secundum hanc vitam esse arbitrati sint, juxta illud Tragici:

Εὐδαιμονοῖτον, ἀλλ' ἐκεῖ· τὰ δ' ἐνθάδε Eurip. Medea.
πατὴρ ἀφείλετ'

Furiosæ matris dictum, quæ dum necem liberis parat, felicitatem ipsis in futura vita precatur, quam pater abstulerat in præsenti. Deum esse unum, pluribus commonstrat contra Gentiles, pugnatque vel unum vel nullum esse: ibi hanc præclaram edit sententiam, quæ fertur in primis, ἐλέγομεν τὴν p. 14. πολυθεΐαν ἀθεΐαν εἶναι. Hoc est: *Dicebamus multiplicitatem deorum, esse nullitatem deorum.* Cui alludere forte videatur Gregorius Nazianzenus oratione 24. cum Gentilium superstitionem vocat πολύθεον ἀθεΐαν. Lepide autem nec sine facetiis exagitat illam Gentilium deorum turbam, quorum quisque flagitiis suis nobilitabatur, ita ut nonnisi nota quadam turpitudinis alius secerneretur ab alio. Religionem sane pulcre ad perniciem hominum instructam, cum nullus modus scaleris esset, quin alicujus Dei exemplo niteretur.

3. Ait item sanctus Doctor, si multi essent dii, necesse fore ut multi mundi essent, nec posse De Deo ἀπαρέχειν a multis unum regi mundum. Unum, inquit, Deum & in mundo & extra mundum sua- uno. p. 14. pte natura esse, quin spatio ullo circumscribatur. Depellit item Epicureorum commentum, qui p. 23. 88. nugabantur mundum fortuito factum; & Platonem, qui ex prius exstante materia conditum adfir- p. 18. mabat. Genesim sive genethlialogiam exitiosam artem, quæ ad hæc usque tempora perseverat, gra- p. 21. viter exagitat.

4. Passim ac pene ubique locorum ait, Patrem Filium suum ab æterno gignere: generationem- De generatione Filii. que illam esse *passione* vacuam. Pugnat item frequens, Filium esse ὁμοιον τῷ πατρί, æternum, p. 170. non factum, perinde atque Patrem: nec insolentem esse vocem ὁμοιον, exemplo Dionysii Alexandrini commonstrat, cui vitio datum fuit, quod ea voce non uteretur cum de origine Verbi Dei sermonem haberet. Id argumento est, eam vocem, licet a Patribus ante Dionysium non memoretur, fuisse tamen antea frequentatam. Exstat porro inter nugacissima Valentinianorum commenta vox ὁμοιον, sed longe alio usu. Adfirmat contra Arium & asseclas ejus Verbum a Deo u- p. 89. 293. num proferri, non multa. Deus, inquit sanctus Doctor, per Verbum suum omnia facit & dispen- p. 25. 26. sat; ac per id intelligi datur, quod dicitur, ipsum esse principium viarum Domini: per ipsum movet etiam invisibiles illas potestates. Contendit Athanasius adversum Judæos, Patrem cum dice- p. 27. ret, *Faciamus hominem ad similitudinem nostram*, Filium compellasse suum: & hæc trita fuit omnium antiquorum Patrum sententia. Ut commonstret autem Verbum non esse rem factam, ex p. 189. quotidiano Ecclesiæ usu progreditur, atque hoc utitur argumento: Non licet rem factam adorare: Verbum adoratur: non est ergo res facta.

5. Spiritum sanctum ait esse ἐκπόρευμα, quasi dicas, *emissionem* Patris. Ex Filio quoque proce- De Spiritu S. p. 40. dere haud obscure prædicat, cum ait non semel, apud Deum Patrem Filium esse fontem Spiritus p. 340. 385. sancti: & alio loco, ideo Spiritum sanctum a Patre procedere, quia ex Filio effulget, atque ab p. 248. eo mittitur. Res cum primis observatu digna est, nec prætermittenda, quod Dionysius Alexandri- p. 38. 1024 nus, atque Athanasius dicant; In manibus Patris & Filii esse Spiritum sanctum, & neque a mittente Patre, neque a ferente Filio dividi. Spiritus quoque ὁμοούσιος est Patri, & tota Trinitas ὁ- p. 250. 159. μοούσιος dicitur. Vulgare est & passim obvium, in Patre, Filio, & Spiritu sancto unam esse dei- p. 340. 258. 348. tatem, unam potentiam, unam substantiam. Pater per Verbum in Spiritu omnia condidit, non p. 250. 256. quidem ita ut Verbo, vel Spiritu sancto, ceu instrumentis ut administris spiritibus ab se conditis, Pater usus sit: sed tres personæ principii unius rationem tenuere, tenentque. Tres hypostases, ὑπο- Tres hypostases. στάσεις, in Trinitate esse non semel docet, & quidem perfectas: non tamen inter se divisas; caute p. 40. 285. enim isthæc explicantur, ne suboriatur lapsus occasio. Et advertas quam inconsulte quidam ævi 340. nostri scriptores Athanasium dicant nusquam hypostases memorasse. Ariani quoque tres hypostases p. 37. 93. profitebantur esse, verum subdolo consilio; eo quippe nomine diversas & divisas substantias intelli- p. 277. gebant: monstrum scilicet erroris, quo vel unitas Dei, vel trinitas personarum elevatur. Etsi porro tres hypostases esse plerumque dicat Athanasius, nequaquam repudiat eos qui unicam ὑπόστασιν ad- p. 285. missam vellent in Trinitate, dum id de substantia communi personarum intelligant, earumque distinctionem servent illæsam; imo ipse quoque alicubi ait, ὑπόστασιν idipsum esse quod οὐσίαν, seu sub- p. 346. stantiam, ea videlicet, quam supra commemoravimus, sententia. In Synodo autem Alexandrina anno 362. utraque formula, id est, una hypostasis, & tres hypostases, catholica dicitur; dum recta servetur sententia. Et si quando vetat Athanasius, ne dicatur Filius ex alia hypostasi esse quam Pater, mox interpretationem adjicit hoc pacto, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ p. 509. θεοῦ, ἢ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτόν, τούτους ἀναθεματίζομεν. Id est: *Aut qui dicunt ex alia hypostasi vel substantia esse Filium Dei, aut Spiritum sanctum, mutabilem aut variabilem, hos anathemate damnamus.* Et in epistola ad Afros similiter ὑπόστασιν per οὐσίαν sive substantiam explicat: ita ut ubi hypostasin eamdem esse in Patre & in Filio prædicat, mox adjiciat οὐσίας sive substantiæ explicationem. Hypostasin autem simpliciter ac sine addito hujusmodi, unam in Patre atque eamdem in Filio esse, non memini me legisse in germanis Athanasii operibus.

6. Patrum antiquioris ævi scripta commemorat, ac excerpta eorum adferens, doctrinæ suæ au- Athanasius Patrum auctoritate dogmata sua confirmat. ctoritatem parat. Origenem numquam sine laude memorat, imo purgat eum a suspicionibus jam contra tanti viri doctrinam obortis: aitque, quas sententias problematis more ὁ φιλόπονος dixerat, non perinde ac si affirmando dictæ fuissent, acceptas oportere. Idipsum vero Pamphilus martyr, in apologetico pro Origene. Quare non est quod inclementer cum viro tanto agatur; si dum liberum esset varie mysteria sacra enuntiare, ea dixerit, quæ ad hodiernum usum non satis accedant. Duram provinciam capit, qui ad certos verborum limites vult omnia omnium sæculorum effata revocare. Res, tempus, animus & cætera ponderanda; & sic odia minuas. Præter Origenem, Theognostum item præclarum virum Origenis æqualem laudat, & scripta ejus adfert in testimonium do-

ctrinæ

ctrinæ suæ. Utitur quoque Dionysii Romani Pontificis loco eximio ad Arianorum commenta propulsanda. Æque huic rei opportunus Dionysius Alexandrinus, cujus auctoritate τὸ ὁμοούσιον confirmat: Etsi enim ille in suspicionem pravæ circa Filium Dei sententiæ vocatus fuerat, cujusdam dicti causa quo Filium incautius inter res factas connumerare videbatur, qua de causa in crimen vocatus a Basilio est; at cum postea sui purgandi gratia, & quid vere sentiret effatus, & τὸ ὁμοούσιον professus fuerit, adversum Arianos in medium profertur ab Athanasio, qui suo ipsos telo confodit. Nam cum Dionysium illi erroris sibi auctorem esse clamitarent, ejus auctoritate assertum ὁμοούσιον nec sine pudore conspexerunt. Eximia porro Dionysii fragmenta nobis adtulit Athanasius, ac peroptatò nobis datum est, ut codicum ope præclaram de Trinitate clausulam restitueremus, quæ sic habet: οὕτω μὲν ἡμεῖς εἴς τε τὴν τριάδα τὴν μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, καὶ τὴν τριάδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν μονάδα συγκεφαλαιούμεθα. Id est: *Sic quidem nos unitatem quæ dividi nequit in Trinitatem dilatamus, & rursum Trinitatem quæ imminui nequit in unitatem contrahimus.* Hanc sententiam, quæ in nullis exstat editis Græcis, ex omnibus quibus bene multis usi sumus codicibus jam integram damus: magni usus sane contra novos Arianos, qui tertii sæculi Patres secum consentire jactitant. Ob alia vero, quæ minus considerate dixisse videbatur Dionysius, in Basilii reprehensionem incurrit: verum sat ab Athanasio purgatur ab omni adversum suspicione.

De Incarnatione. 7. Ait Doctor sanctissimus, carnis cum Verbo conjunctionem ex utero factam fuisse. Frequenti
p. 358. autem usu, carnis nomine testificatur se totius hominis, animæ scilicet & corporis, naturam com-
p. 368. plecti. Et contendit non magis rationi absonum esse Verbum humanam assumsisse naturam, quam
p. 31. omnibus in rebus existere. Ait autem ideo Filium hominem factum fuisse, quia, cum omnia
p. 20. creasset, omnia solus instaurare potuit. Christum esse τέλειον ἄνθρωπον καὶ τέλειον θεόν, id est, *perfe-*
p. 362. *ctum Deum & perfectum hominem*, quem cum adoramus non rem creatam aliquam adoramus, sed
p. 353. 354. omnium rerum opificem. Estque Athanasii illud effatum memorabile: Χεὶρ ἐστὶν ἡ χεὶρ αἱ χεῖρες
p. 341. αἱ πατρός. *Christus est manus ipsa, & manus ipsæ Patris*; quo indicet, nihil nisi per Christum a
p. 342. Patre effici vel creari. Neque minus memoratu dignum est, aliquando vocem, *Dominus*, in veteri Testamento pro Filii persona intelligi, cum ab Athanasio, tum ab aliis plerisque Patribus.
p. 24. Multis commonstrat, e re fuisse ut Christus interficeretur, nec vulgari hominum morte interiret.
p. 21. Verbum ipsum natum & passum esse dicitur; quia corpus non alterius, sed ejus ipsius erat. Quo-
p. 367. niam vero Apollinaristæ Deum ipsum, id est divinitatem passam fuisse nugabantur, hæc adversus lucifugas verba facit Athanasius: *Cur ergo scripsistis Deum esse, qui in carne passus est & resurrexit? Si enim Deus sit, qui per carnem passus sit ac resurrexit, passibilem ergo dicitis & Patrem & Paracletum; cum unum sit nomen, & una divina natura.* Ante Nestorianam enim hæresin, cum nondum res controversiis implicata esset, nec cautione esset opus, bono animo, salvaque fide hæc locum habebant: *Deus passus non est, Deus non est natus*, intelligas scilicet, divina natura aut divinitas, ut explicat Athanasius. Hinc palam est, non esse quod Nestorianismi nota adspergatur liber
p. 29. ille Anonymus secundo tomo, quia inter alias clausulas isthæc rejicitur, *Passum est Verbum carne*: nondum quippe res ad certum vocum usum deducta fuerat. Et dum Dei nomine divina natura in-
p. 174. telligeretur, Deum passum esse negare fas erat: hoc pacto negat Athanasius, atque eo nomine
p. 22. Apollinaristas insectatur. Cum Filius exaltari dicitur, jubet Athanasius intelligas de Christo secundum humanam naturam. Qua sententia porro dicatur Filius hominis ignorare judicii diem, pluribus explanat ille, & nos spero non indiligenter in notis, etsi paucis pro instituti ratione. Mariam Virginem passim θεοτόκον, sive deiparam nuncupat: sapienter, si consilio, feliciter, si casu; perop-
p. 343. portuna quippe contra Nestorianos fuit Athanasii hac in re auctoritas. Duas esse in Christo vo-
p. 350. 362. 367. luntates φυσικῶς adfirmat, & commonstrat ex plerisque literarum sacrarum locis. Moriente Christo, deitatem corpus ejus non reliquisse haud semel ait: & si quid alienum dicere aliquando videatur, res est aliis locis explicanda.

p. 28. 30. 8. Christi adventum, veritatemque Christianæ religionis pluribus comprobat: contra Judæos qui-
p. 33. dem sexcentis veteris Testamenti locis, ac potissimum ex famosa illa Danielis prophetia. Contra Gentiles autem Christiani cultus veritatem propugnat his argumentis: Quod Græci philosophi tanta rerum peritia, tot conscriptis libris, ne pauculos quidem vicinorum ad suam pellexerint opinionem; cum contra Euangelica doctrina humilibus dictis, atque usu plebejo tritis late serperet in
p. 34. dies & totum pervaderet orbem: Quod ea ipsa doctrina, simulacra deorum, magicam artem, phi-
p. 35. losophos omnes profligaverit, non opibus armisque, sed innata vi veritatis: Quod falsorum numinum cultus ab adventu Christi paulatim fractus viribus ad interitum pergeret; dum homines alio conferrent animum, confluerentque ad veram religionem.

De Scriptura sacra & de Fide. 9. Scripturæ sacræ dignitatem haud semel prædicat, aitque cæteris omnibus præstare: non quo tollat Traditionis aut Synodorum auctoritatem; minime gentium; imo vero non uno loco ait lici-
p. 266. tum Synodis esse voces proponere ex litteris sacris non mutuatas. Adfirmat Euangelicam doctri-
p. 85. 86. nam eamdem esse, quam antiquorum Patrum, Adami, Abelis, Enochi, Noe, Abrahæ, Mosis.
p. 372. Libros Scripturæ sacræ in canone receptos enumerat accuratissime. Eleganter de fide loquens ita
p. 258.
p. 366. fatur: τὰ γὰρ πίστει παραδιδόμενα ἀπεριέργαστον ἔχει τὴν γνῶσιν. Hoc est: *Quæ fide traduntur, notitiam habent non curiose investigandam.* Memorabilia isthæc quoque sunt: Οὔτε γὰρ πίστιν κατὰ δύναμιν φαινομένην πίστιν ἂν λέγοιμεν· ἀλλ' ἐστὶ πίστις ἡ τὸ ἀδύνατον ἐν δυνάμει πιστεύουσα, καὶ τὸ ἀσθενὲς ἐν ἰσχύϊ, καὶ τὸ παθητὸν ἐν ἀπαθείᾳ, καὶ τὸ φθαρτὸν ἐν ἀφθαρσίᾳ, καὶ τὸ θνητὸν ἐν ἀθανασίᾳ. Hoc est: *Neque enim fides evidenter apparens, fides dici potuerit: verum fides est, quæ quod impossibile est in potentia, quod infirmum in virtute, quod corruptibile in incorruptione, quod mortale in immortalitate esse credit.* Eam
p. 254. Christianæ fidei tesseram, hunc χαρακτῆρα esse ait, quod Verbum Dei Filius, propter nostram salutem, in fine sæculorum homo factus sit.

De restauratione humani generis. p. 3. 10. Hominem suapte malitia collapsum esse dicit: nam a Deo creatus cum libero vel boni, vel mali agendi arbitrio, ad deteriorem partem declinavit. Hinc fœdata labefactataque divina illa ab ortu imagine, opus fuit adventu Filii Dei, qui sarciret damnum, & recrearet collapsum humanum genus,

genus, instauraretque divinam illam imaginem: *Sufficiebat*, inquit Athanasius, *gratia qua ad imaginem Dei facti sumus, ad Deum Verbum, & Patrem per ipsum Verbum cognoscendum. Verum Deus, cui hominum infirmitas probe nota erat, eorum negligentiæ prospexit; ut nempe si Deum per seipsos cognoscere negligerent, possent ex naturæ opificiis creatorem non ignorare. Gratia & donum, quod a Trinitate datur, datur a Patre per Filium in sancto Spiritu*. Gratia autem peccato amittitur, pœnitentia, recuperatur. Baptismi necessitatem ubique prædicat: sed ait diserte inutilem esse baptismum Arianorum ac quorumdam hæreticorum. Ubi meminisse juvabit ea tempestate moris fuisse, ut qui baptismum adirent, Christianæ doctrinæ addiscendæ per ætatem idonei essent: ἵν᾽ ἐκ τοῦ μαθεῖν, inquit Athanasius, ἡ πίστις ὀρθὴ γίνηται, καὶ μετὰ πίστεως ἡ τοῦ βαπτίσματος τελείωσις προστεθῇ. *Ut ex doctrina oriretur recta fides, & cum fide baptismi initiatio accederet*. Inferius autem, de hæresibus loquens: ἀνωφελὲς, ait, ἔχουσι καὶ τὸ παρ᾽ αὐτῶν διδόμενον ὕδωρ, λειπόμενον εὐσεβείας, id est: *Inutilis est aqua quam donant, quippe cui desit pietas*. Nimirum ideo inutilis, quoniam qui illa tinguntur salutem consequi non valent. Enimvero quod Athanasius iterandum esse baptisma censuerit, non constat; imo potius contrariæ sententiæ esse videtur ex Antiochenæ Synodi tomo & ex Epistola ad Rufinianum, ubi de conditione hæretici recipiendi agitur, nec dicitur baptisma ab Arianis datum de integro repetendum oportere. Et sane, dum ait ibidem in periculum venire Arianos amittendæ baptismi integritatis, subindicat se non ea esse sententia, iterandum esse eorum baptisma. Vide notam ibi. Hæc de iteratione baptismi satis sunto; rem enim pluribus agitare per otium non licet. Et exploratum est eam fuisse olim sat tritam in Oriente sententiam, hæreticorum baptisma esse redintegrandum. Adeantur qui hæc fuse pertractarunt, inter quos facile princeps Augustinus.

p. 21. De gratia. p. 231. p. 215. De Baptismo. p. 195. p. 195. p. 49. 342.

11. Corpus & sanguinem Christi in Eucharistia esse diserte neque semel prædicat, apertissime vero ubi ait: Corpus quod sedet a dextris Dei, illud ipsum esse quo pontifex & apostolus est, per mysterium quod dedit nobis, dicens: *Hoc est corpus meum*, &c. Ubi vero dicit, corpus illud esse *spiritualem cibum*, & *spiritualiter dari in escam*; id ita intelligas, ut pluribus in notis explicatur: non more cibi corporei sumi, nec esse cibum corporalem, qui per partium divisionem comminutionemve comedatur: *Quot enim hominibus*, inquit, *corpus satis esset ad esum, ut totius mundi fieret alimentum?* Ibi vide sis.

De Eucharistia.

12. Ordinatio Presbyteri a Presbytero facta, nulla habebatur, ut propalam est exemplo Colluthi presbyteri, qui ausu temerario & insolenti, presbyteros constituendi potestatem vindicabat sibi. Verum jussu Alexandrinæ Synodi, curante Hosio, quotquot tali aditu Ecclesiasticos gradus invaserant, ad laicorum conditionem reducti sunt. Memoratu dignum est, Episcopos, cum in literis suis de presbytero aut diacono agerent, ita eos nuncupare solitos esse, συμπρεσβύτερος, συνδιάκονος ἡμῶν, *compresbyter*, *condiaconus noster*. Quod signum est, ea illos fuisse sententia, ut Episcopi gradum presbyteri & diaconi ordinem complecti putarent. Præter episcopos, presbyteros, & diaconos, subdiaconi, ὑποδιακόνων, item meminit Athanasius.

De Ordine.

13. Animam Justorum statim post obitum in cælum ferri dicitur in vita Antonii. Suspectus autem est ille locus ex Damasceno allatus p. 514. quem hic etiam adferre ne pigeat. ἔτι ὁ ἐν βίῳ καὶ λόγῳ περίβλεπτος, καὶ τῆς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας θεμέλιος Ἀθανάσιος, οὗτός φησι περὶ τῶν ἐν κυρίῳ νεκρῶν· ὅτιπερ διὰ τοῦτο τοῖς σωζομένοις ὁ θεὸς κεχάρισται τὸ μέχρι τῆς κοινῆς ἀναστάσεως, ψυχὰς ἀλλήλοις συνεῖναι καὶ συνευφραίνεσθαι, ἀπεκδοχὴν ἔχοντες τῶν μελλόντων αὐτοῖς ἀποκληρῶσθαι θείων δωρεῶν, id est: *Præterea conspicuus ille vita & moribus, atque Ecclesiæ fundamentum Athanasius, hæc habet de mortuis in Domino: Idcirco Deum iis qui salutem consequuntur concessisse, ut usque ad communem resurrectionem, animæ uno in loco simul commorantes, collætentur, cum spe ut futurorum tandem bonorum possessione fruantur*. Quæ cum millenariorum sententiam oleant, & aperte repugnent cum loco Athanasii mox memorato, jure in suspicionem νοθείας vocentur.

p. 314.

Juramento perperam aut præcipitanter dato non standum esse docet non semel Athanasius. p. 106. 117.

DE HÆRETICIS AB ATHANASIO
impugnatis & memoratis.

1. IMPUGNANDI hæreticos studium ubique præfert Athanasius: quod inceptum a parvo cum ætate accrevit simul. Arius enim unus perniciosus Ecclesiæ & patriæ suæ civis, totam pene Athanasii ætatem bellis, pugnis, controversiis, calamitatibus contrivit: nam defuncti provinciam in eadem palæstra exceperunt, qui Ario nihil concedebant ferocitate, astutia, protervia. Ac præter istos, alii hæretici ex transverso subinde inexspectati accedentes, in discrimen vocabant Ecclesiæ tranquillitatem. Athanasius vero unus pene omnium impetum excepit, unus innumeros profligavit. Annon exstinctam apud homines veræ fidei curam dixisses, cum instante Constantii metu fracti omnes, aut cedere, aut dissimulare compulsi sunt; Athanasiique solitudo tanta erat, ut ne desertum quidem sat tutum ipsi esset ab insidiis consceleratorum? Et tamen ille strenuus veræ fidei patronus, non Arianorum modo, sed aliorum quoque conatus fregit, eorum scilicet qui postquam exoneratus ille Ariano metu fuerat, novarum opinionum auctores fuere. E re autem fore speramus, si de hæresibus, quas vel data opera confutavit, vel carptim tetigit Athanasius, paucis pro more verba faciamus. Nam Epiphanius, tametsi magno labore & accuratione hæreticorum sententias collegit: attamen, uti solet in hujusmodi enumerationibus evenire, multa prætermisit intacta, quæ ab Athanasio aliisque Patribus notantur. Quoniam vero Arianam hæresim potissimum adortus est Athanasius: & si quando alias insectatur, vel occasione Arianorum, vel ab Arianis proseminatas exagitat, de Ariana primum agetur.

2. Arianismi in ipso exortu hæc fundamenta, hæ tesseræ fuerunt. Ore impio Arius, quos privatim & in angulis consperserat errores, in Synodo demum Alexandrina protulit audacterque propugnavit. Ajebat ergo, Dei Verbum non semper fuisse, sed ex nihilo factum & creatum, non æter-

Arii & Arianorum sententiæ. p. 198.

ternum, non Patri simile secundum substantiam, neque verum Dei Verbum, aut sapientiam, sed χαταχρηστικῶς ita vocari: esse natura mutabile, neque nosse Patrem, imo ne suam quidem ipsius naturam. Propter nos factum suisse, ut illo ceu instrumentn nos conderet Deus; neque creandum umquam suisse, nisi nos Deus condere voluisset. Hæc vera Arii doctrina, hæc pluribus ille in Thalia, quam vocem inter res tam serias ne memnratam quidem oportuit. Erat quippe illa effœminatis quibusdam ac jocularis modis adornata, exemplo scilicet impurissimi Sotadæ, nobilis hoc in genere
Gregor. Nys. contra Eunomium. poetæ. Unde est quod a Gregorio Nysseno Arianæ Thaliæ dicta παρατεθρυμμένα Σωτάδεια nuncupentur. Callide item Arius cum vulgi multitudo nascenti hæresi nnmen daret, carmina & cantus popularibus adornavit, quibus errorem propinaret suum: nam priscum est
Odyss. 1.

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

3. Hisce probe ad perniciem instructus, multis exitio suit. Si quando vero post hæc vel ipse Arius, vel ejus sequaces, in fidei formulis ac controversiis, quædam vel celaverint prorsus, vel mitigarint: id vafre & fraudulenter, metu impendentium malorum, ut paulum tempori concederent. Et quia solet adversarius ille humani generis, litteras sacras obtendere in velamen errorum, Arius
p. 196. diaboli versutia usus, hæc ex Scriptura sacra argumenta mutuabatur, his Verbi divinitatem tolli putabat: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tnis*. Et, *Dominus creavit me initium viarnm suarum in opera sua*. Item, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. Et, *Nunc anima mea turbata est*, atque aliis bene multis, quæ in indice congesta videre est. Ajebant item: Si Filius semper fuisset, frater Patris vocari posset, utpote ipsi coævus. Et, Si Filius perfecta esset imagn Patris, etiam gignendi facultatem haberet.
p. 119. p. 86. Eos perspicue refellit Athanasius, injectasque difficultates elevat: Arianos vero hoc dilemmate oppugnat. Verbum vel est Filius Dei natura, vel gratia ut sunt ii de quibus Joannes: *Quotquot au-*
ibid. *tem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Si priore modo, est igitur ejusdem substantiæ atque Pater; Si posteriore, ut volebant Ariani, falsn unigenitus vocatur, neque a nobis in Filii ratione differt. Reponebant Ariani. Ita intelligimus Filium rebus creatis antecellere, & ideo unigenitum dici, quod ipse solus a solo Deo factus sit; cætera vero omnia a Deo per Filium sint creata. Id depellit Athanasius hisce argumentis: si Pater solum creat Verbum, an præ lassitudine a cæteris condendis abstinet? atqui impium illud est: an quia sua potentia indignum putans ea omnia condere, administrum ante creavit? verum nulla in Deo superbia, tumor nullus; & alioquin pugnat illud cum sexcentis Scripturæ locis, ubi nmnia a Deo facta dicuntur, scilicet per Verbum suum: an quia cætera opificia invictam Dei οἱ ἀγένητοι, id est, *non facti* manum ferre non valerent, npus suit Filio qui conderet, ut Asterius & Arius tradidere? Verum argute Athanasius id propulsat: Si, quia res factæ sunt, non-facti manum ferre nnn possunt; sane neque Filius, qui, ut vos dicitis, factus est, manum ejus ferre potuit: & alio medio erit opus, itaque erit in infinitum progressio. Aliis item argumentis Arii insaniam depellit: Si Filius aliquando non fuit, non fuit semper Trinitas; Pater item non fuerit semper pater, non existente Filio; insuper Pater fuerit aliquando ἄλογος sine verbo. Nam animadvertas velim, eam Arii opinionem fuisse, quod Pater verba multa produxerit. Quæ sententia, ut impia ab Athanasio rejicitur, ac merito quidem; unum quippe in Deo Verbum est. Nam Deus sapiens est per sapientiam suam, id est, per Filium: & ratinnalis per rationem suam, id est, λόγον, seu Verbum. Demum si ex Arii furore, aliquod erumperet novum argumentum, omnia Athanasio erant ad illud frangendum expedita.

4. Sentit fortasse lectnr quam procul abduceremur, si omnia Athanasii argumenta, si Arianorum snphismata recenseremus: quare missis aliis, videamus qun pacto depellat argnmentum Arianorum ex hoc Proverbiorum dicto depromtum: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*. Insita hominum mentibus est npinio, Athanasium si Hebraice peritus fuisset, si veram hu-
Prov. 8.22. jusce dicti sententiam tenuisset יהוה קנני ראשית דרכו קדם מפעליו מאז quę est: *Dominus possedit me initinm viæ suæ ante opera sua ex tunc*; non tantum laboris susceptururn fuisse in enervando argumento Arianorum, qui dictum hujusmodi: *Dominus creavit me*, ad Filium inter creatas res connumerandum detnrquebant. Verum perquam facile Athanasin fuit ex Origenianis Hexaplis, quę penes ipsum erant, germanam Hebraicę lectionis sententiam mutuari. At fortasse id nnn tanti ponderis futurum erat, quanti arbitrantur illi. Nam una Septuaginta virorum interpretatin in Ecclesia Gręca obtinebat, nec sedandę controversię pares erant Aquilę, aliorumque interpretum versiones.
Euseb. Pamphil. l. contra Marcellum, p. 45. Cujus rei id indicium est conspicuum, quod Eusebius Pamphili, quo sese ex hac difficultate expediat, non Hebraicam lectionem, non Origeniana Hexapla, quę tamen frequens ille adibat, in medium adtulerit; sed interpretationem dederit, Athanasianę finitimam. Verum ut ut sit, nnpportunam Athanasius huic sententię explicationem suppeditat, dum ait has voces; *feci*, *possedi*, *peperi*, idipsum in Scripturis plerumque significare, & ad rem perbelle hoc Geneseos exemplo utitur:
p. 181. *Possedi hominem per Deum*, ubi *possedi*, idem est quod, *genui*; quod referas item ad eam sententiam: *Dominus possedit me initio viarum suarum*. Nam utrobique Verbum קנה legitur. Arianorum vero sententia, quam paucis supra complexi sumus, non una semper fuit: dum enim manaret in dies latius, alii alia apprehenderunt, & in varias npiniones distracti sunt; multi quippe, non qualis initio prodierat, hęresin vindicabant, sed quodam delinitam verborum colore. Soli vero Ae-
Aetiani & Anomœi. tiani & Anomœi dissimilitudinem substantiæ propugnabant, dum alii temporum conditioni sese adtemperantes, ut rerum eventus ferebat, plus minusve detraherent ex errorum perfidia. Orso autem
Semiariani. dissidio Semiariani ab Arianis, priscum retinentibus, abscesserunt. Erant porro Semiariani, ii qui repudiato ὁμοούσιος, Filium ὁμοιούσιον, sive substantia similem esse profitebantur. Quam sententiam non penitus improbat Athanasius, nec nisi ut minus idoneam respuit. Erant tamen ex Semiarianorum grege, qui nbtento verborum fuco in Arii impietatem prorsus relaberentur. Etsi enim ajebant Filium esse similem Patri, at consensu & voluntate tantum, non autem natura.
Pneumatomachi. 5. Ex inauspicata hujusmodi radice prodierunt item Pneumatomachi, principe Macedonin Epi-
scopo

scopo Constantinopolitano. Hi ingentes in Oriente atque in Ægypto turbas dederunt, dum dicerent Spiritum sanctum esse rem creatam, unumque ex administris spiritibus, Patri dissimilem, &c. Rem ut primum accepit Athanasius, indicante Serapione Thmuitano episcopo; nascentem hęresin, missis ad eumdem Serapionem litteris, pluribus exagitavit. Novos autem lucifugas Tropicorum nomine insectatur: quia tropis figurisque sacras litteras adulterabant. Hi Tropici ex Ario prognati, cum Arianis maxima pars consentiebant. Nam plurimi Arianorum pari in Filium atque in Spiritum sanctum vesania debacchabantur. Arius igitur, qui ut novati dogmatis suspicionem declinaret, in alios hęreticos declamitabat assidue, hæreticorum ipse deterrimus fuit. A quo ferme ortum duxere omnes quarti & quinti sęculi hęreses. Ille vero, impietatem suam ex superiorum ętatum hęreticis hauserat, & simplicioribus, quibus per animi imbecillitatem, non licebat bonam a prava doctrina internoscere, haustum venenum propinabat. Et vero quid ex qualibet hęresi mutuatus Arius sit, obiter commemorat Athanasius. Hęc nos paucis lectori ob oculos ponemus, orsi ab iis, qui primis Ecclesię temporibus novas opiniones in Christianum orbem invexerunt.

6. Basilides putabat Angelos creavisse mundum, cui hac in parte adfines Ariani erant, quod Basilides.
ipsi a Filio Dei, re, ut impie dicebant, condita, mundum creatum fuisse arbitrarentur. Idipsum p. 128. Carpocrates.
docuit Carpocrates, ideoque cum Arii magistris connumerandus.

7. Valentinus non modo Angelos creasse mundum autumabat, verum etiam Christum ejusdem p. 179.
atque Angelos generis esse, atque ea in re proxime ad Arianam hęresin accessit. Duo principia in Valentinus.
Deo nugabatur, qua in parte cum Arianis item consentit: ii namque cum Filium diversę a Patre p. 179. 188.
naturę esse comminiscerentur, & tamen Filium ἀρχὴν principium rerum creatarum esse dicerent,
duo principia genere discrepantia inducebant. Ad hæc Valentiniani litteras sacras adulterabant, in p. 282. p. 152.
quo iisdem finitimi Ariani erant, qui licet ipsam Scripturarum litteram minime vitiarent, adulterabant tamen ad pravam doctrinam detorquendo. Hac in re quoque cum Ario consonat Valenti- p. 228.
nus, quod Arius sive ejus sequaces Ariani duo verba prædicarent: aliud in Patre, ἐνδιάθετον scilicet, sive internum; aliud extra Patrem προφορικὸν nuncupatum, sive prolatitium aut externum, quæ tamen voces non ex Arii officina profectæ, sed multo antiquiores sunt; Valentinus autem Unigenitum vocat νοῦν seu mentem, atque ab eo λόγον procedere dicit, quæ sententia cum Ariana probe consonat. Cum Pneumatomachis item mira Valentino adfinitas, ait quippe: Misso Paracleto, p. 245.
una cum eo coævos ipsi Angelos fuisse missos, illi vero comministrum Angelorum Spiritum sanctum esse impie comminiscebantur. Valentinum in crimen vocabant Ariani, quod docuisset Filium p. 269.
esse Patris προβολὴν, id est, rem emissam, quæ tamen sententia, nisi ab hæreticis, corrupta mente præditis, ac vix quidpiam sanum admittentibus profecta esset, benigne fortasse explicari posset.
Erat item Valentinus ax eorum numero, qui dicerent Christum δοκήσει tantum, id est, sola specie p. 311.
& phantasia venisse in mundum; commentum Valentino antiquius, & post Valentinum inter Dimœritarum errores connumeratum. Putabant item Valentiniani Patrem & Spiritum sanctum gestas- p. 160.
se carnem. Et si nonnumquam iis pugnantia sentire deprehendantur, id solemne hæreticis est, ut amisso semel veritatis tramite, huc illuc oberrent, & ne secum quidem consistere possint: atque item contingit plerumque, ut ejusdem sectæ homines alii aliud apprehendant, & diversa proferant.
Cæterum Ptolemæus Valentini discipulus dixit, cum ἀγεννήτῳ, sive cum Deo, duo conjuncta esse, Ptolemæus.
nimirum cogitationem & voluntatem: ac primum cogitasse, deinde voluisse, nec quæ cogitarat potuisse proferre, nisi postquam voluntatis virtus accesserat. Hinc sane, subsequitur Athanasius, do- p. 226.
ctrinam suam mutuati Ariani, voluntatem & arbitrium Verbo præire volunt. Nam impie censebant Ariani, voluntate & consilio Patrem creavisse Verbum suum.

8. Marcion monarchiam, id est, unitatem principii in Deo, in tria principia secabat, qua in Marcion.
re cum Arianis & Pneumatomachis consentire videtur. Is vetus Testamentum negabat; & cum a- p. 93.
liis superius memoratis hęreticis adfirmabat Angelos creasse mundum. Dixit etiam, Christum non p. 109. p. 128.
verum corpus, sed similitudinem corporis gestasse, quod fuit item Dimœritarum commentum. p. 161.

9. Phrygum seu Montanistarum sententiam hanc ait esse, Prophetas & alios verbi ministros, Phryges.
cum ea quæ agunt, tum ea quæ annuntiant ignorare. p. 292.

10. Manichæos sæpissime commemorat Athanasius, hæresinque illorum, ut dicebamus, peculiari Manichæi.
quodam opere confutavit. Ii duo principia inducebant, duoque ἀγέννητα, unum bonum, alterum malum. In hoc adfines Arianis, quod sicut Manichęi Deum alium commenti sunt, qui omnia
sub adspectum cadentia condiderit; ita & Ariani pręter Verbum quod est in Patre, aliud sibi ver- p. 196.
bum, Filiumque omnium conditorem excogitarunt. Ad hęc autem, hos Manichęorum errores variis in locis enumerat Athanasius. Manichęi legem & vetus Testamentum negabant, Scripturas sa- p. 109. 132.
cras adulterabant, Verbum carnem esse factum, corporeumque illius adventum inficiabantur; sed 132. 172.
δοκήσει seu specie solum advenisse dictitabant. Cujus naturam, non vero πρᾶξιν, peccatum esse im- 311. 358.
pie adfirmabant: nam ajebant peccatum ex natura esse. Nugabantur insuper, ex ignorantia quęsisse p. 160. p. 223.
Deum, *Adam, ubi es?* &, *Ubi est Abel frater tuus?* Si sit Arianis fides, putabat Manichęus, p. 269.
Patris prolem esse partem ejus ipsi ὁμοούσιον. Demum, ait Athanasius, penes Manichęos nullam esse p. 311.
misericordiam, remque perosam ipsis esse pauperem miserari.

11. Sabellii hæresis disparata omnino ab Ariana, in eo sita erat, quod diceret, nullam in Deo Sabellius.
esse personarum distinctionem, Deumque non ὁμοούσιον, sed μονοούσιον esse, id est non consubstantialem, sed unius & ejusdem substantiæ non distinctæ personis. Nimirum unum Deum, penes varia officia, Patrem, Verbum seu Filium, & Spiritum sanctum nuncupari. Nam vocabat Filium p. 93. 104.
ἀνυπόστατον, id est, sine hypostasi, & Spiritum sanctum ἀνύπαρκτον, scilicet, sine existentia.

12. Paulus Samosatenus doctrinam sectatus est Artemæ cujusdam, adfirmantis Christum esse me- Paulus Samosatenus.
rum hominem. A quo Artema, sive Artemone, ait Athanasius posita fuisse fundamenta Arianæ p. 270.
hæreseos. Paulus autem Samosatenus ajebat, Christum non fuisse antequam fieret, & hominem tan- p. 169. 173.
tum esse perinde atque cæteros homines, atque Patri externum. Ex discipulis porro ejus erant qui- 185. 223.
dam magistro ipso nugaciores, qui Verbum a Filio separarent. Ut ait autem Athanasius, cui ac- 92.
cinit

P. 279. Basil. epist. 300. cinit Basilius, ideo Patres Antiocheni vocem ὁμοούσιον repudiaverunt: *Quia Paulus argutari vellet ac diceret: Si Christus non ex homine Deus factus est, ergo consubstantialis est Patri, atque hinc necesse est tres esse substantias, unam priorem, duas vero ex illa procedentes. Ideoque illud Pauli sophisma caventes dixere Christum non esse consubstantialem: neque enim Filius ita erga Patrem se habet, ut ille cogitabat.*

Rhetorius. p. 358. 13. Rhetorius Ægyptius prodigii similem induxit sententiam, quam memorat Philastrius. Putabat enim omnes hæreses optimas, omnes hæreticos probe sentire. Quę sententia ita portentosa Athanasio videtur, ut ne commemorare quidem ipsam velit. Hujus sectatorum summam infrequentiam fuisse verisimile est. Nam exigua permansit hominis memoria.

Hieracas. p. 269. T. 2. p. 93. 14. Hieracas item Ægyptius ajebat Filium ex Patre esse, ut lucernam ex lucerna, ut lampadem in duo distinctam. Quæ tamen tolerari forte potuissent, nisi insolentia dicti in suspicionem erroris vocaretur. Ad hęc autem, si fides auctori libri contra omnes hęreses, qui inter spuria ablegatus est, nuptias rejiciebat Hieracas, ac vetus Testamentum negabat.

Meletius. 15. Meletii nullus initio error contra fidem erat: sed hominis ambitus, scelus, protervia, totam Ægyptum in perniciosum dissidium conjecit. Verum in ordinem a Synodo Nicęna redacti Meletiani, stimulante dolore amissæ dignitatis, societatem ineunt cum Arianis: & dum communis rei gerendę studio mutuas darent operas, demum Meletiani ex frequenti Arianorum usu & familiaritate verę fidei jacturam fecerunt. Horum historia pluribus in Vita Athanasii: quamobrem missis aliis, famosam illam de receptis in Nicęna Synodo Meletianis quęstionem obiter attingamus. Apud Theodoretum igitur in epistola Nicęnę Synodi fertur, eos qui a Meletio ordinati fuissent, sanctiore manuum impositione confirmatos, μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας ad communionem statis conditionibus admissos fuisse. Hinc controversię, hinc pugnę: aliis collatas per Meletium ordinationes, irritas arbitrantibus; aliis veras opinantibus, sed ritu quodam confirmatas. Nonnihil fortasse lucis huic controversię adferant hęc pseudo-Justini verba: Τοῦ αἱρετικοῦ ἐπὶ τὴν ὀρθοδοξίαν ἐρχομένου τὸ σφάλμα

Justin. edit. Paris. p. 390. διορθοῦται· τῆς μὲν κακοδοξίας τῇ μεταθέσει τοῦ φρονήματος· τοῦ δὲ βαπτίσματος τῇ ἐπιχρίσει τοῦ ἁγίου μύρου· τῆς δὲ χειροτονίας τῇ χειροθεσίᾳ. καὶ οὐδὲν τῶν πάλαι μένει ἄλυτον. Id est: *Cum hæreticus ad sanam fidem accedit, sic erratum ejus purgatur: pravæ doctrinæ scilicet mutando sententiam; baptismatis per unguenti sacri unctionem; ordinationis vero per manuum impositionem. ita ut nihil ex prioribus abrogetur.* Quod si hęreticorum ordinationes inter irritas non numerabantur, multo minus schismaticorum qui nihil in fide peccarent. μυστικωτέρα autem, sive sanctior aut secretior ideo nuncupari videtur iterata illa manuum impositio, quia a sanctis & catholicis Pręsulibus collata. Ingentis operæ foret rem pro dignitate agere, quę nos a cursu destinatę vię revocaret.

Colluthus. p. 77. 78. 16. Colluthiani a Collutho, qui presbyter cum esset tantum, eo erupit audacię, ut presbyteros constituendi sibi facultatem vindicaret; ac multis ejus cupidini suffragantibus pręesset invito Alexandro Episcopo. Imo etiam contra sanam fidem peccabat, cum perspicuum sit non inesse presbytero hujusmodi facultatem. Colluthiani perinde atque Meletiani ad Arianorum partes confluxerunt.

Marcellus Ancyranus. p. 59. 65. 231. 236. Euseb. lib. contra Marcellum. 17. Marcellus Ancyranus, quicum Athanasio diuturnus usus & familiaritas intercessit, Arianorum hostis acerrimus, in crimen novatę doctrinę ab ipsis vocatus est. Eusebius autem Cæsariensis, jussu Constantinopolitanæ Synodi Arianæ, ut testificatur ipse, Marcelli librum περὶ ὑποταγῆς κυρίου, id est, *de subjectione Domini* inscriptum insigni volumine exagitavit. Atque in ipso sui operis exordio, livoris, odiique erga fratres Marcellum incusat his verbis, ὁ ὑπόθεσις αὐτῷ τῆς γραφῆς μισαδελφία κατέστη· τὸ δὲ ταύτης αἴτιον ζῆλος καὶ φθόνος. Hoc est: *Argumentum hujusce libri scribendi ipsi fuit odium in fratres: causa vero ejus edendi livor & invidia.* Ejus porro doctrinam his de causis in crimen vocat: Quod adfirmet, Verbum non ante fuisse filium, quam carnem assumeret; Patrem & Filium unum esse ὑποστάσει; nullam esse Filii exsistentiam; Christum ante adscensionem non fuisse Dei imaginem: ait etiam illum Sabellii errore imbutum esse; etsi non semel ille Sabellium oppugnet. Impie quoque in Marcellum invehitur, quod Verbum æternum esse dicat. Viro item vitio vertit, quod Deum dicat esse τετραπρόσωπον, quæ tamen sententia ex æquo & bono accepta vera est & catholica. Verum hæc omnia Eusebius ex Marcelli scriptis hinc inde excerpta collegit, detorta persæpe viri sententia, atque ad pravam doctrinam vi ratiocinii deducta; Eusebius scilicet & ipse suspectæ fidei homo, quem inter Arianorum primipilares recensent Athanasius & Hilarius.

Basil. epist. 52. Nec defuere tamen ex Ecclesiæ magistris, qui Marcello corruptæ fidei notam inurerent. Basilius enim multis in locis aspere hominem violatæ veræ doctrinæ causa insectatur: ac missis Athanasio sub extremum vitæ ejus litteris, ait necessum videri sibi Marcellum, disparatam Arianæ hæresin invehentem, perinde atque Arium damnari. Unde id certum videatur, Athanasium, etsi suspectam Marcelli fidem teste Epiphanio aliquando habuerit, nondum tamen virum communione interdixisse sua cum Basilius hęc scriberet. Et vero testatur Epiphanius, a multis suo ævo in controversiam vocatum fuisse, hæreticusne an catholicus Marcellus esset.

Photinus. 18. Verum si dubia Marcelli, apertissima sane fuit discipuli ejus Photini impietas, qui adfirmabat Christum non fuisse ante Mariam, eaque de causa damnatus fuit in variis Synodis.

Apollinaristæ. 19. Agmen claudat Dimœritarum sive Apollinaristarum hæresis, extremis Athanasii vitæ annis exorta; de Dimœritarum nomine non semel alias actum. Eorum porro sententiæ ejusmodi erant. 1. Verbum non adsumsisse carnem humanam. 2. Corpus ex Maria natum, esse consubstantiale Verbi deitati. 3. Verbum in carnem, ossa, capillos, & in totum corpus mutatum fuisse: error olim Marcionis. 4. Dominum δοκήσει solum adventasse in mundum, antiquissima & omnibus retro sæculis vulgatissima hæresis. 5. Ipsam deitatem circumcisam & passam fuisse. 6. Verbum nequaquam ex Maria, sed ex sua sibi substantia, corpus efformasse. 7. Qui ait Domini corpus ex Maria esse, non trinitatem, sed quaternitatem admittere. Ab argumentis autem adversum pugnantibus referendis abstinemus: quoniam hosce errores dilucide & naviter Athanasius propulsat in epistola ad Epictetum, & in elegantissimis contra Apollinarium libris. Ipse autem Apollinarius superstite Athanasio, ejus captandæ amicitiæ gratia, catholicam fidem ementiebatur; ita ut etiam Athanasius,

fraude

fraude veteratoris deceptus, Timotheum ejus discipulum Damaso papæ commendaret, teste Facundo Hermianensi, cujus hæc verba sunt: *Nam & si legere alia dignentur qui legenda conscribunt, invenient etiam Timotheum Apollinaris discipulum, a beato Athanasio per ignorantiam, temporibus beati Damasi, sedi Apostolicæ velut orthodoxum commendatum: atque ab ipso Papa Damaso sine cohibentia hæresis simpliciter esse susceptum*. Verum si fragmentum illud in Matthæum jam primo publicatum pag. 1006. (ubi ad hæc Scripturæ verba, *Surgens accipe puerum*, dicitur his argui Apollinarium qui dixit, animam intelligentiæ capacem non inesse Christo,) Athanasii vere sit, sub finem vitæ ejus conscriptum fuerit, ac recte arguerit Athanasium sub extremum vitæ Apollinarii impietatem edidicisse. Nisi fortasse dicatur eum, qui hasce in Matthæum expositiones ex variis ejus operibus consarcinavit, nomen Apollinarii suo marte adjecisse. lib. 7.

DE DISCIPLINA ECCLESIÆ ATHANASII

ævo, ex ejus scriptis ἀποσπασμάτων.

1. GRANDIS otii res esset, quarti sæculi disciplinam Ecclesiasticam, tot controversiis implicatam, minutatim ac pro rerum singularum dignitate commemorare: neque tamen horreret animus ab hujusmodi studio & labore, si aliquæ venirent feriæ. Verum in præsenti, pro instituti mei ratione, id mihi negotii credo solum dari, ut quæ de consuetudine Ecclesiæ Athanasius vel pluribus agit, vel tangit obiter, recenseam accurate, iis plerumque additis, quæ scitu opus sunt ad Athanasii locorum intelligentiam.

2. Mos erat illo ævo in secretiore aliqua ecclesiæ parte sacra facere, qui locus ἱερατεῖον sive sacrarium dicitur. Significabatur item eo nomine cœtus ministrorum altaris. Exempla vide in Onomastico *. Altare autem seu mensa, utroque enim nomine notatur, aut lignea erat, aut lapidea; ut innuere Athanasius videtur cum ait: ὅθεν ὡς τὸ ὅλον τῆς ἐντολῆς πληροῦντες, οὕτω γὰρ ἦν τὸ σπουδαζόμενον, οὕτω τῷ Κόμητι καὶ ὁ Καθολικὸς παρήγγελλον· ἁρπάσαντες τὰ συμψέλλια, καὶ τὸν θρόνον, καὶ τὴν τράπεζαν, ξυλίνη γὰρ ἦν, καὶ τὰ βῆλα τῆς ἐκκλησίας, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα ἠδυνήθησαν ἐξενέγκαντες ἔκαυσαν. Id est: *Hinc quo penitus mandatum exsequerentur, (hoc namque illis cordi erat, hoc item Comes Catholicusque præcipiebant) subsellia, thronum, mensam, nam lignea erat, vela ecclesiæ, ac cætera quæ potuere, direpta & absportata combusserunt*. Ubi illa exceptione, *nam lignea erat*, indicat ex alia materia nonnumquam exstrui altaria, scilicet ex lapide. Ligneum altare memorat item Optatus Milevitanus ubi ait: *Quis fidelium nescit, in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri? Inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum. Aut si tactu possit penetrare velamen, ergo penetrantur & ligna. Si penetrari possunt ligna, penetratur & terra. Si a vobis lignum raditur, & terra quæ subter est fodiatur. Altam facite scrobem, dum pro vestro arbitrio quæritis puritatem. Sed observate ne veniatis ad inferos, & illic inveniatis Core, Dathan & Abiron schismaticos, magistros scilicet vestros. Ergo & fregisse vos & rasisse constat altaria. Quid est quod in hac re vester quasi languere visus est furor? Videmus enim vos postea mutasse consilium, & altaria a vobis jam non frangi, sed radi tantummodo aut removeri*. Unde propalam fit, illa tempestate usu receptum fuisse ut altaria lignea essent, non omnia quidem, sed lapidea quoque alia deprehenderentur, ut Athanasii exceptione exploratum videtur, & ut diserte ait Chrysostomus Hom. 20. in 2. ad Corinth.

* In Edit. Gr. Lat. Tom. II. pag. 693.

Sacrorum celebratio. pag. 49. 131. 42. 58. p. 149.

Optat. lib. 6. contra Parmenianum.

3. Mos item in Ægypto illa ætate fuit, ut nonnisi Dominico die sacra adirentur: qui sacrorum usus σύναξις Græce vocabatur, varia exinde nomina consequutus. Non licitum Catechumenis, multoque minus Gentilibus & Judæis erat, oblationi aut sacris rebus interesse. Sacrum calicem populis Episcopi propinabant, ministrantibus ut vero simile est Diaconis. Erant populares omnes, excepto clericorum cœtu, sacrarii aditu interclusi. Intra sacrarii ambitum suggestus ligneus erat, θρόνος dictus; editior, quo prospectus Episcopo ad plebem esset; atque, ut videtur, proxime populares positus, ut hinc clerus, inde populus Episcopi conspectibus pateret. Ut episcopale munus decebat, erat thronus tapetibus velaminibusque circumquaque exornatus, [illegible]· & quidem, ut ex Athanasii verbis augurari licet, muro defixus, quo firmius consisteret. Erat ecclesia velis aut ad ornatum, aut ad usum quemlibet instructa; itemque subselliia atque cancellis ad populi commodum. Cerei & candelabra haud semel memorantur; & quidem, ut videtur, ad rem sacram deputata, nec nisi cum honore tractari solita. Hinc queritur Athanasius, candelabra ecclesiæ ad parietem reclinata fuisse, ac si rei sacræ violatæ Arianos accusaret. quem usum cereorum ad rem sacram in Occidente suo ævo fuisse negat Hieronymus: conceditque tamen in Oriente admissum fuisse. Frequenti ac vulgato usu, cum metus instaret, aut incursionis formidine populi agitarentur, oleum, vinum, facultates deportabant in ecclesias ceu in perfugii ac præsidii loca.

Synaxis. pag. 52. 79. p. 58.

Locus plebi deputatus in ecclesia. p. 52. p. 136.

Thronus episcopalis. p. 131. p. 51.

Cerei & candelabra. p. 43.

In lib. contra Vigilantium.

4. Baptisterium in ecclesia erat, muro aut saltem septo ligneo clausum. Nam queritur Athanasius, Judæos in baptisterium dum conflagraret ingressos. Qui sacro baptismate tingebantur, hanc perbrevem ceu fidei formulam recitabant: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, & in Spiritum sanctum*. In extremo vitæ baptismus quamplurimis conferebatur: in quam consuetudinem acerrime invehitur Augustinus. Erant tamen qui ad obitum usque rem non extraherent, ut in loco superius allato videre est & in Vita Athanasii.

Baptisterium. p. 43.

Fidei confessio in baptismo. p. 41.

5. Mos erat, ut Episcopus deligeretur a populo & a clero: & quidem ex cœtu cleri ejusdem civitatis, in eaque baptizatus, educatus, populis notus, ipsisque acclamantibus. Qua in re tamen non una consuetudo, non mos ubique idem. Jam enim eo tempore homines erant honoris quam officii cupidiores, qui in episcopatus involarent, vi, pecunia, gratia & patrocinio. Et frequens illa tempestate fuit, homines videre, qui de ambitu postulabantur in Synodis. Nec impune erant qui non trita via gradus ecclesiasticos adirent. Exteriore quadam nota Episcopi, etiam cum decumberent ac somnum caperent, dignoscebantur; sed quæ illa nota esset, ignoratur. Tres Episcopi, recepto & vulgato more, ordinabant eum qui a populis adlectus esset. Verum instante hæreticorum

Delectus Episcopi. p. 42. 50. 58. 105. 106.

p. 141.

ticorum formidine, cum non liberi aditus essent ad eam civitatem, unus poterat officio tali defungi, ut exemplo Siderii animadvertere est ad annum 371. Nefas erat Episcopum, nisi suprema necessitas urgeret, episcopatum deserere: *Cum Scripturas legeris*, ait pulcre Athanasius Constantium alloquens, *nosti quantum illud sit criminis, Episcopum Ecclesiam deserere suam, Deique ovilia non curare. Pastorum enim absentia gregis invadendi occasionem lupis præbet.* Et cætera quæ bene multa adjicit ille.

Res nefaria Episcopatum emere. p. 154. 6. Pro nefario & exsecrando habebatur, Episcopalem dignitatem pactione pecuniæ nancisci. Malum Athanasii ævo totam pervaserat Ægyptum, Meletianis, corruptissimis viris, venales ecclesiasticas dignitates proponentibus. Neque curabant impii homines an Catechumenus esset, an Gentilis, qui tale munus postulatum accedebat, aurum modo daret, nam

Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat?

Ideo autem viri ne quidem Christiani, ac nulla mentis ingeniique dote commendati, dignitatum ecclesiasticarum cupidine flagrabant; quia immunes clerici, multoque magis episcopi, erant a publicis operibus ac vectigalibus: atque ut conjicere licet, pinguiores fundi & majores opes erant Orientalibus Episcopis adtributæ, quam Occidentalibus; nam horum plerique laborabant inopia rei
p. 267. familiaris, ut vix ad vulgarem plebejumque usum necessaria suppeterent.

Commutatio Episcopatuum illicita. p. 30. 56. 65. 7. Non licitum Episcopis erat ad aliam, maximeque ad ampliorem civitatem transire. Qui id ageret, priorem etiam quam occupabat ecclesiam amittebat, ἀκυρώσας αὐτὸν, utriusque scilicet Ecclesiastico jure jacturam faciebat: ac perinde atque mœchus, qui alienæ uxori, despecta sua, cupiditatis oculos adjiceret, abdicabatur. Lex tamen impune ab Eusebio violata est.

Perlustratio locorum per Episcopos. p. 53. 76. p. 74. pag. 60. 8. Episcopus comitante clero, suæ ditionis loca, ordinis ac veræ fidei servandæ causa, frequens lustrabat. Imo legimus in vita Pachomii, Athanasium, utpote Ægypti totius Metropolitanum, initio episcopatus sui Thebaidem perlustrasse, ut infirmos in vera fide atque vacillantes recrearet, atque ad meliorem applicaret partem. Non licebat Episcopis citra sententiam Metropolitani sui decretum ullum edere, quod vel Episcopos, vel rem communem spectaret. Ait Julius Papa, id esse moris, ut ne de causis quibusdam, (quas majores vocamus) inconsulto Romano pontifice judicetur. Hæc ejus verba sunt querentis de Athanasii abdicatione, ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι τοῦτο ἔθος ἦν, πρότερον γράφεσθαι ἡμῖν, καὶ οὕτως ἔνθεν ὁρίζεσθαι τὰ δίκαια; id est: *An ignoratis eam fuisse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, ac deinde quod justum est decernatur?* Et sane hujusce moris luculentum videmus exemplum ex tertio seculo petitum: ubi Dionysius Alexandrinus, cum cujusdam epistolæ causa in suspicionem minus sanæ doctrinę vocaretur, ad Dionysium Romanum ab Alexandrinis fratribus delatus est.

Archiepiscopi nomen. p. 75. 9. Archiepiscopi nomen in breviario Meletii primum reperimus usurpatum. Post enumeratos enim alios aliarum civitatum episcopos, quos ausu temerario & insolenti, invitoque Metropolitano, ordinarat ipse, de Joanne hæc Meletius ait, ἐν Μέμφει Ἰωάννης κελευσθεὶς ὑπὸ τοῦ βασιλέως εἶναι μετὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου, id est: *Memphi, Joannes jussus ab Imperatore ut esset, (sive maneret) cum Archiepiscopo.* Dixi in notis ad eum locum, Joannem juberi cum Meletio, qui Archiepiscopi nomen aut jure obtinebat aut usurpabat, consistere atque una manere. At vidi secundum hæc emunctissimæ naris hominem, qui his de causis isthæc ad Alexandrum Alexandriæ Archiepiscopum, cui breviarium suum tradidit Meletius, spectare existimat: quia scilicet Archiepiscopi nomen ad Alexandrinum quam ad Lycopolitanum præsulem potius pertinet. Itidem cum Meletius prima persona loquens breviarium ordiatur hoc pacto, ἐγὼ Μελίτιος ἐν Λύκῳ hic dicturus erat, ὁ κελευσθεὶς εἶναι μετ' ἐμοῦ, non, μετὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου, si quidem hæc verba Meletii essent: sin glossema sit Athanasii, numquam Athanasius Meletium vocaturus erat Archiepiscopum. Ad hæc, veri similius est Joannem petulantem virum, turbarumque auctorem, jussum fuisse manere cum Alexandro, ubi nullus motuum locus, nulla turbandi via fuisset, quam apud Meletium, turbulentum & ipsum procacemque hominem. Verum isthæc, ut erudite observata sunt, non tanti mihi videntur esse, ut animum alio conferre suadeant. Nam Archiepiscopi nomen quod spectat, ne semel quidem vel in Alexandri epistolis, vel in operibus Athanasii in usu reperimus: quo conjectura nascitur hæc verba esse Meletii qui totum breviarium descripsit; nec antequam hæc proferantur, loquendi finem fecisse videtur. Quid quod certum est Meletium Archiepiscopi nomen usurpasse? Epiphanius enim, qui suam de Meletianis historiam ab aliquo illius sectæ homine hausisse videtur, ita scilicet laudibus celebrat vel petulantissimos Meletianorum, Meletium ipsum ita exornat: ὁ δευτερεύων τῷ Πέτρῳ κατὰ τὴν ἀρχιεπισκοπήν, hoc est: *Qui secundas post Petrum in Archiepiscopatu obtinebat.* Et alio loco: Μελίτιος ὁ τῆς Αἰγύπτου ἀπὸ Θηβαΐδος δοκῶν εἶναι καὶ αὐτὸς ἀρχιεπίσκοπος· *Meletius qui in Thebaide Ægypti regione Archiepiscopus & ipse erat.* Nam vox δοκεῖν, uti observamus in Onomastico *, frequentissime nihil minuit adfirmationem. Quamobrem cum exploratum sit Meletium sibi Archiepiscopi nomen arrogasse, & nusquam Alexander aut Athanasius illud memoraverint, aut sibi adtribuerint; annon potius hic vox Ἀρχιεπίσκοπος videatur esse Meletii, qui superius ad hanc usque vocem verba fecit, quam Athanasii? Quod autem Meletius in prima persona loquatur initio breviarii, hic vero in tertia, quid hac ἐναλλαγῇ frequentius, & quot vel ex Athanasii scriptis adferri possent consimilia exempla? Unum esto satis. In historia Arianorum ad Monachos hæc ille.
p. 141. ὅθεν μετὰ μῆνάς που δέκα τελευτήσαντος Γρηγορίου, μεταπέμπεται καὶ Ἀθανάσιον μετὰ τιμῆς, οὐχ ἅπαξ, οὐδὲ δεύτερον, ἀλλὰ καὶ τρίτον γράψας αὐτῷ μὲν φιλικὰ, δι' ὧν θαῤῥεῖν καὶ ἐλθεῖν προτρέπων· πέμπει τε πρεσβύτερον καὶ διάκονον, ἵν' ἔτι μᾶλλον θαῤῥῶν ἐπανέλθοι. ἐνόμιζε γὰρ διὰ τὸν φόβον τῶν πρότερον γενομένων ὀλιγωρεῖν με περὶ τὴν ἐπάνοδον. γράφει δὲ τῷ ἀδελφῷ ἑαυτοῦ Κώνσταντι, ἵνα καὶ αὐτὸς ἐπανελθεῖν με προτρέψηται. διεβεβαιοῦτο γὰρ ἑτοίμως ὅλον ἐνδέχεσθαι τὸν Ἀθανάσιον. Id est: *Hinc post decem circiter menses, defuncto Gregorio, Athanasium cum summo honore accivit, cui non unas, aut binas, sed ternas misit litteras amicitiæ plenas, quibus hortabatur illum ut cum fiducia accederet. Misit quoque presbyterum diaconumque, ut majore animi securitate rediret: ratus me, ob ante gestarum rerum formidinem, ægre reversurum. Scripsit etiam fratri suo Constanti, ut me & ille ad remigrandum cohortaretur. Affirmabat*

* In Edit. Gr. Lat. Tom. II. pag. 695.

bat enim se anno integro Athanasium exspectavisse. Hic vides paucarum linearum spatio a tertia ad primam, a prima rursum ad tertiam personam regressum dari. Ad hæc autem, si Athanasius hæc glossematis more adjecisset, cum ignorantibus, multo post datum breviarium annorum spatio, scriberet, non videtur ita perplexe loquuturus fuisse. Contra Meletius absoluta Nicæna Synodo mox breviarium dedit, & de re manifestissima loquens paucis rem tetigit. Hia comprobatis, vix crediderim hic vocem Αρχιεπίσκοπος intelligi de Alexandro; sed de Meletio putarim. Idque suadere videtur historia hujusce temporis: nam tribus post Nicænam Synodum mensibus Joannes ab ipso Meletio orator ad Imperatorem missus est. At si jussisset Constantinus Joannem proxime Alexandrum Alexandriæ consistere, an legatum a Meletio æquo animo excepisset? Annon potius existimes Meletium Imperatori legatum talem misisse, qui jussu ipsius penes se degeret? Utra conjectura melior lectori erudito æstimandum relinquitur.

10. Frumentum a Constantino primum in usum viduarum egenorumque erogatum, ab Episcopo tribui solebat, qui clericis hac in re administris utebatur.

Frumenti largitio. p. 54.

11. Mos erat defunctorum Episcoporum, qui cum laude vitam egerant, nomina in album reponere.

Memoria episcoporum.

12. Clericorum, scilicet Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum officia hæc erant: ægros invisere, eos qui in extremo positi necdum baptizati essent sacro lavacro tingere, quod ad presbyterosne solos pertineret, altum silentium. Clerici item erant, qui egenis & viduis in assignato loco, & quidem intra ecclesiæ septum, sedentibus victum erogarent.

Clericorum officia. p. 6. 250. p. 251.

13. Forenses judices arcebantur a causis Ecclesiasticis, quæ tamen consuetudo, cum magno res in motu essent, sæpe violata fuit. Presbyteri ac clerici, multoque magis Episcopi, gaudebant ἀλειτουργησίᾳ, id est, immunitate a publicis operibus. Clerici in sacrorum officio sticharüs lineis utebantur. quod vestis sacræ genus pluribus describitur in Euchologio Goari.

p. 61. p. 60. p. 70.

14. Ab ipsis Ecclesiæ primordiis more receptum erat pervigilia celebrare, quæ παννυχίδας vocabant. Nocte scilicet cum magnam solemnitatem, tum dominicam in qua synaxis habenda erat, præcedente, in ecclesias confluebant, pernoctabantque, orationibus & psalmis vacantes. Episcopus in throno sedebat: jussu ejus Diaconus psalmum incipiebat ad medium usque versus: tum populi Diacono respondebant, atque extrema versuum prosequebantur. Inter cantica Ecclesiæ, principem obtinebat locum ἡ δοξολογία, scilicet hic versus, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, *Sanctus, sanctus, sanctus*. Cui etiam τρισάγιον nomen fuit. Doxologia vero Jerosolymitana hæc verba complectebatur: *Ὦ κύριε σῶσον δή, ὦ κύριε εὐόδωσον δή, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου. O Domine salutem da, o Domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini*. Mos erat inter orandum manus extendere.

Pervigilia. p. 52. 155. p. 40. p. 120.

15. Cœmeteria loca sacra erant, in quibus catholicorum tantum corpora humare licitum erat. Consuetudo a priscis usque idolorum temporibus, condiendi corpora defunctorum, atque in lectis reclinandi, adhuc obtinebat apud Christianos Ægyptios. Quem morem acerbissime insectabatur sanctus Antonius monachorum Pater, & curabat apud Episcopos, nt subditos suos a simili ritu deterrerent.

Cœmeteria. p. 268. p. 334.

16. Signum crucis passim usu veniebat apud Christianos, eoque sancti viri ad mirabilia patranda dæmonesque fugandos utebantur. Vis illius non semel memoratur celebraturque.

Signum crucis p. 9. 301.

17. Synodi pro veris ac legitimis non habebantur, si Episcoporum maxima pars ejus qui reus agebatur inimici essent; si depositi, vel idololatriæ crimini obnoxii; si vis quædam sæcularis conventum moderaretur. In templia celebrari solebant: quamobrem haud immerito carpuntur Ursacius & Valens, qui in Augusti palatium Synodum Mediolanensem ex ecclesia transtulerunt. Officium Diaconorum erat, eos in Synodum intromittere, quorum causa agebatur. Synodorum cogendarum hæ causæ erant: hæresis oborta, grandis quædam de Ecclesiastica disciplina controversia, qualis fuit illa de Paschate in Synodo Nicæna; ingens cujuspiam Episcopi flagitium; Encænia templi recens excitati celebranda. In Synodis vulgo edebantur fidei formulæ. Experientia quarti maxime sæculi compertum fuit, Synodorum nimiam frequentiam plus ad perniciem, quam ad commodum Ecclesiæ contulisse. In fidei formulis non temporis nota præmitti solebat, non Imperatoris Consulumve nomina. Quapropter cum Valens, Ursacius, aliique Præsules, quotidiano aulæ Cæsareæ usu ad nimiam assentationem eruditi, Constantii nomen, cum odiosa *æterni* nuncupatione, fidei formulæ præfixissent, in crimen ea da causa haud abs re vocantur ab Athanasio. Qui Episcopi Synodo interesse non poterant, Presbyteros aut Diaconos mittebant actum quæ agenda oporteret: aliqui etiam Monachos.

Synodorum ritus. p. 52. p. 54. p. 51. & in Vita Athanasii. p. 80. 271. p. 286.

18. Synodo reorum exsilium aut cædem decernere curareque non licitum erat. Nicæna Synodus concessit, ut acta prioris Synodi in subsequenti expenderentur, ut caute priores definirent, quæ post examini subjectum iri noverant. Signum communionis erat, alicui litteras mittere, missasque ab eo recipere. quare in Synodo Sardicensi prohibetur litterarum usus cum hæreticis. Precari cum hæreticis vetitum erat: & si quis id facinoris admitteret, cum illo pariter precum usus interdictus erat. Lapsi in hæresim hac lege recipiebantur; ut si qui impietatis auctores patronive fuissent, iis venia quidem, non locus tamen restitueretur aut gradus pristinus in clero; iis vero qui vi aut necessitate compulsi ad hæreticos descivissent, & venia resipiscentibus daretur & locus pristinus. Eunuchos vetabat lex ad Ecclesiasticum prorsus consilium admitti.

p. 52. p. 55. Hæreticorum consuetudo vitanda. p. 44. 54. p. 175. p. 172. p. 145.

19. Tria videmus isto ævo per quidem mira atque insolentia. Epistolam Alexandri sic inscriptam: *Alexander Presbyteris, Diaconisque Alexandriæ & Mareotæ, præsens præsentibus, dilectis in Domino fratribus, salutem*: datam scilicet illis qui præsentes aderant. Litteras Alexandrinæ Synodi anno 362. missas ab Eusebio & Asterio cum aliis ea in Synodo tum versantibus, ad seipsos ad Antiochenam Synodum properantes, hac forma: *Athanasius, Eusebius, Asterius.... Lucifero, Eusebio, Asterio*, &c. Denique morem Ægyptiorum præsulum subscribendi pro absentibus, si quando Synodum celebrarent..

p. 157. p. 266. p. 347.

20. Quot-

Exsules, Martyres.

20. Quotquot tyrannorum Christianæ religionis furorem declinantes, profugi interirent, martyrum loco habebantur.

p. 130. Monachi. p. 298. In Vita Athanasii ad hunc annum. p. 43. 58. p. 152. p. 106. p. 30. 316.

21. Monachi perpauci in Ægypto, ac pene ignoti fuerant, ad initium usque quarti sæculi. Eo namque tempore Antonius innumeros exemplo suo ad eam vitæ rationem deduxit. Pachomius item in extremis Thebaidos partibus cœnobia excitavit quamplurima, ac numerosa cęnobitarum sodalitia. Ammonius etiam in Nitria Monasteria exstruxit frequentissima, sed paucorum singula Monachorum. Ex Ægypto Romam demigrare cępit institutum hujusmodi anno 341. cum Athanasius eo profectus, Ammonium & Isidorum Monachos virtutis eximiæ, viæ sibi comites adscivit. Quorum prior tanta erat humanarum rerum incuria; ut, etsi Romæ amplitudo omnes vel longe terrarum sitos homines ad sui spectaculum evocaret, ille tamen amphitheatra, plateas & opera publica, Romæ degens, ne conspectum quidem ire vellet. Is ipse Ammonius est, qui postea ad episcopatum evocatus, abscissa sibi aure, ad eam dignitatem mutilatione corporis sibi aditum præclusit. Hinc vero colligas, ejusmodi vitium corporeum impedimento fuisse, ne quis Episcopus constitueretur. Isidorus autem non minore virtutis fama & fluxarum rerum abdicatione florebat. Tum cœpit Monasticus ordo in Occidente frequentari: ita ut paucis post annis Monasteria permulta ubique locorum excitarentur, quorum frequentiam memorare videtur Athanasius sub initium Vitæ Antonii. Permultos circa medium quarti sæculi cum Alexandriæ, tum in locis circum positis fuisse Monachos, palam videtur esse: nam in tumultibus per Arianos excitatis Monachi semper aspere accepti feruntur. Tanta erat virtutis Monachorum fama, ut honoris causa Episcopi interdum ipsis in sacrario cum Clericis locum darent. Ait enim Athanasius, Monachos & Clericos, qui secum intus aderant quando Syrianus cum exercitu ecclesiam circumsedit, in thronum ubi sedebat ipse conscendisse, atque vi extractum inde ferro inimicorum proripuisse. Ex Monachorum numero permulti in Episcopos adlecti Athanasii ævo, tali munere cum laude perfuncti sunt. Quorum unus Serapion erat, is ipse fortasse, quicum Athanasius conjunctissime vixit, videlicet Thmuitanus. Monachi omnes Ascetæ vocabantur: sed an ascetæ omnes Monachi tum essent, incertum. Opinor sane multos fuisse, qui Antonium ἀσκήσεως, sive exercitationis causa adirent, qui exinde tamen vitam Monachi non inibant. Talisque fuisse videtur Athanasius, asceta scilicet nec modico tempore cum Antonio versatus, qui tamen nusquam Monachus fuisse memoratur.

Cœtus Virginum. p. 298. p. 43. & in vita Antonii. p. 34.

22. Ab ipso tertio sæculo cœtus erant Virginum, quæ in corporis integritate consenescebant. In earum numero versabatur soror B. Antonii, quæ demum in pręfectam cœnobio adlecta fuit. Erant item aliæ Virgines per urbes & pagos, quę a tenera juventute voto virginitatem suam Deo offerebant. Virgines porro maforte, sive μαφόριν, aut velo operiebantur: & grandis injurię loco habebatur, si quis Virginum capita nudaret.

V A R I A   E X P L I C A N T U R.

1. AD pag. 55. de Danio pauca tetigimus: & quia vulgaris opinio nostræ penitus adversatur, res est pluribus & accuratius explananda. Julius litteris Orientalium provocatus, qui Synodum ad Athanasii causam expendendam postulabant, eosdem Romam ad Synodum ibidem celebrandam evocat. Superbe illi Romanum iter detrectant, atque inter alias querelas, hanc futilem adferunt, Julium scilicet Eusebio soli, factiosorum antesignano, litteras suas nuncupasse. Litteras ille denuo mittit hac inscriptione: *Julius Danio, Flacillo, Narcisso, Eusebio, Mari, Macedonio, Theodoro*, &c. Quæritur quis iste Danius fuerit. Et primo manifestum est ab amanuensibus vitiatum fuisse nomen, ac varie in manuscriptis exstare. Nannius enim legisse videtur, διακόνῳ, vertit quippe *Diacono*. Putant ferme recentiores omnes cum Baronio esse Dianæum Cæsareæ Cappadociæ episcopum. Et sane ait Sozomenus lib. 3. c. 5. Dianœum Cæsareæ adfuisse Synodo Antiochenæ, quæ anno 341. habita est. Nuncupatur autem ille, cum a Sozomeno, tum a Basilio in Epistola ad Bosporium Episcopum, Διάνιος, *Dianæus*. Nos autem arbitramur esse Diognium, sive Theognium Nicænum inter factiosos insignem & passim memoratum, qui prior semper recensetur in legatione Mareotica, ubi sex erant legati, Diognius, Maris, Macedonius, Theodorus, Ursacius & Valens. Quod autem Theognius ille, Diognius etiam vocaretur, planum est. Sic p. 106. ubi memorantur legati Mareotici, legitur: *Diognios*, Διόγνιος, *Maris*, &c. similiterque p. 149. Διόγνιος Μάρις, &c. Et p. 129. Regius codex, quem solum in eam Apologiam legimus, habet, διακόνου Διογνίου, *Diaconi Diognii*, ut exinde conspicuum sit promiscue Theognium ac Diognium dici. Certe Hilarius col. 1284. *Diognitum* ait, Theognium scilicet indicans. Cum igitur Julius septem Arianorum primipilares hic commemoret, puto hunc Danium corrupte positum fuisse pro Diognio. Nemo eat inficias, hic Julium inter multos episcopos, eos consilio non casu enumerare, qui inter Eusebianos antesignani erant. Quamobrem æque mirum esset inter illos recenseri, ac primas tenere Dianœum Cæsariensem, qui nuspiam inter Eusebianos, vel ab Athanasio, vel ab aliis memoratur; atque prætermitti Diognium vel Theognium Nicænum, qui tum in vivis erat & rem strenue gerebat contra Athanasium, facileque secundas post Eusebium hoc in negotio tenebat. Fuitque Eusebio superstes, imo etiam post mortem Eusebii, ejusdem sectæ strenuus vindex. Nam is est qui Macedonium tunc Arianum, postea Pneumatomachorum ducem, Episcopum Constantinopolitanum, in Eusebii defuncti locum, ordinavit. Tam proclivi errato Danius ex Διογνίῳ, quam ex Διανίῳ, effici potest. Quid causæ igitur fuerit, quod Dianœum hic, Eusebianis peregrinum, potius substituamus quam Diognium, in quem omnes conjecturæ quadrant. Ad hæc Patres Sardicenses in epistola Synodali sic habent apud Hilarium Col. 1284. num. 2. *Olim quidem scribentibus Eusebio, Mario, Theodoro, Diognito, Ursacio & Valente, Julio consacerdoti nostro Romanæ Ecclesiæ episcopo adversus prædictos coepiscopos nostros; (dicimus autem Athanasium & Marcellum) ut scripserunt ex aliis locis episcopi nostri, quæ autem ab Eusebio facta sunt, nihil aliud quam falsitatis & mendacii fuisse plena. Nam etsi ex eo quo vocati sunt a Julio episcopo carissimo fratre nostro, claruit noluisse*

eos

eos venisse ex ipsis litteris, quibus eorum mendacia detecta sunt. venissent enim, si habuissent fiduciam, &c. His omnino consonat Theodoretus, qui eamdem Synodi Sardicensis epistolam adfert libro 2. cap. 8. Athanasius autem, qui eamdem adfert p. 63. solum Eusebii nomen habet, quia brevitatis causa nomina propria resecare solet, ut videre est hic & alibi. Ex superioribus autem patet, literas Julii superius memoratas Diognium etiam spectare ut & alios Eusebianos: queritur enim eos noluisse Romam ad Synodum accedere, quod perinde Theognio competit atque aliis. Re sic liquido enarrata, erudito lectori judicium permittimus.

2. Pag. 55. b. Scholiastes quidam ad marginem Regii codicis 2284. in hæc verba διὰ τοῦτο καὶ οἱ ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν μεγάλῃ συνόδῳ συνελθόντες ἐπίσκοποι, οὐκ ἄνευ θεοῦ βουλήσεως συνεχώρησαν ἐν ἑτέρᾳ συνόδῳ τὰ τῆς προτέρας ἐξετάζεσθαι· id est, *Quocirca episcopi in magna Synodo Nicæna congregati, non citra Dei consilium prioris Synodi acta in alia Synodo disquiri permiserunt*, hæc annotavit ab annis circiter trecentis, ut ex charactere conjicere licet. Σημείωσαι ὅτι οὐκ ἀπαιτεῖ τὴν ἔκκλητον ὡς πάπας καὶ ἄκρος ἀρχιερεὺς, ἀλλ' ἁπλῶς ἀξιοῖ ἐν ἑτέρᾳ συνόδῳ τὰ τῆς προτέρας ἐξετάζεσθαι, κατὰ τὸν κανόνα τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου. Id est: *Nota eum* (scilicet Julium cujus sunt superius allata verba) *non exigere appellationem, utpote papam & summum pontificem; sed simpliciter postulare, ut in alia Synodo quæ a priore decreta fuerint exquirantur, juxta canonem Nicænæ Synodi*. ἔκκλητον enim dici appellationem ad summum pontificem tritum vulgatumque est.

Pag. 56. Diximus in notis, epistolam Alexandri Episcopi Alexandrini ad calcem operum Athanasii cudendam fore. At secundum hæc mutata sententia, ex re magis visum est eam ante quatuor contra Arianos Orationes, utpote quæ Arianismi initia spectet collocare.

Pag. 59. Quam hic in notis vocamus epistolam ad Solitarios, ea est quæ suo loco a nobis Athanasii vestigio hærentibus, historia Arianorum ad Monachos nuncupata est. Nec prætermittendum est, abs re vocatum in controversiam fuisse, utrum hoc præclarum opus Athanasii sit, an alterius qui jussu Athanasii hæc litteris mandarit. Nam quod dicunt, hic numquam prima persona sed tertia semper loqui auctorem hujusce operis, illud inquam, non considerate dictum est. Nam superius locum adtulimus p. XXXIII. in quo Athanasius bis in prima persona sermonem habet. Hæc ultra quam satis dicta sunt.

3. Pag. 65. In subscriptionibus Sardicensibus, qui 78. primi recensentur ii sunt qui Synodo interfuerunt, neque sunt per provincias distributi, ut alii absentes qui post solutam Synodum nomen adscripsere. Palam res est ex Hilarii subscriptionibus, quæ eædem ferme sunt, atque illæ in prima classe ab Athanasio locatæ. Hilar. col. 1292. Pauca tamen omissa nomina sunt in subscriptionibus Athanasii, quæ apud Hilarium leguntur; multoque plura omittit Hilarius, quæ Athanasius enumerat. Quæ apud Athanasium omittuntur, isthæc sunt ex Hilario desumta: Marcellus Ancyranus, Evagrius a Macedonia de Heraclianeo, Julius ab Acacia (*lege* Achaja) de Thebe eptapyleos, nisi sit idem qui Julianus apud Athanasium dicitur. Miror Labbeum hoc loco restitui voluisse, eptapoleos, cum Tom. 2. Concil. Sardic. luce clarius sit esse Theben ἑπτάπυλον, id est, septem portarum, aut Thebas ἑπταπύλους, quæ ita vocantur πρὸς ἀντιδιαστολὴν Thebarum Ægyptiarum, quæ ἑκατόμπυλοι, sive centum portarum erant. de Thebis Græciæ Homerus,

Ἡμεῖς καὶ Θήβης ἕδος εἵλομεν ἑπταπύλοιο; Il. 4.

De Ægyptiacis vero Thebis,

οὐδ' ὅσα Θήβας, Il. 9.
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται,
Αἵ θ' ἑκατόμπυλοί εἰσι.

Cochras item ab Achaja, Dionysius. Nam duo sunt Dionysii apud Hilarium, unus apud Athanasium. Verissimus ex iis qui Synodo interfuerunt inter Gallos recensetur ab Athanasio. Istos sex episcopos ab Athanasio omissos, si jungas cum 78. quos enumeravit, erunt 84. His si addas Euphratam Coloniensem & Olympium, qui synodo Sardicensi interfuere, & ab Athanasio & Hilario prætermittuntur 86. reperies. Dominianus idem est qui Domitianus ab Hilario dicitur, Musæus idem qui Moysius Hilarii, Fortunatius idem qui Fortunatianus; Irenæus idem videtur esse qui Lerenius Hilarii, Ursicius idem qui Ursacius; Eutychius idem videtur esse qui Euthitius, & Eutychus fortasse idem qui Titius: nam apud Hilarium corruptiora nomina sunt quam apud Athanasium. Asclepius idem qui Asclepas Gazensis.

4. Pag. 69. Paulinum sive Paulum episcopum, qui litteras Ursacii & Valentis ad Julium Papam Athanasio transmisit, esse Tiburensem aut Tiburtinum, non Trevirensem Antistitem, vix est quod ambigamus. Nam omnes manuscripti & editi, hoc loco Τιβήρων habent. Apud Photium autem ex Eulogio l. CLXXXII. Episcopus Tiburensis, aut Tiburtinus, sic vocatur Ἀγαπήτου ἐπισκόπου Τιβύρεως: & veri similius est Tiburtinum vicinum Romæ episcopum, quam Trevirensem tanto itineris spatio dissitum litteras Julii Athanasio misisse. Paulinus autem Trevirensis anno 349. quo datæ putantur litteræ Ursacii & Valentis ad Julium papam, nondum iniisse episcopatum videtur. In historia porro Arianorum ad Monachos missa legitur, Παύλου ἐπισκόπου τριβήρων, ubi τριβήρων videtur mendose positum pro τιβήρων ab amanuensibus. Nam quod Paulus hic dicatur, qui Paulinus superiore loco vocatus est, forte amanuensium vitio contigit, imo fortasse posterior lectio præstat priori. In Italia namque sacra Paulus episcopus Tiburtinus memoratur, qui Ursicium pseudopontificem consecravit anno 366. Nannius vertit, *Episcopo Tyburis*. Eodem autem loco dele ρ, & lege Τιβήρων.

5. Pag. 79. Augustaliana, hoc nomen diximus ex Augustalibus profectum. At licet vox Augustalis antehac plerumque usurpata reperiatur, non legimus tamen præfectos Ægypti ante annum 351. quo hæc Apologia scripta est, Augustales sine addito vocatos. Quare in incerto res versatur.

6. Pag. 144. dicitur Roma esse Metropolis Romaniæ, τῆς Ῥωμανίας, ubi Nannius vertit, *Metropolis Romanæ ditionis*. Eademque sententia vox isthæc bis usurpatur ab Epiphanio, scilicet hæresi 66. & hæresi 69.

7. Pag. 160. Præter allata in Monito ad epistolam ad Monachos, quibus defenditur diversum illud opus esse a quatuor Orationibus contra Arianos; aliæ suppetunt gravissimæ rationes quæ idipsum suadeant. Nam illud ad Monachos missum opus vetat Athanasius cuiquam exhiberi: hæ autem quatuor Orationes, ut cuique legenti palam erit, ita concinnatæ sunt, ut publicis controversiis destinatæ haud dubie fuerint. Ac secunda adornata fuit ad ea confutanda, quæ adversus primam Ariani obtendebant. Tertia similiter est secundæ defensio. Et sane non publicæ modo fuere; verum etiam, ut ex ordiendi ratione conspicuum, diversis temporibus, ut res & usus postulabat, adornatæ; ita ut altera alterius occasio fuerit.

Pag. 296. Ex quo Antonii Vita edita fuit, in codices Latinos varios incidi, in quibus legitur, *non paululum temporis cum eo feci.* Hæc porro Evagrii versio tametsi libera admodum, & sententias modo resecat modo adauget, hoc in loco καὶ οἶδα consectatur. Unde magis, magisque adaugetur animus mihi, ut eam lectionem germanam existimem.

8. In Monito ad Vitam Antonii omisimus præclarum Justiniani Imperatoris locum ex tractatu adversus Origenis errores, qui sic habet: *Εἶπε δὲ καὶ ὁ ἐν ἁγίοις Ἀθανάσιος ἐπίσκοπος καὶ αὐτὸς Ἀλεξανδρείας γενόμενος ἐν τῷ λόγῳ τῷ εἰς τὸν βίον τοῦ μακαρίου Ἀντωνίου ταῦτα· πῶς δὲ χλευάζειν ἡμᾶς τολμᾶτε λέγοντας τὸν Χριστὸν ἄνθρωπον πεφανερῶσθαι· ὅτε γε ὑμεῖς ἐκ τοῦ νοῦ τὴν ψυχὴν ὁρίζοντες, φάσκετε πεπλανῆσθαι αὐτὴν καὶ πεπτωκέναι ἀπὸ τῆς ἀψῖδος τοῦ οὐρανοῦ εἰς σῶμα*; id est: *Dixit autem, sanctus Athanasius, qui & ipse Episcopus Alexandriæ fuit, in libro de Vita beati Antonii: Qui autem nos irridere audetis, quia dicimus Christum hominem apparuisse; quando vos ex mente animam esse definientes, dicitis eam errasse, & ex cæli fornice in corpus delapsam esse?*

9. Quamquam res est fortasse parvi momenti, ne pigeat hic annotare, vocem Δαβίδ, ita cum β in prius editis haberi, quos etiam sequuti sumus. Verum comperimus exinde Δαυίδ, vulgo a Græcis scribi: quod tamen raro animadverti potest, quia semper in codicibus Δαδ brevitatis caussa scribitur. Semel δαυιτικῶς, *Davidice*, scriptum reperimus. Et in codice Regio 211. ubi minio vita Davidis depingitur in tabellis sub initium adornatis, Δαυίδ semper cum υ scribitur.

10. Restat ut erudito lectori, quorum codicibus & opera usi simus significemus, & in grati animi obsequium, quid & quantum officii a singulis acceperimus. litteratis omnibus qui in partem beneficii veniunt, palam faciamus. Præit autem hoc in munere Bibliotheca illa vere Regia LUDOVICI MAGNI omnium per orbem amplissima, unde ad arbitrium nobis codices omnis generis suppeditati sunt humanitate Clar. Viri Abbatis DE LOUVOIS, Bibliothecarii Regii, cujus prolixam in nos voluntatem, & in fovendis studiis nostris propositum passim experti sumus. Officia item nobis certatim impenderunt, qui secundum illum eam Bibliothecam curant viri eruditissimi CLEMENTIUS & BOIVINIUS, toto orbe litterario notissimi. Haud minores suppetiæ accessere ex Bibliotheca faustæ memoriæ Viri Clar. *Joannis Bapt.* COLBERTI, Regii Ministri, qui in usum & commodum litterarum, ingentem codicum vim ex remotissimis terræ partibus advectam accumulavit. Horum nobis ad nutum copiam fecit Vir eruditissimus ac multis nominibus nobis conjunctissimus STEPHANUS BALUZIUS, quem ignorat nemo qui litteras norit. Hic non codicibus modo, verum & consiliis semper adfuit rogantibus, sicubi res postulavit. Grandi nobis auxilio fuit Seguerianæ Bibliothecæ codex, Illustrissimi ac nobilissimi Episcopi Metensis, qui tum Abbas COISLINIUS audiebat, opera & consilio nobis concreditus. Qui codex quanti nobis usus fuerit, advertet passim eruditus Lector. Cæteros longum esset commemorare, quorum vel opera vel codicibus usi sumus Clar. Viros Renaudotium, Toinardum, Desmarezium, RR. PP. Jesuitas Collegii Ludovici Magni, aliosque passim memoratos in Monitis nostris.

Roma lectiones permultas, fragmenta, opuscula ex codicibus Vaticanis, aliisque exscripta, nobis transmisit Domnus Claudius Stephanotius Procurator Generalis Congregationis nostræ, opera usus & manu ut plurimum Joannis Guillotii sodalis sui, qui haud ita pridem obiit. In Anglia vero juvandis studiis nostris intentus semper fuit vir præclarus & eruditione conspicuus Jacobus Millius Principalis Collegii S. Edmundi Oxoniensis, ut variis in locis observare quisque poterit: nec non quid collatum nobis fuerit a Clar. Viris Grodecio, Muratorio, aliisque.

Nec prætermittendi silentio sunt Domestici, qui nobis harumce lucubrationum auctores & consuasores fuere, quos memorando vix a lacrymis temperamus, scilicet D. Claudius Martinus ὁ μακαρίτης, Vir pietate & religione insignis, litteratorum in Sodalitio nostro patronus, quem Patris loco venerabamur omnes. Is anno præterito cælitibus, ut speramus, adscriptus fuit: cui enim nisi tam probo, tam pio, sors illa obvenerit. Itemque D. Antonius Durban Cœnobiarcha noster, nuperrime sublatus, vir frugi, probus, litteratis opportunus, integris moribus *ut prisca gens mortalium*. Cujus obitu vix consolabilem animo dolorem caperemus; nisi qui munus excepit, pari animo, æquali studio & opera rei litterariæ patrocinaretur.

Ingemui ablatum mihi symmystam meum D. Jacobum Loppinum, quicum initio hujusce editionis dabamus operas mutuas. Is, vixdum ad mediam primi tomi partem deveneramus, cum præmatura morte abreptus, mihi summo dolori fuit, Vir Latine & Græce probe, Hebraice μετρίως eruditus, in philosophicis apprime versatus: comitate & modestia jucundus sodalibus. Hæc de nostris morte sublatis dicenda nobis erant,

Τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Jam de Commelini Felckmannique lectionibus, necnon de codicibus quibus usi sumus hac in editione, agendum nobis est. Ac primum lectori Nannii, Commelini & Felckmanni hac de re monita subjicienda.

EX-

EXCERPTUM EX PRÆFATIONE
PETRI NANNII ALCMARIANI.

USus autem sum tribus exemplaribus, quorum primum cœnobii Prædicatorum Basiliensium fuit, adeo vetustum ut litteræ multis in locis exolescerent, quo plurimum usus est Joannes Reuchlinus. Secundum fuit Justini Gobleri, juris peritia & eruditione linguarum, & quibusdam Demosthenicis versis clarissimi nominis, id quoque nullis mendis vitiatum, sed notulis formisque abbreviationum nusquam alibi visis, ita difficile, ut potius ex sententiis verba, quam ex verbis sententias, divinarim. Tertium Joannis Christophorsoni Angli eruditissimi & integerrimi viri, graviorum auctorum translatione insignis, id simul & emendatum & lectu facile & verbis ad plenum scriptis, noo ita interpretem remorabatur. Hi tres clarissimi viri ad multos annos mihi sua exemplaria patientissime commodaverunt, quorum benignitatem silentio mihi prætermittendam non putavi. Exstant & alia vulgo Athanasii nostri nomen præ se ferentia, a diversis interpretibus in Latinum traducta, quæ Fobrenius & Episcopius chalcographi humanissimi, undecumque conquisita in quartum tomum congesserunt, ne quid Athanasio adscriptum huic operi deesse videretur. Labores igitur nostros tibi debitos, &c.



PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM
IN EDITIONE COMMELINIANA.

Ut scias, Lector, quid in hac Athanasii editione præstitum sit.

PRINCIPIO Græcum textum antea numquam editum de libris manuscriptis jam primum nos edidimus. Et quidem sic edidimus ut perpauca desint, quæ nondum reperire licuit. Sed quæ & ipsa separatis pagellis edituri, & ad reliquum opus adjuncturi sumus, si quando nacti fuerimus, ad quam rem ut nobis adjumento sint qui possunt, publici commodi causa, vehementer etiam atque etiam rogamus. Deinde latinam versionem Nannii, ubicumqne eam habuimus integram & nullo prorsus apice mutatam Græco contextui e regione addidimus: ut de ejus integritate integrum cuique lectori judicium relinqueretur. Habuimus autem versionem Nannii toto tomo primo paucis lineis 716. & 828. exceptis, quas ille, nescimus qua de causa non converterat. Tomo vero secundo, ubi Nannii versio plane defecit, in quibusdam opusculis antiquas Erasmi Roterodami, Joannis Reuchlini, Joannis Curterii, & aliorum doctorum virorum versiones adscivimus: in plerisque autem hactenus nondum versis novas versiones studiose factas adhibuimus, & itidem omnes Græco contextui e regione apposuimus, præterquam in uno opusculo de passione imaginis Domini nostri Jesu Christi, io quo Græca exemplaria, neque inter sese, neque cum Latinis congruebant, ibi duo Græca inter sese conjunximus, Latinum unum subjunximus: rati, gratius fore lectori, si legat illa, qualia in bibliothecis antiquis reperiantur, quam qualia a recentibus interpolatoribus adornari possent.

Porro in Græcis excudendis usi sumus exemplaribus manuscriptis plusquam viginti: quorum undecim ad tomum primum pertinent, reliqui ad secundum. Primus codex isque vetustissimus (ideoque lectu perdifficilis) optimus & qui plura reliquis omnibus habet, est Academiæ Basiliensis, olim collegii Prædicatorum ibid. in quo præterquam quod inter media Athanasii opera non pauca inserta sunt quæ ad historiam Synodi Nicænæ pertinent, multa quoque continentur Cyrilli Alexandrini, Theodoreti & Damasceni hactenus, vel numquam, vel certe Latine tantum edita. Secundus est collegii S. Trinitatis in Academia Cantabrigiensi olim D. Joannis Christopborsoni, quem in Italia magno pretio olim coemerat; qui ut præcedente est recentior, ita etiam facilior est, ac minus accuratus. Tertius hoc non paulo vetustior est: scriptus namque est circa annum muodi 6829. secundum Græcorum Chronologiam (hoc est anno Christi 1319.) ut hæc ipsius scriptoris verba in fine codicis indicant. *Χειρὶ ἁμαρτωλῷ Ῥωμανῷ ἀναγνώστῃ ἔτει ϛωκθ.* Fuit is olim Justini Gobleri: nunc cujus sit nondum exploratum habemus, cum inter res Hieron. Commelini repertus sit nullo possessoris nomine adjecto. Cæterum vere de hoc scribere potuit Nannius, (qui eo ut & præcedentibus duobus usus est) eum notulis formisque abbreviationum nusquam alibi visis ita difficilem esse, ut potius ex sententiis verba quam ex verbis sententiæ divinandæ ipsi fuerint, comperiet quisque cui is olim in manus venerit. Ubi tameo mirari subit, quid tandem causæ fuerit, cur hunc potius secutus sit, cum illorum utriusque lectio longe sit facilior. Observavimus enim in lectionibus codicum discrepantibus Latinam Nannii versionem cum istius codicis lectione pene per omnia consentire. Quartus vetus noo est, nec a Græca maou exaratus, Gobleriani absque dubio descriptum, cum quo (paucis locis & mendis descriptoris exceptis) penitus consentit, adeo ut totidem quoque & eosdem libros ac eodem ordine cum eo dispositos habeat, incerti vero dominii. Quintus bene vetustus, elegans, obscuris tamen & creberrimis abbreviationum notis refertus, ideoque difficilior: bonam quoque operum Athanasii partem continet, sed & ipse *αἴτιον πρᾶγμα.* textus, nostro judicio centesimum annum non superat, eleganti ac æquabili scriptura, minus tamen accuratus & pauca quoque opuscula complectens. Septimus & octavus ejusdem ætatis a diversa tamen manu: ille solam orationem tertiam contra Arianos comprehendens: hic quatuor priores & paucas quasdam alias, similiter *ἀδίαστοι* & isti; quemadmodum etiam nonus & decimus: qui quia admodum recentes sunt, ac per omoia similes Basiliensi, ex eo descripti videntur. Undecimum, communicavit nobis ex Bibliotheca Augustana Vir Clar. David Hœschelius. Cootinet is præter opuscula quædam quæ in Tom. II. rejecta sunt, disputationem Athanasii cum Ario Nicææ habitam. Conscriptus vero est ab Andræa Dermario Epidaurio anno 1584. Venetiis, & hæc quidem de codicibus, quibus in Primo Tomo usi sumus. Nam ad secundum adornandum pene solis codicibus Biblioth. Palat. adjuti sumus, excepto uno atque altero, qui ex Gallia ad nos perlati fuerunt, de quibus monuimus initio cujusque opusculi, & in variis lectionibus.

Cæterum, quia in tot codicibus mss. major erat varietas scriptionum, quam ut una perpetua lectio indubitata inde erui posset, ne vel reipublicæ Ecclesiasticæ, vel tuis, quisquis es pie lector, privatis studiis deessemus; varias lectiones codicum Græcorum non tantum scrupulose, sed pene etiam superstitiose annotari cum elogiis Athanasii, ac reliquiis & fragmentis ejusdem, ioter excudendum diverso tempore repertis, conjungi, tituloque appendicis simul edi curavimus.

Hæc de materia scriptorum Athanasianorum. Ad dispositionem quod attinet, animadvertimus ex schedis Commelinianis voluisse illum ante omoia excudere ea quæ Nannius vertisset & antehac Latine edidisset. Id igitur consilii etiam nos secuti sumus, & in primum tomum omnia ea, quæ Nannius converterat, conjecimus, alio tamen ordine. Nam ab ordine Nanniano (quem post ipsius Nannii præfationem videre poteris si voles) Commelinus tempestive discesserat. Ejus igitur vestigiis, quantum quidem ea deprehendere licuit, insistentes in Primo Tomo primum elenchtica, deinde historica, variis apologiis & epistolis comprehensa, mox exegetica sive commentationes in nonnulla

sacræ Scripturæ dicta, deinde homilitica sive conciones populares posuimus. In elenchticis quidem, primo loco quæ contra Gentes, altero quæ contra Arianos & eorum complices, tertio quæ contra Apollinaristas, Sabellianos, & Samosatenianos, quarto & postremo quæ contra omnes hæreses Athanasius scripserat collocata voluimus. Sed hunc ordinem operæ Typographicæ semel atque iterum interruperunt, & orationem Athanasii contra omnes hæreses, ac protestationem secundam populi Alexandrini a suis locis divulsa ad extremum primi tomi rejecerunt: in secundo tomo, quem ordinem servaverimus, ipse librorum catalogus, altera post titulum pagina collocatus, satis superque ostendet.

Porro, si quos titulos in catalogo editionum Nannianarum priorum exstantes hic non repereris, ne te id moveat. Nihil omisimus, sed ea tantum quæ per inscitiam antea pro peculiaribus libris, & sub peculiaribus titulis vendita erant, cum non nisi aliorum librorum jam antea in hoc volumine excusorum fragmenta essent, sustulimus: ne bis eadem frustra vel exprimerentur & venderentur, vel emerentur & legerentur. Hujus generis erant opusculum de Doctrina, fragmentum de Passione, & declaratio Levitici, de diversa ejusdem rei nomenclatura; quorum tamen alia in aliis atque aliis tantummodo Athanasii Latinis editionibus extant. Ac primum quidem est fragmentum epistolæ de Synodo Nicæna ut videre est p. 30. tom. 1. Alterum vero est fragmentum homiliæ de Passione, ut patet ex tom. 1. pag. 790. Tertium denique fragmentum est Orationis quintæ contra Arianos ut ex pag. 321. vers. 24. tom. 1. manifestum evadit. Unicum λόγον σωτῆρος qui itidem est fragmentum primæ orationis contra Arianos ut videre est ex tom. 1. pag. 125. E. & seqq. denuo excudi passi sumus: tum quod verba quædam Græca hic mutata essent præsertim ab initio: unde daretur existimandi copia quod Athanasius ipse hoc compendium suarum de deitate Christi demonstrationum seorsum exstare; atque ita in conspectu esse voluerit: tum quod versionem nacti essemus novam cujus collatio cum versione Nanniana non videretur fore infructuosa.

Sed & illud scito Lector, in exemplari ms. Basiliensi quod cæteris omnibus jure præferimus multa inesse quæ neque Athanasii titulum præ se ferant, & jam antea, tam Græce, quam Latine in Historia Ecclesiastica exstent, atque inde omnino in istum codicem transcripta: ista igitur omisimus, vel potius ad Historiam Ecclesiasticam, unde ad verbum descripta erant, remisimus; idque ideo nos fecisse indicamus, ne quis forte, qui codicem Basiliensem aliquando viderit, nostram hanc editionem mutilam esse suspicari possit. Quam suspicionem ut evitaremus, quæcumque usquam Athanasii nomine divulgata esse comperissemus, cum cæteris Athanasii libris, sine omni vel detractione vel adjectione conjunximus: etsi certum nobis esset multa ex illis esse supposititia; quod & Nannius fatetur, & cum ipso fatebuntur omnes, quicumque ad hanc lectionem & scientiæ & conscientiæ nonnihil adtulerint. Nec enim felicior hac in parte cæteris Patribus fuit Athanasius: quorum nullus umquam claruit, cui ista supposititiorum librorum injuria illata non esset. Quæ autem in his duobus voluminibus genuina Athanasii scripta sint, vel non sint, Theologis æstimandum relinquimus. Nos nullis partium studiis impliciti nostrum in faciendo officio nostro Typographico candorem universo Christianorum populo probatum esse cupimus, & ita fore confidimus. V.

Et ad frontem variarum lectionum, hæc annotat Petrus Felckmannus Coronæus.

A D L E C T O R E M.

De codicibus quibus in adornanda hac operum D. Athanasii editione usi sumus, satis superque superius in Præfatione Tomo I. monuimus. Hoc saltem nunc restat, ut quem codicum illorum quæque littera a tergo variæ lectionis posita signet, hic exponamus. Sic igitur accipe: B. signat codicem Basiliensem: A. Anglicanum, sive Cantabrigiensem: G. Goblerianum: I. Primum anonymum & incerti dominii, in ordine alias quartum: II. Secundum anonymum, sed in ordine quintum: III. Tertium sive sextum: IV. Septimum: V. Octavum, & sic deinceps: AV. Denique ultimum sive Augustanum. Ad hæc Fr. 1. Amici nomen est, qui quasdam observationes nobis communicavit: at Fr. D. Frontonem Ducæum signat.

In sequentem Tabellam Geographicam Monitum.

GRANDIS otii & consilii res esset Alexandrini patriarchatus plenam numerisque omnibus absolutam descriptionem aggredi. Cum enim centum circiter episcopatus in Ægypto, Libya & Pentapoli esse testificetur Athanasius, quantæ, amabo, operæ foret, cujusque nomen, situm, limites investigare? Quamobrem id putamus esse ad præsens institutum satis, si loca Ægypti cum in Vita tum in operibus Athanasii memorata in tabella nostra Topographica quam proxime ad verum situm adpingamus. Nec tamen erudito lectori dissimulandum duximus, nos dum in his pro facultate & tempore versaremur, nec opinantes incidisse in nonnullos Geographorum ævi nostri errores, quos cautionis & accurationis causa ne pigeat indicare, ut ne qui post futuri sunt, in Ægyptiacis rebus per imprudentiam locorum errent.

Jam annotavimus ad pag. 74. Hermopoleos parvæ episcopatum eumdem esse, qui τῆς Ἀλεξανδρέων χώρας, sive agri Alexandrini dicitur. Hermopolis enim metropolis τῆς Ἀλεξανδρέων χώρας vocatur a Ptolemæo; & apud Athanasium Dracontius modo Hermopoleos parvæ, modo τῆς Ἀλεξανδρέων χώρας episcopus nuncupatur. Non una porro Alexandrina civitas pro agro & suburbanis peculiarem episcopum habuit; sed etiam Arsinoe, quæ & Cleopatris dicitur, apud Athanasium, aliosque Ecclesiasticos posteriore ut plurimum nomine insignitur. Strabo certe l. 17. p. 804. Καὶ πόλιν Ἀρσινόην ἣν ἔνιοι Κλεοπατρίδα καλοῦσιν. Et in subscriptionibus 4. tomo Concil. p. 83. *Theophilus Cleopatridis, quæ & Arsinoe*, comparet. Præter Episcopatum autem Cleopatridis sive Arsinoes, erat alius τῶν Ἀρσινοΐτων, id est nomi Arsinoitæ seu locorum Arsinoe circumjacentium. Sic eodem tomo Concil. p. 119. est quidam Calosirius τῶν Ἀρσινοΐτων, id est locorum circa Arsinoen Episcopus. Hallucinantur porro qui Cleopatrida diversam ab Arsinoe rati, eam urbem nullo Auctore propter Hermopolin parvam locant, procul scilicet ab Arsinoite nomo, & Arsinoitæ episcopatum arbitrantur eundem esse qui Arsinoes. Nam præter loca mox allata, in breviario Meletii p. 74. ita perspicue hi episcopatus distinguuntur: Ἰσαὰκ ἐν Κλεοπατρίδι, Μίλας ἐν Ἀρσινοΐτῃ. Et in Notitia antiqua, cusa per Carolum a sancto Paulo Fuliensi, Cleopatridis, & Arsinoitæ diœceses memorantur, Arsinoes vero nulla mentio; quia uti commonstratum est, eadem ipsa est quæ Cleopatris vocatur.

Est illud Geographorum quorumdam nobile erratum, quod urbem Andro, ad Canobiticum Nili canalem sitam, vocent Andromenam, errore hinc orto quod quidam editi Athanasii ad hunc locum epistolæ ad Antiochenos p. 286. Ζώϊλος Ἀνδρῶν, Μηνᾶς Ἀντιφρῶν, *Zoilus Andro, Menas Antiphrorum*, una voce Andromenas legant. Et propalam est *Menas* esse episcopi Antiphrorum nomen. Miror quæ causa sit hujusmodi lapsus, cum erratum ab annis fere centum in notis suis emendaverit Petrus Felckmannus, cujus emendationem sequuti sunt anno 1627. Parisienses editores. In notitia antiqua mox memorata errore consimili legitur Ἀνδρονικίου, perperam adjuncto scilicet Nicius episcopatu cum Andropolitano. Ubi monitum lectorem volumus, haud satis consulto Geographos ætatis nostræ urbem Nicius aut Nicii procul a Canali Canobitico versus Occidentem constituisse; ita ut longius ab Andro, quam Latopolis ipsa distet. Et exploratum tamen est urbem Nicius stationem esse publicæ viæ inter Andropolin & Latopolin; ita ut medium inter hasce urbes teneat, & propter Canobiticum Canalem locanda sit, ut ex itinerario Antonini planissime constat.

Ea item in re labuntur plerique omnes hujus sæculi Cosmographi, quod Philas extremum versus Æthiopiam Ægypti oppidum ad oram Nili Occidentalem constituant, etsi certum est ad ripam adversam sive Orientalem situm esse. Nam in itinerario Antonii, ubi describitur iter ab extremis Ægypti partibus versus Æthiopiam ad usque Clysmon locum in Arabia, procedendo scilicet ad oram fluminis Orientalem, sic legimus:

Item per partem Arabicam trans Nilum.

Contra Pselcim.
Contra Talmis.
Contra Tahis.
Philas.
Syenem.
Ombos.
Contra Apollonos.
Contra Laton.
Thebas.

Ubi vides ad eamdem Nili oram sitas esse has urbes, Philas nempe, Syenem, Ombos, Thebas, quæ ut nemo nescit in Orientale ripa jacent. Aliæ contra, nempe Pselcis, Talmis, Tahis, Apollinis urbs, Latopolis, ad oram adversam sive Occidentalem, ut voce *contra* planum est.

Syenem Athanasius vocat Σοήνην, quam sic a plerisque nuncupari commonstravimus in nostro de Veritate historiæ Judithæ opusculo, & in notis ad p. 153. Vocabatur item Συήνη, & quidem frequentius.

Haud ingratum lectori fore putavimus, si triginta sex illas mansiones, quæ Alexandria Antiochiam intercedunt, in tabella nostra Geographica adpingi curaremus, quæ scilicet grandem controversiæ ansam præbuerant. Nannius enim, cui vox μονὴ sive *mansio* perpetuus scopulus fuit, hunc locum epistolæ Julii Papæ p. 58. ἢ οἱ ἀπὸ τριάκοντα καὶ ἓξ μονῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ ὁμοψηφήσαντες τινα εἰς ἐπίσκοπον ξένον, ita verterat: *An qui solum ad triginta sex suffragia eorum, qui Antiochiæ fuere, externum hominem episcopum salutarunt*, ubi vides triginta sex mansiones illas, in triginta sex episcopos commutatas, quod solenne Nannio fuit: nam alias ἀπὸ πεντήκοντα μονῶν, & ἀπὸ ὀγδοήκοντα μονῶν, *a quinquaginta*, & *ab octoginta* episcopis vertit. Prima post Alexandriam mansio fuit Cereu, vel ut Athanasius & Gregorius Nazianzenus vocant Χαιρέου propter Canalem Alexandrinum sita, ad oram Occidentalem: Reliquas in tabella vide.

ÆGYPTI
et
VICINARUM REGIONUM
TABULA

In qua delineantur loca sive ab Athanasio sive in vita Athanasii memorata Et una describuntur Triginta sex mansiones quibus conficiebatur iter Alexandria Antiochiam

CYPRUS INSULA

ANTIOCHIA

MARE PHOENICIUM

MARE ÆGYPTIUM

JERUSALEM

AUGUSTAMNICE

ARABIA PETRÆA

ÆGYPTUS

THEBAIS INFERIOR

AMMONIACA

OASIS PARVA

OASIS MAGNA vel SUPERIOR

MARE ERYTHRÆUM vel MARE RUBRUM

PARS ARABIAE FELICIS

THEBAIS SUPERIOR

Syene

IN VITA SANCTI ATHANASII
MONITUM.

1. SEra querimonia esset, æqualibus amicisque Athanasii vitio dare, quod tanti viri gesta silentio prætermiserint, neque ullus familiaris ea scribendi provinciam susceperit, quæ jam haud fine ingenti labore hinc & inde e monumentis veterum repeti possunt. Duræ partes nobis sunt, cum haud minor sollicitudo incumbit qui caveamus commenta & fabulas, quam quo pacto vera & germana deprehendamus. Ne nos tamen curarum nimis pœniteat divino consilio prospectum est, quando Athanasii scripta bene multa a temporum injuria vindicata sunt, quorum ope plerumque vera a falsis internoscere sit facultas. Quod si salva & integra omnia essent, facilius foret a commentis, a præposteris putandi rationibus, a turbato rerum ordine, quæ ut plurimum in reliquis scriptoribus occurrunt, sese expedire.

2. Ut enim ab iis ordiamur, qui tempore Athanasii vixerunt, Eusebius perpauca adfert Athanasii Vitam spectantia; ac mutuæ cum Arianis operæ causa, suspiciosissima. Quod autem per mihi mirum videtur, ne verbum quidem de Athanasio adferr, nihil de pugnis cum Ariana hæresi, nihil de Tyriis rebus, & quasi per dissimulationem ignorandi omnia præterit, puta quia gestorum pudor silentium imperaret. Hilarius multa adfert opportuna Athanasii Vitæ adornandæ: at eorum pleraque apud Athanasium item leguntur, ita ut pauca nova & ab aliis intacta referat. Jam ad eos accedamus, qui proxime Athanasii ætatem vixerunt, ita ut senem & videre & alloqui potuerint. Gregorius Nazianzenus præit ætate dignitateque, par sane enarrandis Athanasii gestis, quantumvis tritum ac vulgarem rerum usum excedant. Verum ille ut scite atque naviter oratoris munus explevit, ita jejune & tenuiter res, acta, tempora tetigit, ut ejus ἐγκωμίῳ perlecto haud multum doctiores abeamus, imo vero incertiores in plerisque quam dudum fuimus, ob minus accuratam certarum rerum memoriam.

3. Æqualis huic Epiphanius, de Meletianis, Arianis, Semiaranis, Dimœritis agens, multa dixit Athanasii historiam spectantia; at quæ de Meletianis ait, cum ex Meletiano quopiam hauserit, & plerumque commentitia sint, nedum quidpiam lucis adserant, fucum factum accedere videntur. Reliqua melioris notæ sunt, verum implicata sæpe & pauca pro tantarum rerum usu. Rufinus suppar, negligentiæ nomine passim suspectus, nimia facilitate historiolas multas invexit, quæ fingentis magis artificium quam rem vere gestam oleant: hinc est ut caute incanti ducis vestigia sectari necesse plerumque sit. Tam præposterus est in temporum rationibus, ut, cum Socrates illo auctore priores historiæ suæ libros conscripsisset, ubi se longius abductum sensit, a Rufino in deviis locis actum se questus, a cursu ipso gradum revocaverit, & aliam ingressus viam sit. Sulpitius Severus importuna brevitate præterlabitur, ut vix rem quæ agitur ob oculos ponat; pauca de Athanasii vita narrat, perplexe satis, neque magni ad ejus historiam est usus. Auctor Vitæ Pachomii, quæ nuper in Actis Sanctorum tom. 3. Maji cusa fuit, non pauca suppeditat nova, præclara, hactenus intacta, similiterque epistola Ammonii episcopi Athanasio æqualis, secundum eam vitam cusa. Socrates Rufinum, ut mox dictum est, auctorem & ducem sequutus est in prioribus historiæ suæ libris, donec se abactum procul sensit, & novam historiæ viam ingressus est; neque seipso feliciore duce usus est, quam Rufino; plurima ex Sabino Macedoniano hausit, vel eo nomine suspecta & cavenda: quantam vero in ordine & tempore perturbationem adtulerit, pluribus est alias commonstratum. So-

zomenum ajunt vulgo ex Socratis scriptis omnia fere expiscatum esse, & nos statim rumore auctore idipsum putabamus; verum longe alio modo rem se habere deprehendimus, & tractatione diuturna comperimus, multo præstantiorem esse Sozomeni quam Socratis historiam. Etsi enim ut plurimum consimili rerum ordine procedit; plurima certe adfert optimæ notæ, ab Socrate intacta, inobservata, aut minus accurate recensita: cujusmodi sunt res Tyri gestæ, Georgii expulsio Alexandria, quam in annum circiter 356. reponimus: & similia quæ vitam Athanasii a nobis adornatam inspicienti passim sese offerent. Ad hæc res pluribus majorique accuratione vulgo recenset. Id cuique Sozomeni historiam legenti, dum præjudicatam ponat opinionem, propalam erit. Theodoretus etsi vulgo ita brevis & perplexus est, ut res misceat; opportunus tamen, quia acta quædam & monumenta rerum adfert quæ nusquam alias exstant. Gelasius Cyzicenus nugax plerumque, quo sine magna cautione uti non licet. Hujus tamen beneficio aliquot epistolis, & sinceris quidem, aucti sumus. His maxime scriptoribus antiquis in adornanda Athanasii Vita usi sumus. Nam vitas Athanasii Græcas a nobis editas quod spectat, quam minimi pretii illæ sunt. Prior enim quæ est Anonymi cujusdam, ex Socratis, Sozomeni, & Theodoreti scriptis desumta est, adjectis insuper sexcentis fabellis: nihil ibi sanum, omnia contaminata, sus deque versa; demum magno conatu magnæ nugæ dicuntur. Exstant ibidem quædam Præfectorum nomina, non alibi memorata, ideoque non sine magno scrupulo usurpanda. Quæ vero ex Photii Bibliotheca desumta est Athanasii vita, ipsius Photii judicio, quisquiliæ sunt sine pari. Quod si, ut ait Tullius, omnibus in rebus similitudo est satietatis mater, in his haud dubie fastidii & nauseæ parens erit; & fateamur necesse est nos damno auctos esse. Vita Athanasii Metaphrastæ opera concinnata melioris quidem notæ; sed cum ex laciniis binc & inde consarcinatis constet, a scriptoribus qui etiamnum exstant mutuatis, non magni usus esse potest. Agmen claudit Vita Athanasii ad usum Coptorum adornata ex Arabico versa a Clar. Viro Renaudotio, linguarum Orientalium scientissimo, qui eam nobiscum amice ac perhumaniter communicavit. Est autem ea gens stupendæ ignorantiæ & nugacitatis, ut etiam, quod gravissimum dictu est, Græcos ea in parte longe retro relinquant, quod vel ex hoc opusculo videre est, nugis & ineptiis supra fidem plenissimo. Nec tamen pœnitet edidisse, ut videas, candide Lector, gentis acumen. Exstant in Latinis codicibus Athanasii vitæ nonnullæ, ex Tripartita historia & ex Rufino collectæ, nullius omnino usus; easque ideo prætermisimus.

4. Ad recentiores Vitæ Athanasii auctores veniamus, qui decimoquinto, decimosexto, & præsenti sæculo floruerunt. Non omnium porro, qui huic rei operam dederunt, lucubrationes recensere animus est: res propemodum infinita foret, sed satis esto illos enumerare, qui hac in parte primarii esse videntur. Primas inter illos obtinet Johannes Tortelius Aretinus, qui Vitam Athanasii ex veris, dubiis, falsis Athanasii & aliorum quæ tum Latine exstabant operibus concinnavit, quæ in editione Parisiensi anni 1520. exstat, & nuncupatoriam præfixit epistolam ad Eugenium quartum Pontificem. Hujus conatus pro temporis conditione laudandus: & si quidem jam nullius usus sit hujusmodi lucubratio, id ætati potius quam scriptori tribuas. Lipomanus multis post annis Vitam Athanasii inter alias dedit; & nihil aliud egit, quam quod ex diversis diversorum locis hinc & inde accitis unum opus contexuit, perturbato plerumque rerum & temporum ordine. Nec plus lucis Athanasianis rebus adtulerunt, qui secundum hæc Vitis Sanctorum scribendis operam navarunt. Aliam exhibent veteres editi Vitam Athanasii, ab nescio quo anonymo, non ineleganter quidem, sed oratorio more conscriptam, permixtis plerumque rebus, quam perinde atque cæteras mox commemoratas missas facere nullo dispendio licuit. Demum anno 1671. Clar. Vir Hermantius, insigni

ope-

opere vitam Athanasii Gallico idiomate in lucem emisit, probatam quidem, & omnium ore celebratam, ubi non quæ Athanasium modo, sed quæ æquales ejus spectant, pluribus complectitur vir eruditus. Et accuratius multo opus dedisset, si editione Commeliniana & Felckmanni lectionibus fuisset usus. Hujus lucubrationes magni facimus, sententiam tamen haud raro impugnamus; tum quia, ut vulgo fertur, variant opiniones; tum fortasse, quia diuturniore usu operum Athanasii, codicum & cæterorum ad eam rem pertinentium, plura perspiciuntur. Et vero is si tantumdem otii codicibus & editis Athanasii consumsisset, multo plura vidisset, & accuratiora nostris dedisset.

5. Jam de Athanasii Vita a nobis adornata sit sermo, & quidem paucis: nam ego tuum, erudite Lector, hac de re judicium exspecto, non tu meum. Id primum scitu opus est, in proposito nobis minime fuisse, ut omnia Arium, Arianos, aliosque hæreticos illius ætatis; itidemque Alexandrum Alexandrinum, Hosium, Marcellum, Serapionem, aliosque Athanasii familiares aut synodos spectantia recensere; sed solummodo ea quæ vel ad Athanasii Vitam pertinent, vel ad eam proxime accedunt. Etsi porro curarim pro facultate, ut narrationem gestorum ne interciperem: at ubi incidunt controversiæ, & interpellatu opus, tum paulum spatii sumo, & paucis ad quæstionem allatis destinatum persequor iter. Nova non pauca, nec quod sciam hactenus observata, animadvertent eruditi. Annalium more adornata omnia sunt, opportuno scilicet, ac doctis viris acceptissimo. Tametsi vero si quid occurrat in gestis difficultatis, id, ut plurimum, quoad facultas tulit expendimus, quædam tamen, ut evenire solet, prætermissa sunt, quæ jam explicemus oportet.

6. Diximus ad annum 322. num. I. videri nobis Colluthum temerarium illum presbyterum, qui suopte arbitrio jus constituendi presbyteros sibi arrogabat, eumdem ipsum esse qui epistolæ synodi Alexandrinæ anno 321. celebratæ prior subscripsit; secus arbitrati sunt alii viri docti. Rem paucis lectori expromam. Arius damnatur cum sociis in Synodo Alexandrina anno circiter 320. vel 321. Damnationi Arii subscribunt Presbyteri omnes Alexandrini & Mareotici, & Diaconi, quotquot scilicet ad Arium non desciverant: inter hosce presbyteros Colluthus unus hoc nomine fertur, qui prior dat suffragium contra Arianos: Colluthum vero audacem illum, infensum Arianis fuisse narrat Alexander Alexandrinus in epistola sua ad Alexandrum Constantinopolitanum. Hinc conjectamus Colluthum dissidii auctorem eum ipsum esse qui Synodo Alexandrinæ primus subscripsit. Nondum enim quo tempore celebrata synodus Alexandrina fuit, anno scilicet 320. vel 321. nefariam illam rem aggressus fuisse videtur Colluthus; nam si jam orsum & publicatum malum fuisset, quæ causa erat quod de tanto ausu nihil in ea synodo ageretur? Res sane est ad synodos pertinens, & gravissima quidem. Sin vero orsum dissidium Colluthianum non erat cum ejusmodi synodus celebrata fuit, quid vetat quin putemus Colluthum presbyterum qui synodo Alexandrinæ primus subscripsit inter presbyteros, & solus hujusce nominis ibidem memoratur, eumdem ipsum esse qui dissidii paulopost auctor fuit; cum hic quoque & presbyter Alexandrinus, & Arianis, initio saltem sectæ suæ, infensus fuerit, ut testatur Alexander Episc. Alexandrinus? Ajunt autem ex adverso, Alexandrum ita de Collutho schismatico verba facere, ut indicare videatur eodem quo Arius tempore ipsum turbas movisse; & Epiphanium hær. 69. dicere, Colluthum, Sarmatam, Carponem & Arium Presbyteros, quibus erant quatuor Alexandrinæ Ecclesiæ contributæ, turbarum auctores fuisse & populi Alexandrini multitudinem in varias distraxisse partes. Qui Epiphanius hæc dicendo videtur indicare, eodem tempore obortas fuisse illas Alexandrinas factiones; atque adeo Colluthum jam tum cum Arius damnaretur defecisse ab Ecclesia, ideoque non illum ipsum esse qui Alexandrinæ synodo prior ex presbyteris suffragium dedit. Verum nemo, ut spero, citra præjudicatam opinionem

Theod. lib. 1. cap. 4.

Epist. apud Theodoretum lib. 1. cap. 4.

nem Alexandri & Epiphanii verba leget, qui existimet eos ita stricte tempus significare voluisse, ut eodem omnino temporis puncto Arium, Colluthum & alios dedisse turbas & schismatis auctores fuisse narrent. Et vulgatum est ut eodem tempore gesta dicamus, quæ modico temporis spatio, licet alia prius alia posterius, evenerint. Ad hæc ex Epiphanio haud invalidum pro nostra opinione argumentum eruitur. Cum enim in Alexandrina synodo superius memorata, Arius, Carpones & Sarmates damnentur, ac de Collutho nulla mentio fit nisi in subscriptionibus presbyterorum Alexandrinorum ubi primas ille tenet; hinc sane confici videtur, Colluthum nondum aperte defecisse, & eum ipsum esse qui suffragium adversus alios dedit, & paulopost auctor dissidii fuit. Idem autem Colluthus anno 324. ab Hosio in synodo Alexandrina in ordinem redactus est. Totam rem eruditi lectoris arbitrio permittimus.

7. Ad annum 326. num. 1. diximus mortem Alexandri Alexandrini præsulis a quibusdam consignari in 26. Februarii ejusdem anni: res jam accuratius investiganda nobis est. Ut diu ignotus Occidentalibus fuit annus obitus Athanasii; sic qua die decesserit Alexander, ad usque nostram ætatem ignoratum est; donec scilicet Orientale Chronicon ab Abrahamo Eckellensi editum fuit in Typographia Regia anno 1651. & quidem concinnata ad mentem Coptorum seu Jacobitarum, non Melchitarnm seu Græco ritui addictorum; cujus Chronici non contemnenda pars est Chronographia patriarcharum Alexandriæ Latine translata ab eodem Eckellensi. Ibi annus obitus Athanasii, & anni episcopatus ejus adprime notantur. Alexander vero ibidem obiisse fertur die 22. Barmudæ (ut vocant) mensis, exacto jam anno 318. currente vero 319. æræ Christianæ Alexandrinæ; videlicet anno 326. Dionysianæ, decima septima Aprilis Juliani, cum esset littera Dominicalis B. Dominica nimirum ex antiquo Orientalis Ecclesiæ usu, inchoata ad vesperam Sabbati, occidente sole, ad vesperam usque sequentem; ita tamen ut vigesima secunda Barmudæ mensis, qui Coptis pro Aprile habetur, ad mediam noctem more Romano defineret. Obiit igitur Alexander, nocte Dominicam inter & feriam secundam intercedente, anno 326. decima septima Aprilis. Wanslebius in Ægyptum haud semel peregrinatus, ex Coptorum libris eamdem obitus Alexandri diem adsignavit scilicet 22. Aprilis (Coptici) quem Ægyptii vocant Barmudam, inciditque in 17. Aprilis Juliani. Eadem porro die S. Alexandri memoria celebratur a Copta & Abyssinis. Et in antiquissimo eorum Kalendario ipsissima die mortuus fertur Alexander. Argumentum porro illud est, illam veram esse & genuinam Alexandri obitus diem, quod in Kalendario Abyssinorum Æthiopum, qui ex Coptico catalogo exscriptus olim fuit, ad vigesimamsecundam mensis Barmudæ hæc legantur, *Aleskandros Lika Papas*, id est, *Alexander presbyterorum Patriarcha*, ac si dicas, summus sacerdos. In quæ verba hæc notat Ludolphus: *Decimus nonus Patriarcha Alexandrinus*, Likæ Mahæbær, *Præses Concilii Nicæni Oecumenici ab Encomiaste vocatur, cui adstipulantur Historici Orientales, obiit hoc ipso die*. Si Theodoreto fides esset, Alexandri obitus probe in Februarium anni 326. referri posset: ait quippe diem obiisse, *μετὰ μῆνας πέντε τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου, quinque mensibus post Nicænam synodum exactis*. At Theodoretus haud satis accurate Athanasii sententiam excepit. Longe namque varia narrat Athanasius; sed en ejus mentem. Dum turbas daret Meletius, *ταῦτα δὲ πράττοντος τοῦ Μελετίου*, hæresim Arianam exortam esse, *γέγονε καὶ ἡ Ἀρειανὴ αἵρεσις*. Deinde vero hæresim Nicææ damnatam, Arianos vero Ecclesia ejectos fuisse, *ἐξεβλήθησαν*. At secus cum Meletianis actum, nam admissi in Ecclesiam fuere; additque Athanasius non necessum esse narrare quid causæ fuerit quod illi admitterentur. *οὔπω γὰρ πέντε μῆνες παρῆλθον, nam quinque mensibus nondum exactis*, Alexander reversus Alexandriam, Nicæno jussui obsequens, perfidos in Ecclesiam admittit, *Καὶ ὁ μὲν μακαρίτης Ἀλέξανδρος τετελεύτηκεν, & beatæ memoriæ Alexander obiit*.

Apud Ludolph. in Commentario.

obiit. Οἱ δὲ Μελιτιανοὶ δέον ἠρεμεῖν καὶ χάριν ἔχειν ὅτι κἂν ὅλως ἐδέχθησαν. Scilicet Meletiani quos quiescere par erat, & gratiæ loco habere quod aliquo saltem modo admissi fuissent, *οἱ δὲ κατὰ τὰς κυνὰς* &c. Statim post mortem Alexandri, quasi canes ad vomitum reversi sunt. Palam est Athanasium, ut notet Meletianorum perfidiam, significare pacem cum illis initam damno fuisse, quando vix quinque mensium spatio post datum fœdus exacto, ad ingenium rediissent, & pejorem quam ante intulissent Ecclesiæ cladem. Illud porro, *mensibus quinque nondum exactis*, non a soluta Nicæna synodo ait Athanasius, uti diximus, sed a receptis Meletianis: quod qua ratione peractum fuerit, narrat inferius n. 72. Athanasius, ubi post allatum Meletii breviarium, ait Meletium episcopos & presbyteros, abs se per diversa Ægypti loca constitutos, Alexandro coram abductos obtulisse. Ubi advertas velim, necessum esse non paulum intervenire temporis spatium ab adventu Alexandri Nicæa remigrantis Alexandriam, usque dum tot Episcopi in tam dissitis locis positi in eamdem urbem convenirent ut Alexandro coram sisterentur. Ideo autem Athanasius post hæc verba, *οἱ δὲ Μελιτιανοὶ ὁπωσδήποτε ἐδέχθησαν· οὐ γὰρ ἀναγκαῖον νῦν τὴν αἰτίαν ὀνομάζειν*, mox adjicit, *οὔπω γὰρ πέντε μῆνες παρῆλθον, καὶ ὁ μὲν μακαρίτης Ἀλέξανδρος τετελεύτηκεν, οἱ δὲ Μελιτιανοὶ δέον ἠρεμεῖν*, ut palam faciat infirmam fuisse pacem illam cum Meletianis, cum vix elapsis quinque post reconciliatam gratiam mensibus denuo turbas dederint: unde perspicuum videatur, quinque mensium exordium duci ab adventu & reconciliatione Meletianorum cum Alexandro. In antiquis Latinorum Martyrologiis, nulla S. Alexandri Alexandrini memoria erat: verum vigesima sexta Februarii die memorabantur Alexander, Nestor & Theon martyres cum sociis suis. Ita scilicet in Martyrologio Gellonense & in vetustissimo Lucce cuso cum notis Florentinii. In his, inquam, Martyrologiis (Gellonianum excipe) secundum martyres mox memoratos, legitur: *In Alexandria Felicis & sociorum*. Hinc vitiata interpunctione, illud, *in Alexandria*, ad superius memoratos martyres, scilicet Alexandrum, Nestorem, &c. adjunctum fuit. Sic turbato semel ordine, auctor brevissimi Martyrologii Aquilejam Roma transmissi, & Adoni Viennensi postea oblati, nimium conjecturis indulgens, Alexandrum illum præsulem esse ratus, sic audacter restituit, *Alexandriæ Alexandri gloriosi senis episcopi*, & ad vigesimam septimam ejusdem mensis habet, *Juliani martyris & Euni qui cum ipso sene in confessione perduravit*; ita ut martyrem & episcopum quoque Alexandrum fuisse memoret, quod utique falsum. Et vero Alexander ille quidem, ut primitus jacebat integris rebus, martyr vere fuit, ut observant in notis suis Florentinius & Henschenius. Vandelbertus autem in Martyrologio suo metrice conscripto, Alexandrum omittit, socios memorat, Theonam scilicet & Nestorem martyres; Rabanus, Alexandrum & socios tantum. Ado autem Viennensis duce usus Martyrologio suo superius memorato, Alexandrum Præsulem hic male situm suis etiam notis distinxit, adjiciens eum Episcopum Alexandriæ extitisse, & damnasse Arium, ac Nicænæ interfuisse synodo. Usuardus, auctor Martyrologii Bedæ falso adscripti, Notkerus, auctor Martyrologii Romani, quasi oves gregariæ, Adonis lapsum sequuntur. Atque exinde erratum obtinuit, ac in vigesimamsextam Februarii certatim omnes diem obitus Alexandri contulerunt. In decimam porro septimam Aprilis si constituamus, optime quadrabunt omnia, uti est a nobis superius commonstratum.

Apol. contra Arian.

Spicileg. Dacheri.

Spicileg.


Ad annum 327. ubi de itinere Athanasii Thebaico, notandum eam clausulam Græcam vitæ Pachomii, *ἀρχόμενος τῆς ἐπισκοπῆς*, non fuisse Latine versam ab interprete. Ejus vera sententia est, Athanasium eo concessisse cum iniret episcopatum.

Ad annum 362. magnopere observanda hæc Ammonii in epistola de vita Pachomii verba: *Καὶ μετὰ τὸν διωχθῆναι τὸν πάπαν Ἀθανάσιον τῷ ὀγδόῳ μηνὶ τοῦ ἕκτου ἔτους, Ἰουλιανὸς βασιλεύσας, ἀνὴρ εἰδωλολάτρης, τὸν μὲν πάπαν Ἀθανάσιον*

εἰς τὴν Θηβαΐδα ἐξώρισεν, *&c.* id est: *Nono mense sexti anni post pulsum papam Athanasium, Julianus imperio potitus, vir idololatra, papam Athanasium in Thebaidem relegavit.* Duo hic observatu dignissima deprehenduntur. Primo Athanasium circa mensem Octobrem anni 362. sub Juliano pulsum fuisse, scilicet nono mense sexti anni postquam profligatus a Constantio fuerat, quod tum accidit cum mense Februario a Syriani & militum impetu se proripuit anno 356. postea vero scilicet sub finem anni 361. vel initio 362. cum inauguratus Julianus Imperator facultatem exsulibus redeundi dedisset, Alexandriæ novem circiter menses commoratus est, donec mense circiter Octobri, ejusdem Juliani jussu, Alexandria decederet. Secundo, Juliani jussu in Thebaide exsulasse, quod ab aliis Ecclesiasticæ historiæ scriptoribus minime traditum est.

Ad annum 363. num. 1. Non parum negotii facessunt hæc verba quæ apud Ammonium Græce ita leguntur: *Διὸ οὐκ ὀφείλεις ἐπὶ τὴν Θηβαΐδα σκυλλόμενος ἀπελθεῖν, ἀλλ' εἰς τὸν κομιτάτον λεληθότως γενέσθαι. συντάξῃ γὰρ αὐτῷ καθ' ὁδὸν, καὶ γνησίως ὑποδεχθεὶς, ἐπανήξεις εἰς τὴν ἐκκλησίαν*, id est: *Propterea ne molestum iter ad Thebaidem excipias; sed ad Comitatum clam te conferas. In via namque ipsum offendes, & clementer ab eo exceptus, reverteris in Ecclesiam.* Ubi videtur Theodorus, qui hæc ex prophetico spiritu Athanasio mandat, jubere ipsi ut recta Imperatoris Comitatum petat & Imperatorem adeat. Et tamen certum videtur ex iis, quæ in Vita Athanasii ad hunc annum, & in Monito ad Epistolam Joviani diximus, Athanasium non statim Imperatorem adiisse, sed primum petiisse Alexandriam, ibique aliquantisper commoratum esse.

In Præfatione, inter inedita Athanasii prætermisimus Disputationem cum Zacchæo Judæorum Nomodidascalo, quæ exstat in Bibliotheca Vindobonensi, & Athanasii nomine memoratur a Petro Lambecio Tom. V. pag. 135.



VI.

VITA
S. ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

Anno 296. Athanasii Ortus, Patria, Parentes.

1. Ncidit Athanasii nrtus in Diocletianea illa tempora, calamitatibus cædibusque Christianorum funestata. Parentes ejus pii, Christiani, ac, si qua fides inferioris ævi Scriptoribus, nobilitate & opibus insignes. Patrium solum Alexandriam fuisse cum alii plurimi tradunt, tum ipse nec semel innuit, & perspicue cum profugus missis ad Luciferum litteris ait, excubantes Arianos in aditus portasque urbis, ademisse sibi, ex quo se illorum manibus proripuerat, parentes invisendi facultatem. De ortus anno altum ubique silentium. Verum, prementibus ultro citroque argumentis & conjecturis, natum npinamur Athanasium anno circiter 296. Ne citius nrtum dicamus, vetat quod ait ille se a patribus accepisse quæ Maximiano principe anno 303. Christianis illata sunt mala: cum scilicet ipsi per teneram ætatem ne domesticas quidem calamitates sentire liceret & observare. Qui autem anno 290. natum putant, vereor ut majorem duodenne tantæ cladis immemorem suadeant. Et vero si anno 290. natus sit, anno 326. quo fuit in Episcopum adlectus, triginta septem annorum fuerit; ac ne minimus quidem Arianis fuisset locus criminandi, quod minore quam lex ferret ætate in episcopum Alexandrinum fuisset cooptatus: de quo tamen Athanasium in crimen vocatum fuisse memorat Ammonius. Ne post annum 296. referamus multa dehortantur: a Martvribus quippe Athanasius se, ante annum scilicet 311. edidicisse ait sublimem divinarum litterarum doctrinam: quod vergentem ad adolescentiam ætatem arguit, cum tantarum rerum tenella & infantilis capax non sit. Ad hæc vero, ante annum 319. nondum exorto Arianismo libros edidit, tanta eruditione & gravitate, ut nullis non Patrum scriptis sint comparanda. At enim si ineunte sæculo nrtus esset, ut autumant nonnulli, quis putet novemdecim annorum adolescentem tantis edendis libris parem & maturum? Hæc jam satis sunto, multa enim quæ consequuntur, nostram firmant opinionem.

Ep. 2. ad Luciferum.

Hist. Arian. ad Monachos n. 64.

Epist. Ammonii p. 330.

De Incarnat. n. 56.

Anno 301. Exortus Meletiani Schismatis. Apol. contra Arian. n. 59.

1. Dum tenera adhuc infantia esset, cœpit respublica in Ægypto Christiana intestino & exitioso dissidio conflagrare. Namque Meletius Lycopolitanus episcopus, multorum scelerum, oblatique Gentilium numinibus sacrificii reus, in judicium vocatur a synodo Alexandrina, cui tum præerat Petrus Alexandriæ præsul; ibique ille in promeritam flagitiis pœnam damnatus & abdicatus est. Meletius vero, conscientiæ nempe stimulis exagitatus, non ausus aliam appellare Synodum; nec, quæ una supererat gratiæ ineundæ via, facti veniam precatus, abducta secum consceleratorum turba, Petri in cujus ditinne erat imperium detrectare; nova in dies machinari; Episcopos Presbyterosque ubique locorum contra jus fasque constituere; alias atque alias parœcias ad defectionem sollicitare; Mareotem ipsam nobilem Alexandrini episcopatus portionem tentare, quod tamen ei minime cessit ex voto. Fertur demum tanta fuisse vafritie, ut calumniis insidiisque non paucos a Petri, Achillæ, & Alexandri partibus abduceret. Hujus sequaces, amisso Christianorum nomine, Meletiani audierunt, qui Athanasio haud minus quam decessoribus infesti, virum non semel fictis criminibus vocarunt in capitis discrimen.

Anno 301.

2. Hæc ex Athanasio verace & ut plurimum oculato teste. Verum diversa longe narrat Epiphanius, quibus facti invidia Petro non minus quam Meletio conferatur. Ait nimirum Petrum & Meletium fidei causa comprehensos, atque in carcerem cum multis aliis reclusos, de recipiendis lapsis quæstionem agitasse: Meletiumque, Gentilium ritibus pollutos, qui veram fidem negassent, Ecclesiæ aditu interclusos oportere contendisse: ac ne facilitas veniæ multis occasioni & offendiculn foret, deterrendos exemplo severitatis: Petrum contra, & quorum melior sententia menti, pœnitentiæ locum dandum esse resipiscentibus defendisse, ne præcisa spe veniæ, in extremum perniciei & infidelitatis ruerent qui semel lapsi fuissent. Acriter, ait Epiphanius, utrinque versa res est, aliis in aliam partem, quo scilicet opinio ferebat, concedentibus. Tum Petrus pallium in medio carcere stravit, & proclamari a Diacono jussit: *Qui mecum sentiunt, huc accedant.* Mox pauci Episcopi, Monachi, Presbyteri Petrum; multo plures Meletium adeunt. Palam certe res est, Epiphanium Meletiani cujusdam fraude circumventum tale commentum edidisse, cui reclamant cum Athanasio omnes ecclesiastici Scriptores. Quamobrem missis cæteris, quæ ille ad Meletii laudem & commendationem attulit, nos veriora sectemur. Annum porro orsi Meletiani dissidii, Athanasii vestigiis hærentes, statuimus 301. At Baronius ex male intellecto Athanasii loco perperam inita temporis ratione in annum refert 306. Qua de re pluribus actum est ad epistolam Ægyptiis episcopis datam.

Epiphan. Hæres. 68.

1. Insignis est annus 303. furore Diocletiani & Galerii Maximiani in Christianos: qui Alexandriæ potissimum tam atrociter sæviit, ut Gentiles ipsi misericordia erga Christianos moti quoad facultas erat cruciatibus subducerent, nec sine fortunarum & capitis discrimine domi occultarent. Quam rem, quod prima Athanasii pueritia evenerit, non sua ille, sed patrum memoria gestam narrat.

Anno 303. Maximiani furor in Christianos. Hist. Arian. ad Monachos n. 64.

1. Neque ita multo post, grassante Meletiano schismate, longe gravius exitium Ecclesiam

Ab anno 303. ad 311.

Ab anno 303. ad 311. Arii mores & gesta. Epiphan. Hær. 69. Gelas. Cizic. part. 2. Sozom. lib. 1, cap. 15.

siam Dei invadit. Arius enim ex Libya monstrorum parente oriundus, mutatis sedibus, Alexandriam commigrat, Petro sedem occupante. Procera homo statura, subtristi & macilento ore, cujus pallor animi tetra versantis indicium; passi crines & incomti, vestis squallida & ad reliquam speciem composita. Hoc apparatu, hoc artificio populi spectaculorum amantis gratiam captabat. His artibus animus gloriæ appetens aditum sibi parabat ad honores & dignitates. Ad hæc, ait Epiphanius, leni interdum officiique pleno vultu obviis occurrere solebat; cunctosque comiter compellare, quo sibi quamplurimos devinciret. Hi mores hominis. Erat porro dialecticæ artis aliarumque disciplinarum scientissimus: &, quæ opportunior ad existimationem via, præferebat pietatis religionisque studium singulare. Hic perspectis factionum partibus, statim in Meletii clientelam se contulit. Verum mutata brevi sententia, qua faciliorem putabat ad gradus ecclesiasticos aditum, eo consilia & studia convertens, a Meletio descivit ad Petrum Alexandrinum; a quo perhumaniter exceptus, ut erat ad fraudem & ad simulationem natus, viri gratiam aucupatur, ac brevi in Diaconatus ordinem delectus est. Haud ita multo post, cum Meletianos Petrus ut factiosos, & reipublicæ Christianæ adversarios pelleret Ecclesia, Arium etiam, quem (ut est ambitio inquieta & turbulenta) gesta sua improbare traducereque, ac nova in dies moliri deprehendit, Ecclesiæ ingressu & communione interdixit.

Athanasii institutio.

Inter hæc Athanasius in juvenili ætate humanis divinisque traditus disciplinis, specimina dabat ingenii ad summa nati. In humanis autem addiscendis non modicum operæ temporisque consumsisse suadent ejus scripta, potissimum contra Gentes, varia & antiqua illa eruditione referta; ac videtur in primis fuisse in Homeri, Platonisque libris versatissimus. Grammaticorum item ac Rhetorum scholas frequentavit: nec ignarum hoc eruditionis genere produnt ejus quæ jam supersunt opera. Quid si superessent infinitæ prope illius Homiliæ, Epistolæ, Commentaria, ingenti reipublicæ cum litterariæ tum ecclesiasticæ dispendio amissa? Divinas autem litteras frequens adeo perlegit, ut universam pene Scripturam memoriter tenuisse dicas, ita frequenter & opportune illa utitur. In Patrum item superioris ævi scriptis evolvendis assidue diligenterque versatus, magistros in divinis sibi fuisse testatur, theologos eruditosque viros, pietatis doctrinæque causa martyrio consummatos. Iis ille doctoribus, quæ Christi incarnationem Scripturamque sacram spectant, edidicisse se commemorat. Et fortasse Martyres cum meminit, apud Petrum ipsum Alexandrinum se Christianæ disciplinæ tyrocinia posuisse subindicat. Jurisconsultum appellat Sulpitius Severus. Et vero videtur, cum ex scientia rerum gerendarum, tum ex sparsis per diversa ejus opera locis, fuisse hoc litterarum genere egregie peritus. Sane providente numine hæc opportune tela comparavit, quibus exinde hæreticorum agmina impeteret profligaretque, quod omni spe maturius evenit.

Greg. Naz. infra.

Orat. de Incarn. n. 56.

Anno 311. Petri Martyrium.

1. Petri Alexandrini martyrio nobilitatus est annus 311. cujus sanguine restincta videtur immanis illa Christianorum vexatio, per Ægyptum præsertim, Maximini temporibus grassata. Quæ fertur autem in quibusdam Actis historia de Petro Antistite, cui instante morte Christus apparuerit, talari qua operiebatur veste ab Ario dicissa, monens ne Arium admitteret ad Ecclesiæ communionem, idipsumque præciperet Achillæ & Alexandro, qui ejus futuri successores essent. Hæc, inquam, a nemine veterum tradita, jure ac merito in νόθων suspicionem vocatur, vel eo nomine quod Achillæ & Alexandri amicus aliquandiu fuerit Arius. In hujusmodi porro viros nulla contemtæ sancti viri jussionis suspicio cadere potest.

Anno 313. In actis Combefisianis.

2. Petrum excipit Achillas, vir litterarum apprime gnarus, ab Theona Petri decessore in presbyterum cooptatus; si tamen is ipse Achillas est quem memorat Eusebius, quod veri plane simillimum. Ab illo Arius delicti defectionisque veniam precatus, reconciliata gratia, assuetæ simulationis artificio, tantam sibi apud virum pietatis existimationem peperit, ut ad presbyterii gradum promotus sit. Quas in eo gradu positus sub Alexandro Achillæ successore turbas dederit mox occurret enarrandum.

Achillas Alex. episcopus. Euseb. Hist. Eccl. l. 7. c. 32. Theodoret. l. 1. c. 2.

1. Paucis Achillas mensibus sedit; defunctoque subrogatur Alexander, eruditione vir omnique virtutum genere ornatus. Si Eusebii Chronico steterimus, anno tantum 321. pontificatum iniit Alexander. Verum aperte reclamant Epiphanius, Theodoretus & alii, qui Achillam paucos menses episcopalem sedem occupasse tradunt. Repugnat item Athanasius, qui cum in epistola ad Ægyptios anno 356. conscripta ait, a triginta-sex annis Arium & sequaces damnatos & proscriptos fuisse, palam significat in annum 320. vel 321. consignandam esse Synodum ab Alexandro episcopo contra Arianos coactam, quam Synodum non modico spatio, & fortasse aliquot annis, prævertit impia illa Arii vesania, qua Alexandro jam Episcopo errores spargere suos aggressus est.

Anno 313. Achillæ succedit Alexander. Epiph. Hær. 69. Theod. lib. 1. cap. 2. n. 22.

1. In Alexandri Pontificatus initium conferenda, quæ tradit Rufinus de pueris ad oram maris ab Athanasio baptizatis. Hæc illius verba: *Tempore quo apud Alexandriam Petri Martyris diem Alexander episcopus agebat; cum post expleta solemnia conventuros ad convivium suum Clericos exspectaret in loco mari vicino, videt eminus puerorum super oram maris ludum, imitantium (ut fieri solet) Episcopum, atque ea quæ in Ecclesiis geri mos est. Sed cum intentius diutine pueros inspectaret, videt ab iis geri quædam etiam secretiora & mystica. Perturbatus, illico vocari ad se Clericos jubet, atque eis quid eminus ipse videret ostendit. Tum abire eos, & comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat. cumque adessent, quis eis ludus, & quid egissent vel quomodo, percontatur. Illi, ut talis habet ætas, pavidi negare primo: deinde rem gestam per ordinem pandunt, & baptizatos a se esse quosdam catechumenos confitentur per Athanasium, qui ludi illius puerulis Episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderint, simul & ab eo qui interrogaverat; ubi videt secundum religionis nostræ ritum cuncta constare, colloquutus cum concilio Clericorum, statuisse traditur illis, quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua* fue-

Anno 313. De pueris ab Athanasio baptizatis. Ruf. l. 1. c. 14.

Anno 315.

fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea quæ a Sacerdotibus mos est. Athanasium vero atque eos quos ludus ille vel Presbyteros habere visus fuerat, vel ministros, convocatis parentibus, sub Dei obtestatione tradidit Ecclesiæ suæ nutriendos. Parvo autem tempore, cum a Notario integre & a Grammatico sufficienter Athanasius fuisset instructus, continuo tamquam fidele Domini commendatum, a parentibus restituitur Sacerdoti, ac velut Samuel quidam in templo Domini nutritur, & ab eo pergente ad Patres in senectute bona, ad portandum post se Ephod sacerdotale deligitur. Subdit autem Sozomenus, Alexandrum postea Athanasio scribæ & amanuensis loco usum fuisse.

Sozom. l. 2. c. 17.

Historia suspecta.

1. Verum hæc Rufini historia grandi apud eruditos laborat suspicione. Et si enim per Athanasii ætatem minime repugnaret ejusmodl lusus, quod haud facile tamen concedatur de adolescente, cui ex memoratis superius vix minus duodeviginti annorum tum adscripserimus; non is erat Alexander, qui tam seria in re ludum puerorum ratum haberet.

Anno circiter 315. Antonium adit Athanasius. *In vita Antonii sub initium.*

1. Sub hæc, Antonium magnum illum solitudinis cultorem, cujus jam fama erat ubique locorum pervagata, adiit Athanasius. Et viri pietate, vitæ genere, innata nec studio parta dicendi vi usque eo delectatus est, ut profectus & institutionis causa non modico tempore cum eo sit versatus, atque abluenti manus, ut olim Heliæ Helisæus, aquam ministraret. Hujus, ut putamus, magisterio Ascetæ vitam iniit, ut testes locupletissimi sunt Ægyptii episcopi in epistola synodica. Exinde vero Antonium frequens invisit quicum magna ipsi societas & necessitudo intercedebat.

Athan. Apol. contra Arian. n. 6.

Ante annum 319. Scribit contra Gentes.

1. Vixdum adolescentiam prætergressus, Orationes contra Gentes edit, tanta eruditione, tanta elegantia, ut nihil supra. Mirere sane in juvene salem, leporem, vim argumenti. In priore salse ridet ac repudiat Gentilium numinum turbas, profanos obscœnosque ritus; in altera Christi Incarnationem adversum Judæos maxime comprobat, allatis ex veteri Testamento opportunioribus ad eam rem locis. Necdum oborta Ariana hæresi hæc conscripta videntur: ne vel minima enim in hisce ejusmodi errorum mentio, licet posterioris libri argumentum & materies eo Scriptorem velut e re nata deduceret. Ejusmodi ceu præludiis, Christi militiam ingressus Athanasius, ad periculosiora & jam imminentia certamina adornabat sese. Inter hæc etiam ad Cleri statum evocatus, cunctisque ecclesiasticorum graduum muneribus perfunctus, in Diaconi ordinem promovetur ab Alexandro, atque inter familiares computatus, ipsi a consiliis fuit.

Arianæ hæreseos exordium.

2. Arianæ vero hæreseos initia in quem sint annum conferenda incertissimum. Damnatum certe constat Arium in Alexandrina synodo anno 320. vel insequente, ipso teste Athanasio, qui in epistola ad Ægyptios anno 356. data, elapsos esse indicat triginta-sex annos ab hujusmodi habita Synodo. Et vero anno 321. late per Ægyptum effusa & pervagata hæresis illa erat: unde aliquot ante annos orsa videatur, quando præsertim exploratum est, Alexandrum nonnisi post multas Arii ad sanam mentem reducendi tentatas vias, hominem cum sequacibus feriisse anathemate.

Arius Alexandro infestus.

3. Arium igitur, cui erat explanandæ sacræ Scripturæ provincia tradita, Alexandrinæ sedis occupandæ libido incesserat. Quare cum delectum in antistitem Alexandrum inique ferret, excubat in occasiones turbarum, & quæ crimina viro offerat meditatur. Verum iis erat moribus Alexander, ut nullus criminationi aditus, nullus esset calumniæ locus: sanctimonia quippe haud minus quam senectute venerabilis, eloquentia, mansuetudine, liberalitate, omnium sibi gratiam conciliarat. Sed eo acrius invidia erupit, quo minus loci ad obtrectandum inveniebat. Aliquando enim Alexandro Filii deitatem; eamdemque Patris & Filii substantiam prædicante, ferociter Arius & impudenter eam doctrinam nec sanam, nec Apostolicam, sed Sabellianam esse vociferatur, Filiumque inter opificia & res creatas non æternas connumerandum, hoc usus argumento; (nam dialecticæ peritia exitio fuit homini.) Si Pater genuit Filium, initium habet existendi qui genitus est, & fuit tempus cum non esset. Quam viri proterviam & impietatem Alexander, ut erat mitis & pacis amans, primum leniter coarguit, monetque a pravis opinionibus absistat: tum suam ipse doctrinam ex sacris litteris sinceram comprobat, Arianam vero impiam & exsecrandam. Ea porro lenitas vitio versa Antistiti fuit: imo, si fides Sozomeno est, sub initium controversiæ hærebat ille incertus cui potius opinioni accederet: quæ res tamen Scriptorum omnium testimonio refragatur. Addit Philostorgius, presbyterum quemdam cognomento Baucalim, quia in dorso tumor excreverat instar vasi testacei, cui baucalas nomen Alexandriæ, simultatis Alexandrum inter & Arium materiem subministrasse. Fides sit penes auctorem.

Ante annum 319. *Theodor. lib. 1. cap. 2. Hæret. fab. p. 232.*

Arii impietas.

Sozom. l. 1. p. 426.

Philostorg. l. 1. n. 4.

4. Arius autem, ut rudioribus fucum faceret, ex antiquorum Patrum scriptis nonnihil auctoritatis dignitatisque suæ sententiæ adferre nitebatur, novatæ doctrinæ suspicionem declinans; ut simplicitate verborum, queis per ingenii imbecillitatem non licebat res subtilius expendere, haustum venenum propinaret. Tum cœpit ille errores ubique spargere, vicatim domos adire, ex Clericis, quos novandarum rerum studiosos comperit, sibi adsciscere, alios cujusvis ætatis ac conditionis ab Alexandri partibus abducere. Ex Virginum choro, Epiphanio teste, septingentæ ad Arii partes descivere: cui pro tanto numero vix fides habeatur. Excitatum itaque ab Ario malum late per Ægyptum, Thebaidem & Libyam pervasit. Neque vulgi solum multitudo nascenti hæresi nomen dedit; sed ad Arium quoque defecere Presbyteri Carpones & Sarmates, quibus erant duæ intra Urbem ecclesiæ commissæ. Hi jam olim Alexandro infesti, data occasione, ab Alexandro pariter & a sana fide desciscunt. Cum his item Achilles, Æthales & Arius alter; Diaconi vero, Euzoius, Lucius, Julius, Menas, Helladius & Gaius; imo vero Episcopi duo turpiter & indecore ad eorum partes defluxere, Secundus scilicet Ptolemaidis, & Theonas Marmarices.

Arius doctrinam spargit suam. *Basil. contra Eunomium p. 6. Socr. l. 1. c. 2. Theodoret. l. 1. c. 2.*

Epiphan. Hæres. 69.

Epist. Alexandri. n. 2.

1. Ut animadvertit Alexander malum manare in dies latius, ne ulterius grassaretur, litteras dat ad Arium & socios, monet a prave inceptis desistant, impiam doctrinam ne ultra tueantur, sed sanæ catholicæque obtemperent. Tum Alexandrinos cogit & Mareoticos presby-

Anno circiter 320. *In condemnat. Arii,* Alexander tentat Arium a coepto revocare.

Anno circiter 322.

byteros diaconosque: rogat sibi sinceram fidem vindicanti ferant opem, litterisque suis, ad Arium & asseclas datis, suffragia adscribant; spem esse totius cleri monitis obtemperaturos, qui suis hactenus obstitissent. Alexandro morem gerunt Presbyteri omnes & Diaconi, quorum suffragiis munitæ litteræ Arianis offeruntur. Hasce illi, feroces cupidine cœpti perficiundi, nihili fecerunt, neque minus perstiterunt io pristina impietate.

Anno 321. Alexander Synodum cogit. Epist. Alexandri n. 1. 2. Socr. l. 1. c. 6.

1. Sensit demum Alexander nullam superesse spem reconciliandæ pacis, Ariique ad sanum coosilium reducendi. Quamobrem coactis ex Ægypto, Libya & Pentapoli Episcopis prope centum, synodum celebrat, in qua de Arii causa ageretur accuratius. Acciti impii homines, parati meditatique veniunt. De doctrina rogati, incertum majore impietate an impudentia verba fecerint: Dei namque Filium ex non exstantibus factum adfirmavere, creatum, Patri dissimilem, mutabilem. Sciscitanti cuidam, an perinde mutabilis esset atque diabolus, respondent haud secus mutabilem. Hac data voce exhorruere Patres, tantæque impietatis auctores, nulla interposita mora, uno omnium calculo, damnant abdicantque.

In condemn. Arii.

2. Verum tanto vulneri curando impar fuit remedium. Arius enim multo ardentior perturbandæ rei ecclesiasticæ cupiditate, asseclas confirmare, novos sibi in dies sua suorumque opera adsciscere. Tum ingens fuit in Mareote defectio: Chares enim & Pistus, Presbyteri: Serapion, Parammon, Zosimus & Irenæus, Diaconi, Arianis nomen dedere. Arius autem, quo facilius gesta tueri liceret, vindicem & patronum sibi conciliat Eusebium, quicum vetus sibi necessitudo studiorumque societas intercedebat: qui Eusebius audax homo, honorum cupidine flagrans, relicto nuper Berytensi episcopatu, Nicomediensem invaserat, quod episcopalem dignitatem metiretur amplitudine civitatum. Inerat vis ingenii, nec mediocris Principum gratia, cum arte & officio, tum Constantiæ Constantini sororis affinitate parta. Parem studio & consiliis hominem eo libentius in arctiorem amicitiam recepit, quo altius in corde defixam tenebat eamdem circa Dei Filium impietatem. Quare litteris ubique missis, Episcopis per diversa loca auctor est, ut Arii sociorumque doctrinam & facta propugnent: Alexandri invidia ait immerentes pulsos Ecclesia fuisse. Exstat apud Athanasium epistolæ Eusebii ad Arium fragmentum, quo clare deprehenditur viri impietas: *Cum recte sentias*, inquit, *precare ut omnes ita sentiant. Palam enim omnibus est, quod factum est, non exstitisse antequam fieret; quod autem factum est, exsistendi initium habet*. Litteras item frequens mittit ad Alexandrum, monens ut compressa hujusmodi quæstione, Arium admittat ad communionem. Epistolis autem ultro citroque ea de causa missis factum, ut controversia Ægypti hactenus limitibus circumscripta, per Orientem prope totum manaret. Hinc rixæ, disceptationes, invidiæ, iræ; aliis rei insolentia, aliis novandi studio concitatis.

Multi ad Arium desciscunt.

Epist. Alexandri n. 3.

Epist. de Synodis n. 17.

Alexandri litteræ de Arianismo. Epist. Alexandri n. 3. In condemn. Arii.

3. Alexander vero, qui damnatis a Synodo sectæ principibus, fractam hæresim, & compressam fore sperabat, cæterarum regionum Episcopis latere cupiebat res in Ægypto gestas, ut ne vulgatus error latius serperet. Ut autem vidit ingravescere in dies intestinum malum, nec externis hostibus minus quam domesticis Alexandrinam ecclesiam laborare; epistola data, Episcopis per orbem omnibus Alexandrinæ Synodi acta renuntiat, memorat Arii & sectatorum ejus blasphema dicta, quæ ausi fuerant in cœtu Patrum proferre ac propugnare: rogat ne magis Eusebio adversus Christum jam pridem sentienti & ecclesiasticas leges pro libidine violaoti morem gerant, quam tot Episcopis, quibus sincera mens inesset, ac veræ fidei studium. Tum ut major litteris fides esset, Alexandriæ & Mareotæ Clerum rursus evocat, laudat probum consilium, animumque paci & concordiæ addictum, monet e re fore, ut epistolæ omnibus ubique locorum Episcopis mittendæ addant suffragia, necnon abdicationi Arianorum, etiam eorum, qui post latam sententiam descivissent. Presbyteri igitur Alexandrini septemdecim, inter quos primas tenet Colluthus; Diaconi quatuor & viginti, in quorum numero duo comparent Athanasii, eorumque alteruter is de quo agimus est, item ex Mareote Presbyteri novemdecim, Diaconi viginti, Antistiti obtemperantes epistolæ suffragia adscribunt. Hunc porro rerum in Arianæ sectæ exortu gestarum ordinem ex Arii condemnatione & ex epistola Alexandri mutuati sumus, quo pateat quanta ex brevissimo opusculo rebus ante admodum implicatis lux accesserit.

Anno 321. [partly legible]

Alii Ario adjuncti. Ath. Ep. encyclic. ad Episc. n. 7. Hieron. Dialog. contra Luciferianos. Basil. epist. 74.

4. Præter commemoratos superius, ad Arium deficit Ammonius quidam, inter Arianorum principes exinde connumeratus: ex Libya autem Silinnius, & Seras Presbyter, Eustathius etiam multis post annis in Sebastenum episcopum cooptatus, ac Basilio infensissimus. Arii doctrina ab adolescentia imbuti sunt item Ursacius & Valens: qui exinde fuere Arianæ sectæ priuipilares, Athanasioque non semel perniciem machinati sunt.

Anno circiter 322. Colluthi defectio. Theodoret. l. 1. c. 4. Athan. Apol. contra Arian. n. 76.

1. Inter hæc intestina mala, novo dissidio misere distracta civitas Alexandrina est. Colluthus enim Presbyter, is ipse, ut arbitramur, qui in Arianos prior suffragium scripsit, arrepta ex conditione temporis occasione, ausu temerario atque insolenti, Presbyter cum esset tantum, jus sibi arrogabat constituendorum sacerdotum, quod Episcoporum dumtaxat munus est. Nactus autem sectatores non paucos, Alexandri sese imperio subduxit, & a cœtu Catholicorum suopte motu & consilio segregatus, despecto Pontificis nutu, suas sibi regendas ecclesias adscripsit. Ariani vero, qui nondum in hanc proruperant audaciam, Colluthi exemplo, ecclesiis, seu potius, ut ait Alexander, speluncis latronum sibi constructis, jam separatim cœtus agere cœperunt. Tum illi nocte dieque calumniis in Ecclesiam spargendis advigilare, turbas dare, seditiones movere, mulierum virilis audaciæ opera, probos frugique viros in jus, in forum vocare, probro atque infamia universam conspergere Ecclesiam. Hinc tumultus, concursationes, dissidia, rixæ, virorum, mulierum, juvencularum: quæ turpiter & indecore gesta cachinnorum materies fuere Gentilibus, quibus fabulæ argumentum isthæc erant in scenis ludisque publicis, ubi mysteria Christianæ religionis traduci & rideri videre erat.

Arius demigrat in Palæstinam.

2. Sub hæc Arius, Achilla comite, demigrat in Palæstinam. Ne posset enim Alexan-

driæ

Anno circiter 322.

driæ diutius consistere, vetabat Alexandri sollicitudo io fovendis rebus catholicis, & coercendis seditiosorum cooatibus. In Palæstina igitur aliquantum moratus, non immemor veteratoriæ artis, ementita pietatis specie, Episcoporum regionis gratiam inire tentabat: & qua aditus esset observans, litteris & colloquiis præsulum animos experiebatur, pacem aiens & concordiam Ecclesiæ cordi sibi semper fuisse, sed livore Alexandri seque suosque solum vertere coactos. Doctrinam vero suam non qua ratione Alexandriæ evulgarat, exposuit; sed blasphema dicta partim silentio tegere, partim fucatis verbis delinire satagebat, quo lateret impietatis virus. His ille artibus, hac vafritie, non paucos, nec ignobiles episcopos conciliat sibi, Paulinum nempe Tyrium, Eusebium Cæsariensem, neque ita multo post Theodotum Laodicenum, Athanasium Anazarbensem, Gregorium Berytensem, Aetium Diospolitanum. Nec defuere tamen quibus Arius verba dare noo potuit. Ii erant senes, viri graves, neque novatoribus opportuni: qui præcauta vi ingruentis mali, curarunt ut non modo sibi, sed ne notis etiam damno foret pestiferorum hominum aditus. Tres hujuscemodi memorantur ab Ario in epistola ad Eusebium Nicomediensem, Philogonius Aotiochenus, Macarius Jerosolymitanus, & Hellanicus Tripolitanus, quos ille convitiis insectatur & maledictis: alios contra, qui operam sibi commodarent, vel immerentes, laudibus ad cælum tollit. Eam epistolam per Ammonium, quem honoris causa patrem ille suum dicit, cum eodem itinere Alexandria in Bithyniam properaret, misit Eusebio Nicomediensi, quem compellat titulo viri Dei, & fidei defensoris, vocatque Collucianistam, quia eodem magistro Luciano Martyre disciplinis addiscendis ambo dedissent operam. Et vero ex Luciani discipulis non pauci ad Arianos descivere. Eusebius vero flagrans cupidine promovendæ sectæ cui nomen dedisset, par in aliis studium expetebat: cunctantem & pene incertum consilii cernens Paulinum Tyrium, missis litteris carpit, animos facit, ut rem ardentius aggrediatur monet. Cui gessisse morem Paulinus ex iis quæ sunt conseqouta deprehenditur.

Epist. Alexandri. Socrat. l. 1. c. 6.

Theodoret. l. 1. c. 6.

Gesta Alexandri contra Arium. Epiphan. Hær. 69.

3. Secundum hæc Alexander, cum rumore nuntio comperisset nullas non fraudes, nulla non artificia Arium adhibere; excubare in dies ad omnes erroris spargendi occasiones, præsulum extraneorum fidem tentare, captare benevolentiam, jam multos esse astu & dolo hominis circumventos: ut grassanti malo occurreret, epistolas misit ad permultos ubique terrarum Episcopos, quas ait Epiphanius ad suum usque tempus studiosorum cura asservatas, ut iis res uti gestæ fuissent aperiret, atque una Arii fraudem & impietatem. Memorantur ab Epiphanio quibus hujusmodi epistolæ missæ sunt, Eusebius nimirum Cæsariensis, Macarius Jerosolymitanus, Asclepius seu Asclepas Gazensis, Longinus Ascalonensis, Macrinus Jamniensis, Zeno quidam senex homo Tyrius, non quidem Episcopus Tyri; nisi fortasse senio confectus, fractusque viribus, munus episcopale Paulino detulerit. Alexandri litteris acceptis præsules, ut cujusque ferebat animus responsum dedere: alii commissuros se numquam ut reciperent Arium, alii ex rerum

A gestarum ignorantia; pars ejus ad sanam mentem revocandi studio, admisisse virum: demum nonnulli, quod essent Ario impensius addicti, simulata mutati consilii signa dederunt.

Anno circiter 323.

Epiphan. Hær. 69.

Arius Nicomediam petit.

4. Non frustra datæ sunt Alexandri litteræ: Arius enim, cum multos Episcoporum errore pristino levatos cerneret, ac vix quidpiam loci residuum sibi esse videret apud Palæstinos, quorum maxima pars hominem finibus pulsum suis exoptabant, ad Eusebium Nicomediensem se proripuit, neque dubiæ neque B nascentis fidei amicum. Et vero ille Arii reditum Alexandriam ab Alexandro, missis litteris, impetrare nititur; curatque inter ambos pacem & communioois societatem redintegrare. At induci non potuit Alexander ut tanti artificem mali, necdum pertæsum ac pœnitentem factorum, in pristinum locum restitueret. Erat eo tempore Athanasius noster Episcopo familiarissimus; qui cum ad hujusmodi bella conficienda divino quodam consilio natus esse videretur, jam cum Episcopo suo, conspirantibus animis, arcendo hæreticorum impetui dabat o- C peram. Nec fugiebat Arianos Athanasium a consiliis Alexandro, auctoremque esse negandi Ario aditus. Quare acerrimo in eum odio incensi, exsilium postea atque perniciem ipsi non semel machinati sunt.

Initium odii Arianorum in Athanasium.

Athan. Apol. contra Arian. n. 6.

Anno circiter 323.

Arius & asseclæ mittunt ad Alexandrum litteras.

Epiphan. Hær. 69.

Athan. de Synodis n. 16.

1. Dum Nicomediæ cum Eusebio agit Arius, cum per ejus gratiam & patrocinium liceret, erroribus liberius spargendis vacabat; atque Alexandro epistolam misit suo suorumque nomine datam, qua non modo impietatem nudam ac nullo delinitam verborum co- D lore aperiunt, verum etiam se ejusmodi verba ab ipso Alexandro media in ecclesia loquente accepisse mentiuntur. Huic porro epistolæ suffragia adscripserunt Ariani complures, imo duo Episcopi apud Epiphanium, Secundus scilicet Ptolemaidis & Theonas Marmarices. Quos tameo vix existimetur tum Nicomediæ degisse; sed vero similius est nactos illam epistolam, postquam missa fuit, muniisse subscriptione sua. Nicomediæ item Arius exsecrandum opus edidit, quod Thaliam inscripsit, ubi Sotadem impurum poetam Ægyptium imitatus, effœ- E minatis quibusdam ac ridiculis modis penitiora Christianæ religionis arcana versabat, admixto errorum veneno. Nec tantæ rei dignitas ademit vesano homini jocandi libidinem. Hujus sæpe libri apud Athanasium mentio est, potissimum in epistola de Synodis, ubi nec modicam Thaliæ partem inspectare licet. Ad hæc, cantica nautis, pistrinariis, viatoribus conscripsit, certis concinnata modulis, quibus vulgi animis insidias parabat, ut per cantus suavitatem hausta sensim impietate verborum, ad suas partes confluerent. Et sane, ut levi F momento multitudinis animi ducuntur, hujusmodi jocularia dicta non paucis exitio fuerunt. Carpit Athanasius Arianos quod ejusmodi cantum inter pocula & tripudia ederent.

Thalia Arii. Athan. de Synodis.

Philostorg. l. 2. n. 2.

Orat. 1. contra Arian.

Arius sibi Constantiam conciliat.

Hieron. ad Ctesiphontem. Sozom. l. 1. c. 15.

2. Ejusdem Eusebii Nicomediensis opera, consilio, artibus, Constantiæ favorem & gratiam sibi conciliat Arius: quæ res origo malorum fuit, ut inferius narratur. Eusebius autem, cui una fovendi Arianismi cura erat, perinique ferens, Alexandrum non suis, non suorum litteris a proposito dimoveri, Synodum cum suis in Bithynia celebrat. Qui una coacti,

cti,

Anno circiter 323.

cti, missis undequaque per orbem litteris, Episcopis Arianos ut frugi homines, Arianam doctrinam ut piam, ut sanam venditabant. Rogabant admitti viros ad communionis societatem, agi apud Alexandrum, ut ne ultra eos intercluderet aditu ecclesiarum. Sed nihil hac via & ratione perfectum est: neque enim is erat Alexander, a quo crebris litteris, precibus, obsecrationibus, impetrari quid posset in gratiam perniciosorum hominum, pestium reipublicæ Christianæ. Sub hæc, Arii postulatu; & opera Paulini Tyrii, Eusebii Cæsariensis & Patrophili Scythopolitani, Synodus item in Palæstina cogitur, in qua de Arianis ad communionem admittendis actum. Inopportune cecidit ut qui aliis præerant auctoritate, eruditionis fama, eloquentia, erga Arianos voluntate propensi essent. Quare Arianorum petitioni Episcoporum suffragia data sunt, jussis tamen additis, ut parerent Alexandro, & quamprimum aliquam pacis ineundæ viam tentarent.

Epistola Alexandri. Theodoret. l. 1. c. 4.

3. Inter hæc Arii sectatorum molimina, nihilo secius Alexander, cernens quam sibi cum vafris & turbulentis hominibus res esset, advigilabat eorum frangendis consiliis & artibus. Tomumque sive epistolam, ut putamus, Synodicam supra memoratam, variis per orbem præsulibus missis litteris offerebat subscribendam. Quo factum ut permulti ex Ægypto, Thebaide, Libya, Pentapoli, Syria, Pamphylia, Asia, Cappadocia episcopi, pacis & concordiæ litteras mitterent Alexandro, Arium & socios ut motuum turbarumque auctores traductos diris devoverent. Epistolas certe complures dedit sanctus ille præsul, quarum duæ solum ad nostra usque tempora devenerunt; illa scilicet Synodica, & altera ad Alexandrum Byzantinum multo prolixior, qua non semel usi sumus: est quippe rebus Colluthianorum & Arianorum ordinandis ac digerendis percommoda. Epistolas illas Alexandri septuaginta pene numero fuisse auctor est Epiphanius. Adjicitque Socrates, quæ ab Alexandro vel Alexandri causa conscriptæ fuissent, in volumen unum compactas esse, & quæ Arii causa, ab eodem Ario in alterum; atque hinc deinceps Arianos, Eunomianos, Macedonianos, tela, quibus errores propugnarent, esse mutuatos. Hisce vertendis rebus multæ per Ægyptum Synodi coactæ fuere: quarum acta epistolæque synodicæ injuria temporum interierunt.

l. 1. c. 6.

Sozom. l. 1. c. 16.

Arianorum Principes. Athan. de Synodis p. 17.

4. Operæ autem pretium fuerit, prius quam majora ingrediamur Arianorum machinamenta, sectæ principes enumerare. Qui ab exortu pestiferæ doctrinæ nomen dedere, hi teste Athanasio sunt, Eusebius Nicomediensis, Eusebius Cæsariensis, Narcissus Neroniadis, Patrophilus Scythopolitanus, Maris Calcedonensis, Paulinus Tyrius, Theodotus Laodicenus, Athanasius Anazarbensis, Georgius Presbyter. Isti non consiliis modo & opera sed etiam scriptis suis, firmando ac promovendo errori advigilabant. Non est quod de Eusebio Nicomediensi agatur, qui, ut jam ex superius recensitis exploratum est, si quid gratiæ, si quid potestatis, si quid scientiæ inerat, fovendis Arianis conferebat. Jam de gentili ejus Eusebio Cæsariensi, qui postquam ad Arianam descivit opinionem, haud semel in scriptis suis ejus semina conspersit: ad Euphrationem enim Balaneæ episcopum rescribens, non timuit palam efferre, Christum non esse verum Deum. Hujus porro epistolæ fragmentum exstat in Actione quarta Synodi Nicænæ II. ubi aperte ait, non una exsistere cum Patre Filium, sed esse Patrem & ordine & honore priorem: & in Actione sexta habetur aliud fragmentum ex ejusdem epistola ad Alexandrum Alexandrinum, ubi blasphemam illam Arianorum vindicat opinionem, qua dicebant esse Filium rem a Patre creatam. Quare vereor ne aerem verberare videantur, qui ab hujusmodi homine nituntur Arianismi suspicionem dimovere. Athanasius autem Anazarbensis, clare & nihil circuitione usus, impietatem propugnabat, cum diceret, esse Filium Dei unam ex centum ovibus in Evangelio memoratis, atque inter opificia numerari. Georgius vero tum presbyter Alexandrinus, post Laodicenus episcopus, suopte motu & consilio, nec ad id officii evocatus, paci inter utramque partem conciliandæ simulate dabat operam, Arianis tamen nec obscure deditus. Hic litteris Alexandrum carpere ausus, non oportere ajebat argui Arianos, quod dicerent Patrem ante Filium fuisse. Contra vero Arianis, vafre & ex industria ludens, dicebat: non culpandum esse Alexandrum quod ex Patre Filium esse diceret, cum omnes pariter res conditæ ex Deo sint. Hic autem Georgius, quem Arianorum nequissimum vocat Athanasius, ab Alexandro, cum studii Arianarum rerum, tum obscœnæ libidinis causa abdicatus damnatusque est. Postea tamen ab Arianis in mercedem impietatis, necnon navatæ sibi operæ, cooptatus est Episcopus Laodicenus. Hisce annumerandus circulator ille Asterius sophista, vir flagitiis nobilitatus, oblati omnibus gentilium sacrificii reus; qui sibi sua auctoritate, nullo ornatus ecclesiastico gradu, Christianæ fidei prædicandæ partes vindicabat. Hic temeritate & audacia cæteros longe retro reliquit. Effutiebat quippe, haud secus Dei virtutem esse Filium, quam cæteras in Litteris sacris memoratas virtutes; ut exempli gratia, bruchus & locusta, non virtutes modo, sed virtutes magnæ appellantur. Hi duces, hi magistri Arianorum.

Anno 324.

1. Sub hæc, Constantinus Licinio devicto pacem orbi restituit. At ne tantæ fructu victoriæ potiretur, factum reipublicæ Christianæ dissensionibus. Audivit siquidem Orientalem Ecclesiam intestinis odiis & dissidiis conflagrare. Inopportune cecidit in catholicæ rei ingens detrimentum, ut Eusebio Nicomediensi narrante de rerum ecclesiasticarum conditione fieret certior. Quam rem non cujuspiam scriptoris testimonio accipimus; sed ex eo probe conjectare licet, quod in Nicomedia, Eusebii sede, litteras mox memorandas dederit Imperator, ad quem perfacilis erat Eusebio aditus, cum dignitatis ingenioique, tum adfinitatis causa. Veterator igitur homo totam obortarum quæstionum invidiam in Alexandrum conferre nititur, & Constantino auctor fuisse putatur, ut Alexandro juxta atque Ario litteras scriberet, hactenus in Eusebii historia superstites, in quibus vafritiam Eusebii & probam Imperatoris mentem deprehendas. Nam in Alexandrum pariter atque in Arium acriter invehitur Constantinus, quod levissima de causa (sic Eusebio doctore existimabat) tantam movissent quæstionem, ac in mutuum exinde odium exar-

Constantinus de dissidio Orientalium certior factus.

Euseb. l. 2. Socrat. l. 1. c. 7. Sozom. l. 1. c. 16.

Anno 324.

exarsissent. Monet ut, positis altercationibus, finem diffidendi faciant, pacemque inter se concilient; fore tum ut pateat sibi in Orientem aditus, eorum ante jurgio interclusus. Has ille litteras Hosio Cordubæ in Hispania episcopo, spectatæ fidei viro, tradidit Alexandriam deferendas.

Alexandrina Synodus. Socrat. l. 3. c. 6.

2. Caput mali Ariana hæresis erat. At multa quoque alia instabant negotia, licet neque tanti ponderis, neque tantæ operæ futura; quibus tamen a principio occurrendum erat, ne malum neglectum latius serperet. Hujusmodi erant Meletii & Colluthi factiones. Erat item per multas Orientis regiones mota de Paschatis tempore controversia; cujus in Alexandrina Synodn componendæ provinciam Hosio tradit Augustus. His de causis Alexandriam demigrans Hosius, coacta istic Synodo, Colluthi audaciam & temeritatem compressit, constitutos ab eo clericos presbyterosque ad pristinam reverti conditionem jussit: ex quorum erat numero Ischyras quidam Mareoticus, qui nperam postea suam in Athanasii perniciem Arianis locavit. Neque enim turbarum finem fecerunt Colluthiani: sed pacto non semel cum Arianis fœdere, malis Ecclesiæ catholicæ inferendis inhiabant. Meletiani porro & Ariani, altiores posuerant radices, quam ut Hosii conatu & ope convelli possent; frustraque cessit ea in re opera Hnsii.

lib. 3. c. 6.

Auctor est Socrates, Hosium Sabellii doctrinam evertere studuisse, ac de substantia & hypostasi agitasse quæstionem. Pro controversia autem de Paschate componenda quid actum & provisum sit, ignoratur. Unum constat, rem minime cessisse ex Constantini voto; cum ea quæstio inter præcipuas cogendæ Nicænæ Synodi causas enumeretur. Quapropter re infecta Hosius ad Constantinum remigrat. Id tamen lucri Catholicis rebus ex ejus itinere accessit, quod Imperator, Hnsio narrante, de Arii protervia & impietate certior factus, eum postea oborti dissidii habuerit auctorem & antesignanum.

Ariani Constantini statuas lapidibus impetunt.

3. Ariani vero & Meletiani ex rebus improspere gestis in furorem & desperatinnem acti, Constantini statuas ferocius aggressi, jactis lapidibus deformare ausi sunt. Quæ ad Imperatorem delata, misericordiam ejus magis movere quam iracundiam, ut nihil ille cum sceleratis expostularet.

Sozom. lib. 2. cap. 25.

Si qua fides Meletianorum criminationibus Tyri Athanasio oblatis, delatus ab Athanasio fuit Ischyras apud Hyginum Ægypti præfectum, quod Imperatoris imagines saxis appetiisset, atque ea de causa in carcerem detrusus. Quæ res, si vere gesta, in hoc posse tempus conferri videtur, cum maxime Ischyras a sacrorum aditu & nfficio remotus ab Hosio, rem, ut æstimare est, perindigne tulerit.

Litteræ Arii ad Constantinum & Constantini ad Arium. Gelas. l. 2.

4. Tum Arius missis ad Constantinum litteris, & questus de rebus in se suosque admissis, suam Imperatori fidem aperit, sed simulatis quibusdam & fucatis vocibus, ut solebat cum e re fore speraret. Cui Imperator rescribens, adversam Christo & Ecclesiæ doctrinam ejus coarguit, Arii depingit mores, carpit rerum novandarum cupidinem, pronum ad iracundiam & furorem animum: interminatur ultionem, si non resipiscat; nec ipsum modo, sed & discipulos plectendos. Demum versa in clementiam severitate, leniter hortatur ut se conveniat: tumque, si minus sana sit sententia, ab se ad veram revocatum iri; sin vera sinceraque, id ingenti sibi gaudio futurum.

Anno 325. Synodus Nicæna convocatur.

1. Sed cum frustra cederent Constantini monita, nec quidpiam flecteretur Arii sectatorumque ejus pervicacia; œcumenici tantum Concilii opera incendium ejusmodi restingui posse ratus Imperator, Synodum convocat Nicææ in Bithynia celebrandam: cujus nos acta a multis dudum studiose recensita, paucis narramus, quibus non vacat per ntium ea pluribus persequi.

Socrat. l. 1. c. 8. Athan. Ep. ad Afros. Euseb. de Vita Constantini l. 3. c. 7.

2. Anno igitur Christi 325. Imperii Constantini decimn nono vertente, Paulinn & Juliano Coss. Nicæam confluunt ex variis terræ partibus Episcopi ad 318. ut ferunt potissima scriptorum pars, alii pauciores numerant: Eusebius autem supra ducentos quinquaginta. Presbyteros autem, Diaconos, Acolythos & alios, ingenti numero. Ex universis Europæ, Africæ, atque Asiæ ecclesiis, qui inter Dei ministros principem tenebant locum, una conveniunt. Eadem orationis domus, ceu Dei consilin dilatata, Syros simul, Cilices, Phœnices, Arabes, Palæstinos, itemque Ægyptios, Thebæos, Libyes, aliosque ex Mesnpotamia profectos suo ambitu complexa est. Nnn Persa, non Scytha defuit. Pontus item, Galatia, Pamphylia & Cappadocia, Asia quoque & Phrygia, lectissimum quemque suorum eo misere. Imo Thraces, Macedones, Achæi & Epirotæ, atque qui longiore distabant intervalln, accessere nec inviti. Ab Hispania quoque vir ille celebratissimus Hosius una cum multis aliis eo iter instituit. Aberat quidem senectutis causa Sylvester imperatoriæ antistes civitatis, sed ejus vicem implebant presbyteri ejus Vito & Vincentius. Interfuit Alexandrinus præsul, qui pene solus antea Arii mnlimina depulerat: itineris comes fuit Athanasius tum diaconus, consiliorum administer, qui strenue rem Catholicam propugnavit.

Athan. Apol. contra Arian. n. 6.

En pariter convenit Imperator Constantinus, hoc animo, ut tantam sanctissimorum præsulum frequentiam oculis ipse suis coactam perspiceret, præsensque magno cnnciliandæ paci momento esset. Quæ victum honestumque cultum spectant Augusti sumtibus cœtui toti subministrata sunt, ac viaticum abunde cuique suppeditatum.

3. Nicæam vixdum pervenerant Episcopi, cum mature in Ecclesia conveniunt. Actisque Deo gratiis de alta pace Constantini victoriis parta, de converso Constantini animo ad veri numinis cognitionem, cælesti se lumine perfundi obnixe precantur, quo veram possint doctrinæ rationem assequi ac definire.

Qui episcopi Arianis faverent.

4. Etsi porro episcoporum maxima pars ad Synodum veræ fidei tuendæ studin cnmmeavit; non defuere tamen qui nec nbscure Arianis faverent. Hnrum, ut dictum est, princeps erat Eusebius Nicomediensis. Alii autem, Eusebius Pamphili Cæsariensis, Patrophilus Scythopolitanus, Theodotus Laodicenus, Paulinus Tyrius, Athanasius Anazarbensis, Gregorius Berytensis, Aetius Lyddensis; qui omnes Syri, Palæstini, & Phœnices erant. Cæteri, Menophantus Ephesinus, Narcissus Neronopoleos in Cilicia, Theognius sive Diognius Nicænus, Maris Chalcedonensis; Theonas i-

Anno 325.

tem Marmaricæ, & Secundus Ptolemaidis, ambo jam ante quinque annos in Alexandrina synodo abdicati.

Libelli Constantino oblati. Rufin. Sozom. l. 1. c. 17. Theodoret. l. 1. c. 11.

5. Nec defuere qui oblatis Constantino libellis quosdam Episcoporum reos agerent. Ariani-ne an Catholici ii fuerint, nullius antiqui scriptoris testimonio compertum est; sed arbitrantur post Baronium recentiores pene omnes, id rei nonnisi Arianis episcopis adscribi posse, qui infesto semper in reliquos animo, nullum non querimoniæ argumentum aucuparentur. Verum si se ita res habuit, quid causæ esse possit quod Rufinus, Theodoretus, & Sozomenus Arianorum nomen taceant? an eorum existimationi consultum voluere, qui nihil non asperum in ecclesiasticæ doctrinæ corruptores passim per scripta sua conspergunt? Unde in incerto res versatur. Hujusmodi libellos Constantinus in fasciculum colligatos, annuloque suo obsignatos, asservari jussit. Postea quam vero pacem præsules inter conciliarat, in medium allatos igne absumsit, juratus nihil eorum se legisse: nefas aiens Episcoporum delicta in secularium notitiam devenire.

Imperator Synodo interest.

6. Sub hæc Imperator diem dixit, quo Episcoporum conventus inirentur, decimam nonam scilicet Junii anni 325. Coacti vero condicta die in palatio Episcopi, Imperatorem tacite præstolabantur mox adfuturum. Accedenti adsurrexere omnes, dum inter Episcopos ille ultro citroque positos permeans, in aurea sella, nec nisi petita ab iis venia, sederet. Primam secundum Constantinum sedem occupasse nomine Sylvestri papæ Hosium, testatur Gelasius. *Gelas. l. 2. c. 5.* Hosii comites fuere Vito & Vincentius presbyteri a Sylvestro item legati. Et sane quod primas tenuerit Hosius, videtur Athanasius innuere cum ait: *Cui Synodo non præfuit senex ille Hosius?* *Apolog. de Fuga n. 5.* Nec tamen res dubio vacat. Tum qui a dextris sedebat, orationem ad Imperatorem habuit, quæ potissimum versabatur in referendis Deo gratiis ob collatas Augusto dotes ac victorias. Ab Eustathio Antiocheno oratum ait Theodoretus: *Theod. l. 1. c. 8. Sozom. l. 1. c. 19.* verum id Sozomenus Eusebio, Nicetas vero ex Theodoro Mopsuestiæ, Alexandro adscribit. Hinc multis Imperator præsules alloquitur; in votis esse sibi, compressa vi tyrannorum, paceque orbi restituta, concordiam in Ecclesia obtinere, intestina deponi odia, dissidiorumque finem esse: eum se fructum summe sperare ex tot tantorumque Episcoporum adventu consequuturum.

Arius suos propugnat errores.

7. His præmissis, jubent Episcopi Arium se sistere in medium, de doctrina & fide sua responsurum. Is non intrepide modo in jus ambulat, sed proterve tuetur errores. Non Imperatoris dignitas, non tanti cœtus reverentia, hominis arcet impudentiam. Blasphema Arii dicta non sine stomacho horroreque audiunt Episcopi. At ne, si præmaturo ulciscendæ veræ doctrinæ studio Arius, necdum confutatus damnaretur, querelarum ipsi superesset locus, par esse visum, primo controversiam inire cum hæresiarcha. Hic complurium Antistitum emicuit vis ingenii, veræ fidei amor, studium ecclesiasticæ pacis, Marcelli in primis Ancyrani, maxime tamen omnium Athanasii: qui tametsi Diaconus solum erat, &, ut ait Theodoretus, juvenilis ætatis, nemini uni quantumvis grandævo secundus erat studio Arii confutandi: qua de re audiendus Gregorius Nazianzenus.

Athanasius contra Arium disputat. Theod. l. 1. c. 8. Sozom. l. 1. c. 17. Greg. Naz. orat.

„ In sancta synodo Nicæna atque „ illo trecentorum & duodeviginti lectissimo„rum virorum numero, quos Spiritus sanctus „ in unum coegerat, quoad facultas tulit, „ morbum compressit. Nondum ille quidem „ in Episcoporum numerum adlectus: verum „ primas tenuit inter eos qui una eo commi„grassent. Non minus enim virtute, quam „ graduum dignitate, honoris præstantia cense„batur. „ Nec modo Arii ille, sed etiam propugnatorum ejus Eusebii, Theognii, & Maris insidiis atque conatibus pro virili occurrit. *Socrat. l. 1. cap. 8.* Quo factum, ut tota vis mali in capitis ejus periculum postea immineret, ipseque unus omnium impetum exciperet. De Athanasii contra Arium disputatione hæc accepimus, pro gravitate certe dignitateque rei paucissima. *Tom. 2.* Nam quæ vulgo fertur Athanasii cum Ario disputatio, Græculi commentum est; uti pluribus est a nobis alias comprobatum.

8. At Eusebius Nicomediensis, studio flagrans tuendæ impietatis, interposita clientium gratia & opera, Imperatori auctor erat, ut Arii patrocinium susciperet; sed contra quam sperabat res se dederunt. Nam de fide ubi quæri cœptum est, rescriptum Eusebii adfertur in medium, blasphemis dictis plenissimum: quod palam Episcopis audientibus recitatum, cæteris dolori, Eusebio autem summo dedecori ac pudori fuit.

Eusebiani libellum fidei offerunt. Theod. lib. 1. cap. 7. 8.

Et jam patefacta impiorum & Arii sequacium sententia, impius libellus discerptus est. Verum Ariani, conspecta catholicorum & frugi hominum indignatione, mox Arium Eusebiumque cum sociis damnatum iri prospicientes, novam ineunt insidiarum viam; rogantesque silentium, ementito pacis concordiæque nomine, priores ipsi oblatum libellum, qui omnibus offensioni fuerat, damnant & proscribunt; aliumque mox libellum omnium consilio adornatum muniunt suffragiis suis. Sed isthæc simulate & insidiose facta esse, exploratum postea fuit: damnatas enim opiniones modo clam, modo publice defendunt; & conspicati cum peritis & sagacibus sibi rem esse, nullo non artificio utuntur ne causa cadant. Hæc ex Theodoreto lib. 1. c. 7. qui eadem ipsa c. 8. ex Eustathio confirmat. Hallucinantur porro, qui libellum capite 7. memoratum, diversum esse putant ab alio de quo c. 8. nam idipsum utrobique narrari, nemini accuratius legenti dubium. Hic ipse libellus exstat in epistola Eusebii Cæsariensis; estque fidei formula. *Athan. de Decretis Nicænis.* Præterea epistolam, teste Ambrosio, obtulerunt Ariani, qua confutarent τῦ ὁμοουσίου vocem. Quod si ejus nemo præter Ambrosium meminit, id ex amissis Actis Nicænis evenit.

Athan. de Decretis Nicænis n. 19.

9. Sub hæc, cum peroptarent Patres certas quasdam, omniumque calculo & consilio admissas sacrarum Litterarum voces statuere ac promulgare, queis omnis dissidii levaretur occasio, primo adferunt in medium eam formulam, ex Deo Filium esse. Verum Eusebiani id cum prava inveterataque sua opinione convenire rati, non ægre admisissent huic formulæ nomen dare, quando id juxta de conditis rebus dicatur quod ex Deo sint.

Quid pro τῦ ὁμοουσίου voce statuenda actum.

Animadversa fraude ac subdolo lucifugarum consilio, Præsules multas alias indidem mutuatas voces efferunt, Verbum scilicet esse virtutem, veramque Patris imaginem, ipsi in omnibus similem,

Anno 325.

lem, ac semper esse. Tum Eusebiani deprehensi sunt sibi mutuo oculis annuere, ac mussitare inter se, posse scilicet his vocibus suffragia adscribi, cum alia præter Verbum multa virtutes appellentur, erucam enim & bruchum magnam Dei virtutem nuncupari in sacris Litteris. Imaginem quoque Dei vocari posse Filium, quando nos homines imaginem & gloriam esse Dei ait Apostolus. Imo perridicule dicebant, nobis quoque id adscribi posse quod semper simus, secundum hæc Apostoli verba: *Semper enim nos viventes*, &c. Verum Episcopi insidias & vafritiem veteratorum conspicati, eo demum appulere animum, ut præcisa subtersugii occasione, vocem ὁμοούσιον proferrent in medium, qua posita, circuitionibus nihil residui foret. Contra Eusebiani, qui ea voce ademtas erroribus suis latebras perspicerent, auctoritatem opponunt synodi Antiochenæ, in qua vox hujusmodi proscripta fuisset. At cum non usque adeo oblitterata esset ejus Synodi memoria, ante annos tantum tres supra quinquaginta celebratæ, non fugiebat Episcopos, nequaquam de consubstantialitate Verbi actum istic fuisse, sed de sententia Pauli Samosateni prave interpretantis vocem ὁμοούσιον. Quamobrem uno omnium catholicorum Patrum consilio hanc vocem usurpatam oportere decretum fuit.

Joel. 2. 25. *1. Cor. 11. 7.* *2. Cor. 4. 11.*

Hosius Nicænum Symbolum adornat. *Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 42.*

10. Adornandæ porro fidei formulæ provincia magno Hosio Cordubensi tradita. Is omnibus retro sæculis celebratum illud Nicænum Symbolum concinnavit; quod omnium votis exceptum, cunctante nemine uno Catholicorum suffragium addere suum, promulgatum est. Et sane voce ὁμοουσίου omnis de natura Filii prava opinio evertitur, omnis ambiguitas resecatur. Data est hujusmodi formula anno 325. die 19. Junii.

Eusebianorum protervia. *Rufin. l. 1. c. 5. Sozom. lib. 1. cap. 18.* *Socrat. lib. 1. cap. 9.*

11. Verum Eusebiani, cum non arbitratu suo formula concinnata, sed inopportuna esset suis consiliis & cogitatis, detrectare illam, negare suffragia, ut insolentibus constructam vocibus despicere. Septemdecim erant numero qui adversum pugnarent & obsisterent; qui tamen Imperatoris minis fracti ac perterriti, exsilii declinandi causa subscripserunt. Residui tamen quinque obstinatiore animo cœpta propugnabant, nimirum Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicænus, Maris Chalcedonensis, Theonas Marmaricæ, Secundus Ptolemaidis: qui tandem, exceptis Theona & Secundo, aliorum cessere monitis & argumentis.

Demum simulate subscribunt.

12. Verum simulate Eusebium atque socios Nicænæ synodo nomen & suffragium dedisse, cum æqualium hominum testimoniis, tum iis quæ consequuta sunt consceleratorum gestis propalam fuit. Eos Constantiæ Augustæ consilio ad dissimulationem consentiendi adductos tradit Philostorgius Arianus. Eusebius autem Cæsariensis missa ad suos epistola causam adfert cur ad subscribendum appulerit animum; multaque περὶ τοῦ ὁμοουσίου edisserit, quæ nedum Arianismi ab eo suspicionem dimoveant, dubiam ejus de Verbi generatione fuisse fidem confirment.

Philost. l. 1. Athan. de Decretis Nicænis n. 4.

Arius damnatur. *Socrat. lib. 1. cap. 8. Sozom. lib. 1. cap. 21.*

13. His peractis, eo demum ventum est, ut Arius Synodi judicio anathemate feriretur, qui pervicaci animo ad finem usque errores propugnabat. Non ille monitis Imperatoris, non Patrum Athanasiique argumentis cessit. Sed cum nulla spes esset ejus ad sanam mentem reducendi, obstinatiusque ille blasphema dicta hactenus inaudita proferret; omnium calculis damnatus & abdicatus est, atque a Constantino in Illyricum relegatus. Nec desunt tamen qui Arium tantisper declinandi exsilii causa cessisse, ac suffragium Nicænæ formulæ simulate dedisse narrent; atque ideo, cæteris integris, solo Alexandriam ingressu interdictum fuisse. Sed præstat epistolis Nicænæ & Alexandrinæ synodi habere fidem. Hisce namque Arius damnatus abdicatusque fertur: quod etiam testatur Athanasius.

In exsilium pulsus. *Socrat. lib. 1. cap. 9.*

Thalia damnata. *Socrat. lib. 1. cap. 9.*

14. Tum proscripta & damnata est impia illa & perridicula Arii Thalia, cujus blasphema dicta ne auditu quidem ferebant Nicæni patres, ita scilicet stomachum faciebat. Execrandi autem opusculi non lectione modo interdixit Constantinus; verum edixit quoque, nemini licere horrendum hujusmodi librum penes se adservare. Ut autem una cum mali auctoribus, sectatoribus etiam æternam probri & infamiæ notam inureret, jussit in posterum Arianos compellari Porphyrianos, Porphyrii videlicet nomine, qui fuerat olim Christianæ fidei infensissimus; quasi scilicet ne inter Christianos quidem connumerandi essent, qui Christi divinitatem, fundamentum Christianæ religionis, impugnare aggrederentur.

Ariani dicti Porphyriani.

Theonas & Secundus cum Ario damnati. *Theod. lib. 1. cap. 8. Philost. lib. 1. n. 8.*

15. Damnati & depositi cum Ario fuere Theonas Marmaricæ & Secundus Ptolemaidis, qui Arianæ hæreseos ab exortu propugnatores acerrimi fuerant, ac proterve ad finem usque errori inhæsere: quare in ordinem redacti, una cum factionis principe Arin ablegantur in Illyricum. Alii item non pauci hæreseos nomine anathemate percussi sunt: inter quos principem obtinent locum Pistus, exinde ab Arianis in episcopum Alexandrinum delectus, & Euzoius tum Diaconus, postea episcopus Antiocheous eorumdem lucifugarum consilio & opera constitutus. Nec audiendus Baronius, qui Secundum putat demum cessisse. At enim ex solis Nicænis subscriptionibus id mutuatur illustrissimus Annalium scriptor: quæ subscriptiones, cum aperte vitio laborent, non tanti sunt ut scriptorum omnium testimoniis anteponantur.

Meletiani qua conditione recepti. *Socrat. lib. 1. cap. 9. Sozom. lib. 1. cap. 24.*

16. Unum restabat Alexandrinæ redintegrandæ paci pernecessarium, videlicet ut de Meletianis quid agendum definiretur. Quæ res si ex regulæ ecclesiasticæ usu ac præscripto decreta fuisset, nonnisi Meletianorum abdicatione conficienda erat. Verum ut properantius dissidiorum finis accederet, ea lege atque omine episcopi per Meletium promoti in sedibus consistere suis, ut nullo fungentes episcopali officio vacuum nomen retinerent, aliis ab Alexandro constitutis Ecclesiarum munia obeuntibus. Hujusmodi autem Meletianis oblatam conditionem, non ex sententia Athanasii fuisse memorat ipse, nec semel, nec sine quadam indignantis animi significatione.

Apol. contra Arian. n. 59.

Athan. ibid. n. 71.

17. Adimere autem Meletio fraudis occasionem volens Alexander episcopus, breviarium seu laterculum postulavit eorum, quos ipse variis in locis ad episcopatum promovisset; ut ne postea ad libidinem suam varios subjiceret, quos, etsi numquam constituerat, constituisse se mentiretur. Exstat hujusmodi laterculus in Apologia Athanasii contra Arianos.

Ar-

Anno 325.

Archiepiscopi nomen apud suos obtinuisse Meletium, haud improbabiliter conjectamus ex hisce laterculi verbis: *Joannes qui jussus fuit cum Archiepiscopo degere*. Qua de re plura in præliminaribus.

De Paschate decretum. *Socrat. lib. 1. cap. 9.*

17. Hæc scita, hæc placita Synodi fuere. Ad hæc vero actum de celebrandi Paschatis die. Namque Ecclesiæ permultæ, veteri renovato errore, eodem quo Judæi tempore paschalem agebant solemnitatem, nec sine ingenti cæterarum offensione. Quam præcisam volentes consuetudinem Nicæni patres, sanxere ut ubique terrarum una eademque dies esset celebrando Paschati assignata, nempe æquinoctio transacto verno prima post quartamdecimam lunam Dominica; cujus diei præsignificandæ commissa cura fuit Alexandrino episcopo, quod Ægyptia gens haberetur astrorum cursus peritissima. Nec tanta res accuratione acta fuit, quin ea reformatione opus fuerit, quam invexit sæculo præterito Gregorius XIII. Pontifex.

Canones Nicæni.

18. Quæ disciplinam item spectabant ecclesiasticam, viginti canonibus sancita sunt: in quibus exponendis moras extrahere nostri non est instituti, cum res a multis viris doctis accurate & pluribus expensa fuerit.

Epistolæ Constantini & Nicenæ synodi. *Socrat. lib. 1. cap. 9.*

19. Imperator Constantinus, cui una ecclesiasticæ concordiæ cura erat, rebus ex voto & arbitrio suo gestis, missis litteris gestiens lætusque acta per synodum significat ubique. Ecclesiis maxime, quæ dissidebant de Paschatis celebratione, auctor fuit ut starent Synodi placitis, & dissidiorum finem facerent. Alexandrinos autem cohortatus est, ut si qui essent Arianæ doctrinæ sectatores, eam quam maturrime repudiarent; præstabilius esse Episcopis plus trecentis obtemperare, quam unico impietatis auctori; id se sperare gaudii ex eorum obsequentia consequuturum. Exstat iridem alia sanctorum Patrum epistola ad Alexandrinos, qua significant impiam Arii sententiam, præsente Constantino, Præsulum omnium consilio, præmisso examine & diligenti perquisitione reprobatam & proscriptam fuisse, Ariumque, quod audacius blasphema dicta propugnaret, exsilio mulctatum: impietate pares Theonam & Secundum pari ultione plexos, Meletianos in ordinem redactos, Paschatis celebrandi diem uno omnium voto assignatam; si quid ulterius definitum fuerit, id ipsos Alexandro narrante accepturos, cui ut remigranti læti occurrerent, ipsique gererent morem summopere cohortabantur. Soluta demum Synodus fuit die vigesima sexta Augusti anno 325. vigesimo imperii Constantini.

Celebritas Nicææ magna. *Sozom. lib. 1. cap. 25. Euseb. Hist. Eccl.*

20. Prospero eventu rerum ecclesiasticarum mire gaudens Constantinus, magna voluit celebritate feriari. Commodum incidit ipsa in diem illam, qua de vicesimo inito imperii sui anno festum agebat. Et, quæ lætitiæ accessio foret, Constantium filium eadem die Cæsarem proclamari jussit. Eratque ingens concursus, summa frequentia Præsulum, aulicorum, optimatum. In tanto cœtu orationem habuit Eusebius ad Constantinum & ad reliquam primatum multitudinem. Post hæc Imperator ad lautas epulas totum conventum evocavit. Quæ res quo ritu & ordine gesta, non indiligenter Eusebius ibidem persequitur.

Constantini pietas.

21. Insigne illud fuit Imperatoriæ pietatis argumentum, quod Episcoporum quibus fuerat pro Christi nomine dexter oculus exsculptus, vulnerum vestigia Constantinus frequens oscula," honoris causa, muneribus cumularet omnes, juberetque statam frumenti mensuram quotannis in singulis urbibus distribui, in alimentum viduarum, virginum; ecclesiasticorum. Quæ tanta largitio ad imperium usque Juliani apostatæ perduravit. Instante Episcoporum digressu, pluribus cohortatus omnes est, pacem ut curarent, dissidiorum & rixarum finem facerent, odia iovidiamque ponerent, delicta mutuo condonarent, caverent ne jurgiorum & disceptationum frequentia risum pararent inimicis Christianæ religionis, neu in contemtum res ecclesiasticas deducerent. Tum enixe rogabat, ut susis precibus sibi suisque oumen propitium esse impetrarent. Ita dimissus est amplissimus ille cœtus, nullius non ævi, nullius non populi laudibus celebratus. Regressi vero singuli, in suam quisque civitatem, quid gestum, quidve definitum a Synodo fuisset, commemoraruot.

Anno 325. *Socrat. lib. 1. cap. 8.*

Ariani & Meletiani non quiescunt. *Epiphan. Hæres. 68.*

22. Postquam soluta Synodo Alexandriam remigrasset Alexander, ac decreta sanctorum Patrum protulisset, optatissimam sibi pacem conciliare non potuit. Flagrantem enim Meletianorum dissidio Arianorumque furore Ægyptum, non Synodi decreta, non imperatoria edicta compescuerunt. Meletius quippe, contra quam statutum fuerat, in episcopatum Lycopoleos ad sui vices implendas promovit Joannem cognomento Archaph, hominem sibi addictissimum, qui Meletio defuncto factionis princeps fuit. Neque magis Ariani Synodi placitis acquievere; namque ex damnatis erroribus suis in furorem & vesaniam acti, gesta Synodi traducere in dies, in contemtum atque ludibrium voces ex sacris litteris non mutuatas passim vocare, redintegrare controversias, nullum finem facere discordiarum. Si fides Epiphanio, Meletius missis ad Imperatorem oratoribus, Joanne scilicet supra memorato, Callinico Pelusii, & Paphnutio quodam Anachoreta, Alexandrum in crimen vocabat. Verum Imperator, cui perspecta erat viri integritas & sanctimonia, turbulentos hujusmodi viros, nec auditos, re infecta dimisit.

Epiph. hær. 68.

Eusebius & Theognius exsulant. *Socrat lib 1. c. 9. & 14. Sozom. lib. 1. cap. 21.*

23. Neque tamen tantis Augusti studiis, tanta navata opera exstinctum malum fuit. Vixdum enim trium mensium spatium ab celebrata Synodo elapsum erat, cum Eusebius Nicomediensis & Theognius Nicænus, quod Arianis partibus non obscure studerent, accitos ab Imperatore Arianos adiissent, excepissent domi diversores, inissent cum illis societatem, relegati a Constantino sunt in Galliam. Constantinus autem in epistola ad Nicomedienses aliam exsilii causam, subobscure tamen, indicat, reumque agit Eusebium pacti cum aliquo sibi adversante tyranno fœderis, cui ministerium & opem suam commodasset ille. Hujusce rei penes se luculenta esse argumenta testatur Imperator, quando Presbyteros Diaconosque Eusebio hac in re administros deprehenderat. Hæ causæ exsilii cum Eusebii, tum consiliorum socii Theognii: in quorum vicem Amphioo Nicææ, Chrestus Nicomediæ episcopus constitutus fuit. Qui sit autem illle tyrannus, quicum societatem iniit Eusebius, non

aper-

Anno 325. aperte significat Imperator : sed nihil dubium de Licinio hic agi.

24. Mitto cætera quæ de eorum exsilio feruntur, quod vel magna suspicione, vel aperte falsitate laborent. *Sozom. lib. 1. cap. 21.* Cujusmodi est illud, Eusebium scilicet & Theognium, postquam Nicænæ synodo subscripserant, subornato exinde Notario nomina abrasisse sua, ac deinde strenuos τὸ ἑτερούσιον præcones fuisse. Qua de causa Imperatore cum Eusebio expostulante, respondisse audacissime Eusebium, ostensa qua induebatur veste : Si hæc vestis inspectante me B divisa esset, numquam dicerem utramque partem ejusdem esse substantiæ. Quæ causa irarum & ultionis fuerit. Verum isthæc commentum esse ipse qui enarrat Sozomenus ait. Longius a similitudine veri absunt, quæ narrat Philostorgius ὁ φιλοψευδὴς οὗτος καὶ κακοῦργος, Eusebium nempe, Theognium & Marin, dati suffragii pœnitentes, ad Imperatorem adiisse, hisque compellasse dictis: Iniqui, Imperator, ea in re fuimus, quod tui metu perculsi, impietati nomen adscripserimus. quo factum ut Imperator ira percitus homines in C *Philostorg. lib. 1.* Galatias seu Gallias occiduas relegarit, & Arianos sua quemque patria excedere jusserit. Et alio loco nugacissimus idem scriptor ait, Secundum cum sociis jussu Imperatoris revocatum ab exsilio, litteris quaquaversum missis proscripsisse τὸ ὁμοούσιον, & τὸ ἑτερούσιον propugnasse : quibus litteris Alexandrum suffragium adscripsisse ait, Ariumque ad communionem admisisse. sed postea Alexandrum, cum ab Imperatoris metu respiraret, ad priscam rediisse mentem; & tunc demum Arium cum sectariis ab Alexandro & ab Ecclesia descivisse. D Hæc ille Arianico & impio ore mentitus est.

Anno 326. Alexandri Alexandrini obitus. 1. Inter hæc Alexander, ætate ac senio confectus, diem obiit supremum. Instante obitu Athanasium designat sibi successorem. Cum enim ingravescente morbo paulatim deficerent vires, *Sozom. lib. 2. cap. 17.* derepente Athanasium compellat. Respondet vocanti quidam nostro gentilis. Quem nihil affatus ille, interposita mora, Athanasium repetitis vicibus vociferatur, absentem indicans alium se vocare: qui re præcauta atque prævisa, ut tantum munus declinaret, sese E proripuerat. Prophetica autem mente demum Alexander: Effugisse te credis, ait, Athanasi, nec tamen effugies: his significans, gravissimis eum certaminibus & calamitatibus deputatum. Sunt porro qui existiment, ea tempestate Athanasium rerum ecclesiasticarum causa in Imperatoris aula versatum fuisse. *Theod. lib. 1. cap. 26. Athan. Apol. contra Arian. n. 59. Vide in monito.* Incidit Alexandri mors in diem vigesimam sextam Februarii mensis anno 326. quinque scilicet post ejus Alexandriam reditum mensibus. Ita quidam, quibus consonat Theodoretus, vita functum referens quinque post Nicænam synodum F mensibus. Quod autem habet Epiphanius, demortuum Alexandrum eodem quo Nicæna habita synodus est anno, intelligas nondum elapso anno post Synodum celebratam.

Meletiani Theonam cooptant in episc. Alexandrinum. Epiphan. Hær. 68. 2. Si fides Epiphanio, excubantes Meletiani ad quascumque oblatas turbarum occasiones, defuncto Alexandro, absenteque Athanasio, in præsulis Alexandrini munus provehunt quemdam suæ factionis hominem, nomine Theonam, quo tribus elapsis mensibus exstincto, promotus exinde fuit Athanasius. Næ si A Meletianorum spectetur audax animus, & novandarum rerum percupidus, hæc fidem superare non videantur. *Anno 326.* At mirum nullam de hujusmodi homine, vel apud Athanasium, vel apud æquales haberi mentionem, cum maxime frequentissimæ adfuerint illius memorandi occasiones. Verum fortasse quia secundum promotionem nonnisi paucos menses superstes fuit, nulla aut exigua permansit hominis memoria.

3. Quæ causa, quæ ratio Athanasium compulerit ad redeundum ex secessus loco; suone ille consilio, oblata muneris declinandi spe, *Athanasius deligitur. Athan. ibid. n. 6.* B an divino instinctu ad officium evocatus accesserit, pariter incertum. Redux autem summa populorum lætitia excipitur. Hinc concursus, clamor, vota publica plebis catholicæ Athanasium sibi Episcopum efflagitantis. Hoc animo multitudo innumera confluit in Ecclesiam, ubi tum erant Ægyptii episcopi eadem de causa coacti. Tum plebs incensa cupidine optati potiundi, edito clamore rogare, obtestari Præsules, Athanasium exposcere; deinde versis ad Christum precibus obsecrare, concedi sibi postulatum virum: non passuros se C ecclesia Episcopos excedere, donec adlectus Athanasius esset: virum frugi vociferantes, religiosum, vere Christianum, Ascetam, vere Episcopum. His permoti Ægyptii episcopi, Athanasium in sedem Alexandrinam provehunt, & quidem ingenti populorum plausu lætitiaque. Hæc in Synodica epistola Ægyptii præsules, oculati testes, qui suis ipsi manibus Athanasium in episcopali throno collocarant. At secus multum rem Eusebiani missis ad Imperatorem litteris significarunt. *Sozom. lib. 2. cap. 17. Athan. ibid. n. 6.* Aiebant quip- D pe Meletianos cum Catholicis inita societate una confluxisse Alexandriam ex Thebaide & Ægypto episcopos quatuor & quinquaginta, qui (sic illi) jurati statuerunt omnium calculo & suffragiis deligendum qui Alexandrinam occuparet sedem; verum sex, septemve Episcopos a cœtu digressos, imprudentibus invitisque cæteris omnibus, clam constituisse Athanasium Episcopum; quæ causa esset ut frequens populus, clericique permulti ejus communionem aversarentur. Hæc illi. *lib. 2. 0* Verum multo impudentius Philostorgius, Athanasium E narrat ecclesiam sancti Dionysii invasisse, atque duos Episcopos istic repertos vi compulisse ut episcopale sibi munus deferrent, cæteros autem facti indignatione permotos damnasse hominem; Athanasiumque vi multitudinis ac populi præsidio superiorem, litteris, ceu totius consilio civitatis, Imperatori se electum fuisse significasse: quo factum ut vi occupatam sedem teneret. Hæc nimirum mendacissimus Philostorgius, qui nedum veritatem, ne veritatis quidem umbram & speciem sectatur.

4. Annum itaque cooptati in Episcopum F Athanasii adsignamus 326. elapsis quibusdam ab Alexandri obitu mensibus. *Cyril. ep. 1.* Atque ita probe constat quod a Cyrillo & aliis traditur, Athanasium scilicet in episcopali sede totum sex super quadraginta annorum spatium emensum obiisse. At enim si pontificatus Athanasii exordium ducatur ab anno 326. aut dimidio circiter aut vertente, ad 373. die secunda Maii, quo tempore obiisse inferius commonstratur, computantur anni sex & quadraginta cum quibusdam mensibus.

lib. 2. cap. 17. p. 466. 5. In Athanasii promotionem hæc habet So-

Anno 326. zomenus. „ Ego sane virum hujusmodi non citra Dei nutum ad sacerdotium pervenisse existimo, utpote eloquentia juxta atque intelligentia præditum, & ad occurrendum insidiis adversariorum paratissimum; cujusmodi virum illa tempora quam maxime postulabant. Fuit certe ad conciones ecclesiasticas & ad sacerdotii munus obeundum aptissimus, atque ab ineunte ætate in ejusmodi rebus [illegible]. „

Infra num. 4.

6. Lubet Athanasii præconem omnium clarissimum Gregorium Nazianzenum in hanc rem audire. „ Sic porro educatus & institutus, ut eos nunc quoque oporteret qui plebis antistites futuri, magnumque Christi corpus tractaturi sunt. Secundum ineffabile Dei consilium ac præscientiam, quæ magnarum rerum materiam diu ante præparat, in præclarum hunc sacerdotum ordinem cooptatur, atque in eorum qui appropinquanti Deo appropinquant numerum adlegitur: cunctisque ecclesiasticorum graduum muneribus perfunctus, Alexandrino populo, quod idem est ac si dixissem universo terrarum orbi, præficitur. Neque sat definire possum, virtutisne præmium, an Ecclesiæ fontem ac vitam hujusmodi dignitatem acceperit. Hanc enim oportebat veritatis siti languentem, ac prope confectam, Ismaelis instar, potu recreari, aut velut Heliam, arente per siccitatem terrâ, ex torrente refocillari, paulumque respirantem ad vitam revocari, ac semen Israeli relinqui: ne ut Sodoma & Gomorrha efficeremur, quarum celebris quidem est improbitas, celebrior autem interitus; incolis nempe igne & sulphure oppressis & obrutis. Propterea nobis jacentibus cornu salutis erectum est. *Et paucis interjectis*. Sic igitur & ob eas causas, totius populi suffragiis, non autem secundum pravam formam, quæ postea obtinuit, per vim aut cædem; sed Apostolico ac spirituali more, ad Marci thronum provehitur: non minus pietatis, quam sedis successor. Ut enim si hanc spectes, remotissimus ab eo futurus est; ita si illius rationem habeas, statim illi proximus invenietur, quæ quidem proprie successio existimanda est. *Et quibusdam interpositis hæc habet de illius vitæ instituto*. Athanasius vita quidem sublimis erat, verum animo demissus & humilis: & tanta quidem erat virtute, ut ad eam accedere posset nemo; ea comitate, ut ad ejus congressum facilis omnibus esset aditus, mansuetus, mitis, ad miserationem propensus, sermone jucundus, moribus jucundior, facie & multo magis mente Angelicus, in increpando lenis, in laudando erudiendi vi præditus: sic utrumque temperans, ut neutrum horum per immoderationem labefactaret; sed ut increpatio paternam caritatem, & laudatio imperii gravitatem retineret: nec aut lenitas mollior, aut severitas æquo rigidior esset; quin potius illa facilitatis & benignitatis, hæc prudentiæ nomen haberet, utraque vero sapientiæ laudem consequeretur. Cui id morum probitas præstabat, ut minus verborum esset opus; id verba, ut parcius virga uteretur; id virga, ut sectione rarius opus haberet. *Et post pauca*. Hic illius in jejuniis atque orationibus assiduitatem laudibus ornet, ille insuperabilem in vigiliis & psalmodiis vigorem: alius egentium curam & præsidium, alius enarret ut superbis restiterit & ad humiles sese demiserit. Virgines pronubum laudent; quæ matrimonii jugo constrictæ sunt, moderatorem; qui solitariam agunt vitam, excitatorem & erectorem; qui in sodalitio vivunt, legislatorem; simplices deductorem; speculationi dediti theologum; hilares frænum; calamitosi consolatorem; canities baculum; juventus pædagogum; paupertas largitorem; divitiæ dispensatorem. Quin & mihi videntur & viduæ patronum laudaturæ, & pupilli patrem, & peregrini hospitalem, & fratres fratrum amantem, sani valetudinis custodem, omnes denique eum qui omnia omnibus factus est, ut omnes vel quamplurimos lucrifaceret. „ Hoc Athanasii institutum, hæc episcopalis officii gerendi ratio fuit. Anno 326.

Anno circiter 327. Ἀρχόμενος τῆς ἐπισκοπῆς. Athanasii in Thebaidem iter.

1. Neque ita multo post episcopatus sui exordium, Thebaidis ecclesias Meletianorum dissidio Arianorumque moribus deflagrantes perlustravit, quo vacillantes debilesque animo recrearet ac firmaret in vera fide. Usque Syenem autem, extremum versus Æthiopiam Thebaidis oppidum, contendit adverso flumine. Cumque Tabennesin navigio transmitteret, exit obviam Pachomius magna comitante Monachorum frequentia, qui adventantem hymnis, psalmis, cantu, nulla prætermissa gaudii significatione, virum excepere. Tum Sarapion Tentyrorum episcopus Athanasium compellat. Adest, inquit, in his sedibus, meo episcopatui contributis, Monachorum quidam pater & vere homo Dei; quem omnibus, qui in finibus meis degunt, præficias Monachis, & Presbyterum constituas pervelim. Quo Pachomius audito, sese in cœtu fratrum abdidit, donec transmitteret Athanasius. Is tamen cum navim perlustrasset oculis, Dei famulum agnovit, edixitque jam multa eum Evangelii causa sustinuisse, veræque ipsum fidei sectatorem esse, cujus gratia postmodum in calamitates varias incidit.

Vita Pachomii in Actis SS. 14. Maii.

Anno circiter 328. Arius ab exsilio revocatus. Socrat. lib. 1 cap. 14. Sozom. lib. 2. cap. 16.

1. Vixdum elapso post Nicænam synodum triennii spatio, Arius redit ab exsilio ante quam Eusebius & Theognius suas repetendi sedes facultatem impetrarent. Nec statim Ario copia facta remigrandi Alexandriam; ne de integro, conspiratis factionum partibus, turbæ, seditiones, tumultus oborirentur. Queis porro artibus, qua ratione, cujus opera redeundi veniam impetrarit, ignoratur. Neque ita multo post Eusebius ac Theognius, circumvento solitis fraudibus atque dolis Imperatore, oblatoque Episcoporum principibus fictæ pœnitentiæ libello, acciti & in proprias sedes restituti sunt. Exstat libelli exemplum apud Socratem, quo queruntur illi se indicta causa ab Episcopis damnatos in exsiliumque pulsos, suffragia tamen Nicænæ fidei adscripsisse, atque eidem mordicus hærere, ratam illam habere, tametsi condemnationi Arii non erant adstipulati. At quando jam Arius ab exsilio revocatus esset, rogant id apud Imperatorem agatur, ut sibi quoque redeundi potestatem faciat. Impetrata reditus facultate, Amphionem illi & Chrestum, quorum alter Nicææ, Nicomediæ alter, in pulsorum vicem constituti fuerant, deturbant sedibus.

Similiter Eusebius & Theognius. Philostorg. l. 2. cap. 7.

Sunt

Anno circiter 328.

Sunt porro qui nullam hujusmodi libello fidem esse opinantur: verum ne minimam quidem præfert libellus, nisi mea me fallit opinio, νοθείας aut suspicionis notam.

Anno circiter 329. Eustathius Antiochenus Arianos strenue oppugnat. Socrat. lib. 1. cap. 24. Sozom. lib. 2. cap. 19. Philostorg. l. 2. cap. 7.

1. Reversi ad sedes, quas turbas dederint, quæ molimina, quas machinas, quas insidias struxerint in assertores & vindices τοῦ ὁμοουσίου, haud facile narratu est. Eminebat inter veræ fidei propugnatores Eustathius Antiochenus, vir multis nominibus insignis, dignitate, pietate, eruditionis fama, *confessionis* gloria nemini secundus. Hic ardens studio veræ doctrinæ promovendæ, infestus Arianis, quos interclusos societate & communione sua edixerat, in odium invidiamque Eusebii & sociorum incurrit. Ad hæc, multa contra Arianos Opera in lucem emisit, quorum mentio apud Hieronymum & Theodoretum. Cum Eusebio item Cæsariensi iniit controversiam, eumque ut Nicænæ fidei infensum scriptis suis exagitavit. Ille contra Eustathium reum agit Sabellianæ opinionis, quod Sabellianismi crimen solenne Arianis erat iis offerre, qui Arianam hæresin infesti adorirentur. Neque in Eusebium dumtaxat, sed etiam in Patrophilum Scythopolitanum & Paulinum Tyrium acerrime invehebatur. His accensi veritatis hostes, quo virum patrio solo & Ecclesia exturbarent, insidias parant & crimina commiscuntur. Quod calumniæ genus adornatum in Eustathium fuerit, quæve occasio illi calamitatis, non convenit inter scriptores.

Eusebianorum dolo pellitur.

Hist. Arian. ad Monachos n. 4.

Ait Athanasius, ad Imperatorem accusatum Eustathium irrogatæ matri ipsius contumeliæ, nulla interposita mora in exsilium actum fuisse cum magna comitantium Presbyterorum & Diaconorum frequentia. Socrates autem & Sozomenus narrant, odio flagrantes Eusebianos, Eustathium in synodo Antiochiæ celebrata abdicasse, cum Sabellianismi, tum alius criminis non memorandi causa. Verum quod illud fuerit crimen aperit Theodoretus, Eusebium scilicet Nicomediensem in veritatis vindices insidias machinatum, desiderio videndi Jerosolyma magnificumque templum ab Augusto excitatum flagrare se simulantem, Constantino vehiculum ministrante, eo profectum esse una cum Theognio Nicæno conspirationis socio. Quibus Antiochiam perlatis, amice & comiter Eustathius præbet hospitium. Inde, ait Theodoretus, cum ad sacra loca pervenissent, in partem consilii & conspirationis vocant Eusebium Cæsariensem, Patrophilum Scythopolitanum, Aetium Lyddensem, Theodotum Laodicenum; qui una omnes properant Antiochiam. Ibi conducta muliercula, quæ corporis pulcritudine quæstum faciebat, auctores sunt ut rei secum habitæ sanctum Præsulem accuset. In Episcoporum cœtum intromissa mulier, infantem uberibus admotum ostendens, illum ex Eustathii coitu peperisse affirmat. Eustathius vero non ignarus conflatæ in se conspirationis, mulierem si quem haberet hujusmodi facinoris conscium in medium proferre jubet. Cumque neminem illa objecti criminis testem habere se diceret, ipsi jusjurandum Eusebiani detulere. Juravit illa infantem Eustathii esse; statimque judices iniquissimi virum damnant ut adulterum, reclamantibus licet cæteris Episcopis qui eo loci convenerant, veri tenacibus, & frugi hominibus, qui Eustathio auctores erant ut ne iniquæ sententiæ acquiesceret. Hanc item crimi-

Theodoret. l. 1. c. 21.

A nationem commemorat Hieronymus Apolog. 2. adversus Rufinum: *Istæ*, inquit, *machinæ hæreticorum, id est, magistrorum tuorum sunt, ut convicti de perfidia ad maledicta se conferant. Sic Eustathius Antiochenus episcopus filios, dum nescit, invenit.*

Anno circiter 329.

2. Per mihi mirum est tam atrocem calumniam Athanasium præteriisse, si vere oblata fuerit. Sin resciverit, quid causæ est quod tantum Eusebianorum facinus premat silentio, qui huic affinem historiam de Euphrate Coloniensi Stephani Antiocheni insidiis per intromissam B mulierculam tentato, accurate recenset. Ex Athanasii utique silentio nonnihil fortasse nascatur suspicionis, quando potissimum cernimus, plerosque istius ævi scriptores libenter adferre muliercularum historias, quarum nonnullæ pari suspicinne laborant. Et quod augeat scrupulum, Joannes Chrysostomus in prolixo Eustathii encomio, ubi permultas adfert ejus pro fide calamitates, rem istam præterit silentio. Næ Socrates postquam Eustathium Sabellianismi causa abdicatum narravit, adjicit, *ὡς μὲν ἔνιοι φασὶν, δι' ἄλλας οὐκ ἀγαθὰς αἰτίας· φανερῶς δὲ οὐκ εἰρήκασιν*, C *hoc est*, Ut vero quidam narrant, aliis de causis minus honestis abdicatus est, quas tamen aperte non proferunt. Quibus verbis innuit non concordi omnium sententia eam rem tum admissam fuisse.

Anno circiter 330. Seditio Antiochiæ. Hieronym. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Socrat. lib. 1. cap. 24. Sozom. lib. 2. cap. 19.

1. Abdicato igitur Eustathio, non in eo stetit Eusebianorum odium flagitiumque; sed Imperatorem convenientes, auctores sunt ut in exsilium pellatur Antistes. De exsilii loco non una sententia. Hieronymus Trajanopolin in Thracia, Theodoretus vero in quamdam Illy- D rici urbem relegatum narrant. Secus alii dicunt, nec nostrum est rem pluribus investigare. Cæterum in Eustathii abdicatione tota pene seditione conflagravit Antiochena civitas. Fremebant populi perinique tanti viri casum ferentes. Cumque de successore deligendo ageretur, tanta flamma dissensionis exarsit, ut prope fuerit totius civitatis pernicies excidiumque. In duas namque partes distracta civitas erat, aliis Eusebium Pamphili adlegere, aliis Eustathium retinere nitentibus. Stabant utrinque armati, hostilem spirantes animum. Militum E quoque turmas vidisses utrique parti adjunctas. Omnia ad pugnam & horrendam cladem parata; ventumque fuisset ad gladios, nisi Imperatoris metus plebis impetum coercuisset. Sed supervenientes Augusti litteræ mitigarunt animos. Eusebiani igitur Eustathio Eulalium subrogant; qui cum exiguo tempore superstes fuisset, ejus loco deligitur Eusebius Pamphili. Verum abnuit ille subire munus; ex animi-ne temperantia, ut innuit Socrates, an quod prospiceret numquam sibi pacem fore cum Antiochenis catholicis, id summopere incertum. A- F riano itaque alii, cui nomen Euphronio, episcopale munus defertur: quo post annum & paucos menses vita functo, deligitur Flacillus item Arianus, & uno avulso non deficit alter. Quæ causa fuit ut multi, cum populares, tum clerici, quibus religio catholica cordi, a cœtibus Arianorum abhorrentes, seorsum collectas agerent. Hi ex ardenti erga Eustathium studio amoreque, Eustathiani deinceps audierunt. Hujusmodi porro discordia Antiochenorum ad integrum ferme sæculum extracta fuit.

Theodor. lib. 1. cap. 22.

2. Cæterum, si Theodoreto fides, meretrix quæ

Anno circiter 330.

quæ Eustathium accusavit, cum in gravissimum ac diuturnum morbum incidisset, calumniam detexit, ac scenam totam aperuit: nec duobus tribusve, sed quamplurimis sacerdotibus indicavit ea quæ dolo fuerant concinnata, fassa se mercede conductam Eustathium in crimen vocasse; neque tamen falso juratam se, quando Eustathius quidam ærarius faber infantis pater esset. Quod si vere gestum, miror tam apertum Eusebianorum flagitium vel fugisse Athanasium, vel prætermissum ab eo fuisse.

Gesta Eusebianorum in Asclepam Gazensem & Eutropium. Athan. Hist. Arianorum ad Monachos n. 5. Theod. lib. 1. cap. 20.

3. Per idem fere tempus Eusebiani, qui veræ fidei assertoribus inexpiabile bellum indixerant, Asclepam Gazensem episcopum, virum probitate & multis ingenii dotibus ornatum, adoriuntur; &, quod adornatum erat adversum insontes & orthodoxos telum, præpostere de Christiana fide sentire criminantur. Nec mora, abdicato subrogant Quintianum nescio quem, suæ factionis hominem, Asclepamque patrio solo exterminant. Hinc conversis ad Eutropium Hadrianopolitanum τὸν φιλόχριστον conatibus, virum fictis criminibus deturbare nituntur. Eutropius autem, ut nomen sonat, summæ vir probitatis, in crimen ideo vocatur, quod libere Eusebium coargueret, & istac transeuntibus auctor esset ut ne impiis ejus dictis haberent fidem. Quod in causa fuisse creditur ut Eusebius, ulciscendi sui cupidine, Basilinam Julii Constantii uxorem concitaret in sanctum Præsulem, cujus opera, eadem qua Eustathius pœna mulctatur, urbe pulsus pariter & Ecclesia. Cum porro Basilina anno 331. paucis postquam Julianum pepererat mensibus, diem clauserit extremum, Euphronii exsilium opportune conferri potest in annum 330.

Abyssini Frumentio doctore Christi fidem amplectuntur. Socrat. lib. 1. cap. 19. Sozom. lib. 2. cap. 24. Theodor. lib. 1. cap. 23.

4. Jam ad conversionem Abyssinorum Æthiopum enarrandam evocant nos scriptores omnes Ecclesiastici, qui sub initium episcopatus Athanasii venisse Alexandriam Frumentium, atque ab Athanasio delectum fuisse episcopum, apostolumque ejus regionis testantur. Eam historiam ad verbum ex Rufino mutuamur, qui se ab Ædesio, Frumentii comite peregrinationisque socio, rem accepisse commemorat. *In ea*, inquit Rufinus, *divisione orbis terræ, quæ ad prædicandum verbum Dei sorte per Apostolos celebrata est, cum aliæ aliis provinciæ obvenissent, Thomæ Parthia, & Matthæo Æthiopia, eique adhærens citerior India Bartholomæo dicitur sorte decreta. Inter quam Parthiamque media, sed longo interior tractu India ulterior jacet, multis variisque linguis & gentibus habitata, quam velut longe remotam nullus Apostolicæ prædicationis vomeri impresserat: quæ tamen temporibus Constantini tali quadam ex causa semina fidei prima suscepit. Metrodorus quidam philosophus, inspiciendorum locorum, & orbis perscrutandi gratia ulteriorem dicitur Indiam penetrasse. Cujus exemplo invitatus Meropius quidam Tyrius philosophus, simili ex causa adire Indiam voluit, habens secum duos puerulos, quos liberalibus litteris, utpote propinquos, instituebat. Quorum unus, qui erat junior, Ædesius, alter Frumentius vocabatur. Igitur pervisis & in notitiam captis his quibus animus pascebatur, cum Philosophus redire cœpisset, aquæ vel cæterorum necessariorum causa, ad portum quemdam navis qua vehebatur applicuit. Moris est inibi Barbarorum, ut si quando fœdus sibi cum Romanis turbatum vicinæ nuntiaverint gentes, omnes qui apud eos ex Romanis inventi fuerint jugulentur. Invaditur navis Philosophi, cuncti cum ipso pariter perimuntur: puerali reperti sub arbore meditantes, & lectiones suas parantes, Barbarorum miseratione servati, ducuntur ad Regem. Horum ille alterum, id est, Ædesium, sibi pincernam fecit; Frumentio vero, quem quasi perspicacem deprehenderat & prudentem, rationes suas scriniaque commisit: ex quo & in honore magno apud Regem habiti, & in amore.*

Anno circiter 330.

5. *At vero moriens Rex uxorem cum parvulo filio regni reliquit hæredem; adolescentibus autem quid vellent agendi dedit liberam facultatem: quos tamen Regina suppliciter exorat, tamquam quæ nihil haberet in toto regno fidelius, ut secum usquequo adolesceret filius, regendi regni solicitudinem partirentur; & præcipue Frumentium, cujus prudentia ad moderandum sufficeret regnum: nam alius fidem puram & sobriam mentem simpliciter exhibebat. Idque dum agerent, & regni gubernacula Frumentius haberet in manibus; Deo mentem ejus & animos instigante, requirere solicitus cœpit, si qui inter negotiatores Romanos Christiani essent, & ipsis potestatem maximam dare, ac monere ut conventicula per loca singula facerent, ad quæ Romano ritu orationis causa confluerent: sed & ipsa multo magis eadem facere, & ita cæteros cohortari, favore & beneficiis invitare, præstare quidquid opportunum fuisset, loca ædificiis aliaque necessaria præbere, & omnino gestire ut Christianorum ibi semen exsurgeret. Sed cum regius puer adolevisset, qui procurationem regni gerebant, expletis omnibus & ex fide traditis, multum licet detinentibus & rogantibus ut manerent Regina vel filio, ad orbem tamen nostrum revertuntur. Ædesio festinante Tyrum, parentes propinquosque revisere; Frumentius Alexandriam pergit, dicens æquum non esse opus occultare Dominicum. Igitur rem omnem ut gesta est exponit Episcopo, ac monet ut provideat virum aliquem dignum, quem congregatis jam plurimis Christianis, & ecclesiis constructis in barbarico loco, Episcopum mittat. Tum vero Athanasius (nam is nuper sacerdotium susceperat) attentius & propensius Frumentii dicta gestaque considerans, in concilio Sacerdotum ait: Et quem alium inveniemus virum talem, in quo sit Spiritus Dei sicut in te, qui hæc possit implere? Et tradito ei sacerdotio, redire eum cum Domini gratia unde venerat jubet. Qui cum Episcopus perrexisset ad Indiam, tanta ei data esse a Deo virtutum gratia dicitur, ut signa per eum Apostolica fierent, & infinitus numerus Barbarorum converteretur ad fidem. Ex quo in Indiæ partibus & populi Christianorum & Ecclesiæ factæ sunt, & sacerdotium cœpit. Quæ nos ita gesta, non opinione vulgi, sed ipso Ædesio Tyri presbytero postmodum facto, qui Frumentii comes prius fuerat, referente, cognovimus.*

Frumentius ab Athanasio constituitur Episcopus Abyssinorum.

Hæc Rufinus; cui, ut audita narranti, haud licet negare fidem. At multa sunt, in quibus vel errore ipse labitur, vel vulgo receptam ævo suo, licet falsam, sequitur opinionem. Hæc paucis commemoranda nobis sunt, iis additis quæ, Tellezio cæterisque PP. Societatis Jesu auctoribus, accepimus. quæ a clarissimo viro Jobo Ludolpho accuratissime collecta, & innumeris aucta monumentis haud ita pridem, in lucem prodierunt.

6. Indiam Rufinus, quemadmodum & alii scriptores ecclesiastici, eam vocat regionem, quæ Frumentii ope Christi fide illustrata est. Tum enim remotissimis quibusque regionibus

ver-

Anno circiter 330. versus orientem ac meridiem late patentibus Indiæ nomen erat. At immane quantum labitur Rufinus, cum Indiam illam ulteriorem, ut vocat, inter Indiam citeriorem & Parthiam sitam dicit. Exploratissimum quippe est, regionem, quæ Frumentium nacta apostolum est, eam esse Æthiopiæ partem, quæ Abyssinia, Habessinia, vel Abassia dicitur. Hujus regia tunc erat Auxumis, urbs perampla & opulenta, cujus hodieque rudera visuntur, nec nisi oppidulum est Acsum dictum, in regno Tigræ situm, decimo quarto & dimidio gradu latitudinis septemtrionalis. Obtruncatum ait Rufinus Meropium: id negant Habessini, sed morbo ajunt exstin- B ctum. Frumentium autem & Ædesium sua voce nuncupant Fremonatum & Sydracum. Priorem Salamam quoque appellare solent, quo nomine his celebratur carminibus ex Æthiopico versis a Ludolpho:

Salutem voce lætitiæ dico ei,
Magnificans & extollens eum,
Salamam, januam misericordiæ & clementiæ:
Qui oriri fecit in Æthiopia luminis Christi splendorem,
Cum antea in ea caligo & tenebræ fuissent.

Fremona item exstat oppidum in eodem Tigræ regno situm, ex Fremonato seu Frumen- C tio ita dictum. Frumentii autem memoria apud Æthiopes celebratur die decima octava decembris. Unicum Regi obeunti filium fuisse memorat Rufinus; sed Athanasii Æthiopumque testimoniis compertum, duos fuisse fratres, qui apud Athanasium in epistola Constantii ad eosdem principes nuncupantur Aizana & Zazana Auxumeos tyranni, ab Æthiopibus autem Abreha & Atzbeha, quo nomine principum memoria recolitur die 4. Octobris, atque his carminibus ab Æthiope vate celebratur:

Salutem Abrehæ & Atzbehæ, qui federunt D
In regno uno, mutuo se amantes.
Priscis hominibus, qui in præceptis legis Mosaicæ ambulabant,
Ore eorum prædicatum fuit verbum Evangelii Christi,
Et manibus eorum quoque ædificata fuit habitatio ejus.

Ex inveterata quadam opinione ortum, quod dicitur horum Principum ævo legem Mosaicam obtinuisse in Habessinia. Nam putant Regum suorum originem duci a quodam Menileheco Salomonis ex regina Saba filio: quæ res sagacibus fabulam sapit. Quod vero ritus Ju- E daici non pauci apud eos ad hæc usque tempora usu veniant, id unde progressum haud difficile est augurari. Nam tanta Judæorum multitudo jam olim eo confluxit, ut non semel Negusi seu Imperatoris copias adorti, in discrimen rem Æthiopicam adduxerint. Memoratur sane Judæus quidam Gedeon nomine, qui cum Imperatoribus quatuor strenue sæpe congressus, demum anno 1624. victus captusque pœnas dedit. Ab hisce igitur Judæis invecta putatur circumcisio, Sabbati observatio, & similes ritus.

7. Jam quod annum delecti ab Athanasio F Frumentii spectat, haud levem controversiæ ansam adferunt Rufini cæterorumque scriptorum verba; cum exemplo Metrodori philosophi, qui in ulteriorem Indiam commigrarat, dicunt Meropium tantam suscepisse navigationem. Metrodori autem reditus in annum ut citius 324. conferri oportere certum est. Nam ex illa peregrinatione reversus, Constantinum Byzantii *Anno circiter 330.* offendit, cui gemmas unionesque ex India furtim ablatas dono dedit. Qui Constantinus anno tantum 324. Orientis imperio potitus, non ante potuit Byzantii considere. Si vero Meropius post Metrodori reditum profectus est, anno puta 325. vel 326. qui potuerit Frumentius sub initium episcopatus Athanasii Alexandriam venisse, qui, uti diximus supra, anno 326. electus est Episcopus? Nam præter illud in peregrinando elapsum temporis spatium, annos sane plurimos egisse Frumentium necesse est, sive cum Æthiopiæ Rege, sive post defunctum regem cum Regina, usque dum adolevissent filii. Sane si suscepta peregrinatio post Metrodori reditum fuit, vix anno 340. potest Frumentii Alexandriam profectus contigisse. Atque ita non paulo post electum Athanasium Alexandriam venerit; sed multis post annis. Verum his omnibus occurritur, si Meropium, non exspectato Metrodori reditu, Æthiopicum iter instituisse dicamus. Nec quidpiam in Rufini narratione comparet, quod huic sententiæ adversetur. In annum ergo circiter 330. vel fortasse maturius conferenda Frumentii ordinatio videtur. Promotus ille ab Athanasio in Æthiopiæ episcopum, gentem illam Christi doctrina illustravit, ejusque apostolus haberi meruit.

1. Eusebius porro & asseclæ, pulso Eustathio cæterisque veri defensoribus, ad hoc nervos omnes industriæ contenderunt, ut Arii Alexandriam regressum impetrarent; cumque occasionem illi & ansam gerendæ rei percupide observarent, opportune cecidit ut tum Meletiani per Ægyptum turbas darent, ac contra quam fuerat in Nicæna synodo definitum, rebus sese immiscerent ecclesiasticis. Homines Athanasius precibus, hortamentis, comminationibus ad officium revocare, societatemque communionis inire tentabat. At Meletianorum protervia frustra cessit conatus. Re comperta Eusebius tum factionis suæ facile princeps, mittit ad Meletianos, quos magnis sibi pollicitationibus devincit; initaque cum illis clanculum amicitia, de Arii reditu constituit agendum. Postquam ergo prius Ariani cum Meletianis simultates aperte gesserant, ubi adverterunt plebem catholicis Sacerdotibus esse addictam, stimulante livore, ejusmodi fœdus inter se inierunt, communesque inimicitias susceperunt adversus clerum Alexandrinum. Quæ res male vertit Meletianis: ex Arianorum enim consuetudine & societate veræ fidei jacturam fecerunt, hausto sensim erroris veneno, ita ut & ipsi persæpe Ariani sint appellati. Hoc juncti fœdere, operam inter se diviserunt, ut Meletiani callidissimi homines & ad calumnias semper parati, pro suis partibus criminum confictionem susciperent, Ariani vero Eusebianorum gratia & auctoritate freti, judicii ferendi sibi partes vindicarent.

Anno circiter 331. Eusebius conatur Arium Alexandriam remittere. Athan. Apolog. contra Arianos n. 59.

Epiphan. Hæres. 68.

Meletianos sibi adsciscit.

Sozom. l. 2. cap. 21.

Athan. ibid. n. 60.

2. Et principio quidem Eusebius Athanasii animum tentavit, optatissimum sibi putans esse, ac rebus Arianorum augendis commodissimum, si tantus ille vir ad eorum partes accederet; ac litteris quidem suis rogabat Arianis aditum, tabellarii autem opera interminabatur insidiis appetendum fore, nisi concederet postulatum. Verum Athanasius, ubi res agebatur Ecclesiastica labefactanda, nec minis nec pre-

Anno circiter 331. Socrat. lib. 1. cap. 23. Sozom. lib. 2. cap. 18. Athan. Apolog. contra Arianos n. 59.

cibus

Anno circiter 331.

cibus opportunus, optatis Eusebii abnuit: nec modo Arianis non aditum concessit, verum etiam in eorum hæresi extirpanda operæ semper plurimum studiique consumpsit. Quæ res Eusebii & sectatorum ejus animum exasperavit in Antistitem. Et conspicati noo posse virum ab instituto revocari, promotionem ejus in sedem episcopalem in invidiam vocant; juniorem pro tanto munere, indignum, ab improbis delectum ementiti, cujus criminationis vanitas ex recensita superius cooptati Athanasii ratiooe perspicua est. Ruebat suapte infirmitate calumnia, testibus innumeris rei veritatem proclamantibus. Intellexit autem Eusebius nihil ejusmodi machinamentis perfectum iri, nisi Imperator suam interponeret auctoritatem. Quamobrem alio vertit studia & conatus, & qua valebat apud Constantiam Augustam auctoritate & gratia usus, ministerio quoque adhibito cujusdam Presbyteri inter familiares Augustæ computati, muliebrem animum ad Arianorum patrocinium allicere tentabat. Et vero administer ille consiliorum Eusebii sæpe cum Constantia de Ario sermonem habuit, virum aiens injuria adfectum a Synodo, nec ita sentire ut vulgi rumore ferebatur, sed sanæ fidei hærere. His Constantia fidem habuit; nec tamen ea de re Imperatori verba facere est ausa. Accidit inter hæc, ut in gravem illa morbum incideret: ægram Imperator frequens adibat. Ingravescente morbo, desperataque valetudine, Constantino Presbyterum illum commendat, testata viri probitatem juxta atque religionem, necnon benevolum illius imperio animum. Neque ita multo post diem illa clausit supremum. Presbyter exinde inter familiarissimos Imperatoris annumeratus est: & majorem in dies nactus gratiam fiduciamque, demum Constantino suum de revocando Ario consilium aperit, nihil sentire virum aiens, quam quod in Synodo decretum fuisset, si in conspectum ejus admittatur, adstipulaturum Nicænis decretis; sine causa reum agi & in crimen vocari. Nova res atque admiranda Imperatori visa est. Respondetque roganti: Si decretis Synodi Arius, si doctrinæ adstipulatur, libenter hominem ad conspectum admittam, & cum honore Alexandriam reverti concedam. Litterisque confestim evocat Arium. Procrastinantem ut videt, secundas mittit 27. Novembris datas, quibus cohortatur ut profectum maturet, nec moras ulterius trahat, sed conscenso publico vehiculo se conveniat. His acceptis Arius, comitante Euzoio diacnoo impietatis, abdicationis, exsilii socio, Imperatorem adit. Accedentes Imperator percontatur, veramne fidem sectentur. Sectari, amplecti eam respondeot. Libellum fidei dare jubet. Illi protinus offerunt meditatum vaferrime, & dolosis verbis concinnatum, quæ oec aperte fidem impugnarent, neque erroris virus eliminarent. Perorabaot autem sub libelli finem, rogantes, quando sana & sincera essent opinione, aditum sibi ad Ecclesiam non negari. Hac Arii formula offensi multi sectatorum ejus, pristini erroris retinentissimi, quibus impietas nullis delinita verbis, ut principio fuerat publicata, cordi erat, ab eo descisc unt; aliamque disparem familiam ordiuntur, cujus secundum hæc antesignani fuerunt Aetius & Eunomius.

Eusebii calumnia in Athanasium.

Socrat. lib. 1. cap. 25. Sozom. l. 2. cap. 25.

Arius & Euzoius libellum fidei offerunt Constantino.

Socrat. lib. 1. cap 25. Sozom. lib. 2. cap. 27.

Anno circiter 332.

1. Cæterum delusus Arii caliditate Constantinus, eo appulit animum, ut eum Alexandriam proficisci libens concederet. Verum Athanasius, qui hominem pristino semper errore implicatum, simulatamque ac dolo plenam ejus fidei confessionem probe norat, aditum ei ad Catholicorum communionem interclusit. Et vero non sine causa repulsam tulisse Arium mox propalam fuit. Errores enim ille per urbem disseminare de integro conatus, turbas Alexandriæ dabat, & in discrimen vocabat pacem reipublicæ Christianæ. Ut vidit Eusebius frustra tentari Athanasium, nisi Imperatoris jussio accederet, auctor ipsi fuit ut litteras ad Antistitem daret minarum plenas, quarum partem adfert Athanasius sic habentem: „ Cum igitur „ voluntatem meam compertam habeas, omni„ bus qui in Ecclesiam admitti efflagitarint, „ liberum præbeto ingressum. Si quos autem „ in Ecclesiæ communionem admitti cupientes „ te prohibuisse, aut aditum illis interclusisse „ didicero, mittam quamprimum, qui te jus„ su meo abdicet, & ex sedibus transferat „ tuis. „ His addit Sozomenus, Eusebii & Theognii criminationes in Athanasium, quod videlicet turbarum & tumultuum auctor esset, multisque in Ecclesiam ingredi cupientibus clauderet aditum, veras esse contendisse Meletianos, Joannis sequaces; qui crebris ad Imperatorem itionibus, ementito Catholicorum nomine, Athanasio & catholicis Episcopis crimina, cædes, vincula, verbera, plagas, incendia ecclesiarum adscribebant. Athanasius acceptis ab Imperatore litteris rescribit ipsi: Joanni & sociis ejus illegitimas objicit sacerdotum promotiones, studium immutandæ Nicænæ fidei, doctrinam minime sanam, contumelias & seditiones adversus orthodoxos. Ioter hasce ultro citroque oblatas criminationes, animi pendens & cui crederet ignorans Constantinus, eam demum dedit epistolam, cujus superius partem exaravimus, deferentibus Syncletio & Gaudentio Palatinis.

Anno circiter 332. Arius Alexandriam petit. Socrat. l. 1. c. 27. Sozom. l. 2. c. 29.

Constantinus jubet recipi Arium. Athan. Apol. contra Arianos n. 59

lib. 2. c. 22.

2. Ejusmodi litteris nihil permotus Athanasius, Imperatori renuntiat nullam esse hæreticis Christo adversantibus cum ecclesia catholica societatem, nec posse se, salvo officio, hujusmodi homioibus aditum præbere. Imperator autem nihil ultra questus, Athanasio liberam rei ad arbitrium gerendæ facultatem permisit. At Eusebius, non ex voto cadente negotio, consilium init opprimendi Athanasii, ratus non posse eo incolumi impetrari quod in optatis erat. Meletianis igitur usus insidiarum administris, hortatur ut memores veteratoriæ artis, qua olim Petrum, Achillam & Alexandrum per calumniam vocassent in crimen, jam pari ausu aggrederentur Athanasium. Illi nec impigre Eusebii jussa exsequuntur: excubantesque in occasiones criminandi Athanasii, cum nullus accusationi locus vel aditus esset, demum Eusebii consilio, opera Isionis Athribeos, Eudæmonis Taneos, & Callinici Pelusii Meletianorum, hanc priorem fingunt criminationem; quod scilicet Athanasius lege data linea sticharia; seu vestes sacras ministrorum altaris ab Ægyptiis primus exegisset. Nec mora, crimen ad Imperatorem defertur. Sed commodum evenit ut duo Alexandrini presbyteri, quibus nomen Apis & Macarius, istic tum versarentur; a quibus rei veritatem cum didicisset Imperator, Meletianorum deprehensa calumnia est. Secundum hæc litteras mittit Constantinus,

Athanasius negat Ario aditum. Athan. Apol. contra Arianos n. 60.

Meletianorum criminationes in Athanasium.

queis

Anno circiter 332.

queis Isionis factum damnans, Athanasium jubet se convenire. Eusebius re improspere gesta, non finem fecit insidiarum: sed Isioni & consceleratis auctor est Nicomedia ne secedant, sed adventantem Athanasium novis adoriantur criminationibus. Eo cum pervenisset ille, delatores parati meditatique accedunt; ac primo Macarium Athanasii presbyterum de confracto calice sacro insimulant, ipsumque Athanasium in capitale crimen omniumque atrocissimum vocant; quod videlicet hostili erga Imperatorem animo, in subsidium belli scrinium misisset auri plenum Philumeno cuidam imperium affectanti. Hæc sane erant ferini in Athanasium odii signa. Sed, providente numine, ejusmodi hostium tela, quæ in sacri illius capitis periculum imminebant, brevi depulsa sunt. Ubi enim Athanasium hujusmodi crimen propulsantem in suburbio Nicomediæ, cui nomen Psammathia audivisset Augustus, illi de more falsi convicti repulsam tulere. Athanasius autem honorifice exceptus remittitur Alexandriam, litteris munitus Imperatoriis ad populum Alexandrinum; quibus Constantinus Meletianorum scelera, turbas, ambitionem acriter insectatur, Athanasiumque commendat ut pium & frugi virum, æqui bonique studiosum.

Athanasius Nicomediam petit.

Athan. ibid. n. 60. 61.

Ischyræ historia. *Athan. ibid. n. 60. & 74.*

3. Reversus Athanasius aliquantisper in pace degit. At Meletiani in calumniis & conspirationibus adornandis pervigiles, haud multo interposito spatio, pacti initi memores, oblatam moliendi nova in Athanasium occasionem arripiunt, & redintegrant de calice fracto querelam. En totam fabulæ causam. In Mareote, Alexandrini agri portione, viculus erat nomine Pax Secontaruri, quo loco sedem habebat Ischyras quidam profligatis moribus homo, perosus plebi; qui olim a Collutho presbyter creatus, ad laicorum conditionem Hosii jussu, ut dictum est, reductus fuerat. Is nefario ausu sacra attingere & munus sacerdotale obire nihil verebatur. Et cum nulla in viculo exstaret ecclesia, in ædicula orphani cujusdam Isionis rem sacram agebat; tanta tamen insania apud accolas rusticanos laborans, ut nonnisi septem ex affinibus cœtibus ejus interessent. Re comperta Presbyter, cui erat ejusmodi viculus contributus, Athanasio Ecclesias de more perlustranti facinus denuntiat; qui Macarium presbyterum mittit, Ischyram accitum. Eum ægritudine laborantem ac decumbentem reperit Macarius: patrique illius jubet, ut a tali ausu filium coerceat. Morbo demum levatus Ischyras, cum prohibente patre sacra adire facultas non esset, ad Meletianos se proripit: qui haud illibenter scelestissimum hominem, & consiliis opportunum suis, recipiunt. Et quamprimum, ne frustra forent tanta accessione aucti, hominis ad meditatum facinus operam requirunt, insidias aperiunt in Athanasium structas, ejus ministerio opus esse sibi ajunt. Etsi perditis moribus erat homo, initio tamen negare operam, horroreque criminis resilire. At Meletiani vi compulsum, atque plagis oneratum, ad iniquam pactionem deducunt; ac hujusmodi criminationem una omnes fingunt & comminiscuntur, irruentem scilicet Macarium sacrum calicem confregisse, mensam evertisse, libros combussisse, &, ut narrant alii, cathedram dejecisse, ecclesiamque diruisse a fundamentis. Si Socrati fides, Nicomediam Ischy-

Hilarii Fragment. p. 1311.

A ras, a sacrorum officio interclusus profugit, & cum Eusebio concinnandæ calumniæ rationem inivit. Verum cum ejusmodi profectio ab Athanasio juxta atque a cæteris scriptoribus taceatur, jure in suspicionem falsi veniat; maxime quia rem sæpissime tractans Athanasius, id non prætermissurus erat, si revera gestum fuisset. Meletiani igitur Ischyram esse presbyterum prædicant ubique: ut ejusmodi calumniam pervulganti habeatur fides. Is vero commentitium facinus ubique denuntiat. Verum a consanguineis objurgatus, pertæsusque sceleris, ad Athanasium adit collacrymans. Hominem ob B tantum flagitium increpat Athanasius. Ille subornatum se & circumventum a Meletianis ait ad ejusmodi criminationem comminiscendam, libellum tradit Antistiti, quo se testatur ab Isaaco Cleopatridis, Heraclide Nicii, & Isaaco Letopoleos, Meletianis episcopis, plagis & verberibus ad id facinoris compulsum. Ac Deum obtestatus, renuntiat se probe scire, nihil ab Athanasio vel a Macario admissum hujusmodi. Rogat demum sibi Athanasii conventibus interesse liceat. Ejusmodi libellum curavit Athanasius a multis presbyteris, diaconisque, cum Alexandrinis, tum Mareoticis, subscribi C & suffragiis muniri. Neque tamen statim Ischyræ concessus ad ecclesiam Catholicorum aditus. Cum enim jamdiu ad Colluthianos, atque exinde ad Meletianos descivisset; diuturniore opus erat experimento, ut sincera viri pœnitentia comprobaretur.

Anno circiter 332.

Athan. ibid. n. 61.

Ath. ibid. n. 74.

3. In epistola Mareotici cleri quædam præfert Nannii versio, quæ in nullo edito vel scripto codice, quem quidem inspectare licuerit, græce comparent. Hæc sunt ejus verba: *Nam cum ille (Ischyras) post defectionem ad Meletianos nobis reconciliari & conjungi vellet;* D *quemadmodum & Pistus, qui & ipse quoque talia de Athanasio in vulgus sparserat; neutrum tamen, quamquam propria manu testarentur nihil tale factum esse, & se subornatos a certis hominibus ut talia dicerent, recipere voluerunt.* Vix sane credatur, de Pisto isthæc sine codicis cujuspiam Græci auctoritate adjecta fuisse a Nannio. Quæ si vera sunt, mirum ita carptim rem perstrictam fuisse.

Athan. ibid. in notis.

4. Neque fuerunt istæc Meletianis ad perniciem Athanasio inferendam satis. Verum ut multiplici crimine facilius virum opprimerent, aliud comminiscuntur portenti sane ac prodigii E simile. Rem altius ordiri necesse est. Erat quidam Arsenius episcopus Hypseles, Meletianis necessitudine junctus, licet in Breviario supra memorato inter Meletianos episcopos non compareat; qui an ad Meletianos jam episcopus desciverit, an, contra quam vetitum in Nicæna synodo fuisset, ab iisdem fuerit cooptatus, pariter incertum. Eum sibi Meletiani ad singularem atrocemque criminationem in Athanasium adornandam administrum parant. Princeps conspirationis ordiendæ fuit Joannes cognomine Archaph, Meletianorum antesignanus. Et quia nemo solet ad maleficium sine F spe & emolumento accedere, pactione pecuniæ hominem perpulit ad sese occultandum; eo nempe consilio, ut viri non ulterius inter homines versantis cædem aut mutilationem evulgandi facultas esset. Latebrarum locus Monasterium fuit nomine Ptemencyrcis, in Anteopolite Nomo situm. Latente igitur Arsenio,

Athan. Apol. contra Arian. n. 63. & seqq.

Arsenii historia.

pri-

Anno circiter 332.

primum rumores ubique spargunt, enectum ab Athanasio fuisse Arsenium, ac veneficii causa membratim obtruncatum. In sceleris testimonium truncam manum circumferebant, obviis ostentabant, ut universorum in auctorem iram accenderent. Demum ea ipsa crimina Ischyram & Arsenium spectantia deferunt ad Constantinum, qui, quod permirum videatur, etsi jam sycophantas Meletianos oculis ipse suis deprehenderat, fidem nihilo minus hæc renuntiantibus habuit: ideoque litteras misit Antiochiam ad Dalmatium censorem, cui homicidii causam audiendam committebat.

Anno 333. Synodus Cæsareæ indicitur. Sozom. lib. 2. cap. 25. Hilar. Fragm. p. 1312.

1. Et vero, ut nostra quidem fert opinio, eodem tempore Synodum edixit Cæsareæ in Palæstina celebrandam, triginta nimirum mensibus ante Tyriam synodum, ut habet Sozomenus, videlicet mense circiter Martio anni 333. Quæ res item Philippopolitanæ synodi epistola firmatur, quæ sic habet: *Nam propter hæc necessario concilium apud Cæsaream Palæstinam primo videtur esse conditum: & cum minime ab ipso vel ab satellitibus ad supradictum concilium occurreretur, post alterum annum in Tyro propter ejus facinora necessario iterum celebratur.* Cui synodo, ut videtur, Dalmatius Censor, quemadmodum Tyri Dionysius Comes, intersuturus erat, omnia auctoritate & arbitrio suo moderaturus. Censor Athanasio diem dixit, ut se adornaret ad eam depellendam criminationem. Qui litteris Dalmatii acceptis, initio futilem & a veri similitudine abhorrentem calumniam nihil curabat, tutus conscientia ne cogitati quidem, nedum admissi, facinoris. Attamen ubi commotum ira Imperatorem esse accepisset, ad comministros Episcopos per Ægyptum rem significat: Diaconumque mittit, qui pervestigaret, ubi locorum esset Arsenius, qui a quinque vel sex annis in Athanasii conspectum non venerat. Diaconus autem profectus ad Monasterium Ptemencyrceos, quo loco latere Arsenium rumor erat, primum incidit in quosdam, Pecysium nempe presbyterum, Sylvanum Heliæ monachi ejusdem Monasterii fratrem, Tapenacerameum, & Paulum Hypseles monachum, qui Arsenium istic versari confessi sunt. Re comperta, Pinnes ejusdem Monasterii presbyter hominem in naviculam conjici curavit, ut secundo flumine ad inferiores Ægypti partes una cum Helia monacho concederet. Post hæc, elapsis, ut putamus, quibusdam ab Arsenii profectione diebus, Athanasii diaconus cum comitibus nonnullis reversus, derepente in Monasterium quærendi Arsenii causa sese immisit; quem, utpote alio transmissum, cum non reperirent, Pinnem presbyterum cum Helia monacho Arsenii comite Alexandriam deportatos Duci obtulere. Et cum nulla negandi via esset, fassi sunt in vivis Arsenium ac minime obtruncatum esse. Ad hæc omnia jam memorata Pinnes in Monasterium regressus Joanni Archapho rescripsit, monens ut ne modó, pervulgata rei veritate, Athanasio cædem adscribere aggrederetur: quam epistolam, Paphnutii monachi manu exaratam, nobis Athanasius integram servavit. Narrat item Pinnes, Arsenii enecti fabulam ita per totam Ægyptum percrebuisse, ut ne ultra celari posset. Hæc causa fuisse putatur Arsenio ut Tyrum profugeret, quo ibi procul patria & Athanasio, tutius delitesceret. At forte evenit Archelai consularis famuli, ut in taberna latere Arsenium quibusdam renuntiantibus acciperent, remque indicarent hero. Is mature virum perquirit, repertumque in custodiam tradit asservandum; & sub hæc Athanasio significat deprehensum Arsenium. Cujus item rei oculati fuere testes quidam ipsius Athanasii familiares. Arsenius vero ne deprehensus quidem se Arsenium esse fatebatur, donec ad Pauli Tyri episcopi tribunal evocatus atque convictus, negandi finem faceret. Hoc autem ille pacti cum Eusebio initi causa agebat, ne se sycophanta deprehenso tota evanesceret fabula. Peccat autem Socrates, qui istam deprehensi Arsenii historiam Tyriæ synodi tempore contigisse narrat. Nos Athanasium sequimur fide sane digniorem.

Athan. Apolog. contra Arianos n. 65. & seqq.

Arsenii fabula deprehenditur.

Anno 333.

Socrat. lib. 1. cap. 29.

Athan. ibid. Theodoret. l. 1. cap. 28.

2. Inter hæc Eusebius Nicomediensis, Theognius Nicænus, & Theodorus Heracleotes, postquam crebris itionibus postulationibusque, intolerabilia, ut ajebant, Athanasii facinora in synodo aliqua disquiri oportere Imperatori suasissent, jamque celebrandæ synodo deputata esset Cæsarea in Palæstina; versus Orientem properabant animo Athanasii in ejusmodi synodo abdicandi. Verum ille gnarus insidiarum & malæ mentis adversariorum, iter & judicium istius synodi, nec injuria, detrectabat. Quare peracta de Arsenio perquisitione, & patefactis Meletianorum conspirationibus, Imperatori renuntiat repertum Arsenium, & totam homicidii scenam de medio sublatam fuisse: ac quæ de Macario presbytero olim Meletiani ad ipsum detulissent, revocat in memoriam. Commodum item accidit, ut Meletiani in iteratis suis de calice fracto & de mensa subversa criminationibus Athanasium modo, modo Macarium insimularent. Quod utique signum erat luculentum conficti & excogitati criminis. Hæc misso Macario diacono significat Imperatori: qui statim judicio Censoris prohibito, Eusebium & socios in Orientem Athanasii Ecclesia deturbandi cupidine properantes retrogredi jubet; litterisque missis Athanasium cohortatur, ut populo suo pacem & tranquillitatem conciliare studeat, id cum primis in optatis esse sibi. In Meletianos autem, quos omni exsecratione dignos appellat, invehitur acerrime. Mirari se ait, quos illi viros interemptos jactitabant, eos ipsos incolumes ante omnium oculos versari; mensam eversam, calicem fractum vecordes homines modo ab Athanasio, mox a Macario effutire, ut illa incertitudine accusationis in sycophantiæ suspicionem vocarentur. Jubet palam legi epistolam; ut nemo unus gestam rem, Meletianorumque insidias ignoret. Plectendos denuntiat, si quos paria ausos deprehenderet. Gratulatoriam Alexander Thessalonicensis Athanasio epistolam misit, acceptis per Serapionem Sozontis filium, bene moratum adolescentem, ejusdem litteris; scelerato Joanni aiens jure infamiæ notam inustam, utpote turpissimarum rerum artifici.

Calumnia detecta.

Athan. ibid. n. 66.

Arsenius delicti veniam petit. Athan. ibid. n. 69.

3. Apertissimum autem illud fuit conspirationis argumentum, eum Arsenius ipse, postquam latens deprensus fuerat, missis ad Athanasium litteris, significavit cordi esse sibi pacem & communionem Ecclesiæ catholicæ, rogare aditum sibi dari, polliceri nullam initurum se cum schismaticis societatem, neque imprudente aut invito Athanasio, scitum aliquod vel decretum una cum aliis Episcopis editurum.

Anno 333. rum. Istas Arsenius dedit litteras, qui multa post hæc nec obscura prætulit mutati & catholicis rebus addicti animi signa. Re cognita Joannes Archaph, ut vidit gesta sua in ore omnium versari, traduci in dies, magnam sibi invidiam conflare, quasi pœnitens facti, communionem Athanasii efflagitare cœpit: ac litteris Imperatori testificatur se jam omni posita simultate, pacem communionemque cum Athanasio exoptare ac requirere. Pergratæ litteræ Constantino fuere, pacis scilicet amantissimo; dataque epistola virum evocat, publici vehiculi copiam facit, ut majore gaudio præsentem pacisque studiosum exciperet. Talis tum fuit rei exitus, & aliquantum temporis sopitum negotium fuit.

Anno circiter 334. Antonius Alexandriam venit. *In Vita Antonii n. 69.*

1. Per id circiter tempus Ariani, rumoribus spargendis semper invigilantes, temere jactitabant magni per Ægyptum nominis virum Antonium Monachorum patrem doctrinæ suæ favere & adstipulari. Perlata res Antonio dolori fuit; graviterque succensens novatoribus, hortatu Episcoporum, & maxime Athanasii, Alexandriam se confert. Tum cœpit Arianos publice coarguere, hæreticos appellare, hæresin eorum vocare Antichristi prodromum, prædicare Filii æternitatem, deitatem, populum voce monitisque in vera doctrina confirmare. Ingens fuit multitudinis lætitia, grande odium conflatum hæresi adventu viri Dei. Accurrebant cives videndi Antonii cupidine flagrantes. Ipsi gentiles conspecta viri litterarum imperiti vi orationis, stupefacti signis miraculisque ad preces ejus editis; (nam energumenos, ac mente captos bene multos curabat) taoto numero ad Christianam fidem confluxere, ut plures paucis diebus, quam alias per integrum annum, veræ fidei viam ingrederentur. Et vero tanta erat opioione sanctimoniæ & pietatis, ut universi, ne paganis quidem exceptis, hominem Dei, Antonium compellarent.

Curat dæmoniacam.

2. Cum autem excederet urbe, Athanasio honoris causa comitante, ut ad portam pervenit, retro clamans mulier sistere gradum rogabat, & sanare filiam suam dæmone vexatam. Rogante etiam Athanasio, substitit ille; & propius accedente cum filia muliere, dæmon puellam humi dejicit. Tum precatus Antonius, impurum dæmonem fugat, & incolumem matri filiam restituit. Cunctisque cum gratiarum actione Antonium honorifice deducentibus, gestiens in amatam solitudinem remigravit. Quædam certe sunt queis inducamur, ut contra quam sentiunt nonnulli docti viri, in annum circiter 334. Antonii Alexandriam profectionem consignemus. Ne ultra annum 334. vel ut tardius 335. differamus, vetat quod Athanasius in Antonii vita, ubi apprime temporis rationem ducit, ejus Alexandriam profectum enarrat, priusquam de Constantini ad eumdem Antonium missis litteris verba faciat. Et quia eo tempore Alexandriæ versabatur Athanasius, ut ipse narrat, non potest ultra annum 335. differri iter Antonii; quia post annum illum, dum viveret Constantinus, Alexandriam non vidit Athanasius. Ad hæc, post Athanasii exsilium, cum frequens litteras Antonius ad Constantinum reditus ipsius impetrandi causa mitteret, nullus residuus fuit Arianis locus evulgandi, sibi suisque erroribus adstipulari Antonium; cum contra clamarent viri gesta, & Catholicis addictum proderent. Quæ sane causa nobis est, ne profectum ejus post annum 335. conferamus.

Anno circiter 334.

Eusebius Cæsariensis inimicitias fulcit adversus Ægyptios.

3. Hoc item anno Eusebius Cæsariensis in odium inimicitiamque adversus Ægyptios episcopos palam prorupit. Etsi enim a multis jam annis esset Arianis rebus nec obscure deditus: at non ita ut catholicorum Præsulum palam hostis audiret. Quæ porro causa fuerit simultatis, ot nulli non tunc exploratum & notum fuisse memorant Ægyptii episcopi, sic jam non io promtu fuerit augurari. Subodoramur tamen, ideo Eusebium Ægyptiis succensuisse, quod fortassis una cum Athanasio abnuissent ad synodum Cæsareæ indictam se conferre, quia Eusebius jam in Arianismi & odii erga Athanasium suspicionem venisset. Sane ait Theodoretus, suspectam Athanasio Cæsaream fuisse ob illius urbis antistitem.

Athan. Apol. contra Arian. n. 8.

Theodoret. l. 1. c. 28.

Anno 335. *Athan. ibid. n. 70. 71.*

1. Meletiani vero patefactis insidiis pudore adfecti, studia & consilia alio converterant; ac fortasse conspirandi finem fecissent, nisi accessissent Eusebianorum stimuli, quibus non Meletianorum fama & dignitas, sed Arianorum res cordi & sollicitudini erant. Cum viderent ergo, per otium & pacem Athanasio licere solitam augendæ rei Catholicæ operam navare; interturbare consilia ejus Meletianorum ope satagunt, hosque rursum evocant ad pristinam fingendi & calumniandi artem. Meletiani igitur instaurato fœdere, elapsis triginta ab indicta Cæsareæ synodo mensibus, Athanasium denuo reum agunt apud Imperatorem, & inveteratas confutatasque criminationes renovant. Prodigii simile est, tam versatilem & sycophantis opportunum Constantini animum fuisse; ut quæ toties ille falsa & commentitia deprehendisset, ea denuo in judicium vocari concederet. Eusebiani ergo, ut ait Athanasius, iis usi scenæ quam parabant histrionibus, auctores sunt Imperatori, ut synodum Tyri jubeat coogregari. Tum Comes Dionysius eo mittitur, imperio suo omnia moderaturus. Satellitium militare Eusebianis datur, ut arbitrio suo peragant omnia. Eo concedunt magno numero Eusebiani; quorum primipilares Eusebius Nicomediensis, Eusebius Cæsariensis, Narcissus Neronopolitanus, Placillus Antiochenus, Theognius Nicænus, Maris Chalcedonensis, Theodorus Heracleotes, Patrophilus Scythopolitanus, Theophilus, Ursacius Singidonensis, Valens Mursinus, Macedonius Mopsuestenus, Georgius Laodiceous, & alii plurimi. Nec tamen deerant quibus æqui bonique studium esset, sed perpauci. Inter eos Maximus Hierosolymitanus, Marcellus Ancyranus, Alexander Thessalonicensis, Asclepas Gazensis. Sexaginta omnes numero præter Ægyptios erant, auctore Socrate. Ab hoc cœtu avertebat Athanasii animum pristinarum recordatio conspirationum; nec tutum esse arbitrabatur hostibus se committere, quos penes tunc summa rerum esset, ubi nulla æqui ratio futura, sed omnia Eusebianorum arbitrio agenda, jubente Comite, cogentibus militibus. At vel invitus ille, litteris compulsus Imperatoris, iniquo judicio secum agi passus, co cum Ægyptiis episcopis quadraginta-novem se contulit. Macarius item presbyter vinctus, catenisque onustus, Tyrum adductus a militibus est, ob delatum crimen fracti calicis & eversæ mensæ. Quæ res per quidem in-

Sozom. l. 2. c. 25.

Synodus Tyria.

Athan. Apol. contra Arianos n. 71.

Socrat. l. 1. cap. 25.

Anno 335.

indigna erat, Sacerdotem necdum convictum tam aspere excipi in præsentia Episcoporum.

Theodoret. l. 1. c. 29.

2. Constantinus reconciliandæ pacis percupidus, litteris ad Tyriam synodum missis, significavit optatissimum esse sibi, ut simultas omnis & altercatio in Ecclesia comprimatur; sed quia non deessent, queis turbas dare & omnia miscere animus esset, hortari se Episcopos ad Synodum celebrandam convocatos, ut dissideotia membra ad concordiam revocarent, quam de medio sustulerat paucorum hominum arrogantia. Monet ut citra odium gratiamque aliquam, juxta Ecclesiæ regulas delictorum pœnas sumant. His acceptis litteris, Episcopi causam Athanasii agere cœperunt. Sedebant episcopi Athanasio infensissimi, inter quos eminebat Eusebius Cæsariensis. Stabat coram Athanasius, cui sedis suæ jure primas deferri oportuisset, una cum Ægyptiis episcopis, qui io viæ periculique societatem venerant. Eusebium inter judices conspicatus Potammon Heracleæ in Ægypto episcopus, cui fuerat sub Maximiano pro fide Christi oculus exsculptus, collacrymans & dolens his hominem dictis compellat. „ Te-ne, inquit, „ Eusebi, sedere, & insontem Athanasium te „ judicem ferre? Quis istæc toleret? Dic sodes, „ nonne mecum Tyraonorum tempore in custo„ dia fuisti? Atque ego quidem oculo sum pro „ veritate mulctatus: tu nulla corporis parte „ mutilatus es, neque in fidei testimonium ali„ quid passus, sed iocolumis integerque ades. „ Quanam ratione ex custodia elapsus es, nisi „ quia pollicitus es te nefarium quidpiam ad„ missurum, vel fortasse admisisti? „ His Eusebius auditis excanduit; & mox consurgens cœtum solvit hæc loquutus: „ Si taota hic „ procul finibus vestris arrogantia estis: haud „ abs re io crimen petulantiæ & superbiæ vo„ camini a contribulibus vestris. „ Non desunt tamen, qui Eusebium purgare curent a crimine vel suspicione oblati diis sacrificii: verum nobis ad ulteriora properantibus hæc non licet subtilius explorare. Cæterum non Eusebius tantum accusatus est; sed erant in cœtu Eusebianorum alii criminibus obnoxii: qui cum hæreseos, tum aliorum fœde gestorum causa male audiebant; hos inter eminebat nequissimus ille Georgius Laodicenus, ab Alexandro olim abdicatus, qui turpissimæ vitæ causa omnibus perosus erat.

Eusebium arguit Potammon.

Epiphan. Hær. 69.

Quæ crimina Athanasio offeruntur.

Sozom. lib. 2. cap. 25.

3. Ventum deinde ad crimina est; acceduntque ex parte Joannis Archaphi delatores Meletiani, Callinicus Pelusii, & Ischyras sive Ischyrion. Hic de confracto calice, de mensa & cathedra episcopali subversis accusationes redintegravit. Querebatur item se sæpenumero Athanasii opera in vinculis detentum; & accusatum ficto crimine apud Hyginum Ægypti præfectum, quod Imperatoris imagines saxis appetiisset, io carcerem detrusum fuisse. Callinicus abdicatum se ab Athanasio conquestus est, licet ante Alexandro communione junctus fuisset; causam irarum fuisse, quod Callioicus ipse communicaturum se cum Athanasio negasset, donec calicis confracti crimeo & suspicionem depelleret. Indigne ferre se Callinicus ajebat, quod Marcum quemdam, Presbyteri officio deturbatum, in Pelusii episcopatum promovisset; seque militarem custodiam, tormenta ac judicia ejusdem Athanasii artibus, subire compulsum. Aderant præterea ex Meletianorum caterva Euplus, Pachomius, Isaac, Achillas, & Hermæon episcopi, qui inflicta sibi ab Athanasio verbera mentiebantur, Omnes porro una ejusdem farinæ accusatores promotiooem ejus in crimen vocabant. Ajebant nempe, cum omnes Episcopi ante decrevissent, ut nemo eligeretur antequam oblata sibi crimina coram dilueret; Athanasium tamen quorumdam perjurio ad episcopatum pervenisse; quæ causa ipsis fuerat, ut fraude circumventi ab ipsius societate & communione desciscerent. Athanasium autem, nedum oblata crimina propulsaret, vi illata ipsos accusatores in carcerem conjecisse. Post hæc accusatio de Arseoio iterum agitata. Atque ut evenire solet, cum ii, qui perniciem alicujus machinantur, gratia & auctoritate valent, videre erat Eusebio assentantes nonnullos, qui inter amicos Athanasii ante numerabantur, jam inexpectatos accusatores accedere. Lectus est quoque libellus popularium exclamationum, quasi scilicet plebs Alexandrina, odio Athanasii iocensa, cooventus ecclesiasticos detrectaret. Athanasius autem jussus causam dicere, ac frequenter in jus vocatus, ex oblatis criminibus alia depulit; pro aliis tempus & moram postulavit ad perquisitionem. Hæc ex Sozomeno hausimus; io cujus narratione veri vestigia comparent. Meletiani namque omnes hic memorati, uno excepto Euplo, enumerantur omnes in breviario Meletii.

Anno 335.

4. Etsi porro crimina multa offerebant Antistiti, duo potissimum erant in ejus exitium comparata, in quibus comprobandis operam ponebant. Aderat Ischyras, qui Athanasium modo, modo Macarium confracti calicis insimulabat. Præsens item erat Joannes, qui Arsenii necem Athanasio imputaret perquam impudentissime, postquam, nec sine ejus pudore & infamia, deprehensa ac detecta calumnia fuerat.

5. Tum Athanasius aliique Ægyptii, qui principio Eusebium & socios superius memoratos judices in sua causa recusarant, quod probe scirent, neminemque fugeret, eos non Athanasii modo, sed orthodoxorum omnium inimicos esse, queis quavis data occasione insidias & bellum pararent; necessitate atque injuria compulsi, Meletianorum criminationem in Athanasium adornatam propulsare aggrediuntur. Verum Eusebiani dicta Episcoporum interpellare, eorumque testimonia repudiare nisi sunt. Tum versi in judices, quibus quoddam inesset veri & æqui studium, alios minis, alios convitiis lacessere, ut deterrereot ab æquitate vindicanda. Neque tameo summa licet vi usi, licet Comitis auctoritate ac militum manu freti, licet carnifice quodam & compulsore ministris usi, licet omnia præter jus fasque agereot, comprobare potuere crimina Athanasio oblata. Ischyræ namque calumnia de calice fracto & de mensa subversa, Episcoporum omnium Ægyptiorum testimonio depulsa est, nec quodpiam gestæ hujusce rei potuit Ischyras argumentum proferre.

Athan. Apol. contra Arianos n. 7. 8. 9.

Calumniæ deteguntur.

6. Quod aliam vero sycophantiam spectat de Arsenii nece, sic illa referente Theodoreto detecta, nec sine ingenti Meletianorum ignomioia, fuit. Deinde famosam illam thecam & manum sale conditam protulerunt, tum erupit spectantium clamor; aliis verum flagitium esse

Socrat. l. 1. cap. 28. Sozom. lib. 2. cap. 25. Theodor lib. 1. cap. 30.

æsti-

Anno 335.

æstimantibus; aliis, qui latere Arsenium norant, falsum putantibus. Vix tandem compressis clamoribus, judices Athanasius percontatur, num cui notus Arsenius. Cum multi respondisseot eum se probe nosse, adduci hominem jubet. Rursum ille, isne esset Arsenius rogabat, quem peremisset ipse, quem perquirerent illi, cujus manum ipse dexteram amputasset. Fatentur illi, Arsenium ipsum esse. Quibus Athanasius, reducto pallio, utramque manum ostendit, dextram sinistramque. Aliam, inquit, præterea nemo requirat; duas enim solum manus a conditore Deo omnes accepimus. Socrates autem ita rem narrat. Athanasius pallio in alterum latus reducto, manum hominis ostendit. Rursum nonnullis suspicaotibus altera eum manu truncatum; aliquantum moratus, ancipites illos hærere permisit. cum alterum pallii latus reduxisset, alteram quoque Arsenii nudavit manum; & præsentes compellans: Arsenius quidem, ait, ut videtis, utraque manu integer est. Tertia hæc unde excisa fuerit, indicent accusatores. Utrum vero ista serie calumnia mutilati Arsenii detecta sit, ao exornandæ orationis causa multa sint adjuncta, incertum. Unum coostat, Arsenium nempe synodo adfuisse, præsentemque cædis & mutilationis crimen repulisse, ut narrat Athanasius.

Athan. Apol. contra Arian. n. 72.

7. His perspectis accusatores, ait Sozomenus, ad levandam ignominiam novo usi crimine, ajunt Plusianum quemdam episcopum Athanasio addictum, jussu illius incendisse domum Arsenii, ipsumque columnæ alligatum loris excepisse, & in cellulam inclusisse, unde elapsus Arsenius per fenestram se proripuisset; ac exinde aliquamdiu delituisse, nec sine causa pro mortuo & ambusto habitum fuisse: qui quod præclarus vir esset & confessionis gloria insignis, idcirco Joannem & asseclas, ejus perquirendi causa, magistratus adiisse. Ait tamen Socrates, Joannem detectæ calumniæ pudore illico fugam fecisse.

Historia mulierculæ suspecta.

Rufin. lib. 1. cap. 17. Sozom. lib. 2. cap. 25. Theodoret. l. 1. c. 30.

8. Aliam memorat Rufinus criminationem mulierculæ, quæ ad synodum intromissa vociferari cœpit, virginitatem se Deo vovisse, sed ab Athanasio tum hospite suo vi compressam & pollutam fuisse: *Introduci ad hæc*, ait Rufinus, *jubetur Athanasius. Ingreditur cum Timotheo presbytero suo, eumque monet ut posteaquam mulier dicendi finem fecisset, se tacente, ad ea quæ dixerat responderet. Cumque mulier ea quæ docta fuerat perorasset, Timotheus conversus ad eam: Vere, inquit, mulier, ego mansi apud te aliquando, aut vim tibi ut asseris feci? Tunc illa, ut mulierum se talium procacitas habet, objurgans Timotheum: Tu, tu, inquit, mihi vim fecisti, tu in illo loco commaculasti castitatem meam. Tum omnes ridiculosus pudor habere cœpit, quod tam facile tacente eo fictio compositi criminis patuisset*. Tunc dimissa mulier fuit. Athanasius vero non dimittendam esse contendebat, sed interrogandam quis horum auctor esset. Verum illi occlamarunt, alia superesse crimina longe graviora, quæ nullo possent artificio depelli. Ac tum veotum esse ait ad criminationem de Arsenio enecto.

9. Sed eam mulierculæ historiam multis nominibus suspectam esse, ac fingentis magis artificium, quam rem vere gestam olere, nemo inficias eat, qui adverterit eam oon ab Athanasio, qui res Tyri gestas accurate bis terve recenset, imo nec a synodis Alexandrina, Romana sub Julio, & Sardicensi memorari, in quarum synodicis epistolis pluribus enumerantur aliæ Eusebianorum in Athanasium adornatæ criminationes. Quæ vero causa tanti facinoris silentio prætermittendi, potissimum in Sardicensi synodo, quando e re Patrum erat id inter alia adferre, quo liquidius foret jure ac merito tantæ calumniæ artifices damnari & abdicari? Quorsum Philippopolitani præsules conscelerati, repetitis aliis in Athanasium criminationibus, hanc taceant? Cur Epiphanius & Socrates tam nobile flagitium Arianorum omittant, si vere gestum, qui pluribus Tyrias res persequuntur? Et sane Sozomenus, qui ex Rufino eam historiam, ut & Theodoretus, mutuatus est, fatetur eam non in actis synodalibus comparere, sed, utpote turpem & ridiculam, omissam fuisse. Quasi vero id more receptum sit, ut in judicio taceantur reorum calumniæ, cum turpes, cum ridiculæ sunt, ubi e re judicum est, ut pateat omnibus jure ac merito infligi pœnas. Et alioquin noo talis hæc historia est cui honos præfandus sit; cum maxime quantumvis turpe factum possit carptim honesteque narrari. Ad hæc, quis Eusebianos putet tam supinos, tam oscitantes fuisse, ut adornatæ ad calumniam mulierculæ non indicarint, quem accusatum oporteret?

Anno 335.

Philostorg. l. 2. n. 11.

10. At his fortasse argumentis quis occurrat, dicendo Philostorgium, qui sanctis & catholicis infestus viris, criminationes ab eorum adversariis conflatas ipsis adscribere solet, enarrare mulierculam ab Athanasio subornatam fuisse, quæ Eusebium Nicomediensem illati stupri accusaret: cui occasio hæc scribendi fuisse videatur illa Eusebianorum calumnia io Athanasium parata. Sed cum ante Philostorgii ætatem ea, seu vera, seu falsa, sit evulgata, oihil hinc ad eam afferendam erui potest. Philostorgius quippe tam ex falsa, quam ex vera historia, potuit ea scribendi occasionem arripere.

Legatio Mareotica.

Athan. Apol. contra Arian. n. 72.

11. Eusebiani patefacta deprehensaque conspiratione, pudore adfecti, inopesque consilii, usque eo quid agerent noo habebant, ut Dionysio Comiti auctores esseot legatos in Mareotem mittendi, perquisitum ao quidpiam criminis possent io Macarii gestis deprehendere, quasi res non satis agitata & expensa fuisset. Verum nec obscure id consilii Eusebianis erat; ut quia, depulsis criminibus, interclusam sibi spem opprimendi Athanasii cernerent, in Athanasium absentem pro libidine coospirarent. Athanasius autem & Ægyptii contra contendere supervacaneam fore illam in Mareotem legationem, palam perstringere eorum simulationem atque vafritiem, quod rem tamdiu meditatam, tanta opera concinnatam, jam inopia argumentorum dicerent non satis exploratam esse; quia res secus cessisset, quam peroptarent ipsi. Tum ubi adverterunt, eo demum Eusebianorum dolo & pervicacia ventum esse, ut omnino ejusmodi legatio mittenda esset; id rogabant, ut ne saltem suspecti viri quæsitores darentur. Æqua res Comiti visa est, viros æqui bonique studiosos, nec cuipiam factiooi deditos, eo mitti oportere. At illi, quibus in animo erat insidias iterum parare in Athanasii perniciem, missis quatuor ante diebus veredariis, qui Meletianos in Mareotem alienam sibi regionem

co-

Anno 335. cogerent, præmissis item Meletianis & Colluthianis quibusdam, qui omnia ad conspirationem adornarent, habito seorsim concilio, clam legatos eo delegant suæ sectæ principes, Theognium scilicet, Marin, Theodorum, Macedonium, Ursacium & Valentem. Hinc litteræ ad Præfectum datæ, ut arbitratu legatorum omnia ageret. Hinc militare satellitium deputatum, ut militum ope & auxilio testimonia extorquerent, & documenta conscriberent. Quodque suspicione plenum ac iniquissimum erat, Macario presbytero sub militum custodia relicto, accusatorem secum abduxere.

Conquestio Athanasii, & Ægyptiorum. Athan. Apol. contra Arian. n. 72.

12. His conspectis Ægyptii episcopi, qui cum Athanasio Tyri versabantur, rei indignitatem non ferentes, data ad alios episcopos Tyri coactos epistola, contestantur perspicuam sibi esse Eusebianorum in Athanasium & in se conflatam conspirationem. Queruntur contra jus fasque gesta omnia, suspectos ejeratosque judices fuisse, ficta crimina, legatos sibi adversarios designatos, qui nihil non arbitratu Eusebianorum agereot, pari fide gesta cætera. Monent demum, Eusebianos dolo usos epistolam tradidisse, quasi a Colluthianis, Meletianis, & Arianis adversum se scriptam: cavendum esse ne quidpiam eorum rogatu designetur, utpote inimicorum sibi; non ignorare illos quid causæ esset, quod ab anno proximo Eusebius Cæsariensis in apertas adversum se inimicitias prorupisset. Huic quoque simile rescriptum Dionysio tradunt Comiti.

Alexander Thessalonicensis improbat factum Eusebianorum. Apolog. contra Arian. n. 80.

13. Horum certior factus Alexander episcopus Thessalonicensis, cujus grandis erat apud utramque partem existimatio, famaque sanctimoniæ, litteris monet Comitem palam se videre conspirationem in Athanasianos adornari, quod suspectos & recusatos homines eo misissent legatos: allatum sibi fuisse nuntios præmissos a Joanne, periculumque esse ne Colluthiani, Meletiani, & Ariani per Ægyptum totam turbas moveant: neu locus criminandi Episcopos fuerit, si non ex æquo & bono judicium feratur.

14. Comes Dionysius litteris Alexandri commotus, Eusebio atque sociis rescribit, jam se Flacillo renuntiasse conquestum Athanasium de iniqua & præpostera legatione, rem nequaquam ex animo domini animæ suæ (sic ille) Alexandri factam; id sibi semper consilii fuisse ut communi calculo & suffragio mitterentur legati; haud levem fore criminationi locum, si Alexander episcopus rebus gestis non obtemperaret. Hæc ille. Neque id non intelligebant Eusebiani: sed vetabat cupido exterminandi Athanasii, ne quid consilio & æquitati darent.

Ægyptii appellant Imperatorem.

Cumque animadverterent Ægyptii episcopi, Eusebianos nihilominus ad cœpta progredi, neque sistere gradum; rescripto ad Dionysium Comitem dato, rogant ut quando Eusebiani pro libidine, nulla servata æqui bonique ratione, multa in suam perniciem machinarentur, judicium totum reservaretur Imperatori. Comes autem, etsi legationis iniquitatem palam coarguebat, infestus tamen Athanasio, multum adversus illum operæ insumebat, usus ad arbitrium vi auctoritateque sua. Quæ causa fuit ut Athanasius, conspicatus omnia arbitratu & impulsu adversariorum agi, seque in discrimine versari, se proriperet adiretque Imperatorem.

Anno 335.

Fuga Athanasii.

15. Videtur porro Athanasius profectus esse statim atque legati ad Mareotem iter instituerunt, Ægyptiis Imperatorem appellantibus. Et vero quid reliquum erat post hujusmodi appellationem, quam ut adiretur Constantinus? Et hæc est item concors scriptorum pene omnium sententia. Quæ vero quæstio movetur, utrum crimen prius oblatum, illudne de calice fracto, an aliud de enecto Arsenio, levis omnino momenti. Fortassis hac ratione facile concilientur opiniones, si cum Athanasio dicamus, allatam primum fuisse criminationem illam de calice fracto & de mensa subversa; sed cum idonea testimnnia & argumenta ad eam comprobandam non suppeterent, itum ad criminationem de Arsenii nece; quæ cum ipso præsente Arsenio falsa & nugatoria esse deprehenderetur, inopia criminum, redintegratam tum fuisse pristinam illam, propter quam legatio clam decreta fuit.

Athan. Apol. contra Arian. n. 82. Rufin. lib. 1. cap. 17. Sozom. lib. 2. cap. 25. Theodor. lib. 1. cap. 30.

16. Narrant Rufinus, Sozomenus, & Theodoretus, detectis insidiis ac deprehensa conspiratione, accusatores & judices qui fraudis conscii erant, tumultu ac seditione synodum complevisse, præstigiatorem vociferantes Athanasium, maleficum, sacerdotio indignum, ac de medio tollendum: tum eos qui jussu Imperatoris disciplinæ pacisque servandæ causa synodo intererant, veritos ne violentas ei inferrent manus, clam judicibus virum proripuisse, Athanasiumque conscensa navi Constantinopolim profectum esse, ut causam apud Imperatorem ageret.

Legatorum gesta Alexandriæ & in Mareote. Apolog. contra Arian. n. 13. 14.

17. Interea legati cum Ischyra profecti, relicto sub militum custodia Macario, Alexandriam venerunt; dataeque litteræ Philagrio sunt Ægypti Præfecto, genere Cappadoci, transfugæ a religione Christiana, qui auctoritate deinceps & opera sua in res Eusebianorum gerendas incubuit. Alexandriæ dum versarentur legati, domus victusque quotidianam societatem habuere cum accusatore Ischyra. Et sub hæc, comitante Philagrio, militibus stipati in Mareotem proficiscuntur, sedemque ponunt in ipsius Ischyræ domo. Hic monumenta edita, hic perquisitiones factæ sunt: hic dolos, machinas, cuncta veteratoriæ artis tela compararunt. Animadversa presbyteri Alexandrini & Mareotici legatorum nequitia atque vafritie, homines coram objurgant, quod soli cum accusatore, reo Tyri dimisso, accederent: postulant sibi saltem eorum actis & perquisitioni interesse liceat; se totius negotii & eorum quæ Ischyram spectarent esse conscios, gnaros item qui testes veraces, qui contra ab Ischyra subornati essent: quorum nedum admissa postulatio fuerit, non sine vi repulsi & eliminati sunt. Quodque mirum, ac tali caterva dignissimum, exactis Presbyteris, Philagrium militesque ethnicos admiserunt ad rerum sacrarum quæstionem. Intromissi ad testimonium ferendum, non Clerici, sed Catechumeni, qui sacris numquam interessent. Imo vero Ethnici ac Judæi in testes admissi, ubi de confracto sacro calice, de mensa seu altari subverso res erat; quibus, utpote prophanis, nec initiatis, ne obtueri quidem res hujusmodi licitum erat. Non ea mente, non eo consilio interrogabantur, ut veritatem aperirent, sed ut nutu inimicorum Athanasii, crimina proferrent. Si quis Athanasium illatæ contumeliæ insimularet, is mox Catholicus au-

Athan. Apol. contra Arian. n. 81.

die-

Anno 335. diebat, etsi numquam Christianam professus religionem. Nec satis consulto tamen concinnatæ res fuere; suisque ipsi fraudibus, suis machinamentis proditi, ac suis, ut ita dicam, telis confossi sunt. De sacris enim quæstionem habentes cum Judæis & Catechumenis; Ubinam, ajebant, eratis, quando irrumpens Macarius mensam evertit? Intus, inquiunt, eramus. Atqui non poterat oblatio tum fieri, si Catechumeni intus erant. Et cum litteris evulgassent ubique, stante Ischyra & sacra faciente, irruisse Macarium, & omnia evertisse; ea quoque de re percontantur, ubinam esset Ischyras, quo tempore Macarius irruperit. Responderunt iterum illi, in cellula ægrum decubuisse. Non stabat igitur qui decumberet, nec sacra faciebat qui in cellula ægrotus jaceret. Ad hæc, testificante Ischyra a Macario ambustos fuisse Ecclesiæ libros; ipsi tamen testes, etiamsi submissi & subornati, fassi sunt nihil hujusmodi gestum fuisse; sed mentiri Ischyram. Et perquam mirum fuit conquestos lucifugas, occultatos fuisse ab Athanasio eos qui testimonium ferre possent, eosdem tamen palam interrogasse. Acta autem hujusmodi eorum arbitrio & nutibus, Præfecti terrore, militum vi atque illatis plagis conscripta, tanto pudori vel ipsis auctoribus fuere, ut ea summa sollicitudine abderent; amanuensibusque juberent, ut eorum nemini copiam facerent: sed cessit res contra quam rati erant. Nam Rufus eorum scriba, qui postea fuit in Augustaliana spiculator, omnium gnarus, aderat qui gestorum *Athan. ibid.* ferret testimonium. Eusebiani quoque paucis post annis ea per oratores suos Romam miserunt, Athanasioque sunt ea ipsa per Julium episcopum transmissa. Quæ res sceleratos in furorem & vesaniam agebat, quod videlicet quæ occulta & ignota esse peroptarent, ea Athanasius præ manibus haberet, ea legeret.

Athan. Apol. contra Arian. n. 73. 18. Presbyteri autem & Diaconi, cum Alexandrini, tum Mareotici, rei indignitatem non ferentes, rescripta edunt; contestantur non ex æquo & bono perquisitionem haberi. Et Alexandrini quidem, litteris ad legatos missis, queruntur reo non præsente habitam quæstionem, sibi rerum gnaris denegatum aditum; ut solis liceret pro libidine rem gerere. Dant se epistolam istam, quæ in vera synodo in testimonium adferretur. Mareotici vero, epistola ad synodum Tyriam missa, significant Ischyram non vere presbyterum, ficta crimina in Macarium, id sibi in eodem agro versantibus probe compertum esse, qui Athanasio Mareotica loca perlustranti semper adessent: accedentes se ut inquisitionibus interessent, aditu interclusos, repulsam tulisse, & summo quidem opere exoptare, ut Tyrum accedendi facultas sit, si non omnibus, saltem quibusdam ab se legatis. Eadem ferme ipsa Mareotici, Philagrio præfecto, Palladio Curioso & Antonio commeatuum præfecto litteris renuntiant, rogantque ut hujusce rei notitia ad Imperatorem & ad filios ejus deferatur. Data fuit hæc epistola die decima mensis Thot, id est, septima Septembris, Coss. Julio Constantio fratre Constantini Imperatoris & Rufino Albino, anno Domini 335.

Athan. Apolog. contra Arianos n. 73. 19. Ex Mareote profecti Alexandriam, indigna in Catholicos, in virgines, in frugi homines Athanasii amantes perpetrarunt. Eorum quippe jussu milites & gentiles strictis gladiis *Anno 335.* obvios, & maxime virgines impetere, earum sacra corpora nudare, cædere, ita ut pedibus male mulctatæ claudicarent. Ethnici vero aras & sacrificia minitari; adeo ut temerarius quidam homo, quasi potestate ab impio Præfecto in Episcoporum gratiam accepta, virginem manu abreptam ad altare forte obvium raptaret, vim olim Christianis illatam & tyrannorum violentiam æmulatus. Inter hæc facinora videre erat virgines fugere, & ethnicos Ecclesiam ridere, & quidem ante ipsas Episcoporum ædes, quæ revera erant officina nequitiæ & diversorum flagitiorum. Ex ea quippe domo gladiis ac telis instructi prodibant, qui vim & mala Catholicis inferrent, qui virgines nullo non contumeliarum genere onerarent. Et hæc illæ jejunii tempore a militibus contubernalibus & compotoribus Episcoporum perpessæ sunt. Quæ autem tantorum flagitiorum occasio fuerit, nuspiam traditur. Verum augurari licet eo iniquitatis & violentiæ legatos & præfectum progressos, quia cernerent populum Alexandrinum, maximeque virgines horrere illam periniquam contra Athanasium structam conspirationem, & fortasse maledictis ejus artifices insequi, cum post peracta illa nefaria monumenta procederent per urbem.

20. Legati demum rebus præclare gestis Tyrum remigrarunt, cum sese jam Athanasius Eusebianorum furori proripuisset. *Athanasius damnatur.* Ait vero Socrates, post fugam Athanasium, declinati judicii causa, damnatum fuisse; *Socrat. lib. 1. cap. 32.* postquam autem acta Mareotica allata sunt, abdicationis in eum sententiam tulisse Eusebianos. Sozomenus vero, *Sozom. lib. 2. cap. 25.* qui Tyrias res accuratius quam alii recensset, his prope verbis rem enarrat. Synodus absentem Athanasium damnavit & episcopatu abdicavit; interdixitque aditu Alexandriæ, ne tumultuum turbarumque auctor esset. Joannem vero & asseclas, tamquam injuria pulsos & male acceptos, ad communionis societatem admittit, singulisque suum in Clero gradum restituit. Hinc litteris Imperatori gesta sua significant Eusebiani. Epistolasque omnibus ubique terrarum Præsulibus mittunt, queis hortantur ut ne ultra Athanasii communioni sint adjuncti, neu litteris ultro citroque missis amicitiam cum illo foveant; scelestum vocantes, reum multorum criminum deprehensum, fuga elapsum judicibus; quod novum facinorum esset argumentum. Hac porro de causa inflictas ei pœnas esse, quod cum anno proximo synodum Athanasii causa celebrari edixisset Imperator, detrectasset ille iter instituere, tametsi adventum ipsius exspectantes multi Præsules, diuturnum Cæsareæ tempus extraxerant: deinde quod cum plurimi Episcoporum Tyri convenissent, ille multitudine stipatus accedens, turbis seditionibusque excitandis navasset operam, modo oblata crimina depellere abnuens, modo singulos Episcopos convitiis & probris onerans, interdum accitus non gerens morem. Confracti autem mystici poculi convictum fuisse denuntiant, cujus rei testes essent Mareotici legati. Hæc conscelerati homines litteris mandare non erubuerunt. Presbyteri autem Mareotici, qui *Athan. Apol. contra Arian. n. 17.* confutandi Ischyræ causa accesserunt, ne auditi quidem, repulsi sunt. Multi tamen ex Episcopis qui aderant, iniquo judicio ac rebus contra jus fasque gestis minime adstipulati sunt.

Anno 335.

Maximus autem Jerosolymitanus, cum in turba sceleratorum consisteret, vir tamen pius & sanctimonia insignis, & Christi confessor, a Paphnutio Ægyptio episcopo pariter confessore, cui effossus oculus pro Christi nomine fuerat, manu eductus est ex Synodo, ne pravorum judicio adstipularetur. Sunt autem qui antea in ipso Synodi decursu id gestum arbitrentur. Ait autem Socrates, Maximum damnationi Athanasii suffragium adscripsisse. Verum accuratius multo Sozomenus, quam Socrates, quæ Tyrium spectant synodum pertractavit. Nec plus habet firmitatis, quod ait ipse Socrates, Arsenium subscripsisse Athanasii abdicationi. Nam Ægyptii episcopi anno 340. contestantur sibi Arsenium hærere; & a vero simili abhorret, Arsenium, qui tempore Synodi ex partibus stabat Athanasii, ut criminationem propulsaret, condemnationi postea ejus suffragium dedisse. Ignoratur porro quinam Episcopi abdicationi Athanasii subscribere renuerint: unus tantum memoratur Marcellus Ancyranus; cujus persæpe mentio inferius.

Socrat. lib. 1. cap. 8.
Sozom. l. 3. cap. 6.
Socrat. lib. 1. cap. 32.

21. Unum restabat, ut scilicet Ischyræ sycophantæ pactam calumniæ mercedem Eusebiani solverent. Itaque ut optatis hominis fieret satis, eum, tametsi oondum presbyterum, in vico ipsius omnium Mareoticorum minimo episcopum constituerant. Neque tamen non intelligebant illi rem perabsurdam perque indignam esse, atque ecclesiasticæ traditioni adversari. Sed pactione sua id agere compulsi sunt; ne si ingrate cum sceleratissimo homine ageretur, fabulam ille totam denuntiaret. Imperatori igitur auctores fuere, ut litteris ad Catholicum seu Thesaurarium missis, juberet ecclesiam Ischyræ ædificari in loco Pax Secontaruri dicto, eo quidem consilio ut episcopus cum esset atque ecclesia potitus, fide dignus haberetur cum de calice & de mensa ferret testimonium. Nullum enim umquam nactus fuerat obsequentem populum, ne cognatos quidem & adfines suos; sed sycophanta audiebat apud omnes, &, ut ait Athanasius, quasi canis pellebatur ubique. Catholicus autem epistolam misit ad exactorem Mareotæ, jubens ecclesiam in hujusmodi vico excitari. quod tamen minime peractum fuit, sed vacuam ille & inutilem servavit epistolam, quam ad verbum adfert Athanasius.

Ischyras episcopus constituitur.
Apolog. contra Arianos n. 85.

22. Eusebiani Athanasio damnato, necdum tamen confectis rebus, (una quippe supererat, cujus gratia tanta molimina, tantam negotiorum vim, tantum iter susceperant, nempe ut Arium, Arianosque in ecclesiasticæ communionis societatem admittereot) rem propediem acturi, Imperatoriis litteris evocantur Hierosolymam, tabellario præclaro quodam viro, Imperatoris Notario, cui nomen Marianus. Exstructa namque in Calvariæ loco ecclesia, quæ magoum martyrium deinceps nuncupata est, Encæniis totam Synodum interesse celebritatis causa voluit Constantinus. Mature igitur ex Augusti voto eo se contulere Episcopi, ut alios ex toto terrarum orbe coactos convenirent. Tanti cœtus amplitudinem, dignitatem, pietatem magnifice describit Eusebius Cæsariensis; cui fortassis fidem habere religio fuerit, cum eos quoque laudibus exornet qui nec obscure Arianis rebus dabant operam, alios itidem celebret sexcentis sceleribus obnoxios. Tacito autem cujusque nomine, indicatis solum provinciis, de Episcopis verba facit. Qui Macedoniæ primas dicitur, Alexander est Thessalonicensis, vir sane frugi, insidiis tamen & machinamentis Arianorum circumventus, eo adductus est ut in eorum partibus consisteret. Lecta illa Pannoniæ & Mœsiæ juventus, ii sunt Ursacius & Valens, multis flagitiis nobilitati, Arii magisterio, studioque promovendæ hæreseos insignes. Episcopus autem Persarum memoratus ab Eusebio putatur esse Milles, qui postea Christi causa cervices dedit. Cilices episcopi erant Narcissus Neronjadis & Macedonius Mopsuestenus Arianis deditissimi. Longum esset reliquos ex Thracia, Bithynia, Syria, Phœnice, Palæstina, cæterisque regionibus commemorare. Ex Ægypto autem Thebaide atque Libya aderant Meletiani episcopi: qui post initam cum Eusebianis societatem eorum cœtus adire non impigri erant. Penes Eusebianos summa rerum erat; & si qui fuerunt in cœtu tanto æqui bonique studiosi, ii dolo atque mendaciis illorum a probo consilio abducti & circumventi sunt. Interfuit etiam Marcellus Arianis infestissimus, de quo mox plurima.

Episcopi Tyrii a Constantino evocantur Jerosolymam.
Socrat. lib. 1. cap. 33.
Sozom. l. 2. cap. 26.
Euseb. lib. 4. de vita Constantini c. 43. & sequent.
Synodus Jerosolymitana.

23. Non est instituti nostri ea recensere, quæ ineundæ cum Arianis gratiæ causa adfert Eusebius de Jerosolymitanæ Synodi dignitate, ita ut ausit eam cum Nicæna, decem ante annos celebrata, conferre. Ecclesiæ igitur a Constantino exstructæ ejusque donis auctæ encænia Episcopi celebrant. Orationem ea die solemnem habuit Eusebius Cæsarieosis ad totum Episcoporum & aulicorum cœtum. Diem celebritati assignat Chronicon Alexandrinum 17. Septembris, Græci recentiores decimam tertiam ejusdem mensis. Quæ ratio temporis vix ac ne vix quidem quadrare potest cum epistola Cleri Mareotici, quæ dicitur die decima mensis Thot conscripta, id est septima Septembris, quo tempore in Ægypto versabantur Theognis cæterique legati ad Mareotem. Inde vero illi post peractam perquisitionem Tyrum concessere, ubi perlectis eorum monumentis, abdicatus Athanasius est. Sub hæc, evocante Constantino, Jerosolymam contendunt. Minus vero spatii & temporis est a decima Septembris ad decimam tertiam, vel decimam septimam, quam ut a numeroso cœtu tantum itineris sit emensum. Adeoque aut error sit oportet in epistola Cleri Mareotici, quod minus probabile; aut Græci encænia ecclesiæ Jerosolymitanæ non celebrant ex ipsa qua contigerunt die.

24. Secundum hæc Eusebiani palam fecerunt quo spectarent illa tanta in Athanasium molimina, quo illæ circuitiones, conspirationes, calumniæ; concinnata scilicet hæc omnia fuisse, ut aditus pararetur Arianis ad Ecclesiæ communionem. Tentatæ igitur ab Ario reditus viæ, cum non ex suo suorumque voto hactenus cessissent, jam Eusebii & asseclarum opera apertæ munitæque fuere. Iisdem enim, ut putatur auctoribus, litteris Constantinus Jerosolymitanam synodum cohortatur, ut Arium & sequaces admittat, quos nulli non bono infesta invidia diu foris Ecclesiam detinuisset. Sanam eorum fidem ipsis coram loquentibus & ad interrogata respondentibus comperisse, atque eorum fidei formulam epistolæ suæ adjicere. Cujus formulæ argumentum superius ad annum 329. expensum est.

Arius admittitur ad communionem.
Athan. Apol. contra Arian. n. 84.

25. Ejus-

Anno 335.

25. Ejusmodi accepta Imperatoris epistola Eusebiani, haud impigre ejus placitis obtemperant; &, rem scilicet jamdiu paratam meditatamque, Arium & Arianos admittunt ad communionem: resque gestas missis litteris ubique terrarum significant, receptos Arianos evulgant; idque Imperatoris hortatu, ac Synodi decreto. Non desunt tamen ex recentioribus, qui tempore synodi Jerosolymitanæ jam mortem obiisse Arium arbitrentur, neque Arium ipsum, sed ejus sequaces admissos. quam sententiam alias confutavimus.

Marcellum Ancyranum impetunt. *Socrat. lib. 1. cap. 36. Athan. de Synodis n. 18.*

26. Ut res sese prospere dabant, ad Marcellum Ancyranum infensum sibi præsulem deturbandum vertunt conatum Eusebiani. qui Marcellus quoniam calamitatum, &, ut ita dicam, fortunarum Athanasii consors fuit, jubet animus res eum spectantes altius ordiri. Asterius quidam in Cappadocia sophista, sophisticæque artis magister, Christianam amplexus est fidem. Sub hæc autem ad Arianam perfidiam descivit, ejusque propugnandæ gratia libros edidit. Quæ causa est ut ab Athanasio multiceps sophista, Arianorumque orator appelletur. Versabatur is assidue cum Episcopis, & cum primis Arii asseclis: frequens Synodos adibat, observans num quam posset episcopalem sedem invadere, a qua tamen spe, sacrificii diis oblati causa, lapsus est. Aitque Philostorgius lapsum Asterium, ad pœnitentiam Luciani martyris monitis revocatum, cujus item Luciani discipulus fuisse dicitur. Is ergo Asterius urbes Syriæ peragrans libellos in vulgus spargebat: imo, qua erat temeritate, in suggestu, quod unis licitum sacerdotibus est, legere multitudini non verebatur, in grave audientium detrimentum. Re comperta Marcellus, librum edidit confutandi causa hominis, de subjectione Domini inscriptum, quo strenue Asterianam juxta atque Arianam doctrinam impugnabat, invectus acriter in multos novatorum principes, Eusebium Nicomediensem, Paulinum, & Narcissum. Quæ res cum impotentium hominum iram inflammasset, excubant exinde in occasiones viri opprimendi. Coacta porro Jerosolymitana synodo, ubi quocumque inclinarent Eusebiani, eo omnium concors animus accedebat, evocant Marcellum causam dicturum. Ait Socrates deprehensum in Synodo fuisse Marcellum Pauli Samosateni errore implicatum esse, jussumque ut a sententia decederet; illum vero pudore adfectum pollicitum esse se flammis daturum scripta sua. Evocati autem inter hæc Eusebiani a Constantino, causam Marcelli intermittere coacti sunt.

Athanasius Constantinopolim adit. *Athan. Apolog. contra Arian. n. 86.*

27. Interea Athanasius Tyro Imperatoris adeundi causa profugus, Constantinopolim pervenit, atque ingredienti in urbem Constantino equo insidenti, derepente media in via cum quibusdam se comitantibus ita inexspectatus occurrit, ut stuporem adtulerit. Et primo quidem intuitu Imperator virum non agnovit: sed sciscitatus aulicos, & quis esset & quibus adfectus injuriis edidicit. Verum ex præjudicata opinione & occupato Eusebianorum criminationibus animo, ne quidem audire hominem volebat; proximumque erat ut amoveri præciperet. Ait Epiphanius Athanasium, cum repulsam ab Imperatore ferret, conquestum hæc vociferatum esse: *Dominus mei tuique judex erit, quando eorum partibus adjungeris qui me calumniis opprimunt*. Abnuente autem Constantino vel auditum ferre, libere instat Athanasius, majoreque cum fiducia, nihil se postulare ait, quam ut evocentur Jerosolymitani præsules, quo posset coram de illatis malis & injuriis conqueri. Rogabat item ut Imperator legitimam cogi Synodum curaret, aut ipse sese purganti præberet aurem. Æquum postulatum Constantinus admittit; missisque mox litteris, evocat episcopos in Synodo coactos, jubet Constantinopolim accedere, maturare profectum gesta defensuros: objurgat homines ut turbarum ac tumultuum auctores & oppressores veri. Ejusmodi litteris acceptis Eusebiani, perterriti scelerum conscientia, cum propediem futurum esset ut palam eorum consilia & studia evaderent, ad veteratoriam artem de more confugiunt; cæterisque Episcopis Constantinopolitano itinere interclusis, ne iis testibus rei gestæ veritas deprehenderetur, a solis factionis suæ principibus rem apud Imperatorem agendam decernunt. Erant ii Eusebius Nicomediensis, gentilis ejus Cæsariensis, Theognius, Patrophilus, Ursacius, & Valens. Qui soli Constantinopolim advolant. Ubi Imperatorem convenerunt, nulla ulterius fuit de calice fracto, de enecto Arsenio memoria: sed callide novum crimen comminiscuntur, Imperatori commovendo peropportunum. Comminatus, inquiunt, Athanasius est, se commeatum frumenti quotannis Alexandria Constantinopolim transvehi solitum interclusurum. Rei insolentia indignatus Constantinus, plenus iræ, vultu voceque terribilis, gravissimas effert minas. Inexspectata calumnia & Constantini furore stupefactus Athanasius, quæ una supererat adversus tantam iniquitatem defensionis ratio, ingeminiscere, obtestari, adfirmare falsam criminationem, nec posse virum, cui tenues opes & nullæ facultates essent, tantam aggredi rem. At Eusebius, qui quando semel verecundiæ fines transierat, bene & naviter impudens erat, juratus adfirmat divitem ac præpotentem Athanasium, penesque illum esse talia moliri, si vellet. Tum Constantinus, qui amori suo erga patriam, ita vocabat Constantinopolim, plus sæpe largitus erat quam concederet æquitas, non exspectata ejus defensione, virum relegavit in Gallias. Aderant cum Athanasio Ægyptii episcopi numero quinque, qui rei testes fuere, Adamantius nempe, Anubion, Agathammon, Arbethion, & Petrus: erratque Socrates qui præsules istos putat Athanasii accusatores apud Imperatorem fuisse, deceptus scilicet obscuritate sententiæ cujusdam in epistola Ægyptiorum præsulum. Narrat porro Sozomenus redintegratam coram Imperatore fuisse criminationem de calice fracto, quæ causa fuerit ut in exsilium Treviros amandaretur Athanasius. Sed reclamant ipse Athanasius & Ægyptii episcopi, qui diserte ajunt, Eusebianos coram Imperatore ne minimam quidem de calice fracto & de Arsenii nece fecisse mentionem.

Epiphan. Hæres. 69.

Anno 335.

Constantinus evocat Jerosolymitanos præsules.

Nova calumnia Eusebianorum.

Athan. Apol. contra Arian. n. 9.

Athanasius in Gallias relegatur.

Sozom. lib. 2. cap. 28.

28. Permirum sane, tanta pietate & æquitate principem eo calumniis maledicorum adductum, ut ne quidem exspectata defensione insontem virum pelleret in exsilium. Verum criminis opportunitate ita Imperatoris animum occupavit Eusebius, ut perquam difficilis aditus veritati relinqueretur. Id eum non supplicii

Athan. Apol. contra Arian. n. 9.

Anno 335.

cii causa fecisse adfirmat Constantinus junior, sed quo virum eriperet inimicis magnopere sævientibus. At licet Constantini facilitate nonnumquam Eusebius ad libidinem abuteretur, non tamen ejus animus eo usque Eusebii placitis deditus erat, ut in ejus gratiam, quem æstimaret insontem, solum vertere juberet. Quod sane perspicuum ex ejus ad Episcopos epistola, ubi acriter objurgat illos quod Athanasium abdicassent. Et perquam tutus fuisset Alexandriæ Athanasius, si ex Imperatoris placito eo reversus fuisset; nec quidquam ipsi formidinis hæsisset in patria sua ab Eusebii potentia & malignitate. Quamobrem vero similius arbitramur hæc dixisse Constantinum juniorem, ut patris memoriæ consuleret, atque pulsi Athanasii iniquitatem & invidiam minuere saltem posset. Næ ita in Athanasium exasperatum Constantini animum narrant Ægyptii præsules, ut ex sola numinis providentia factum putent, quod exsilio tantum, non capite, virum mulctaret.

Athan. Apol. contra Arian. n. 87.

Constantinus vetat alium eligi in locum Athanasii.

29. In Athanasii pulsi & ejecti locum, alium factionis suæ Episcopum deligere parabant Eusebiani & Ariani. Verum Constantinus sceleratos a tali ausu coercuit; quia oblatorum Tyri criminum convictus non fuisset Athanasius. Neque tamen illi, qua erant pervicacia & temeritate, finem faciebant hæc moliendi, donec intentatis minis Imperator, petulantes homines a cœpto & proposito deterreret. Sub idem ferme tempus presbyteri quatuor Alexandrini, quod Episcopo suo conjunctissimi essent, pulsi pariter & in exsilium acti sunt; quorum hæc nomina, Paulus, Plution, Aphtonius & Paulus Capitonis filius.

Apolog. contra Arian. n. 30.
Athan. ibid. n. 30.
Athan. Apol. contra Arian. n. 40.

Marcellus damnatur.

30. Eusebiani prospero rerum eventu læti, jam cum potestas erat, adversariis suis perniciem machinantur. Quamobrem Synodum Constantinopoli, repugnante licet Alexandro istius urbis episcopo, celebrant; & quod in votis erat; Marcelli causa adsertur in medium. Is librum suum, quod ante (si Socrati fides) promiserat, flammis dare recusat. Quamobrem abdicato illo, Basilius in ejus deligitur locum. Vetat autem Synodorum Romanæ & Sardicensis auctoritas, ne putemus errorem in Marcelli scriptis exstitisse. Nam expensis istic Marcelli clausulis, quarum causa damnatus & sede pulsus fuerat, deprehensum est virum recte sentire, & injuria fuisse abdicatum. Eusebius porro Cæsariensis jussu, ut testatur ipse, Constantinopolitanæ synodi, Marcelli librum confutavit. quem Marcellum in ipso sui Operis exordio invidiæ ac livoris accusat his verbis: ἡ ὑπόθεσις αὐτῷ τῆς γραφῆς ἡ μισαδελφία κατέστη· ἡ δὲ ταύτης αἴτιον ζῆλος καὶ φθόνος. Ejus vero doctrinam multis nominibus culpat. Verum, ut alias commonstratum est, detorta persæpe viri sententia, atque ad pravam opinionem vi ratiocinii deducta, ut etiam testatur Julius Papa in epistola ad Orientales.

Socrat. lib. 1. cap. 27.
Sozom. lib. 2. cap. 29.
Athan. Apol. contra Arian. n. 32.

Anno 336.
Athanasius Treviros concedit.

1. Athanasius solum vertere coactus, Treviros exsilii locum contendit: eo cum pervenisset, a beato Maximino tum episcopo perhumaniter exceptus est. Treviris versabatur item Constantinus junior; a quo pariter honorifica habitus, omnibusque ad victum honestumque cultum necessariis abunde instructus fuit. Ejus porro Treviros adventum cum viris doctis conferimus in exordium anni 336. cujus temporis ratio pluribus inferius indaganda veniet.

Apolog. contra Arian. n. 87.

Anno 336.
Arius Alexandria pulsus Constantinopolim se confert.

2. Inter hæc Eusebiani nervos omnes industriæ contendebant, ut tantæ molis rem, Arii videlicet in Ecclesiam admittendi propositum, perficerent. Is Jerosolyma Alexandriam profectus erat, ut jussu Synodi ad Catholicorum collectas accederet. Verum Alexandrini indigne ferentes impurum hominem Catholicorum sese rebus immiscere, efferati item nuntio antistitis sui artificiis & fraudibus hæreticorum sede & patria pulsi, in sceleratum hominem commoti, turbas ac tumultus concitant; futurumque erat ut tota civitas seditione conflagraret, nisi Constantinus, postquam perversam Arii mentem compererat, eum rursus Constantinopolim evocasset, rationem motuum redditurum, quorum nec obscure auctor ille fuisset. Eusebius tamen quodam loco ait, rogatu suo, repugnante licet ac invito Alexandro, accitum Arium ab Imperatore fuisse. Evocatum Arium Eusebius & asseclæ, solitis artibus ac pro innata vafritie, curabant in Ecclesiæ Constantinopolitanæ conventus admitti. Quam rem ut Imperatoris auctoritate conficere possent, de fidei formula Constantino offerenda una omnes prospiciunt, præcaventque ne quid in illa offensionis occurrat. Ingressum post hæc Arium interrogat Imperator, num Ecclesiæ catholicæ teneat fidem. Ille, cui perinde erat ad perjurium atque ad mendacium accedere, se recte sentire juramento confirmat, ac libellum offert fidei, ubi occultato hæreseos veneno, Scripturæ voces dolose usurpabat. Tum Imperator: Si sana, inquit, est fides tua, probe jurasti; sin impia, & tamen jurasti, de jurato Deus sumat pœnas. Dimisso ab Imperatore Ario Eusebius & socii solita usi petulantia in Ecclesiam aditum facere tentabant. Jacobus autem Nisibensis episcopus, pietate vir ac miraculis clarus, Catholicis auctor fuit ut tantæ calamitatis declinandæ causa preces ad Deum funderent. Obsistebat item Constantinopolitanus præsul, non debere aiens hæreseos auctorem, locum in Ecclesia occupare. At Eusebiani, jactatis interminationibus, hæc impudenter fari: Ut repugnantibus licet vobis impetravimus evocari ab Imperatore virum; ita die crastina, te licet invito, nobiscum Arius in hac ecclesia aderit conventui. Queis Alexander auditis, grandi mœrore perfusus, ingressus est in ecclesiam Irene cognominatam; supplicesque manus ad Deum tendens, collacrymans in vultum procidit intra sacrarium; humique jacens, auditus a Macario presbytero est hasce mœstas effundere voces. „ Si Arius crastina die ad conventum accedet, me servum „ tuum ex hac luce dimittito, & ne finas „ cum impio pium commisceri & una interire. Sin Ecclesiam miseraris tuam, & quidem miseraris, hoc bene novi, animadverte „ Eusebii & sociorum verba, & ne dederis in „ exitium & in opprobrium hæreditatem tuam, „ ac tolle Arium, ne ingrediente illo in ecclesiam, hæresis una introire videatur, neu „ deinceps impietas pietatis loco habeatur. „

Socrat. lib. 1. cap. 37.
Sozom. lib. 2. cap. 29.
Athan. epist. de morte Arii n. 2.
Athan. epist. ad Serap. de morte Arii.

Mors Arii.

3. Hæc Sabbato pomeridianis horis precabatur Antistes, & sub hæc multum anxius digreditur. Ea vero ipsa hora, egressus imperiali Palatio Arius, Eusebianis satellitum instar stipantibus, per civitatis medium magnifice incedens ac gestiens gaudio, futilia loquens, o-

Socrat. lib. 1. cap. 38.
Sozom. lib. 2. cap. 30.

mnium

mnium in se movebat oculos. Cumque pervenisset ad forum Constantini dictum, quo in loco statua porphyretica posita erat, ut ait Socrates, conscientia scelerum exhorrescens, ad alvi exonerandæ necessitatem compulsus, percontatur num in proximo latrinæ. Cum pone Constantini forum esse didicisset, eo pergit; ac derepente animo deficit, & una cum excrementis dilabuntur intestina cum splene ac jecore; & si Athanasii verba sunt ad litteram accipienda, crepuit ille medius velut alter Ischariotes, & ita multo vitam cum sanguine fudit. Cumque elapso quodam temporis spatio non regrederetur, qui foris hominem præstolabantur introgressi, exstinctum in sella jacentem inveniunt. Ejusmodi fuit Arii exitus. Eo Eusebiani spectaculo pudefacti, sociique exitio perterriti, defuncti corpus humarunt. At beatæ vir memoriæ Alexander episcopus, lætis Catholicorum animis, accurrentibusque beneficii accepti causa fratribus, Synaxin celebravit. Tum resonare omnia laudibus & gratiarum actionibus, celebrare omnes Dei providentiam, quæ tanta cura rebus prospicit Ecclesiasticis; non quo gauderent de impii hominis interitu, sed quod ea res ex singulari numinis providentia præter humanum usum accidisset. Latrinas porro illas ait Socrates longo post tempore superfuisse; sed Sozomenus ita habet: Fertur porro diuturno tempore neminem ea sella usum. Nam cum multi pellente necessitate eum in locum confluerent, alii alios monebant ut eam declinarent sellam, in qua Arius impietatis pœnas dedisset; atque demum exsecrationi fuit locus. Aliquanto post Arianus quidam prædives & opulentus locum emit: & commutata priore ædificii forma, domum illic excitavit, ut res paulatim in oblivionem veniret.

Socrat. lib. 1. cap. 38. Sozom. lib. 2. cap. 30.

4. Postquam rumore nuntio evulgata mors Arii fuit, non una omnium fuit, ut evenire solet, de re tam insolenti opinio. Putarunt alii repentino morbo oppressum, aut ingenti lætitia, quod res cecidisset ex voto, occupatum interiisse; alii scelerum & impietatis pœnas luisse. Pars ante ejus factioni dediti, audito subitaneo casu, ab Arianis partibus descisсunt. Alii errorum retinentissimi maleficis artibus enectum clamitant. Constantinus accepto Arii interitu, eum ut perjurum habuit atque hæreticum, promerito supplicio divinitus adfectum; perniciesque hominis animos fecit, ut impensius veram doctrinam vindicaret, quia Nicænæ fidei veritatem vi miraculi confirmatam intelligeret. Nec audiendus Rufinus, qui contra scriptorum omnium fidem & auctoritatem, narrat obitum Arii sub Constantio accidisse, aliaque immiscet plurima vero aperte repugnantia.

Rufin. lib. 1. cap. 13.

Sozom. lib. 2. cap. 31.

5. Cæterum defuncto Ario, nequaquam sedata controversia fuit de dogmatibus ejus oborta, neque sectatores ejus insidiarum finem fecerunt, nec attritæ res eorum ducis casu & exitio videbantur. Sane cum populus Alexandrinus precibus, clamore, conquestionibus de revocando Athanasio ageret assidue, magnusque Antonius frequens litteras mitteret ad Imperatorem, queis malam fidem, malam mentem Meletianorum aperiebat, monebatque ne crederet nebulonum criminationibus; Alexandrinis Constantinus petulantiam & temeritatem exprobravit, clericis & virginibus ut quiescerent edixit, non posse aiens Athanasium revocari, seditiosum hominem & ecclesiastico judicio condemnatum. Antonio autem rescripsit, non licere sibi sententiam Synodi despicere: quamvis enim nonnulli aut odio aut gratia permoti in tali judicio fuissent, pari tamen modo adsectam tantam prudentum proborumque Episcoporum multitudinem credibile non esse: Athanasium hominem esse superbum, contumeliosum, ac discordiæ auctorem. Tantum præjudicata Constantini opinio valuit, tantum Eusebianorum machinæ potuerunt. Næ illi, gnari mire abhorrere Imperatorem ab controversiarum & motuum auctoribus, ejusmodi crimina opportuna scilicet rebus suis offerebant in Athanasium. Neque tamen omnino res cessit ex voto Arianorum. Nam cum Constantinus duas in partes distractam Ecclesiam Alexandrinam esse accepisset, & alios quidem Athanasium fovere, alios Joannem Meletianum; in Joannem juxta atque in Athanasium indignatus, hominem mulctavit exsilio; nec ipsi profuere Tyriæ synodi decreta, quibus fuerat ad ecclesiasticam communionem admissus.

Antonius pro Athanasio scribit ad Constantinum.

Sozom. lib. 2. cap. 32.

6. Interdixit præterea Constantinus, ne extra ecclesiarum septa, aut privatim, aut palam hæretici convenirent, sed jussit ut se catholicorum jungerent cœtibus. Necdum enim Ariani in sectam aliquam ab aliis hæreticis distinctam, loco scilicet & conventibus, abierant; sed exceptis Novatianis, Phrygibus, Valentinianis, Marcionitis & Paulianis, aliorum indiscriminatim hæreticorum conventibus intererant. Hæc scilicet Sozomenus, cui in hoc reclamat Alexander Alexandrinus supra p. XI. ubi ait, Colluthianos atque eorum exemplo Arianos in separatis locis conventus agere. Ex prædicta Imperatoris lege factum, ut earum hæresum memoria magna ex parte obliterata sit.

Eusebius & Theognius fidei formulam edunt.

7. Eodem ferme tempore Eusebius Nicomediensis & Theognius Nicænus, turbarum ac motuum percupidi, novam fidei formulam edidere, qua τὸ ὁμοούσιον vocem non repudiare quidem metu Imperatoris Nicænæ fidei dedítissimi, sed quibusdam ad suam libidinem interpretationibus infirmare sunt ausi. Atque inde novarum quæstionum & disceptationum origo.

Alexandri Constantinopolitani mors. Socrat. lib. 2. cap. 6. Sozom. lib. 3. cap. 6. Theod. lib. 1. cap. 19.

8. Alexander interim episcopus Constantinopolitanus, neque ita multo post relegatum in Gallias Athanasium, totos tres supra viginti annos episcopali munere cum laude perfunctus, diem obiit extremum, annos natus nonaginta & octo. Ut ante Constantini obitum ejus mortem conferamus, suadet Athanasius, qui successorem ejus Paulum eodem imperante patrio solo ejectum narrat. Errat Theodoretus, ubi Eusebium dicit post mortem Alexandri eam sedem invasisse. Nec minus labi videntur Socrates & Sozomenus, qui obitum ejus referunt in Constantii imperium. Præstat sane Athanasio habere fidem, qui duobus post Alexandri decessum annis Constantinopoli agens, per moram & quietem intermissi itineris testis fuit iteratæ in Paulum criminationis, quam cæteris scriptoribus, qui post elapsum sæculum hæc conscripsere. In Alexandri ergo locum cooptatus Paulus fuit. Qui Alexander instante obitu rogantibus clericis, cuinam deferenda sedes esset:

Anno 336.

set: Si virum, inquit, pietate & doctrina insignem quæritis, adest Paulus; sin hominem cum gerendis rebus peracrem, tum colloquendi cum judicibus peritum, mavultis, commodior Macedonius. Non intactum, neque dolis suis insidiisque expertem Paulum siverunt Ariani, virum scilicet pietatis sibi & integræ fidei nomine perosum; sed, quæ expedita illis assuetaque erat perniciem machinandi via, crimina insonti offerunt, ipsumque reum agunt apud Imperatorem. Constantinus, iterum circumventus artificio veteratorum, Paulum relegat in Pontum. At non diuturnum exsilium fuit. Defuncto namque Constantino, in sedem ut alii exsules reversus est.

Paulus in ejus locum subrogatur.

Anno 337. Julius in Romanum Pont. deligitur. Socrat. lib. 1. cap. 39. Sozom. lib. 2. cap. 34. Mors Constantini.

1. Anno 337. ineunte, Julius in Romanum pontificem deligitur, cum post Marci pontificis ac Sylvestri successoris mortem sedes apostolica vacasset quatuor mensibus. Insignis idem annus fuit Constantini magni obitu; qui morbo laborans supremo, Nicomediæ Eusebii manibus baptismo tingitur, ut jam vulgata eruditorum fert opinio. Inopportune cecidit in catholicæ rei grave detrimentum, ut testamentum suum traderet Ariano presbytero, quem supra meminimus a Constantia Augusta in fratris clientelam & gratiam evocatum; obstrictum jurejurando, ut simul ac Constantius præ cæteris dilectus sibi filius adventaret, testamentum mature ipsi traderet. Nemo enim unus filiorum obeunti patri adfuit. Re sic constituta, exiguo interposito dierum spatio, vita functus est. Fertur in epistola Constantini junioris, id animi fuisse patri, ut Athanasium revocaret in sedem suam, sed fato præoccupatum non potuisse optatum exsequi. Obiit ille die sancto Pentecostes, vigesima Maji Coss. Feliciano & Titiano.

Constantius cognatos trucidat.

2. Defuncto Constantino, imperium Constantius cæde consanguineorum est auspicatus. Nam sive clam jussi ab eo milites, sive suopte motu & consilio, ut tutior Constantini filiis pateret ad regnum aditus, Constantio interea per dissimulationem ignorandi rem non ingratam sibi fieri concedente, Dalmatium Cæsarem, Annibalianum Regem, Julium Constantium Constantini fratrem, cum alio item ejus fratre, cujus tacetur nomen, & quinque alios cognatos obtruncant. Cæsi etiam sunt Optatus patricius & Ablavius prætorii præfectus. Quæ res magnam, uti par erat, invidiam ineunti imperium Constantio conflavit. Non perinde tamen in fratres iniquus, ambos, Constantinum scilicet & Constantem, in Pannonia convenit, ex æquo & bono imperium divisit, ut non potiorem ipse sibi sortem adscriberet.

Socrat. lib. 2. cap. 2. Sozom. lib. 3. cap. 1. Theod. lib. 2. cap. 2.

3. Inter hæc Eusebius Nicomediensis & Theognius Nicænus, assidui turbarum in Ecclesia auctores, opportunum, Constantino demortuo, tempus se nactos arbitrati, de voce ὁμοούσιος ableganda, inducendaque Arii doctrina soliciti, eo consilia omnia referunt, rei gerendæ administro usi presbytero, cui concreditum a Constantino testamentum fuerat. Quod cum ille, ut jussus erat, Constantio obtulisset; hic ut optatum sibi a patre adsignari Orientis imperium edidicit, presbyterum in pretio habuit & in honore, liberumque concessit ad imperatoriam domum aditum. Hac data facultate brevi ille, ut erat veterator homo, & ad conciliandam sibi gratiam compositus, Imperatrici perfamiliaris fuit, eunuchis item percarus & necessitudine junctus, quorum ingens erat in Constantii palatio numerus juxta atque auctoritas. Et brevi, eunuchorum principe Eusebio imperatorii cubiculi præposito in Arii sententiam deducto, ejus deinceps opera tota caterva eamdem doctrinam amplexa est. Imo vero ipsa Augusta, presbyteri & spadonum hortatu, Arii sese partibus adjunxit. Ad cæteros aulicos malum pervasit, atque ex palatio delatum in urbem, exinde per totum Orientem emanavit & late pervagatum est: dum interea Occidentales regiones hujusmodi peste vacuæ & liberæ essent. Constantium item sæpe familiariter alloquutus Arianorum ille administer, ubi ejus animum versatilem levissimumque deprehendit, ad Arianorum patrocinium suscipiendum pellicere tentat, deplorat tempestates quibus essent Ecclesiæ agitatæ, tantæ cladis auctores ementitur eos qui invexissent τὸ ὁμοούσιον: eam esse discordiarum & factionum occasionem, eam æternum retineri ansam omnium controversiarum. Hinc in Athanasium reliquosque frugi Præsules tantam invidiam derivare conatur. Hunc nacti fautorem Eusebius, Theognius, & Theodorus Heracleotes, cum, utpote vicini, frequentes Imperatorem convenirent, Athanasio reditum intercludere moliebantur, quo possent in ejus locum Arianorum aliquem intrudere. At consilium eorum prævertit & disturbavit Athanasius. Cum enim tres Augusti una convenissent in Pannonia, istic de exsulum reditu actum; unusque fuit omnium animus, ut remigrarent omnes in sedem patriamque suam.

Anno 337. Eusebium Constantinum ad suas partes alliciunt.

Anno 338. Athanasii reditus. Athan. Apol. contra Arian n. 67.

1. Quare Constantinus, cui Galliæ sorte obvenerant, eodem reversus, cum Treviris moraretur, Athanasium remisit Alexandriam, datis ad populum Alexandrinum litteris, queis virum summis exornat laudibus: atque ideo a Constantino patre sede pulsum, quod periculum esset ne inimicorum insidiis interceptus periret; in animo fuisse patri virum remittere in ecclesiam suam, sed fato præoccupatum quod in optatis erat exsequi non potuisse. Data fuit epistola Treviris die XVII. Junii anno, ut putamus, 338.

2. Non desunt tamen qui ad annum 337. his de causis referant. Primo, quod Constantinus junior Cæsaris solum nomen in ea epistola usurpet, Augusti accepturus, si ad annum 338. illa pertineret. Nam Augustus promulgatus est anno 337. mense Septembri. Ad hæc, ajunt, si annus erat 338. jam illi sua imperii portio obvenerat, nec quidpiam in Alexandrinos, in Constantii ditione sitos, obtinebat auctoritatis, ut exsulem Alexandriam posset remittere. Verum hæc argumenta non tanti sunt, ut apertis Athanasii, Epiphanii ac Theodoreti testimoniis prævalere debeant. Ajunt namque duo priores, ex trium fratrum sententia revocatos exsules fuisse. Cum autem Constantinus Nicomediæ obierit anno 337. vigesima die Maji, vix potuit decima septima Junii ejusdem anni mortis Constantini nuntius ad Treviros pervenire; multoque minus potuere tres Augusti, tanto terrarum intervallo dissiti, de revocandis exsulibus una egisse. Ad hæc, narrat Theodoretus Athanasium duos annos & quatuor menses Treviris moratum

Ex

Anno 338. Ex quo conficitur non remigrasse Alexandriam ante annum 338. Quod autem objiciunt Constantinum juniorem, si anno 338. eam scripsisset epistolam, Augusti nomen usurpaturum, non est, ut arbitror, tanti ponderis. Neque enim Augusti nomen in epistolis Augustorum semper comparet, neque etiam Cæsaris nomen semper abest. Sic in epistola Maximini Augusti apud Eusebium hæc inscriptio legitur, Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μαξιμῖνος. Et Constantinus in epistola quæ apud Theodoretum exstat l. 1. c. 17. nec Augusti, nec Cæsaris, nec Imperatoris nomen adsumit. Reliqua nullius momenti quæ objiciuntur consulto omittimus.

Athan. Apol. ad Constant. n. 5. 3. Accepta Athanasius redeundi venia, Alexandriam contendens, Viminiaco transiit, ac ibi in Constantii conspectum venit; & qua erat animi temperantia nihil in malam partem de Eusebio & sociis exsilii sui auctoribus loquutus est. Inde Constantinopolim contendit, & istic aliquantisper commoratus, criminationi per Macedonium Paulo episcopo intentatæ interfuit. Si quidem Paulus decreti Augustorum beneficio post Constantini obitum sedem repetierat: nec diu viro catholicæ opinionis licuit in pace versari. In proximo namque erat Eusebius Nicomediensis, impotens cupidine Constantinopolitanæ sedis invadendæ, qui Macedonio presbytero usus calumniæ artifice, virum accusari & deferri curavit. Tacent autem ecclesiastici Scriptores quæ fuerit illa criminatio, aitque solum Theodoretus Paulum seditionis aliorumque criminum accusatum. Unum exploratum est, ex Eusebii ambitione natam fuisse calumniam. Attamen tum temporis intermissa causa est, compositisque rebus, Macedonius cum Episcopo reconciliata gratia inter presbyteros ejus annumerabatur, donec redintegratum crimen esset. Qua de re alius nobis locus ad dicendum est constitutus.

Apolog. ad Const. n. 5. 4. Athanasius vero, post aliquam ut videtur moram, Constantinopoli profectus, per Cappadociam pergens Alexandriam, Cæsareæ Constantium iterum offendit; ipsumque alloquutus, nihil durum, nihil asperum effert in Eusebium & asseclas sibi semper infensissimos. Inde vero per Syriam, vertente, ut putamus, anno 338. Alexandriam pervenit. *Apolog. contra Arian. n. 7.* Reducem Athanasium ingenti lætitia excipiunt Alexandrini, accurrere omnes, magna vis populi confluere, laudibus cuncta resonare, gestire universos sancti Præsulis videndi cupidine. Maxima vero fuit ministrorum clericorumque jubilatio, qui eam exinde diem inter faustissimas computabant, Ægyptii autem episcopi, qui exsule Athanasio pulsos se cum illo æstimabant, regresso illo rebantur patrium sibi solum restitui.

Anno 339. Eusebiani nova moliuntur in Athanasium. Socrat. lib. 2. cap. 3. Sozom. lib. 3. cap. 2. 1. Verum Eusebii & sociorum livor, æternumque in Athanasium odium diuturnitati pacis atque lætitiæ obfuit. Vixdum enim sedem suam repetierat, cum illi nova ineunt deturbandi viri consilia, veriti, ait Rufinus, ne si quando Constantium libere alloqueretur, veræ fidei amplectendæ, Arianæque repudiandæ ipsi auctor esset. Nec mora, novas illi calumnias struunt, veteres redintegrant, solitam fingendi artem exercent. Primo criminantur ingressum Athanasium Alexandriam, seditionum, cædium, exsiliorum auctorem fuisse. Monumenta publica proferebant in testimonium, & sententias in reos latas. At quod solebat conjuratis & *Anno 339.* mala machinantibus occurrere, jam accidit imprudentibus, ut secum scilicet ipsi pugnarent. Nam quæ reverso Athanasio illi gesta fuisse jactitabant, ex ipsis actis palam erat contigisse nondum regresso Athanasio, cum in Syria esset, iterque faceret in patriam. In crimen vocabant quod damnatus & dejectus a synodo, suopte nutu & sententia sedem repetiisset, non exspectato synodi alterius judicio. Inveteratas illas refricabant criminationes, de calice fracto & de enecto Arsenio, etsi depulsæ & explosæ illæ nec sine grandi sycophantarum infamia fuerant. Impudenter mentiebantur frumentum a Constantino alendis viduis erogatum, ab Athanasio in propriam diverti rem. Et erat illud veteratorum consilium, ut ejusmodi frumentum in Arianorum usum cederet. His permotus Constantius, ad quem persacilis erat consceleratis aditus, litteris Athanasium querelarum plenissimis insectatur, ita nimirum Eusebianis opportunus, ut necdum explorata rei veritate, fidem dictis eorum haberet. Hæc non Constantio solum, sed & fratribus ejus Augustis denuntiabant seditiosi homines: queis tamen non ita facile erat verba dare, præsertim Eusebianis, quorum animus perspectus ipsis erat. Athanasius vero missis ad Constantium litteris oblatas sibi criminationes propulsavit. Sed frustra cessisse conatus ex rebus postea gestis palam est, Constantio scilicet ira occupato querelis assiduis atque criminationibus Eusebianorum, ut nullæ paterent purganti se viæ veri suadendi.

2. Antequam erumperet in Athanasium Eusebianorum furor, Eusebius cupiditate semper flagrans imperatoriæ urbis sedem episcopalem invadendi, initam proximo anno in Paulum Constantinopolitanum criminationem per Macedonium redintegrari curavit. Et tum quidem, cessante actione, Macedonius Paulo subditus, reconciliata gratia pacem colebat. *Eusebius pulso Paulo Constantinopolitanam sedem invadit. Histor. Arianorum ad Monachos n. 7.* At Eusebius, qui episcopalem dignitatem amplitudine civitatum metiebatur, sperabat se, si regiæ urbis ecclesiam occuparet, magis magisque officiis posse & obsequio Imperatorem demereri. Moræ igitur impatiens Paulum defert ad Imperatorem, & qua erat veteratoriæ artis peritia, ejus animum exasperat in optimum Antistitem. Jussu ergo Imperatoris acciti Episcopi, plerique omnes Ariani, synodum Constantinopoli celebrant. Ibi Paulus ad Eusebii libidinem & arbitrium damnatus, depositusque est; &, qui unus erat conflatæ conspirationis scopus, Eusebius in ejus locum promotus. Id gestum arbitramur anno 339. Socrates autem perperam Alexandri Constantinopolitani obitum, & quæ illum subsequuta sunt, post Constantini junioris mortem enarrat, fed præpostere, ut nemo peritus non videat. Eusebius optatum assequutus, Imperatorisque amicitia & gratia *Sozom. lib. 3. cap. 3.* fultus, tamdiu meditatum consilium de recipiendis in Ecclesiam Arianis palam exsequi & implere decrevit. Et cum eo tempore Antiochiam peteret Constantius, istuc cum eo Eusebius & socii sunt profecti: nec jam artibus solitis, occultisque insidiis usi sunt in Catholicorum perniciem; sed aperte causam Arianorum ut suam agere cœperunt.

Eusebiani Pistum deligunt in Alexandrinum episcopum. 3. Coacti igitur Antiochiæ, Pistum Arianum presbyterum ab Alexandro olim abdicatum,

Anno 339.

tum, in Athanasii locum episcopum constituunt Alexandrinum. Hoc exordium fuit malorum & origo calamitatum tumultuumque, qui haud ita multo post eam civitatem invaserunt. Missis autem Eusebiani Alexandriam ad Arianos diaconis, qui rem communem gererent, tum aperte cœperunt cum Arianis adjungi, nec puduit damnatos a synodo lucifugas in communionis societatem admittere: diaconi autem Alexandriam missi cum solia Arianis conventus agebant. Eusebius ipse Arii opinionem ut sanam & orthodoxam ubique prædicabat, commendabat litteris, fovebat pro viribus. Sub hæc idem Eusebius cum quibusdam sociis oratores cum litteris ad Julium papam mittit, Macarium presbyterum, Martyrium & Hesychium diaconos; erantque litteræ adversus Athanasium, Marcellum & Asclepam conscriptæ. Legatis jussum, ut Pisti causam cum Julio agerent, auctoresque illi essent ut litteras daret pacificas ad Ἀλεξανδρινοὺς illum transmittendas. Legationis qui fuerit exitus, mox enarrabimus.

4. Hoc circiter anno excessisse vita putamus Eusebium Cæsariensem, virum eruditione scriptisque suis quam fide & probitate insigniorem: cujus in locum subrogatur Acacius ejus discipulus, qui magistrum impietate facile superavit.

Anno 340. Synodus Alexandrina. Athan. Ap. I. contra Ar. n. 3.

1. Non fugiebant Athanasium tanta Eusebii & sociorum molimina in perniciem Ecclesiæ comparata. Et prospiciens quod illud foret periculum, hæreticum hominem in episcopum cooptari, synodum Alexandriæ convocat. Eo confluunt ex Ægypto, Libya, & Pentapoli Episcopi prope centum. Actum de instantibus negotiis, deque periculo mox futuri Alexandrinæ ecclesiæ discidii. Omnium calculo & suffragio epistola ad omnes ubique terrarum Episcopos mittitur; qua orsi ab inveterato Eusebianorum in Athanasium odio, oblata olim viro crimina recensent, negant vera esse quæcumque eorum opera & arte evulgata fuissent; & tamen virum insontem patrio solo & ecclesia ejectum acerbeque vexatum, vixdum repetita sede, novis alienisque impeti criminationibus. ajunt cædes, seditiones, exsilia imputari, quorum nedum auctor ipse occasiove fuisset, ne redux quidem, quando istiusmodi gesta sunt, erat; sed adhuc procul patria in Syria versabatur: negotiaque hujusmodi vel Ecclesiam, vel Athanasium nullatenus spectasse. In eorum fidem acta ipsa & sententias judicum se adtexere epistolæ. Multa deinceps enarrant, quæ jam a nobis suis sunt recensita locis, purgantque Athanasium a criminationibus adversariorum, carpunt Eusebii ambitum & cupidinem magnarum occupandarum civitatum. Mirari se a viro, qui jamdiu & jure quidem abdicatus fuisset, objici Athanasio illam portentosam & contra jus fasque Tyri editam abdicationem. falso jactare illos, redeuntem Athanasium ægre & indignante populo cleroque Alexandrino admissum, quando contra, omnium votis, lætitia, plausu exceptum nemini non exploratum esset. tanta cupidine viri perniciem expetere, ut contra quam perspectum sibi & Alexandrinis esset, illum apud Imperatorem de conversa in rem propriam annona publica detulissent. Monent demum universos, Eusebium & socios posita larva cum Arianis palam societate & communione junctos, iisdem interesse cœtibus ecclesiasticis, atque Arianum episcopum Alexandrinis dedisse, novam hæresim ubique commendare celebrareque. Rogant Præsules omnes, ut ne Eusebianis, si quid rescriberent contra Athanasium, fidem habeant, etiamsi litteræ Ægyptiorum complurium episcoporum nomen præferant: esse quippe ejusmodi nomina & suffragia Meletianorum schismaticorum, qui viros in dies tanto gradu perquam indignos ad sacerdotium promoverent.

Anno 340.

2. Synodum porro Alexandrinam ideo non ante annum 340. celebratam arbitramur, quia non minore spatio temporis geri videntur potuisse, quæ ab reditu Athanasii ad eam usque synodum gesta sunt. Athanasius enim sub finem Junii mensis anno 338. Treviris profectus, cum per Germaniam, Pannoniam, Mœsiam & Thraciam Constantinopolim; indeque per Asiam, Bithyniam, Cappadociam, Syriam, Palæstinam in Ægyptum reversus sit, nonnisi vertente eodem anno, tanto nimirum itineris emenso spatio, potuit Alexandriam pervenire. Exinde vero Eusebiani nova in eum commenti crimina undique pervulgarunt, imo ad tres miserunt Augustos. quo factum ut litteras Constantius ad Athanasium miserit querelarum plenissimas. Accedit Antiochenum Constantii & Eusebianorum iter, & synodus istic celebrata, in qua Pistus deligitur, legati cum litteris mittuntur Romam. Quas litteras sibi transmissas, & quidem, ut videtur, Roma, innuunt episcopi Ægyptii. Sub hæc, celebratæ synodi Antiochenæ accepto nuntio, Ægyptii Alexandriæ synodum habuere. Vix autem possunt isthæc omnia intra anni 339. spatium circumscribi. Ad hæc in epistola quadam Athanasii anno 341. conscripta dicitur, fratres sive legatos suos πέρυσιν, id est, anno proxime elapso 340. synodum Romæ postulasse: probabilique conjectura possunt synodus & ejus legatio in annum eumdem conferri.

Athan. epist. Encyclica.

3. Hoc igitur, ut putamus, anno, missi sunt ab Athanasio & a synodo Alexandrina presbyteri, qui epistolam illam synodicam Julio offerrent, ac Eusebii legatorum postulatis obniterentur. Macarius siquidem presbyter, Martyrius & Hesychius diaconi oratores ab Eusebio missi, Romam, ut dictum est, commigrarunt; traditisque Julio litteris significarunt admissos ab Eusebianis ad communionem fuisse Arianos, auctoresque ipsi erant ut gratiæ pacisque ineundæ causa litteras daret ad Pistum Arianum ab Eusebianis delectum. Julio item tradunt monumenta & acta Mareotica, quæ ad Athanasium ille transmisit. Multa certe, dum Alexandrini legati accederent, moliebantur illi in Athanasium, nulla non mala prædicabant; nihil contra officii prætermittebant ad gratiam Arianis conciliandam. Accedentibus autem Athanasii legatis, perterriti inopinato adventu, ac supra fidem animo fracti sunt, ut etiam legationis princeps Macarius, corpore licet æger, noctu se proriperet, propediem futurum non ferens pudorem; quando Pistum, cujus ille causam agebat, legatorum Athanasii testimonio, non Arianum modo, sed a Secundo per Nicænam synodum abdicato ordinatum fuisse, comprobandum fore prospiciebat. Martyrius autem & Hesychius coram legatis Atha-

Athan. epist. Julii n. 21. 22.

Legati Athanasii cum Eusebianis congrediuntur.

na-

Anno 340.

nasii constituti, oblatis de more criminibus & maledictis, ita probe naviterque confutati & repulsi sunt, ut inopes consilii eo demum confugerent, ut synodum indici rogarent, in qua polliciti sunt omnia se Athanasio oblata crimina comprobaturos. Id cum efflagitarent etiam Athanasii legati, edixit Julius ut utriusque arbitrio partis locus assignaretur, ubi possent res accuratius expendi. His perlatis ad Eusebianos, ubi subodorantur, Julii auctoritate celebrandam synodum æqui ac boni studiosam fore, in qua nihil favori aut gratiæ concederetur, abnuunt Julio gerere morem. Athanasius contra conditionem accipit. Nec tempus itaque nec locus futuræ synodi assignatus a Julio fuit, sed res est partium arbitrio permissa. Alii porro per orbem Episcopi, quibus tradita est Alexandrinæ synodi epistola, Pistum impietatis causa damnarunt anathemate, & abdicarunt ut hæreticum.

Athanasius libros Scripturæ sacræ mittit ad Constantem. *Athan Apol. ad Constant. n. 4.*

4. Per idem fere tempus Constans Augustus litteris Athanasium rogat, uti curet sibi Litterarum sacrarum libros in usum commodos adornari, quia scilicet Ægyptia gens iis exarandis & compingendis solertior cæteris esset. Quod ille haud indiligenter exsequutus, confectos libros ad Constantem transmisit. Neque audiendi qui arbitrantur πυκτία illa, ut vocat Athanasius, esse synopsin Scripturæ sacræ, ut pluribus alias ostensum est.

Constantinus junior obit.

Hoc anno diem obit Constantinus junior Augustus, qui cum bellum moveret in Constantem fratrem, ab hujus exercitu oppressus cæsusque est, Coss. Acyndino & Proclo. Post hujus necem Constanti accessit Gallia & Hispania, cæteræque trans Alpes sitæ regiones.

Anno 341. Synodus Antiochena. *Socrat. lib. 2. cap. 8. Sozom. lib. 3. cap. 5.*

1. Eusebiani cum conciliandi sibi Julii pontificis præcisam spem intelligerent, multosque cernerent præsules a partibus suis desciscere, ad Constantii patrocinium confugiunt. Commodum illis accidit ut basilica aurea, cujus fundamenta Antiochiæ posuerat Constantinus pater, absoluto demum cura Constantii ædificio, solemni ritu dedicanda foret. Ad cujus encænia majoris celebritatis causa evocat Constantius ex Oriente magnam vim Episcoporum. Anno igitur ineunte 341. Coss. Marcellino & Probino, indictione decima quarta, confluunt Antiochiam Episcopi 97. vel, ut habet Athanasius, 90. Horum principes erant Eusebius Constantinopolitanus, Theognius Nicænus, Flacillus Antiochenus, Theodorus Perinthius, Narcissus Neroniadis, Macedonius Mopsuestenus, Maris Chalcedonensis, Acacius Cæsariensis, Patrophilus Scythopolitanus, Eudoxius Germaniciæ in Syria, Georgius Laodicænus, Theopbronius Tyanensis. Aderant etiam quidam frugi & catholici viri. Nec defuere tamen qui tali conventui interesse detrectarent; ex quorum numero Macarius Jerosolymitanus, qui semel circumventus Eusebianorum fraudibus, caute jam eorum frequentiam declinabat. Sed neque Julius quemquam misit qui vices impleret suas; cum tamen, ut ait Socrates, ecclesiastica regula vetet, ne absque nutu Romani Pontificis quidpiam in Ecclesia decernatur. Aderat item Synodo Constantius quotidianis querimoniis in Athanasium exasperatus, qui vi & auctoritate sua omnia in gratiam Eusebianorum moderaretur. Tum redintegratæ calumniæ, repetita crimina sunt; nimirum quod abdica-

Socr. lib. 2. cap. 18.

Anno 341.

tus Athanasius episcopalem sedem, non exspectata synodi cujuspiam sententia, suopte arbitrio repetiisset; quod sub ingressum ejus excitato tumultu, multi in seditione exstincti, alii verberibus ab eo excepti, in jus vocati alii fuissent. Oblatæ denuo sunt inveteratæ illæ, nec sine delatorum infamia olim repudiatæ criminationes, de Arsenio obtruncato & de fracto calice. Quibus allatis in medium, de successore in Athanasii locum deligendo confestim actum. Pudebat enim cooptati Pisti, omnium calculo Episcoporum damnati, nec a quopiam veri loco Præsulis habiti. Quamobrem alio convertunt studia. Erat tum Antiochiæ vir nobilis quidem & egregie eruditus, sed Ariana labe infectus, Eusebius cognomento Emisenus; qui Edessa oriundus, & a puero sacris litteris institutus, Græcos postea disciplinas a magistro quodam tum Edessæ degenti edoctus est, ac demum Patrophilo & Eusebio Cæsariensi doctoribus sacrarum interpretationem litterarum edidicit. Sub hæc Antiochiam cum venisset, Eustathio tunc Arianorum insidiis abdicato, societatem iniit Eusebius cum Euphronio ejus successore. Inde vero sacerdotii vitandi causa Alexandriam se proripuit, atque istic philosophiæ dedit operam. Hinc reversus Antiochiam, cum Flacillo Euphronii successore versatur quam familiariter. Atque istic morabatur, quando ipsi ab Eusebio Constantinopolitano sedes Alexandrina defertur. Verum ille, cui perspectus erat Alexandrinorum erga Athanasium amor, negat id muneris se subire posse: quare in episcopum Emesæ in Phœnicia cooptatur. Emiseni adventantem ut episcopalem occuparet sedem conviciis onerant & maledictis, quod esset ille astrologiæ, quam apotelesmaticen vocant, periculosam admodum disciplinam, deditissimus. Ita pulsus ad Georgium Laodicenum confugit, qui Georgius curavit a Flacillo & Narcisso Emesam reduci.

Socrat. lib. 2. cap. 9. Sozom. lib. 3. cap. 6.

Eusebius Emisenus episc. Alexandrinus constituitur, negat subire munus.

2. Abnuente Eusebio, defertur episcopatus Alexandrinus Gregorio Cappadoci. Qui olim Alexandriæ litteris addiscendis dederat operam; comiterque ab Athanasio ac perhumaniter exceptus, atque filii & amici loco habitus, immemor officii, fabulæ cæsi Arsenii evulgandæ operam suam locarat. Ejusmodi hominem, postquam oblatæ fidei formulæ nomen & suffragium dedisset, Alexandriam mittunt episcopum, militari manu stipatum, viæ comitibus datis Philagrio Præfecto & Arsacio eunucho, qui vi Alexandrinis illata, viam ipsi munirent ad episcopalem sedem.

Gregorio munus defertur. *Socrat. lib. 2. cap. 10.*

3. Ut fertur in Hieronymi chronico & historia, hoc anno, Antonius magnus Monachorum pater, divino monitus oraculo, interiorem petit eremum, invisurus Paulum, qui ab ineunte adolescentia in cellula reclusus, hominibusque ignotus ad provectam usque ætatem, tantam coluit solitudinem, nemini ut notus esset. Instante obitu Paulus rogat Antonium, ut monasterium repetat, quæsiturus pallium dono ipsi ab Athanasio datum, quo sui defuncti corpus obvolveret. Quod eo ille animo efflagitavit, ut absentis mortem moderatius ferret Antonius, & una ut se communione Athanasio ad mortem usque conjunctum profiteretur. Quæ ille omnia divino illustratus numine acceperat, nullum, uti diximus, a teneris annis hominum alloquutus.

Antonius Paulum adit. *Hieronymus in Chronico, & in vita sancti Pauli.*

Anno 341. Fidei formulæ Antiochiæ editæ. Socrat. lib. 2. cap. 10.

4. Interea Eusebius & socii, misso Alexandriam Gregorio, qui Athanasium invictum τὸ ὁμοούσιον vindicem, sede, patria, vita, si posset, exueret, de eodem ὁμοουσίῳ abrogando deliberant. Quare fidei formulam edunt, qua se profitentur non Arii sequaces esse; sed ita sentire, ut sua, quam edunt, fidei formula effert. In ea autem tacetur invisum illud τὸ ὁμοούσιον vocabulum. Sed quasi non esset illa ad fidem suam declarandam satis, aliam proferunt prolixiorem, in qua pariter misso ὁμοούσιον vocabulo, suspiciosissimam clausulam adjiciunt, dum ajunt, *Filium non esse creaturam velut unam ex creaturis*, errorem ita suum ambiguitate verborum contegentes: quam fidei professionem Ariani nominis & commendationis causa Luciano martyri adscripsere. Verum, ut habet auctor dialogorum de Trinitate, Luciani confessionem multis laciniis hæretici interpolarunt. Tertiam breviorem protulit Theophronius episcopus Tyanensis, in qua præter τὸ ὁμοούσιον omissionem nihil culpandum occurrit. Exstant præterea in collectionibus canonum cum editis, tum manuscriptis 25. canones Antiochenæ synodi, de quibus multæ nostro ævo controversiæ a doctis viris editæ; quo mittimus lectorem, ne, quam institutum ferat, longiores simus.

Athan Tom. 2. Dialog. III. de Trinit. n. 1. Sozom. lib. 3. cap. 5.

Gregorii invasio truculenta. Athan. epist. Encyclica n. 2. 3.

5. Gregorius autem, Philagrio & Arsacio comitibus, cum Alexandriam adventaret, populum Alexandrinum alta pace fruentem invenit, atque conventibus Athanasii de more vacantem. Tranquilla omnia, cum in urbe, tum in regione; summa pax Episcoporum Ægypti, Thebaidis, & Libyæ cum Athanasio, mutuis officiis, mutuo amore culta: cum derepente Præfectus Ægypti ceu bellicum canere cœpit, edicto denuntians Gregorium Cappadocem, in locum Athanasii episcopum Alexandrinum mitti, & in comitatu esse. His auditis, populi insolentia rei permoti in ecclesias accurrere, atque collectas frequentare. At ubi animadvertunt novum episcopum cum solis Arianis versari, ingenti clamore obtestantur judices, magistratus, universam urbem, contra jus fasque rem agi, non accusatum legitime Athanasium deturbari; si quod crimen erat, oportuisse secundum leges ecclesiasticas rem inquiri & pœnas exposci, neque derepente vi atque patrocinio magistratuum, vero Episcopo pulso, ecclesiam invadere. Vel ipsis ethnicis dari male suspicandi causam ac æstimandi, non ex legum ecclesiasticarum præscripto, sed nundinatione & favore Episcopos creari. At frustra fuit populi clamor: ingrediente namque Gregorio, ut animadvertit Philagrius catholicam plebem tanto amore ac studio Athanasium amplecti, tam frequentem conventibus ejus interesse, coacta Ethnicorum, Judæorum, opilionum, aliorumque forensium & petulantium juvenum caterva, multa pollicitus si rem strenue gererent, eos confertim in ecclesias immittit. Qui promissis Philagrii concitati, irrumpunt in ecclesias: atque in ea potissimum, quæ Cyrini vocabatur, vix enarranda perpetrant flagitia. Incenditur ecclesia, sacrumque pariter baptisterium. Hinc luctus, ejulatus, & clamor populi rem indigne ferentis, ac contestantis vim inferri sibi ab impio Præfecto. Scelesti autem illi, ceu furibundi & amentes, virgines sacras nudare, cædere, obsistentes in periculum mortis conjicere, monachos in terram decussos calcantium impetu exstinguere; alios fustibus ferire, vulnerare, occidere.

Anno 341.

6. In sacram autem mensam flagitia omnium impiissima admissa. Aves enim strobilosque, seu pineas nuces, numinibus immolabant gentilium, laudes in deorum honorem, maledicta in Christum proferentes. Sacri libri, si qui obvii fuere, in ignem conjecti & combusti sunt. Imo mysteria, de quibus violatis Macarium accusarant Meletiani, ab Ethnicis rapta humique projecta sunt. Tum Judæi atque Ethnici in baptisterii adhuc conflagrantis septum ingressi, ac sese nudantes, obscœna vociferabantur in sacri loci contumeliam. Nec defuere in tam impia turba qui tyrannos imitati, virgines honestasque matronas manibus pertractas raptatasque, cogerent blasphema dicta in Christum proferre, abnuentes vero cæderent impetentque calcibus.

7. Tum Gregorius in rerum præclare gestarum mercedem, Judæis, Ethnicis & aliis ecclesiam tradit in prædam. Concessa hac inique ac petulanter agendi licentia, quæ exinde consequuta sunt, bello erant pejora & latrocinio crudeliora; ita ut alii obvia quæque diriperent; alii quorumdam deposita inter se dividerent; grandem vini copiam illic repertam aut ebiberent, aut effunderent, aut asportarent; oleum reconditum auferrent; januas & cancellos ceu spolia singuli raperent; candelabra ecclesiæ ad parietem reclinarent; cereos idolis suis accenderent. Uno verbo, nihil nisi vastitas in ecclesia & plurima mortis imago. Atrociora post hæc videre erat: carnifices enim illi Presbyteros & laicos plagis lacerare, virgines detracto maforte, seu sacro velamine, ad tribunal Ducis pertrahere, & in carcerem conjicere, alios proscribere & flagellis cædere, panes ministrorum ac virginum intervertere. Hæc autem in sancta quadragesima prope festum Paschatis gesta sunt. Sub hæc, in ipsa Parasceve Gregorius in unam ecclesiarum cum Duce & Ethnicis ingressus, ut populos violentum ipsius introitum aversari animadvertit, auctor Duci fuit ut hora una trigintaquatuor cum nobiles viri, tum virgines & matronæ, flagris publice cæsi in carcerem conjicerentur. Virginem vero aliquam lectionis studiosam, cui psalterium præ manibus, palam verberari jussit. Demum liber raptus a carnificibus, virgo autem in carcerem reclusa est. His peractis, in aliam ecclesiam, ubi solebat Athanasius iis diebus agere, impetu feruntur, eo consilio ut Antistitem nec opinantem confoderent. Verum expilatio in Cyrino facta Athanasio saluti fuisse videtur. Nam ubi accepisset quanta illi & quam indigna perpetrarent, ad primum nuntium, necdum confecto in alia ecclesia latrocinio, populis se subduxit, maturavitque ab urbe proficisci, cavens mala non sibi solum, sed plebi, virginibus, ecclesiæ mox inferenda, nec sine cædium discrimine; tanto nimirum erant furore correpti. Memor itaque dominici præcepti: *Si vos persequuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*, carnificibus se subduxit. Eam Alexandrinæ ecclesiæ calamitatem duobus ante annis futuram prospexerat Antonius monachorum pater. Dum enim sedens labori manuum vacaret, derepente extra se raptus contremiscens ac gemens in genua procumbit, & diu precando perseverat, stupentibus omnibus qui

Athanasius se proripit. μόνος μάχεται.

Athan. in vita Antonii n. 82.

qui aderant. Surgens demum lacrymis perfusus, rogatur a fratribus quæ causa tantæ commotionis, tantorum fletuum esset. Cunctatus ille, demum rogantibus respondet: Vidisse se mensam dominici sive ecclesiæ mulis undique circumsessam, qui ejus interiora calcibus vehementer impeterent; audivisseque vocem dicentem, *Altare meum polluetur*. Addidit autem Antonius, non diuturnam fore calamitatem, sed ecclesiam ad pristinum statum ornatumque cito redituram.

8. Tanta porro erat Gregorius impietate, tanta immanitate, ut ne ipsa quidem dominica Paschatis die abstineret a sceleribus & a calamitatibus inferendis: diemque ille resurrectione Domini, & redemtione generis humani faustissimam, conjectis in carcerem catholicis viris, in luctum vertit. Ecclesias igitur Dux vi atque impetu occupavit, occupatas Arianis tradidit; ut qui jam olim fuissent impietatis causa pulsi, tunc ecclesiarum invasione gloriarentur: ac si qui vel laici, vel clerici a communione hæreticorum abhorrerent, ii introitu arcebantur ecclesiarum. In naucleros usque cæterosque furor convertitur: nam Præfecti jussu, cruciatibus, verberibus, vinculis, carcereque compulsi sunt litteras Arianorum deferendas accipere. Nec inferior patronis ac vindicibus suis arte fingendi Gregorius erat. Ut enim elapso manibus suis Athanasio perniciem inferret, acta & monumenta conscribi curat, tot criminibus & accusationibus referta, ut nonnisi capitalis supplicii pœna lui possent: usus hac in re ministerio cujusdam Ethnici scribæ numinum cultoris, transfugæque a religione Christiana. Qui autem nomen & suffragium adscripsere, Ethnici erant, idolorum æditui, ac cum ipsis Ariani. Ne immani quidem illa tyrannorum tempestate, tanta crudelitate in Christianos sævitum est. Tunc enim, ait Athanasius, saltem qui se proripuerat, orare, & qui latitabat, baptizari poterat: nunc autem immanissimi viri Babyloniorum impietatem sunt æmulati. Quemadmodum enim illi Danielem, sic præclarus Gregorius eos, qui domi orant, defert ad præfectum, ac ministros Ecclesiæ cum ingenti contumelia observat; ita ut ejusmodi violentia multi nondum baptizati in discrimen salutis veniant; alii vero quamplurimi morbo laborantes, omnium ministrorum aditu & obsequio interclusi, lacrymis vicem sua deplorent, eamque calamitatem vel morbo ipso duriorem existiment. Dum enim Ecclesiæ ministri contumeliis & injuriis lacessuntur, populi, qui hæreticorum impietatem exsecrantur, malunt ita ægrotare ac periclitari, quam ut Arianorum manus capiti suo imponatur.

— *Scribit Encyclicam epistolam. Athan. epist. Encyclica n. 2.* —

9. Hæc Athanasius; qui postquam sese fuga proripuisset, quo loci statim se receperit incertum. Constat illum propter urbem aliquot dierum spatio cum quibusdam fratribus commoratum, ut res quorsum evaderent occultis nuntiis acciperet. Tum litteris ad omnes ubique terrarum Episcopos, missis tabellariis, significat res a Gregorio & sociis gestas, quo fermo ordine nos ante narravimus. Communem agi rem ait, & rogat ut quisque quasi læsus ipse opem ferat; periculum alias, ne res ecclesiasticæ Arianorum dolis & insidiis labefactentur. si litteras Gregorius, si Eusebius & socii mittant, ne accipiant illas, tabellarios cum repulsa ejiciant. Ariomanitarum gratia isthæc admitti flagitia indicat, virginum stupra, cædes, ecclesiarum vastitatem, incendia, maledicta. Dictata hujusmodi epistola, cum Romam evocatus a Julio fuisset, navim cum quibusdam fratribus conscendit, & Romam versus habet iter. Eo anno incidit Paschatis solemnitas in diem decimam nonam Aprilis; arbitramurque profectum Athanasium postremis hujus mensis diebus, mense Majo ad Italiæ oras appulisse.

— *Romam transmittit.* —

10. Ingressus Romam Athanasius, a Julio Papa perhumaniter & honorifice excipitur. Et cum non una itineris causa esset, Arianorum ferocitas, & illatæ in patriam calamitates; sed etiam quo, ut statutum fuerat, synodo istic celebrandæ interesset: ideo Julius quamprimum presbyteros duos Elpidium & Philoxenum ad Eusebianos cum litteris misit, significans ut ante statam certam diem Romam se conferrent; alioquin male suspicandi ansam daturos. Quam vero diem Julius dicebat, ut Romam Orientales accederent, putamus versus finem anni 341. incidisse. Legati vero Julii vel Majo vertente, vel ineunte Junio profecti sunt, ut ex ordine gestarum rerum licet opinari. Præter Julium, qui comi semper & gratioso erga Athanasium animo fuit, Eutropium Constantii matertera bene morata matrona, Abuterius item & Sperantius exsulem omnibus humanitatis ac benevolentiæ officiis prosequuti sunt. Erant porro cum Athanasio viæ & exsilii comites monachi duo Ægyptii, quorum exemplo, vitæ sanctimonia, secessus studio, Romana tum primum ecclesia in monastici instituti amorem accensa fuit. Eorum nomina, Ammonius & Isidorus: prior tanta mundanarum rerum incuria, ut Romana illa ædificia, quæ nullis non admirationi erant, ac quorum gratia Roma visitatur frequentissime ab extraneis, ne inspectare quidem dignaretur; solasque Petri & Pauli basilicas adierit. Is ipse Ammonius est, qui sub hæc, cum ad episcopatum raperetur, fuga elapsus, alteram sibi abscidit aurem, ut mutilatione corporis sacerdotale munus declinaret. Isidorus autem non minore pietate & fluxarum rerum abdicatione micabat. Factumque ut eorum æmulatione inflammati Romani, tum primum monasticam colerent disciplinam. Hinc monasteria multa per Italiam excitata, & institutum hujusmodi exinde per Occidentem manavit in dies latius. Addidit stimulos Athanasius, cum eximii monachi, monachorumque patris Antonii præclara gesta recensuit; cujus abstinentiæ, solitudinis, certaminum memoria multis abdicandi sæculi causa fuit. Sunt qui putent Athanasium Romæ versantem, edidisse symbolum quod vulgo ejus nomine circumfertur. Verum nec ab Athanasio, nec ejus ævo conscriptum fuisse, probe alias commonstratur.

— *Oratores Julius mittit ad Eusebianos. Athan. Apol. contra Arian. n. 20. & Hist. Arian. ad Monachos n. 11.* —

— *Athan. Apol. ad Constant. n. 6.* —

— *Sozom. lib. 3. cap. 7. Monachorum in Occidente origo.* —

11. Gregorius autem sede potitus Alexandrina, retinendæ dignitatis percupidus, optatissimum sibi putans esse, si Julii Papæ suffragio & consensu posset in occupata sede consistere, oratores mittit Romam, Carponem quemdam presbyterum, Arianismi causa ab Alexandro antistite olim damnatum & officio deturbatum, cum quibusdam aliis pari modo abdicatis. Quam ob rem & ob alia in ejus Alexandriam ingressu admissa facinora, in Julii offensionem incurrit Gregorius.

— *Oratores ad Julium mittit Gregorius. Athan. Apol. contra Arian. n. 24.* —

12. In-

Anno 347. Eusebiani fidei formulam mittunt ad Constantem.
Socrat. lib. 2. cap. 18.
Athan. de Synodis n. 25.

12. Interposito post synodum Antiochenam paucorum mensium spatio, Eusebiani aliam perbrevem fidei formulam edunt, in qua nihil quidem contra orthodoxam fidem comparet, sed prætermittitur vox ὁμοούσιος, quam formulam per legatos mittunt ad Constantem Augustum. Oratores porro fuerunt Narcissus Neroniadis, Maris Chalcedonensis, Theodorus Heracleotes, & Marcus Arethusius. Iis mandatum ut Constanti significent quæ causa fuerit Athanasii abdicandi, quæ Pauli & aliorum præsulum, quo jure alii in eorum locum essent adlecti. Eam igitur illi formulam io præsentia clientium & aulicorum offerunt Constanti.

Socrat. lib. 2. cap. 18.

Quod autem ait Socrates, abnuisse oratores cum Athanasio colloquia miscere, non ita intelligas, quasi tum Athanasius in Constantis aula versaretur; certum quippe est tum Romæ fuisse; sed quod vel Romam cum eo congressuri se conferre noluerint, vel quod Roma cum pertransirent, Athanasii congressum declinarint. Fidei autem formulam postremo ab se conscriptam, abditis & silentio missis prioribus, Constanti offerunt. Non ignota Augusto erat innata hominum vafrities mensque dolis plena. Quapropter re infecta oratores, ad suos remigrarunt.

13. Nacti opportunum consiliis suis & voluntatibus Principem Eusebiani, post pulsum Athanasium, tantam vim hominis, jam nihil inausum, nihil inaccessum consceleratis. Cæteros igitur adorti infestos sibi Antistites, alium post alium deturbant sede, pellunt patriis finibus. Quibus exactis, unum fuit perfugium Julius Romanus, quem ex multis orbis & remotissimis regionibus plurimi uno ferme tempore Episcopi adierunt. Ex eorum numero Marcellus Ancyranus, jam olim ab illis abdicatus & pulsus; quem denuo impotentes furore aggressi, nullis non malis adsecerunt; ut possent Marcello illatæ calamitates iis, quæ invadente Gregorio Alexandriam gesta sunt, probe conferri. Is ergo Julium convenit, fidem suam, cujus causa agitabatur, sinceram commonstrat; rogat evocari & coram statui adversarios. Accedit item Asclepas Gazensis, quem paribus artificiis & calumniis deturbatum, quasi seditiosum & auctorem turbarum profligarant. Hic Romæ anno uno ac tres menses moratus, Sardicensi postea synodo interfuit. Magna utique fuit pulsorum qui Romam se proripuere turma, Lucius videlicet Hadrianopolitanus non semel ferro & vinculis Arianorum opera constrictus; ex Thracia item Paulus Constantinopolitanus bis Arianorum vexatione solum vertere coactus. Alii item eo confluxerunt ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, & Palæstina. Et veri simile quidem est eos ipsos esse, qui alicubi memorantur ab Athanasio; ex Thracia scilicet, præter Lucium & Paulum, Theodulus Trajanopolitanus, & Olympius Ænorum, de quibus plura inferius; ex Syria, Cymatius Palti, alter Cymatius Aradi, Cyrus Berœæ, Carterius Antaradi, Euphratioo Balaneæ; ex Phœnice, Hellanicus Tripolitanus, vir catholicæ fidei observantissimus, infestus Arianæ, & ea de causa ab Arianis exactus, qui in ejus locum Theodorum quemdam suæ factionis adlegerant. Hi erant episcopi.

Alii episcopi ab Eusebianis pulsi.
Athan. in epist. Julii. Sozom. lib. 3. cap. 8.
Athan. Apol. contra Arian. n. 30. & Hist. Arian. ad Monachos n. 11.

Elpidius autem & Philoxenus presbyteri, Julii Legati, Antiochiam profecti, litteras ejus A offerunt Eusebianis. Hi ubi Athanasium venisse Romam intellexere, prospicientes ecclesiasticum illic fore judicium, quo procul abforent Comes, milites, Imperatoria auctoritas, queis freti rem arbitratu suo agerent (iis namque deficientibus ne mutire quidem audebant;) exagitante facinorum conscientia tanto sunt terrore perculsi, ut interpellandæ synodi causa legatos ultra præfinitum a Julio tempus detinerent, nec nisi mense Januario subsequentis anni abire coocederent, datis ad Julium litteris querelarum plenissimis, oratorioque more conB scriptis. Et quidem initio fatebantur Romanam ecclesiam, eximiam omniumque Metropolin esse, sed ex Oriente prodiisse doctores ejus; neque se inferiore loco haberi, quod amplitudine præstantior illa esset, quando ipsi virtute, consilio, sententia, facile antecellerent. Nec par esse evocari se a Julio Romam ad synodum, cum Antiochena ab se edita decreta, rata, firma & legitima essent: nefas vilipeodi Synodum a tot episcopis celebratam: admitti ad societatem viros a se depositos & damnaC tos. Episcopos Orientis nequaquam iis repugnasse, quæ contra Novatianum decreta Romæ fuissent: neque vicissim Romanum Pontificem obstitisse abdicationi Pauli Samosateni in Antiochena synodo decretæ. Querebantur item præfinitum temporis spatium angustius esse, quam ut valerent Orientales ante condictam diem Rnmam concedere; imminens quoque Persicum bellum profectus impedimento sibi esse. Non decuisse, Eusebio & quibusdam sociis ejus, epistolas nuncupari a Julio, sed toti Orientalium Aotistitum cœtui; neque Julium D suo, sed synodi nomine conscribere oportuisse. Demum pacem & concordiam fore cum Julio sibi pollicentur, si tamen res per se gestas ratas haberet; secus, si improbaret. Cum absurdis hujusmodi querelis legatos remittunt. Unum tamen erat quo se maxime arceri itinere Romano mentiebantur, Persarum scilicet bellum. Sed quid ad Episcopos bellum? inquit Athanasius. Et qui Persico bello præpediantur quo minus Romam pergant, longinquam & transmarinam urbem; qui per Orientis loca etiam Persis finitima, tum temporis instar leonum ultro ciE troque cursabant, quæsitum num quis adversaretur rebus Arianis, ut confictis criminibus pellerent in exsilium? Sed revera Romaoi itineris detrectandi causa erat admissorum scelerum conscientia.

Anno 347.
Anno 349. Eusebianorum ad Julium litteræ.
Socrat. lib. 2. cap 15.

2. Sub hæc Eusebiani, prospicientes non e re sua fore Romanæ synodi decreta, jam ad solitam audaciam & ferocitatem vertuntur. Missis itaque litteris auctores Philagrio sunt, ut cum Gregorio brevi Ægyptum peragrare curet. Nec mora, scelesti Ægyptum pervadunt. Hinc videre erat Episcopos Athanasio conjunF ctos verberibus excipi, ac vinculis acerbe constringi. Non senum illi gravitatem, non dignitatem præsulum curabant: omnia perfregit prostravitque furor. Sarapammonem igitur, grandævum episcopum & confessorem, pellunt in exsilium: Potammonem item episcopum atque confessorem, cui fuerat oculus pro Christi nomine exsculptus, tot plagis in cervicem laniarunt, ut non ante cædendi finem facerent, quam virum exstinctum putarent. Abjectus senex atque humi prostratus, curatione adhibita & flabelli ope paulum respiravit ac revixit; ita

Immania Gregorii in Ægypto facinora.
Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 12.

Anno 342.

ita tamen, ut haud ita multo post ex vulnerum dolore vita functus sit, iterati pro Christo martyrii gloria insignis. Alii item Episcopi grandævi, qui in episcopatu consenuerant, ad lapicidinas adducti sunt: alii item Episcopi, Presbyteri, clerici in exsilium transmissi. Quot Monachi flagris cæsi, idque jussu Gregorii & Balacii Ducis, qui ejusmodi carnificinæ aderant? Quot Episcopi plagis laniati? Quot virgines verberatæ? His admissis sceleribus facinorosus homo populum cohortabatur, ut ad communionem suam accederent; quasi vero id illatis verberibus & contumeliis ille, non humanitate & beneficiis consequi posset.

Athan. ibid. n. 13.

In Episcopi autem Athanasii materteram, quam dum superstes esset calamitatibus oppresserat, vel defunctam ita sæviit, ut ne ejus quidem funeri justa solvi concederet. Quod sane futurum erat, abjectaque illa fuisset insepulta, nisi cadaver a quibusdam hominibus, quasi ad familiam suam pertineret, exportatum fuisset. Jussit præterea impius homo quæ viduis egenisque erogari consueverant abripi, vasaque confringi vino atque oleo distribuendo deputata. Alia nefanda edidit, quæ vix enarrari possint, digna sane viro qui non ex ecclesiasticis legibus cooptatus, sed militari manu stipatus in episcopalem sedem quasi in arcem invasisset, suamque dignitatem pro civili non sacro ministerio & officio haberet. Quare Magnatum quam Episcoporum, vel Monachorum malebat gratiam inire. Patris Antonii sanctitate conspicui viri si quando litteras acciperet, nihil pensi habebat; si Imperatoris aut Ducis cujuspiam, quos ille sibi demereri efflagitabat, quasi re præclare gesta, ingenti perfusus erat lætitia.

Athan. in vita S. Antonii n. 86.

3. Contigit interea ut Antonius audita Balacii Ducis erga virgines monachosque ferocitate, missis litteris divinam scelerato interminaretur ultionem, nisi finem faceret Christianos excruciandi. Risit Balacius, annuenteque Gregorio, in epistolam humi projectam conspuit; tabellariisque cum repulsa & injuria remissis, renuntiare jubet Antonio, quando Monachorum ipse vicem doleret, se paribus eum malis impetiturum. Necdum extracto quinque dierum spatio, cum ad primam mansionem Cereu dictam cum Nestorio Ægypti præfecto haberet iter, ambo equis Balacii omnium mitissimis vecti, dum pergerent, & equi pro more solito luderent, derepente mansuetior, quo vehebatur Nestorius, morsu Balacium decussit in terram, irruensque femur illius ita dentibus laniavit, ut statim in urbem delatus intra triduum obiret. Quod ex divina ultione factum nemò non arbitratus est.

Mors Balacii.

Athan. Apolog. contra Arian. n. 20.

Synodus Romana.

4. Legati interea Elpidius & Philoxenus Antiochia profecti, Romam transmittunt, Julioque offerunt Antiochenæ synodi litteras. Lectas Julius aliquamdiu penes se tenuit occultas, spem esse putans nonnullos saltem Orientalium accessuros, atque ita integris rebus posse litteras querelarum plenissimas patrum subripi notitiæ: veritus scilicet ne lectionem earum indigne ferrent. At ubi spem sibi præcisam intellexit, epistolam profert: qua perlecta, stupor primo, hinc indignatio omnes invasit. Coacti itaque præsules plus quinquaginta numero in ecclesia Vitoni presbytero commissa, Athanasium coram consistentem audiunt. Is oblata crimina propulsat, atque ex ipsis rerum gestarum monumentis conficta, & adversariorum conspiratione concinnata ostendit. Quibus illi perspectis, virum ad ecclesiasticam communionem admittendum decernunt, & pro irritis habenda factiosorum scita definiunt. Marcellum pariter, postquam sese purgaverat, recipiunt, itemque alios Episcopos pari artificio & iniquitate pulsos.

Epistola Julii synodica ad Eusebianos.

Athan. Apolog. contra Arianos n. 20. 21.

5. Tum Julius conscriptas hortatu Synodi litteras per Gabianum Comitem ad Antiochenos misit, nuncupatas scilicet ad Danium, quem nos Theognium Nicænum arbitramur, Flacillum, Eusebium, Narcissum, Marin, Macedonium, Theodorum, aliosque. Primo notat superbiam & procacitatem hominum, quam litteris ipsi suis proderent; majus eloquentiæ studium in iis præferri, quam postularent ecclesiastica negotia. Non debere sibi vitio verti, quod ad synodum Romæ celebrandam diem dixisset, quando oratores ipsorum id postulassent; nec esse præter ecclesiasticum morem, quod de qua re ipsi jam sententiam tulissent, de eadem ipsa denuo Romæ ageretur: esse quippe iteratam de eodem negotio quæstionem ex decreto Nicænæ synodi licitam. Carpit eos qui cum Arianis societatem amicitiamque foverent, hominibus a Nicæna synodo damnatis & Ecclesia pulsis: & tacito nomine Eusebianos nec obscure tanti flagitii reos significat. Si per Novatiani & Pauli Samosateni exemplum scita Synodorum vigere oporteat, nefas trecentorum Præsulum decreta vilipendi, admittendo Ariomanitas. Argute depellit illam pervicacium hominum querelam, non ex Romæ amplitudine dignitatem ejus metiri oportere. Non decuit igitur, ait, eum cui parva civitas concredita fuerat, illa despecta, ampliorem ex sola inanis gloriæ cupidine invadere: queis Eusebii ambitum exagitabat. Futilem adferri itineris detrectandi causam, cum dicerent, ob angustiam definiti temporis se non posse Romam concedere. Si iter ingressos, inquit, dies ille prævertisset, æqua foret querimoniæ causa: at cum nedum iter instituerint, legatos etiam Romanos ultra præfinitum tempus detinuissent, negata ad Januarium usque mensem discedendi facultate, frustra esse querelam. Nugatoriam aliam adferre causam, Persicum scilicet bellum, viros utique quos tanti belli terror non coerceret ab inferendis calamitatibus. Levissimum esse quod querebantur, soli Eusebio litteras suas nuncupasse Julium; quando solus Eusebius sibi litteras misisset. Quod si solus ipse litteras suo nomine mittat, id ex Italiæ episcoporum sententia factum, ut nullam hinc irarum ansam arripiant. Adfert causas admissi ad communionem Athanasii, postquam oblata ille crimina depulisset, & malum inimicorum aperuisset animum. reliquos item Episcopos, postquam sese purgaverant, similiter admissos. Perstringit acerrime Gregorii invasionem, deploratque calamitates & mala Ecclesiæ, catholicis, Presbyteris, Monachis, imo & Episcopis, Alexandriæ & per Ægyptum eo tempore inflicta. Queritur exinde interclusos itinere fuisse Episcopos & Presbyteros qui voluissent ad Synodum accedere. Aliquos in ipsorum cœtu reperiri immanium scelerum reos, quibus, si crimina propulsandi facultas esset, accedendum erat, ut omnis adversa suspicio levaretur. Le-

Anno 342.

niter postea hortatur, ut querelarum & dissidiorum finem faciant, & accedant quibus cordi fuerit pax Ecclesiarum; accepisse se paucos esse numero discordiæ auctores. Mirari cum de inclyta Alexandrina sede ageretur, nihil sibi rescriptum; cum ea esset consuetudo, ut nihil nisi conscio Romano Antistite in tantis rebus definiatur. Rogat demum epistolam claudens, ut secum animo reputent gestorum omnium reddendam æquissimo judici Deo rationem.

Mors Eusebii. Socrat. lib. 2. cap. 12. Sozom. lib. 3. cap. 7.

6. Synodalem Julii epistolam Gabianus Comes, uti diximus, detulit in Orientem, & quidem, ut narrant Socrates & Sozomenus, Eusebio interea antequam synodi gesta compeńsset defuncto. Queis, ut mea quidem fert opinio, neutiquam refragatur Athanasius, dum ait, postquam hæc scripsisset Julius, Eusebium & socios, *τὺς περὶ Εὐσέβιον*, cœptis institisse, ac turbas de more dedisse. Id enim dum Gabianus Comes tantum itineris perficeret, potuit Eusebius moliri, obiisseque tamen ante Comitis in Orientem adventum. Eusebii autem sodales eo defuncto cœptis naviter institere. Extremum igitur diem clausit Eusebius mense circiter Octobri vel Novembri anni 342.

Seditio Constantinopolitana. Socrat. lib. 2. cap. 13. Sozom. l. 3. cap. 7.

7. Plebs Constantinopolitana Nicænæ fidei studiosissima, defuncto Eusebio, Paulum revocat in sedem. Eodem autem tempore assidui turbarum auctores Theognius Nicænus, Theodorus Heracleotes, aliique ejusdem factionis homines, qui tum Constantinopoli versabantur, in alia coacti ecclesia, Macedonium, opitulante Arianorum caterva, in episcopum promovent. Hinc turbis & seditionibus urbs prope universa conflagravit. Ex catholicis enim nemo erat quin ardere omnia mallet, quam videre in Pauli viri optimi sede jactantem se Macedonium sycophantam. In tanto partium odio & furore, congressis utrimque popularibus, non pauci cæsi ac vulnerati sunt. Re comperta Imperator, cui tum sedes Antiochiæ, Hermogenem Magistrum militum in Thraciam iter habentem, jubet eodem itinere Constantinopolitanas res componere, Paulumque episcopatu deturbare. Ille Constantinopolim cum pervenisset, conatus jussa complere, turbam populi concitavit: qui adversi militibus, instructi ad pugnam, irrumpunt in Hermogenem, ejusque incensa domo, virum pertractum, ac ultro citroque raptatum interimunt. Gesta res est Coss. Constantio tertium & Constante iterum, id est, anno 342. Quo perlato nuntio, Constantius quam maturrime Constantinopolim eques se confert, animo plebis ulciscendæ. At ubi cives collacrymantes, ac veniam precantes obviam sibi occurrere perspexit, pepercit quidem multitudini; sed media solitæ annonæ parte mulctavit, Paulumque jussit pelli civitate. Sed & Macedonio quoque graviter succensuit, tum quod auctor seditionis cædiumque fuisset, tum quod ejus non exspectato nutu in Episcopum fuisset adlectus. Et tamen nec approbata nec abrogata ejus promotione Antiochiam remigravit.

8. Sed longe aliam temporis rationem inierunt viri nostro ævo eruditionis fama conspicui, qui haud leviter quoque nobiscum in rebus gestis dissentiunt. Nam primo octodecim mensium, quos Athanasium versatum Romæ narrat in epistola sua Julius Papa, initium Anno 342.
ducunt ab anno 339. 2°. Legatorum Elpidii & Philoxeni profectum Antiochiam ante Gregorii invasionem, reclamante licet Athanasio, constituunt. 3°. Januarium mensem anni 342. quo profectos Antiochia eosdem legatos ait Julius, in Junium anni 341. commutandum arbitrantur. Nam si omnium mss. & editorum lectio steterit, ut Januarius legatur, ruunt omnia, & ad sententiam accedant nostram necesse est. Si Januarius quippe sit, est anni 342. non 341. ut ex inferius positis propalam est. 4°. Romanam synodum & epistolam Julii in annum 341. consequenter referunt. Verum hæc omnia mirum quam pugnent cum Athanasii & Julii litteris.

9. Et sane priorem illam Athanasii Romam profectionem anno 339. moramque diuturnam, per totum scilicet annum 340. & partem sequentis, ut octodecim menses a Julio memorati conficiantur, nullam fuisse perspicuum est ex iis quæ superius pag. XXXVI. de synodo Alexandrina diximus. Non erat quippe Romæ Athanasius cum Eusebiani Antiochiam profecti Pistum delegerunt, ac legatos misere Romam; quæ anno 339. gesta sunt. Non erat Romæ cum Alexandrina synodus celebrata est, neque cum ejus legati missi Romam cum Eusebianis congressi sunt, quæ ad annum 340. referri debere ibidem commonstravimus. Non erat Romæ Quadragesimæ tempore anno 341. cum Gregorius Alexandrinam invasit ecclesiam. Qua ergo ratione illos octodecim menses Romani otii in annum 341. desinere statuant?

10. Elpidium autem & Philoxenum, nonnisi post Gregorii invasionem & Athanasii Romam profectum, circa Majum mensem iter instituisse perspicue scribit Athanasius in historia ad Monachos, ubi post descriptam Gregorii invasiooem sic habet: *Athanasius porro bis* n. 9.
nondum peractis, ad primum rei auditum Romam navigavit, quod hæreticorum furorem probe perspectum haberet, quo etiam prout statutum fuerat, synodus istic celebraretur. Julius autem presbyteros Elpidium & Philoxenum cum litteris misit. Et in Apologia contra Arianos: *Cum* n. 20.
igitur Romam venissemus, Julius ut par erat litteras scripsit ad Eusebianos, misitque duos ex presbyteris suis Elpidium & Philoxenum. Eusebiani vero ubi nostrum adventum audierunt, consternati, quod nullatenus æstimarent nos eo venturos, accedere renuerunt. Ex quibus conspicuum, legatos tunc solum Roma profectos, cum Athanasius post Pascha anno 341. Arianis necem molientibus se proripuit Romam. Cum autem mense circiter Majo ejusdem anni legati Julii profecti sint; palam certe est germanam esse lectionem, qua nec sine querela dicitur a Julio, legatos ab Eusebianis ultra condictum ad celebrandam synodum tempus ad mensem usque Januarium Antiochiæ detentos fuisse: & perperam volunt Januarium hic positum esse pro Junio; tum quia omnes editi juxta atque manuscripti codices Januarium habent; tum quia perabsurdum esset queri, legatos ultra condictum ad celebrandam Synodum tempus ad mensem usque Junium anni 341. detentos fuisse: qui legati mense ut citius Majo ejusdem anni Roma Antiochiam profecti fuerint.

11. Cum itaque mense Januario anni 342. re-

Anno 342. remissi fuerint Elpidius & Philoxenus, in tanto itinere adversa hiemis tempestate conficiendo, aliquot mensium spatium decurrisse necesse est. Romam cum venissent, Julius litteras Eusebianorum non modico temporis spatio patrum oculis subduxit, sperans aliquos Orientalium venturos. Ubi nihil spei residuum, eas litteras profert: expenduntur post hæc negotia Athanasium, Marcellum & reliquos spectantia. Soluta Synodo, epistolam synodicam scribit Julius mense circiter Octobri vel Novembri. En tibi octodecim menses quos Romæ moratus Athanasius est, a Majo scilicet anni 341. ad Novembrem anni 342. quin vel minima sit verbis Athanasii vel Julii vis inferenda.

12. Unum est in quo fortasse quidpiam difficultatis hæreat, quod scilicet Athanasius in *n. 11.* historia ad Monachos, post enarrata flagitia quæ Gregorius, Alexandriam ingressus, in ecclesia Cyrini perpetravit, dicat se, iis nondum actis, ad primum rei auditum navigasse Romam. Ex quo perperam inferunt eum, antequam veniret Gregorius Alexandriam, confugisse Romam. Verum hæc difficultas ipsis juxta atque nobis est concoquenda. Non modo enim exploratum est, Athanasium Alexandriæ fuisse quando irrupit Gregorius, verum etiam edidicisse, antequam profugeret, expilationem in Cyrino factam. Illud ipse testatur his verbis: *Populis me subduxi: noveram enim ex iis quæ in aliam ecclesiam intulerant malis, nihil non sceleris in hac quoque ecclesia admissuros.* Sed Athanasius est per Athanasium explicandus, & ne minima quidem supererit difficultatis ratio. Nam hæc quæ disparata videntur loca perfacile conciliantur, si dicamus, cum milites ecclesiæ Cyrini vastitatem inferrent, nuntium hujusce rei ad Athanasium venisse, qui ad primum rei auditum, necdum confecta expilatione, fuga se proripuerit.

Anno 341. Photinus. 1. Io hoc circiter tempus coofertur Photinianæ hæreseos exortus, Photino scilicet Galata auctore: qui cum juvenis Marcello Ancyrano doctore litteris operam dedisset, Sirmii in Illyrico episcopus creatus est. Hic cum facundia multum polleret, popularium gratiam & existimationem conciliat sibi. At ubi postea profligatis esse moribus deprehensum est, minusque sanam de Trinitate & de Incarnatione doctrinam spargere; versa rerum conditio est. Quid demum de Photino actum sit, pluribus infra.

2. Athanasius vero in tanta temporum iniquitate, post Romanam synodum, tribus ferme annis Romæ versatur: qui tantum otii nactus quid gesserit ediderit ve, altum ubique silentium. Unum ipso auctore Athanasio discimus, dum Romæ moraretur, ecclesiasticis conventibus frequentem adfuisse. Non desunt qui arbitrentur, sanctum Præsulem per Romanum otium synopsin Scripturæ, quæ inter ejus Opera recensetur, edidisse. Sed, uti a nobis est alias ostensum, grandi hic liber *νοθείας* suspicione laborat, & diversus plane est ab illis Scripturæ sacræ voluminibus ab Athanasio ad Constantem Augustum transmissis. Narrat item Julius papa litteras ipsum frequenter Alexandrinorum accepisse, quibus non parum exsilii molestia levaretur.

1. Anno circiter 344. tribus videlicet post compositam postremam, de qua superius, fidei formulam annis, coacti Ariani episcopi novam edunt, prinribus prolixiorem: in qua quidem hæc Arianica sententia *ἐξ οὐκ ὄντων*, aliæque hujusmodi confutantur, verum nihil de *οὐσίᾳ* & *ὁμοουσίῳ* effertur. Dicitur Filius Patri quidem similis, sed factus, etsi non eodem quo aliæ res creatæ modo. Missi in Occidentem fuot qui deferrent, Eudoxius Germaniciæ, Martyrius quidam, Macedonius Mopsuestenus, & alii. Oblata illi formula, vacui & re infecta remittuntur, profitentibus Occidentalibus esse sibi Nicænam fidem satis, neque egere se aliis doctrinæ formulis. *Anno 344. Ariani episcopi novam edunt fidei formulam. Athan. de Synodis n. 26. Socrat. lib. 2. cap. 19. Sozom. l. 3. cap. 11.*

1. Mediolani agens Constans Augustus, synodum ea in urbe celebrari curat, cujus perpauca nota. Eo item proficiscuntur legati Orientalium Demophilus, Macedonius, Eudoxius & Martyrius, spe ducti confirmandæ tuæ fidei formulæ. Qui cum rogarentur Arii doctrinam proscribere, iratis illi animis re negata discedunt. Et fuit illud in Synodo Mediolanensi multorum præsulum consilium, ut pulsorum causa in synodn Œcumenica agitaretur. Hujusce rei apud Constantem Augustum auctores & consuasores erant, ut putatur, Julius Papa, Maximinus Trevirensis & magnus Hosius; id ipsum rogantibus Athanasio & cæteris, qui malis Arianorum artibus patrio solo pulsi fuerant. Nec fugiebat Augustum, repulsos Eusebianorum legatos Romæ fuisse, cum rogarent exsulibus ab Julio communionem negari: nec imprudens erat calamitatum Alexandrinæ ac cæteris ecclesiis per fraudes & scelera Arianorum illatarum. His ille inductus, pacis nimirum ecclesiasticæ percupidus, litteris fratrem compellat & rogat, ut ad hujusmodi negotia componenda, utriusque nutu & arbitrio, synodus convocetur. Sub hæc Constans Athanasium accivit. Qui causam evocandi sui ignorans, ac stupens, sciscitatus quod negotium instaret, edidicit quæ res tum ageretur. Ille Mediolanum orofectus, comite Protasio urbis Antistite Constantem adit; a quo perhonorifice excipitur, & ipsius Augusti ore evocandi causam ediscit. Tum Athanasius res Ariannrum insidiis actas deplorat, apostolicam fidem bello peti conqueritur, patris pium animum revocat in memoriam, qui quæ in magna Synodo decreta fuissent, ad mortem usque vindicasset. Quibus monitis pium principem inflammavit ad sanam fidem vindicandam. *Anno 345. Synodus Mediolanensis. Hilar. col. 1311.*

1. Synodi tamen Sardicensis convocatio ad annum 347. extracta fuit: quia tum Constantius, Persico urgente bello, haud ita cupide & mature res curabat ecclesiasticas. Ubi autem in proximo fuit, ut Episcopi eam in urbem iter instituerent, evocat Constans Athanasium in Gallias, quo item Hosius concesserat: ut una inde ambo, cum Galliæ Præsulibus eodem proficiscentibus, Sardicam secundo, ut putatur, Istri flumine concederent. *Anno 346.*

1. Itaque Coss. Rufino & Eusebio, Sardicam confluunt ex Occidente Episcopi prope centum. Ad usque trecentos scribunt Socrates & Sozomenus, decepti quodam Athanasii loco, qui totidem ait Synodo suffragium & nomen adscripsisse, annumerans scilicet præsentibus quotquot absentes subscripsere. Qua item sententia narrat Theodoretus, ducentos quinquagiota in antiquis exstare monumentis. Sed *Anno 347. Synodus Sardicensis. Athan. Apol. contra Arian. n. 36. Athan. ibid. n. 1. Socrat. lib. 2. cap. 20. Sozom. lib. 3. cap. 11. Theodor. l. 2. cap. 7.*

fide

fide dignior Athanasius, qui centum septuaginta circiter cum ex Occidente, tum ex Oriente eo convenisse memorat. Et si demas 73. Orientales, qui Sardica se proripientes Philippopolin concessere, circiter centum supererunt. Sed erit fortasse rei pluribus indagandæ locus. Cum autem Julio negotiis detento non esset eo commigrandi facultas, legatos ille misit qui vices implerent suas, Archidamum & Philoxenum presbyteros, quibuscum erat quidam Leo diaconus. Primas obtinebat in synodo magnus ille Hosius. Qui intererant cæteri, ex Hispaniis erant, Galliis, Italia, Campania, Calabria, Apulia, Africa, Sardinia, Pannoniis, Mysiis, Dacia, Norico, Siscia, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiro, Thracia, Rhodope, Palæstina, Arabia, Creta, & Ægypto. Quinam ex qualibet regione adfuerint, non in promtu est recensere. Aderant item Athanasius, Marcellus, Asclepas, nec non alii Episcopi Arianorum furore, dolo, insidiis patrio exturbati solo. Eminebat inter alios Lucius Hadrianopolitanus, catenas circumferens queis non semel fuerat constrictus & oneratus: ventitabant & alii, plagis, fame, variis calamitatibus afflicti.

Orientales reformidant judicium Occidentalium.

2. Orientales vero, quorum principes erant, Theodorus Heracleæ, Narcissus Neroniadis, Stephanus Antiochenus, qui non diu Flacillum defunctum exceperat, Acacius Cæsariensis, Menophantus Ephesinus, Ursacius Singidonis, Valens Mursi, aliique numero 73. si tamen subscriptionibus Philippopolitanis sit fides, nimia conscientiæ formidine tenebantur, ut accederent soli; sed secum patronos & viæ socios adducebant Musonianum Comitem & Hesychium Castrensem. Nihil enim perinde reformidabant, atque honesto & ecclesiastico judicio confligari: nec nisi Magistratuum ope se rem bene gesturos sperabant. At ubi Sardicam advenere, rem contra ac rati erant se habere conspicati, ecclesiasticumque tribunal adesse, ubi non Comes esset, non milites, non Imperatoris formido, sed ex veritate causa penderetur, ingenti sunt terrore perculsi. Præsto namque erant accusatores ex singulis Ecclesiis, urbibus, regionibus, argumentis & probationibus instructi. Inopportune ceciderat ipsis, quod duo venerabiles Episcopi, Arius scilicet in Palæstina episcopus & Asterius Petrarum in Arabia, qui cum factiosorum caterva ex Oriente venerant, cum primum Sardicam advenissent, desciscerent ad Occidentales, ac vafritiem conspirationemque hominum cæteris renuntiarent. commemorarent item eorum formidinem, quando conspexerant aliter causam agi atque illi existimarent.

Athan. Apol. contra Arian. n. 36.

3. His illi animadversis, tametsi alacriter & promte sese viæ commiserant, rati Athanasium pulsosque cæteros, metu sui, ne commigrare quidem Sardicam ausuros, ubi, versa rerum conditione, paratos, causæ fidentes conspexere, in palatio, quo domicilio utebantur, clausis foribus considunt. Tum perterriti deliberant quid facto opus, quæ via expediendi se in tam difficili conditione rerum: nihil præsidii adesse, omnia ad sui perniciem comparata; integros judices, accusatores documentis instructos, rem prope desperatam. Demum eo appellunt animum, quæ unica supererat tanti periculi declinandi via, ut fuga se subducerent. Synodus tamen ait, jam cum iter ingrederentur,

Fuga Orientalium.

Hilar. Fragm. 2. n. 7.

eo consilio fuisse, ut quamprimum Sardicam venissent, sese statim aliquo obtentu proriperent. Ut autem causam digrediendi vel commentitiam adferrent, se non posse ajunt cœtum adire Episcoporum, nisi Athanasium, Marcellum, cæterosque a se damnatos ejicerent. Quæ conditio periniqua erat; cum id, quo-de quæstio tunc esset, ut decretum ac definitum haberi contenderent. Tum Patres una cum Athanasio compellare homines ac provocare: par fuisse aut non iter ingredi, aut jam coram positos non subterfugere: id esse maximum argumentum eos maleficiorum conscientia torqueri. Si possent quæ crimina Athanasio obtulerant comprobare, accederent; sin, cum non possent, se nolle simulare, aperte sycophantas esse & damnatum iri. Quibus illi auditis stupefacti, usque eo quid inirent consilii non habebant, ut iteratam ad Mareotem legationem postularent, quo ipsis in locis quid vere gestum fuisset deprehenderetur. Explosa hominum petitione, alteram illi perridiculam adferunt remigrandi causam; sibi scilicet maturandum in Orientem, quia Constantius Augustus litteris renuntiarat, magnam se Persarum stragem edidisse, & victoria lætum evocare Præsules. Ante profectum Hosius, quo illis omnem querendi causam levaret, homines in ecclesiam adventantes leniter & pacifice commonet: si quid criminis habeant Athanasio offerendum ne cunctentur enuntiare, æquum fore ea de re judicium. His senex verbis alloquitur consceleratos, ac bis hortatur, si nollent in conspectu synodi, sibi saltem indicent quid esset querimoniæ. Si reum peragant Athanasium, damnandum pollicetur ab Occidentalibus; sin insons ille, ipsi sycophantæ deprehendantur, & tamen nolint virum recipere, auctorem ipsi fore, ut in Hispanias secum proficiscatur. Conditionem, disparem licet & iniquam, accipiebat Athanasius. Verum illi, tanto nimirum conscientiæ timore tenebantur, rem negant, & fugam faciunt. Iter ingressos Synodus mittit compellatum, denuntiatumque damnandos fore ut sycophantas, nisi se sisterent. At illi cum læsos vexatosque a se viros coram conspicerent, ne converso quidem ad legatos vultu, properantius fugiebant.

4. Cum igitur Orientales indecore ac turpiter se proripuissent, tum reliqui Patres exsulum & oppressorum causam agitant. Leguntur litteræ cleri & populi Alexandrini, litteræ quoque octoginta Ægyptiorum episcoporum, diversæ, ut putamus, ab illis de quibus ad annum 340. dictum est. Erant istæc totidem innocentiæ testimonia, quibus purgabatur Athanasius ab allatis criminibus. Vertuntur ad hæc decantatæ illæ Meletianorum accusationes de enecto Arsenio & de calice fracto, quarum statim vanitas palam fuit. Arsenius quippe, quem obtruncatum jactitarant, inter vivos comparebat integer & incolumis. Acta autem Mareotica, a factiosis edita, inter se pugnabant, ut est superius enarratum. Marcellus item & Asclepas probe & naviter crimina propulsant, ac innoxii deprehenduntur. Præsto erant alii scelestorum accusatores: comparebant viri ab exsilio reversi, aliorum item exsulum legati, familiaresque aliorum qui ferocitate Arianica cæsi fuerant: proferebat Lucius catenas, quibus constrictus onustusque fuerat. Vulnera alii osten-

Exsules depulsis criminibus restituuntur.

Anno 347. ostentabant: fame & inedia se afflictos nonnulli testificabantur. Oratores a diversis missi ecclesiis denuntiabant, milites armatos immissos in ecclesias, turbasque clavis instructas, litteras in perniciem episcoporum confictas. Lectæ sunt litteræ a Theognio jam defuncto ad Augustos missæ, dolose confictæ, quibus Imperatores inflammaret in Athanasium; quas vere a Theognio datas falsi sunt ejus diaconi. His adjectæ virginum denudationes, ecclesiarum incendia, carceres. quæ mala in gratiam Arianorum inflicta fuerant.

5. Iis perspectis, ac probe commonstratis, Patres Athanasium, Marcellum, Asclepam, aliosque pulsos episcopos declarant innocentes, restituunt in sedes, in ecclesias remittunt, missisque litteris jubent a christiana plebe recipi. In consceleratos autem severe, graviter, & Ariani episcopi damnantur. prisce actum. Eos namque, qui luporum instar sedes pulsorum invaserant, Gregorium scilicet Alexandrinum, Basilium Ancyranum, Quintianum Gazensem, ne nominandos quidem episcopos definiunt, neque cum ipsis ullam habendam societatem. Theodorum autem Heracleæ, Narcissum Neroniadis, Acacium Cæsareæ Palæstinæ, Stephanum Antiochiæ, Ursacium Singidonis, Valentem Mursi, Menophantum Ephesi, Georgium Laodiceæ, damnant & abdicant.

Epistolæ synodicæ. *Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 19. 20. 21.* 6. His peractis, quæ gesta in synodo fuissent litteris ubique significantur. quarum extant etiam nunc quatuor, cæteris injuria temporum amissis. Prima nempe ad clerum & populum Alexandrinum, ubi ordine recensentur res in synodo gestæ; ajuntque Patres, se rogasse Augustos ut finis tandem esset vexandi episcopos, arcerenturque judices a causis clericorum: hortantur ut redeuntem Athanasium, patrem & episcopum suum, honorifice & cum gaudio recipiant: monent, Gregorium *τὸν ἀδέσποτον* a synodo damnatum & abdicatum esse: edicunt ut nulla cum eo ineatur communionis societas. Admissos indicant ut insontes, Aphthonium, Athanasium Capitonis, Paulum & Plutionem presbyteros pulsos ab Eusebianis. *Hilar. col. 1297.* His similia scribunt ad episcopos Ægyptios: pluribus autem omnia in Encyclica epistola. Ad Julium papam scribentes, iisdem ferme recensitis, adjiciunt Patres, se ita credere, ut semper ante credidissent. Probant acceptumque habent Julii consilium, qui non fine causa Sardicam una cum aliis non concesserit: congruentissimum videri sibi *si ad caput, id est, Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes*. Narrant breviter quæ gesta Sardicæ sint. Tria fuisse pertractanda, de fide scilicet, de vexatis & pulsis episcopis, de sceleratis tantarum auctoribus calamitatum. Exagitant deinde impios & imperitos adolescentes, sic vocant Ursacium & Valentem, quod numquam finem facerent adulterinam spargendi doctrinam. Valentem maxime carpunt, quod relicta ecclesia sua, alienam, nimirum Aquilejensem, invadere tentasset; quo factum ut commota civitate unus ex fratribus, Viator nomine, obrutus & oppressus fuisset. Hisce epistolis nomen adscripsere Patres Sardicenses, atque exinde multi qui non adfuerant dedere suffragium, quos ad 284. recenset Athanasius.

Nihil de fide Sardicæ actum. 7. De fide quoque actum Sardicæ fuit; nec deerant qui novam fidei formulam in medium afferrent admittendam a synodo, atque promulgandam, quasi videlicet aliquid in Nicæna desideraretur. Quod indigne tulere Patres, decreveruntque nullam ulterius edi debere fidei formulam, eo quod esset Nicæna satis; ut ne turbulentis hominibus novas scribendi formulas hinc occasio foret. Oblatum autem hujusmodi rescriptum idipsum putatur esse, quod Theodoretus *τῇ ἐγκυκλίῳ* epistolæ Concilii Sardicensis adtexuit. Hæc Patrum Sardicensium acta, hæc gesta fuere. Ad hæc vero, quæ disciplinam spectabant ecclesiasticam; viginti canonibus constituta sunt.

8. Oratores postea synodus mittit ad Constantium, Vincentium nempe Capuanum episcopum & Euphratam Coloniensem, qui cum Augusto de gestis synodi, deque exsulum causa agerent. Quibus etiam commendatitias ad fratrem litteras dedit Constans Augustus, interminatus fratri bellum, nisi pulsis præsulibus in ecclesias suas revertendi copiam faceret. Constantio nimirum auctor est, ut episcopis facilem præbeat aurem, Stephani Antiocheni & asseclarum scelera perpendat, Athanasium, deprehensa adversariorum sycophantia & malignitate, gregi suo restitui jubeat: si neget postulata, sese admotis copiis, profligatisque scelerum auctoribus, hominem Alexandriam deducturum. Soluta porro synodo Naissum Athanasius in superiorem Daciam se confert, ubi commoratus est donec evocaretur a Constante. Synodus Oratores ad Constantium mittit. *Socrat. lib. 2. cap. 23. Sozom. lib. 3. cap. 20.*

9. Inter hæc, Orientales profugi in Thraciam, quæ ad Constantii imperium pertinebat, sese recipiunt. Quia autem permulti in Thracia erant episcopi, qui a seditiosorum frequentia & communione abhorrerent, delatos illi ad Constantium, qui Arianis omnia indulgebat, curarunt malis & calamitatibus adfici, & nonnullos etiam capitali sententia damnari. Quæ quidem maxima pars post synodum Philippopolitanam contigerunt. Fuga tamen Olympii Æenorum, & Theoduli Trajanopolitani, prius quam scriberentur a synodo litteræ accidisse videtur. Hi capitis damnati fuga saluti prospiciunt; ac dum se carnificibus proriperet Theodulus, extremum clausit diem, nondum soluta synodo Sardicensi. Quæ ratio unica est ut duo Athanasii loca hactenus in controversiam vocata, ac quorum conciliatio prope desperata, adprime conveniant; ille scilicet epistolæ Sardicensis synodi locus, quo dicitur Theodulus esse defunctus, alterque in historia Arianorum ad Monachos, quo narratur Theodulum post Arianorum fugam pulsum & profligatum, quod caveas intelligas post solutam synodum Sardicensem contigisse. Orientalium facinora. *Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 18. 19.* *Athan. Apol. contra Arian. n. 45.*

10. Facinorosi autem homines Philippopoli consistunt: ausuque temerario damnant episcopos, Julium Romanum, Hosium, Protogenem, Gaudentium, Maximinum, Athanasium, Marcellum, Asclepam, & Paulum. Epistolamque scribunt *ἐγκύκλιον*, quam nominis & commendationis causa Sardicæ datam ementiuntur, quo faciliorem ipsi apud omnes aditum munirent. Et sane res evenit ut peroptabant illi. Nam hæc epistola ad usque tempus Augustini pro vera Sardicensis synodi epistola a multis habita est. Ordiuntur autem ab ementito quod præferunt pacis concordiæque servandæ studio. Synodus Philippopolitana. *Hilar. col. 1307.*

Anno 347.

Marcellum exinde ut facinorosum exagitant, admissum ad communionem queruntur. Athanasium sacrilegum, profanum, multis implicatum sceleribus denuntiant. Redintegrant pristinas adversus eum criminationes de calice fracto, de diruto altari, de sede sacerdotali eversa, ecclesiaque solo æquata, de presbytero Ischyra tradito custodiæ militari. Addebant ne ipsis quidem sacratissimis Paschæ diebus abstinuisse a scelere, sed nonnullos injuriis, verberibus, imo etiam morte mulctasse. Jussum Cæsaream ad synodum se conferre renuisse, ideoque post annum alterum Tyri damnatum abdicatumque suisse & ab Imperatore ablegatum in exsilium. In reditu pristinis graviora edidisse facinora, damnatos episcopos in priorem restituisse gradum, indignos aliquos imo Ethnicos promovisse. Adlecto in episcopum Alexandrinum Gregorio, Athanasium concitata & abducta Gentilium manu templum incendisse, altare comminuisse, & clam aufugisse. In Paulum exinde atque in Marcellum & Asclepam acerrime invehuntur, & nefaria de more comminiscuntur. Moxque Athanasium denuo maledictis & calumniis onerant, fallaciis scilicet, precibus, dolis, multos episcoporum ad suas pellexisse partes, & fraude impetrasse ut a Julio admitteretur. Queruntur, Occidentales defensorum, non judicum animo accessisse, & novis studere legibus, ut scilicet Orientales episcopi judicio subessent Occidentalium. Qui jam inita pace mutuam concordiam soverent, acribus olim inimicitiis conflictatos esse, ab Athanasio scilicet damnatum fuisse Asclepam, Paulum Athanasii abdicationi interfuisse, suffragium damnationi dedisse. Multis additis in cæteros adversæ partis episcopos, in Julium nempe, Hosium & Protogenem, & conficta immani scelerum multitudine, quibus discordiæ invidiam in Occidentales derivarent, vetant denium ne quis cum Hosio, Protogene, Athanasio, Marcello, Asclepa, Paulo, Julio, Gaudentio & aliis quos damnant anathemate ipsi, atque abdicant, communionis societate jungatur. His editis, sycophantæ fidei formulam adscribunt, & 73. episcoporum nomina ac suffragia, sive vera, sive forte conficta, ad calcem adjiciunt.

11. Neque hic constitit scelus. Eos enim, qui se perfidiæ & timiditatis sugæque nomine aversarentur, nullis non insectantur malis. Hadrianopolitanos, qui ab eorum communione abhorrebant, deferunt ad Constantium; ipsisque hortatoribus, ex Fabrica Hadrianopolitana, ut vocabant, decem laici sunt capite truncati: ministro hujus rei usi sunt famoso illo Philagrio, tum iis in locis comite. Horum tumulos propter urbem sitos conspexit illac transeundo Athanasius. Duos presbyteros, diaconosque tres, quos sibi infensos deprehenderant, curant in Armeniam ablegari. Arium autem & Asterium episcopos, quos a cœtu eorum descivisse supra memoravimus, non modo extorres in superiorem Libyam amandant, sed etiam ulciscendæ defectionis causa contumeliis & probris onerant. In Lucium autem Hadrianopolis Antistitem, qui grandi loquendi fiducia lucifugas insectabatur, acrius sævitum est. Curant enim ferreis catenis ut ante collo & manibus constringi, atque ferro oneratum deportari in exsilium; ubi paucis post annis sanctus

Decem laici capite truncati, alii vexati.

A Præsul, tot calamitatibus perfunctus, diem obiit extremum. Diodorum item episcopum patrium vertere solum coegerunt. Quid sit de Theodulo & Olympio actum, jam enarravimus, quia rem ante clausam Sardicensem synodum contigisse arbitramur; & fortasse nonnulla ex iis, quæ proxime recensuimus, ante finem synodi Sardicensis obvenere. Non ordine quippe res enarrat Athanasius.

12. Eorumdem opera & gratia ad Alexandrinos usque & Ægyptios calamitas & vexatio pervasit. Litteris namque jussum, ut portus B aditusque urbium custodiis intercludantur, ne quibus id concessum ab synodo Sardicensi fuerat, ad ecclesias remigrarent suas; præscribiturque judicibus, ut sive Athanasius, sive alius quispiam exsul episcopus aut presbyter, vel in urbem, vel in fines ejus ingressus deprehendatur, liceat istic repertos capite truncare. Accepta autem illi publici curriculi facultate, si quos, ultro citroque cursando, offenderent qui fugam sibi exprobrarent, Arianamque aversarentur hæresim, hos flagris, vinculis, exsilio mulctabant. C Tantusque terror carnificum erat, ut multi ad simulandum metu compulsi sint, multi contra in solitudinem se proripere mallent, quam cum hujusmodi viris communicare.

Alexandrinis & Ægyptiis illata mala.

13. Eodem anno celebratur Mediolani synodus adversus Photinum episcopum Sirmiensem. Qui quotve fuerint Præsules ibi coacti, pariter ignoratur. Unum constat, Photinum damnatum abdicatumque fuisse. Verum Sirmiensis populi amor & benevolentia præsidio ipsi fuit, ne sede pelleretur. Sunt qui arbi- D trentur, ea in synodo Ursacium & Valentem libellum pœnitentiæ dedisse. Sed, ut probe adverterunt fratres nostri in postrema Hilarii operum editione, non adeo desperatæ res eorum tum fuisse videntur, ut homines protervi ac propositi retinentissimi eo inopia consilii devenirent. Quamquam fortasse existimari queat, non pari tum conditione fuisse Valentem & Ursacium, ac cæteros Arianos, utpote qui in Constantis, catholicæ parti deditissimi, imperio versarentur.

Mediolanensis synodus.

Photinus damnatur.

1. Insequente anno contigisse putatur Ste- E phani Antiocheni Arianorum antesignani conspiratio in Sardicensis synodi oratores, quam Athanasio ac Theodoreto his pene verbis acceptam referimus. Antiochiam cum pervenissent legati Sardicenses, litteras Constantis fratri Constantio offerunt, cui tum temporis sedes Antiochiæ; polliceturque ille nihil non fratris nutu & arbitrio facturum. At cum rem perindigne ferrent veritatis hostes, in Episcopos qui juxta clivum diverterant, Magistro militum non eodem loco diversante, exsecrandum opus aggrediuntur. Princeps autem conspirationis fuit F urbis Antistes, qui alio incredibili scelere priora scelera cumulavit.

Anno 348. Stephani Antiocheni factum in legatos.

Athan. Hist Arian ad Monachos n. 19.

Theodoret. l. 2. cap. 8, & 9.

2. Stephano igitur præsuli Antiocheno varii audaciæ suæ administri erant, quorum ille opera veræ fidei sectatores opprimeret. Horum facile princeps erat quidam projectæ temeritatis adolescens, multis flagitiis nobilitatus; qui non solum homines ex foro abducere, ac contumeliis verberibusque excipere soleret, verum etiam domos invadens, probos viros matronasque honestissimas deturbaret lacessendi causa. Quia vero non manibus tantum, sed &

cal-

Anno 348.

calcibus obvios impeteret, Onager nuncupabatur. Is heri jussu ipsis sanctissimi Paschatis diebus meretricem adiens, peregrinos advenisse ait qui ejus cupidine flagrarent, noctemque cum ipsa agere percuperent. Assumptos deinde quindecim socios locat in insidiis; datoque conveniendi signo, properat ad fores diversorii. Tum scorto auctor fuit, ut sese in id conclave immitteret. Contigit porro ut io exteriore cubiculo somnum caperet Euphratas Coloniæ Agrippinæ episcopus, Vincentius autem Capuanus io interiore. Ingressa alacriter muliercula, quod se a juvene advocari putaret, deinde senem hominem dormientem, episcopi forma, ignarumque facti conspicata, se delusam æstimavit, rata noo hominem id ætatis scortum arcessere. Sensit Euphratas in cubiculo gradientem; expergefactusque, quis esset percontatur. Illa edito clamore vim inferri sibi conqueritur. Conturbatus Euphratas, dæmonem suspicatur muliebri forma adventantem, Domioique Christi implorat auxilium: Onager vero rogat scortum ut taceat, atque episcopum criminetur; statimque se cum agmine io conclave intromisit, vociferans homines ioiquos adventasse, qui se sperareot iniquitatis fore judices. Tum ingenti oborto clamore, servi omnes accurrere, quid esset sciscitari, maturare ad fores diversorii occludendas. Onager fugam facit, relictis intro septem sociis, qui una cum scorto deprehensi in custodiam traditi sunt. Primo diluculo, cum Salianum magistrum militum excitassent a somno, simul ad Palatium properant: ac de Stephano conquesti, ad quem suspicio maleficii pertinebat, noo judicio opus esse contendebant, vel perquisitione. Magister vero militum rogabat, ut juberet Imperator, non ecclesiastico, sed forensi judicio rem inquiri: clericos Euphratæ & Vincentii se quæstionis habendæ causa traditurum, dum pari modo tradereotur Stephani clerici. Contra Stephanus, quem conscientia sceleris exagitabat, noo licere ajebat clericos tormentis subjici, vetitum scilicet id esse ecclesiastica regula. Interrogata primum mulier fuit, quis accivisset: adolesceotem illa indicavit, qui comitaote juvenum turma se deductam intromisisset in cubiculum. Commemoravit item interrogationem, metum & precationem Episcopi, impetumque petulantis catervæ. His cogoitis judices natu minimum adduci jubent; qui non exspectata verberum quæstione, compositi facinoris scenam detexit, & rei auctorem Onagrum esse fassus est. Accitus Onager id se jussu Stephani admisisse testificatur. Quis pudor, quæ infamia hinc consequuta! Aotiochenum episcopum tanti io Oriente nominis, tantæ in Ecclesia dignitatis turpissimæ rei artificem deprehensum! Io sceleris igitur pœnam abdicatur Stephanus, Ariani autem, tali amisso patrono, operam dederunt ut alius suæ factionis in ejus locum cooptaretur, Leontius scilicet castratus. Is cum Eustolium quamdam adamaret, quæ virgo audiebat, licet Leontii consuetudine a virginum conditione & integritate lapsa, ea de re accusatus, quo facultas sibi foret cum illa habitandi, sese castraverat; atque adeo, si ex ecclesiasticæ regulæ præscripto cum illo actum esset, numquam fuerat io episcopum promovendus. At eoim Arianismi studium aditum facinoroso homini præbuit ad sedem Antiochenam. Ab episcopis itaque Arianis promotus ille fuit, atque deinceps Arianas res pro virili auxit; emeotitaque mansuetudinis specie, catholicos, præsertimque Athanasium, quoad licuit, dire vexavit; vel hinc omnibus deinde sæculis pro nefario & exsecrando habendus, quod Aetium τὸν ἄθεον in amicis habuerit, & diaconum ordinarit. Nimirum κακὸς κακὸν ἐγκλάζει.

Stephanus abdicatur, cui subrogatur Leontius.

3. Imperator autem Constantius rem in Euphratam gestam secum reputans, & crimine ab uno id genus esse alia Arianorum in cæteros episcopos molimina suspicatus, de solita in probos catholicosque homines sævitie paulum remisit. Quamobrem quos Alexandria io Armeniam relegarat presbyteros, diaconosque, liberos quamprimum dimitti jubet; publiceque litteras mittit Alexandriam, ac vetat ullam ulterius clero & populo Alexandrino infligi calamitatem. Aliisque pariter exsulibus liberum ad suas sedes & ecclesias reditum concessit. Tum Athanasio fuit Alexandriam commigrandi facultas. Nec mirum tamen, si perspecta adversariorum fraude, Constantiique levitate, insidias cavens, non continuo sese viæ commiserit.

Constantius revocat exsules. Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 21. 22.

Anno 349.

1. Secundum hæc, elapsis nempe decem post Stephaoi abdicationem mensibus, Alexandrini nefariis Gregorii τοῦ ἀλάστορος sceleribus commoti, mitioribusque postremo datis Constantii jussis animo audaciores, ut mos est multitudinis, afflictis rebus frangi, secundis ultra modum efferri, impetu facto, scelestum præsulem trucidant. Quæ causa, quæve ratio cædis, omnium pariter scriptorum silentio premitur. Verum fortasse, quia superstite Gregorio plebs Alexandrina optatissimo sibi Athanasio præcisam esse remigrandi spem intelligeret, in id facinoris prorupit. Ejus obitu levatum Athanasio fuit omne reditus impedimeotum.

Gregorius ab Alexandrinis obtruncatur. Theodoret. l. 2. cap. 12.

2. Inter hæc ipse Athanasius, qui soluta Sardicensi synodo Naissum concesserat, litteris a Constante Augusto acceptis, inde profectus Aquilejam est, ubi Imperatorem comite Fortunatiano illius urbis episcopo est alloquutus. Memoratque idem Athanasius nequaquam se Constantem solum remotisque arbitris convenisse, sed comite semper Episcopo urbis io qua degeret Imperator. Nimirum Patavii cum Crispino ipsum adiit, Veronæ cum Lucillo, in ** Laude Pompeja cum Diooysio, aliis in locis cum Vincentio Capuano, Maximino Trevirensi, Protasio Mediolanensi, Eugenio item magistro. Quod divino consilio præcautum fuisse videatur: nam postmodum Ariani, quod Athanasius Constantem frequens adiisset, inde criminandi eum ansam arripuere; quod scilicet simultatis inter fratres movendæ causa cum Constante frequens colloquia misceret. Cui propulsandæ calumniæ commodum opportunumque fuit, quod numquam solum Constantem solus convenisset.

Athanasius Constantem convenit. Athan. Apol. ad Constant. n. 3.

** Lodi vecchio.

3. Aquilejæ cum degeret, ecclesiasticisque cooventibus operam daret, in templo quod tum excitabatur, necdum tamen absoluto, collectam haberi conspexit, cui etiam aderat Constans Augustus. Quæ res pariter ipsi utilis fuit ad aliam depellendam criminationem, ut inferius dicetur. Io eadem urbe litteras accipit Constantii Imperatoris, qui deprehensa Arianorum in legatos Sardicenses conjuratione, leniore erga

Athan. Apol. ad Constant. n. 15.

Constantius Athanasium hortatur ad reditum.

Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 21.

Athan. Apol. contra Arian. n. 54. 55.

Anno 343. Socrat. lib. 2. cap. 23. Sozom. lib. 3. cap. 20. Theod. lib. 2. cap. 11.

ga Athanasium erat animo: & tunc desævire tempestas cœpit. Sanctum ille Præsulem hortabatur, ut iter in patriam & ecclesiam suam susciperet, diu esse quod exspectaret venturum ultro ac redeundi facultatem postulaturum. Ne metus ulterioris moræ causa esset, jubere se ut omni posita formidine iter ingrederetur: scripsisse se fratri Constanti ut veniendi copiam faceret. At cum Athanasius, tot ante malis afflictus, vix a pristino metu respiraret, comperendinatus est donec altera accederet Imperatoris Constantii epistola, qua virum jubebat conscenso publico vehiculo se convenire, ut optatis frueretur. Tertiam item epistolam Constantius per Achitam diaconum misit ad sanctum Præsulem, quem diuturniores trahere moras ægre ferebat; conquestus se jamdiu illum exspectare, quem patriæ restituere peroptaret & ecclesiæ suæ. Scripsit item Constanti fratri, rogans ut eum ad reditum cohortaretur. At enim adfirmabat se annum integrum exspectasse, neque concessisse novas dari turbas, aliumque Gregorii loco deligi episcopum. Nimirum id satagebant Ariani Imperatori suadere. Ut autem omnem formidinis causam levaret, comites quoque suos, quibus maxime habenda fides erat, Polemium scilicet, Datianum, Bardionem, Thalassum, Taurum & Florentium, Athanasii, ut videtur, necessarios, jussit epistolas ad Athanasium dimovendæ suspicionis causa mittere.

Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 22.

Athanasii reditus. Athan. Apol. contra Arian. n. 35.

4. Imperator ergo Constans iteratis fratris sui litteris permotus, Athanasium accivit in Gallias. Qui mox Aquileja, ubi tum versabatur, profectus, Romam venit, episcopo Julio & ecclesiæ vale dicturus. Tum ecclesia Romana ingenti gaudio perfusa, Juliusque Pontifex redeunti gratulatus, litteras dedit ad Clerum & populum Alexandrinum, quibus se testificabatur summopere lætari de reditu tanti tamdiuque expetiti Præsulis, laudare propositi eorum perseverantiam, quam condigno & optatissimo Deus exitu donasset. Laudat exinde Athanasii virtutem, fortitudinem animi, patientiam in adversis: virum tot periculis perfunctum jam clariorem reverti quam ante fuerat, ex animo se gaudere prospicientem in adventu Athanasii lætitiam populis futuram: sic præterita mala læto exitu oblitterari. Tum decedit Roma in Gallias, Augustumque convenit Athanasius.

5. Hæsimus nos aliquando incerti Aquilejane in Gallias, acceptis Augusti litteris, confestim recta properarit, ac deinde ex Galliis concesserit Romam; an Aquileja profectus Romam venerit, antequam de Italia, Augustum aditurus, decederet. Verum jam nobis pene constat, quia Athanasius Hadrianopoli Alexandriam remigrans pertransiit, Aquileja Romam venisse antequam ad Constantem properaret, inde vero per Germaniam secundo, ut putatur, Istri flumine magnam itineris partem confecisse. Hadrianopolin cum pervenisset, decem laicorum, qui Arianorum præsulum jussu cæsi fuerant, tumulos conspexit propter urbem sitos. Inde vero Antiochiam concedens Constantium adiit; qui virum perhumaniter excepit, comi placidoque vultu intuitus. Cum autem Athanasius de sibi illatis malis conquereretur, ac beneficii & gratiæ loco peteret, ut ne criminationes adversariorum post discessum suum audiret; sed, si luberet, jam maledicos evocaret, ut coram objicerent crimina; id denegavit Imperator. At enim quidquid adversus eum ex calumniis inimicorum, litteris & publicis tabulis mandatum esset, abradi & oblitterari jussit, pollicitus juratusque nullas ulterius admissurum se criminationes.

Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 22.

Constantium convenit Athanasius. Athan Hist. ad Monachos. Socrat. lib. 2. cap. 23.

Anno 349. Sozom. lib. 3. cap. 20. Theodor. l. 2. cap. 12.

6. Antiochiæ dum degeret Athanasius, a Leontii cæterorumque Arianorum conventu & communione semper abstinuit, sed ad collectas Eustathianorum frequens ventitabat. Erant tum ex Arianis, qui cum gratia plurimum valerent apud Imperatorem, auctores ipsi erant ut curaret provideretque, ecclesiam aliquam Alexandriæ Arianis ad collectas concedi. Quibus morem gerens Constantius, rogat Athanasium, quandoquidem ipse ex ejus voto omnia egeret, sibi etiam ille quod in optatis erat non denegaret, ut scilicet ecclesiarum, quæ bene multæ erant Alexandriæ, unam Arianis tradi concederet pro conventibus agendis. Ad hæc Athanasius, æquum quidem esse respondit Imperatoris placito ea in re obtemperare; sed quia multi etiam Antiochiæ catholici degerent, qui ab Arianorum communione abhorrerent, postulare se mutuo iisdem ad collectas celebrandas ecclesiam concedi. Et vero non iniqua Imperatori visa fuit ejusmodi ab Athanasio oblata conditio. Verum Ariani secus existimabant. Nam cum grandis Athanasii esset Alexandriæ auctoritas, non magni interesse putabant sodalibus suis Alexandrinis quod ecclesiam obtinerent, cum tanti viri monitis atque adhortationibus futurum prospicerent, ut exigua aut nulla foret Arianicis rebus accessio, etiamsi ecclesiam illi possiderent. Contra vero Antiochiæ Eustathianos cernebant magno esse numero; qui, si ecclesia sibi concederetur, rebus suis augendis studerent in Arianæ factionis ingens detrimentum. Nam tum etiam eam nullam haberent, sibi tamen formidini erant. Quamobrem Imperatori auctores fuere, ut ab ejusmodi postulatis absisteret.

Epistolæ Constantii in gratiam Athanasii. Athan. Apol. contra Arian. n. 54. & Historia ad Monachos n. 23.

7. Constantius autem vi & ingenio hominis obstupescens, missis ad varios per diversa loca judices litteris, quibus ante jusserat aditus intercludere omnes, tum significavit ut liberum præberent transitum. Data item epistola episcopis ac presbyteris renuntiavit, se Athanasium patriæ & ecclesiæ suæ restituere, omnia quæ adversus eum scripta vel gesta fuerant abrogare, decernereque ut clerici ejus eadem qua ante gauderent immunitate: dari episcopis, dari clericis eidem adhærendi facultatem; eam fore exinde notam argumentumque recti propositi, si quis Athanasii communionem sequeretur. Aliam item dedit ad Alexandrinam plebem; ubi postquam summis Athanasium laudibus exornavit, populi carpit animum inquietum ac tumultuosum, hortatur ad pacem & concordiam, monet semel iterumque ut turbas movendi finem faciant, se judicibus præcepisse ut quotquot seditiosos esse comperirent, legum subjicerent ultioni. Fortasse Gregorii nece commotus Imperator, animum appulit ad minas hujusmodi proferendas. Jussit præterea, quæcumque Eusebii Nicomediensis consilio adversus Athanasium in commentarios essent relata, oblitterari & abrogari: missusque Eusebius decurio ea abstulit ex tabulis. Cujus rei causa litteras misit Constantius ad Nestorium Æ-

gypti

gypti præfectum, itemque ad præfectos Augustamnicæ, Thebaidis, & Libyarum; mandavitque ut abolerentur quæcumque in damnum & contumeliam Athanasii decreta & conscripta essent, ejusque clericis pristina restitueretur immunitas.

Athan. Apol. contra Arian. n. 57. & Historia ad Monachos n. 25.

8. His ita gestis, postquam familiaribus vale dixisset Athanasius, sese viæ commisit. Dumque Syriam peragraret, amici amicum videntes, lætari; alii ex gestorum conscientia cum pudore occurrere; pars se coram sistere non ausi, sese occultare; alii pœnitentia ducti scripta adversus episcopum sua repudiare. In Palæstinam autem cum pervenisset, omnes illius provinciæ episcopi, duobus vel tribus exceptis, Patrophilo scilicet & Acacio, ut amicum excepere; litterisque nonnulli apud eum se factorum pœnitere testificati sunt, nec suopte motu ac consilio, sed metu ac terrore compulsos litteras adversus eum dedisse. Synodus autem in adventu illius Jerosolymis convocatur: ubi comiter exceptus Athanasius, cum litteris ad episcopos Ægypti gratulatoriis dimittitur. Episcoporum nomina, qui synodali epistolæ subscripsere, hæc memorantur ab Athanasio: Maximus Jerosolymitanus, Aetius, Arius, Theodorus, Germanus, Sylvanus, Paulus, Patricius, Elpidius, Germanus, Eusebius, Zenobius, Paulus, Macrinus, Petrus, & Claudius.

Excipitur Athanasius a synodo Jerosolymitana.

Gaudium Alexandrinorum in adventu Athanasii. *Athan. ibid.*

9. Quanta porro fuerit & quam effusa in reditu Athanasii Alexandrinorum ac episcoporum per Ægyptum & Thebaidem lætitia, libet ex ipso Athanasio ediscere: quamquam, ut est ille temperans & a laude propria alienus, non sui, sed pacis conciliatæ causa, gaudio perfusos enarret. „Quod spectat, inquit, Ægypti & Libyarum episcopos, necnon earumdem regionum Alexandriæque populos, enarrare forte supervacaneum fuerit. Accurrere enim omnes ingenti gaudio perfusi, non solum quod præter spem suos reciperent incolumes, sed etiam quod ab hæreticis eriperentur, ceu a tyrannis rabidisque canibus. Grandis itaque fuit lætitia populorum se mutuo in synaxibus ad virtutem cohortantium. Quot innuptæ, nubendi ante cupidæ, virgines Christo addictæ permanserunt? Quot adolescentes, aliorum exemplo concitati, vitam amplexi sunt monasticam? Quot parentes filiis suis auctores erant arctioris ineundæ vitæ? Quot filii parentes obsecrabant, ut ne suam pro Christi amore exercitationem interpellarent? Quot uxores viris, quot viri uxoribus suasere, ut secundum Apostoli jussum orationi incumberent? Quot viduæ, quot orphani, fame prius ac nuditate afflicti, ex ardenti populorum affectu, alimento & vestitu abunde sunt instructi? Tanta demum erat de virtute contentio, ut singulas familias, singulas domos, ex probitate inhabitantium & precandi fervore, tot ecclesias existimasses. Altam pacem videre erat in ecclesiis, Episcopis undique ad Athanasium litteras mittentibus, ab eoque recipientibus.

Gregor. N. z. infra.

10. Athanasii Alexandriam ingressum, magnifice suo more describit Gregorius Nazianzenus. „Tum nobis, inquit, ille athleta ex præclara peregrinatione, sic enim ejus pro Trinitate & cum Trinitate susceptam fugam appello, remigrat in urbem; atque eo mo-

A do lætis civibus accedit, imo vero tota prope Ægypto undequaque in unum concurrente. In tumulis quibusque turba consistere, ut alii vel sola Athanasii voce, alii forma & adspectu fruerentur; alii, quod de Apostolis accepimus, vel ex umbra saltem, vacuo corporis simulacro, sanctitatem contraherent: ita ut cum multi sæpenumero honore occursuque populorum ornati fuerint, nec modo Præfecti & Episcopi, verum etiam viri quique amplissimi in familiam suam B reversi; nullus tamen occursus frequentia, nullus splendore major memoretur. Unus dumtaxat Athanasius Athanasio comparandus, unus ingressus ingressui: cum scilicet ex priore fuga, simili de causa suscepta, summo cum honore in urbem rediret suam. *Et paucis de Philagrio interjectis.* Tum e vulgo quispiam, cui infinita esse tanta multitudo videbatur, ceu pelagus quoddam cujus non esset finem oculis attingere, familiarem, ut solet in ejusmodi rebus, ita compellasse fertur: Dic mihi, vir optime, C tantamne umquam multitudinem vidisti, tamque concordibus animis ad unum ornandum hominem effusam? Minime, ait ille, ne Constantium quidem ipsum pari honorificentia exceptum iri arbitror, quasi scilicet Imperatorem memorando honoris cumulum indicaret. Tum ille perquam suaviter arridens, quid ais? inquit; imo ipsum quoque Athanasium pari honore exceptum vix crediderim, quod patrio ille juramento adfirmavit. Eo autem hic sermo spectabat, quemadmodum cuique perspectum arbitror, ut ipsi D Imperatori Athanasium anteferret. Tanta apud omnes erat viri veneratio! tanto stupore ingressus ejus memoria homines etiamnum afficit! Nam per sexus, ætates atque artes singuli divisi, quo pacto solet civitas illa instrui, cum publico aliquem excipit honore, (ecqua enim alia ratione possim magnificum hoc spectaculum declarare?) fluvius omnes unus erant. Nilum etiam quivis poeta dixerit, illum inquam vere auriflum & spicis uberem, ab urbe ad Chereu retroacto cursu fluentem, diurno, imo longiore itine- E re. Liceat mihi per vos, quæso, paulum adhuc in hac narratione luxuriari; eo namque fertur animus, nec sermonem ab ea celebritate revocare facile possum. Pullus vehebat, (absit quæso insaniæ suspicio) haud secus fere ac Jesum meum pullus ille famosus, sive gentilis populus, quem consensu benefico, ignorantiæ vinculis absolvit, sive quid aliud hisce verbis designetur. Hoc unum interfuit discriminis, quod Christum rami exceperunt, & varia indumenta, multiplici florum genere constrata; excelsus au- F tem & magnificus vir Athanasius id honoris minime consequutus est, Christi scilicet adventui impar. Hac quoque in re adventus Christi expressam imaginem cernere licet, quod erant etiam qui præeundo clamarent, ac chorum agerent: nisi quod non puerilis solum turba faustis virum acclamationibus exciperet, verum etiam omnis lingua concors & adversaria, hominum sese mutuo superare contendentium. Nam quid publicos plausus commemorem, & aromatum profusiones, pervigilia & totam urbem lumine

Anno 349. „ coruscantem, cæteraque omnia lætitiæ argu- „ menta, quæ Athanasio amplissime, imo su- „ pra fidem conferebantur? Sic vir eximius, „ ac cum tali pompa & celebritate civitatem „ suam ingreditur.

11. Etsi porro Gregorius Nazianzenus Athanasii reditum, qui anno 362. post Georgii necem contigit, narrare se profiteatur, certissimum tamen, exque ipsius verbis exploratum videtur, complura hic recensita ad reditum & ingressum Athanasii Alexandriam pertinere anni 349. imo vero utrumque ingressum promiscue superiori narratione describi existimatur. Nam quæ de Constantio commemorantur, suadent istum, quem narrat ingressum, superstite adhuc Constantio contigisse; qui cum anno 361. vitam clauserit, hinc sane consequitur non posse isthæc ad annum 362. referri, sed esse in annum 349. conferenda. Inferius item Gregorius Nazianzenus orat. 21. postquam de Athanasii vexatione & fuga sub Juliano Apostata verba fecerat, hæc adjicit: ἔδει γὰρ τρισὶ παλαίσμασι τὸν γενναῖον νικήσαντα τελείας τυχεῖν καὶ τῆς ἀναῤῥήσεως, id est: „ fortissimum enim vi- „ rum triplici certamine vincere oportebat, „ ut perfectum inde præconium consequeretur. Quo liquidum est, bina eum sub Constantio exsilia & certamina miscere, atque ut unum enarrare; ita ut quod sub Juliano contigit, quartum numero, ut tertium ipse recenseat. Primo namque Treviris exsulavit Athanasius sub Constantino; secundo Romæ & in Occidente regnante Constantio; tertio in deserto Ægypti & Thebaidos eodem Imperatore, quo defuncto, Alexandriam reversus est; quarto sub Juliano Apostata. Cæterum quæ de Philagrio habentur apud Gregorium, quæque nos brevitatis causa prætermisimus, ἀνιστόρητα sunt. Neque enim ad secundum vel ad tertium Athanasii reditum pertinere possunt. Nam anno 349. non Philagrius, ut innuit Gregorius Nazianzenus, sed Nestorius erat Ægypti præfectus. Anno autem 362. non potuit Philagrius eam gerere præfecturam, cum teste Nazianzeno & ipso Athanasio bis solum præfecturam obierit; primum anno 335. ut liquet ex Tyriæ synodi epistolis; secundum anno 341. in Gregorii ingressu Alexandriam, ut enarrat Athanasius. Quem Philagrium, hominem sane sceleratissimum, non probe norat Gregorius, qui tot laudibus exornavit.

In vita S. Pachomii, Acta SS. Maji die 14. p. 324. 336. Mors Pachomii.

12. Quo tempore Athanasius a comitatu in Ecclesiam suam revertebatur, monachi quidam Pachomii, ex quorum numero Abbas Zacchæus erat, Antonium magnum in exteriori monte tum versantem adeuntes, renuntiarunt obiisse Pachomium; quos ille multis consolatus sciscitabatur, quis jam ejus vices impleret. Responderunt, Orsisium esse. Quibus ille: Ne Orsisium, inquit, sed Israelitam nuncupetis. Si vero ad episcopum Athanasium, virum eo gradu dignissimum, vobis est iter, sic ipsum meo nomine compellate: Hæc tibi commendat Antonius: Curam habe filiorum Israelitæ. Quo dicto, fausta illis precatus, non sine commendatitiis ad Athanasium litteris dimisit. Qui ut Alexandriam pervenerunt, a sanctissimo Pontifice ob Antonii commendationem magna benevolentiæ significatione excepti sunt. Hæc in vita Pachomii. Nec prætermittenda quæ inferius eadem de re feruntur. Pachomius cum dicisset Athanasium fidei causa exsulare, non Anno 349. diu ante prædixerat eum cito rediturum ad ecclesiam suam. Qui sanctissimus Monachorum pater sub ipsum Athanasii reditum, signis & virtutibus clarus, diem clausit extremum. Diu ante obitum his fratres suos, Theodoro monacho præsente, sermonibus est alloquutus. Futurum est ut nostris quoque temporibus tria in Ægypto præclara Dei beneficio lumina intueamur, in laborantium omnium commodum atque utilitatem, Athanasium videlicet Episcopum, Christianæ fidei fortissimum vindicem; Abbatem Antonium solitariæ vitæ perfectissimum exemplar; fratrumque Tabennesiotarum cœtum, qui omnibus salutem consequi cupientibus in præclarissimum exemplum ac normam propositi sunt.

Pachomii sententia de Athanasio.

13. Cum cernerent porro Ursacius & Valens tantam in Athanasii rebus inclinationem, sua se damnante conscientia Mediolanum sunt profecti; ubi proscripta atque condemnata Ariana hæresi, conficta esse declarant crimina a se pridem Athanasio oblata. Miseruntque ipsi Athanasio conciliandæ gratiæ causa litteras, tametsi nullas ab eo acceperant. Verum, ut ex postremis hominum gestis exploratum fuit, non ex vera illi maleficiorum pœnitentia Athanasii amicitiam & communionem expetebant: sed quia ut res sese dabant, ad quascumque transire partes prompti paratique erant; tum labefactatis ac prope desperatis Arianorum rebus, æstimabant haud sine magno periculo posse se cœptis insistere. Animo autem ita fracti, ita prostrati erant, qui nec diu antea pestem catholicæ reipublicæ moliebantur, ut supplices Romam concederent: ubi maledicta atque crimina a se hactenus in Athanasium congesta immerenti oblata fuisse confessi, veniam a Julio papa & communionis societatem postulant. Pontifex, ut pronior erat ad condonanda, quam scelesti illi ad perpetranda facinora, homines admisit ad ecclesiasticam communionem. Reversi ad suas sedes, necdum posita formidine, litteras pœnitentiæ suæ testes mittunt ad Julium papam: quarum exemplar Athanasio per Paulinum Tiburensem episcopum transmissum fuit. Tiburensem enim, non Trevirensem hic legi oportere propalam est; quando in mss. Τιβύρου legitur, & episcopus Tiburensis apud Photium vocatur ἐπίσκοπος Τιβυρίου. Sane veri similius est Tiburensem episcopum Italum, quam Trevirensem, litteras Valentis & Ursacii ad Julium Athanasio misisse. Initio fatebantur, fictitias se criminationes in Athanasium protulisse; Julium tamen pro insita humanitate veniam facti tribuisse. Polliceri se, si ab Orientalibus vel ab Athanasio in jus vocentur, citra conscientiam Julii non adfuturos. Hæreticum Arium damnare se, ac semper damnasse. Quod jam in priore libello suo Mediolani professi fuerant. Ut autem Athanasii quoque gratiam inirent, pacificas ipsi litteras per Musæum presbyterum miserunt, rogantes ut se ad communionem admitteret, litterasque mutuo daret ipse in concordiæ societatisque testimonium. Secundum hæc Ursacius & Valens oblatis sibi Athanasii nomine per Petrum & Irenæum presbyteros & per Ammonium laicum litteris, libenter subscripserunt.

Ursacii & Valentis pœnitentia. Athan. Apol. contra Arian. n. 37. Historia ad Monachos n. 26. Socrat. lib. 2. cap. 24. Sozom. lib. 3. cap. 23. & 24.

14. Tam fausto rerum exitu, quæ jubilatio, quæ lætitia omnium subierit animos, Atha-

Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 27.

Anno 349.

thanasio narrante comperimus. „ Quis, inquit, his animadversis, tantaque ecclesiarum pace conspecta rem non miratus est? Quis non gaudio perfusus est, tantam cernens tot Episcoporum concordiam? Quis non laudibus Deum celebravit, perspecta in Synaxibus tanta populi lætitia? Quantus eorum numerus, qui cum inimicis ante computati, resipiscentiæ signa dederunt? Quam multi qui prius crimina objecerant, veniam sunt precati? Quam multi ex inimicis inter amicos, versa rerum conditione, annumerati sunt? Quam multi litteris ante virum criminati, palinodiam cecinerunt? Quot alii, qui non proprio consilio, sed vi atque necessitate compulsi ad Arianos desciverant, noctu veniam precaturi accedebant: hæresinque ferientes anathemate, rogabant non sibi vitio verti, quod metu insidiarum criminationumque, eorum conventibus interessent, cum tamen corde & propensione voluntatis cum Athanasio convenirent? „ Quorum tamen postulationi vix credatur Athanasium obtemperasse, cum nullatenus licitum sit vel formidinis, vel humanæ gratiæ causa a catholicorum cœtibus ad hæreticos desciscere.

Damnatur Photinus. *Hilar. col. 1326. Sozom. lib. 4. cap. 6.*

15. Eodem anno Sirmii contra Photinum hæreticum synodus sententiam tulit. Qui damnatus cum fuisset, interpellante turba populi, cui adhuc erat eloquentiæ gratia acceptissimus, abdicatus, uti decretum fuerat, sedeque pulsus non est. Photini damnationem episcopi Sirmienses missis undequaque litteris publicarunt. In Oriente vero, præsules erant promti semper paratique ad captandas belli turbarumque occasiones: qui data ad Occidentales epistola Marcellum Ancyranum Photini conscium & *ὁμόφρονα* esse criminabantur, eo nempe consilio ut Sardicensis synodi, quæ Marcellum innoxium declarabat, acta abrogare & evertere possent, exindeque facultas foret Athanasii denuo criminandi.

Anno 350. Athanasii reducis gesta in Arianos. *Socrat. lib. 2. cap. 20. Sozom. lib. 3. cap. 21.*

1. Athanasius interea sedi suæ restitutus, Arianosque nec indiligenter adortus, rescriptis, orationibus, litteris undequaque missis exagitabat. Si fides est Socrati Sozomenoque, ejus sectæ præsules, quos pravi consilii errorisque tenaces conspiceret, abdicabat, ut eorum sedes probis catholicisque viris contraderet, ac Nicænæ fidei hærentibus. Et vero Episcopi Alexandrini, cujus summa erat in Ægypto & Libya auctoritas, hoc munus hoc officium erat, ut hæreticos antistites, qui in popularium perniciem spargendis erroribus advigilarent, sede pelleret atque profligaret. Verum quod iidem narrant, sanctum nempe Præsulem, cum in reditu varias peragraret provincias, si quos deprehenderet episcopos Ariana labe conspersos, in ordinem redegisse, aliisque contulisse dignitatem, haud facile credatur: si quidem & magnæ invidiæ res fuisset in alienis regionibus Episcopos abdicare, & ingentis operæ, transeunti maxime atque ad Imperatorem properanti, invitos deturbare, quibus haud dubie non spernenda civitatum pars hæreret. Mirum profecto, si sic res acta sit, Arianos episcopos non acrius expostulasse cum illo, qui quavis minima occasione ingentes excitare turbas soliti erant. Quid causæ igitur est, quod hujusmodi querela inter accusationes infra memorandas, non compareat? Nimirum de abdicatione Præsulum non in crimen vocassent, qui quod Ischyram, qui vacuum presbyteri nomen usurpabat, sacrorum officio & aditu interdixisset Athanasius; eum infinitis prope calamitatibus, vexationibus, exsilio demum mulctari curaverant?

Anno 350.

Constans occiditur. *Eutropius Zosimus. Socrat. lib. 2. cap. 25. Sozom. lib. 4. cap. 1. & seq.*

2. Ineunte anno 350. conspiratione Marcellini, Chresti & Magnentii cæsus sublatusque est Constans Augustus, fervens Athanasii patronus. Magnentius autem occupato Occidentis imperio bellum parabat adversus Constantium. Audita Constantis nece, Vetranio quidam in Pannonia legatus, curavit a militibus imperium deferri sibi. Ut autem permixtis rebus, turbatoque imperii ordine, solent multi in ejus potiundi spem venire, Nepotianus Eutropii sororis Constantini filius Romæ inauguratur; sed vixdum elapsis 28. diebus a Magnentii legato Marcellino victus perimitur. Tum Roma Nepotiani cognatorum, familiariumque sanguine cruentata. Eutropium ejus mater obtruncata est: cæsi item Abuterius & Sperantius de Athanasio bene meriti, qui eum, cum Romæ degeret, beneficiis donisque cumularant. Quorum omnium casum deploravit, fusisque lacrymis prosequutus est Athanasius.

Cædes Romæ. *Athan. Apol. ad Constant. n. 6.*

Constantius bello Persico expeditus. *Vellet. Eutrop. Zosim.*

3. Dum seditionibus Occidens conflagraret, in Oriente Persæ redintegrato bello sub Sapore Rege, Nisibin Orientalium partium præsidium jam tertio obsidebant. Cumque contra tantas difficultates Constantius consilio satis providere non posset, opportune accessit Dei subsidium. Precibus namque Jacobi Nisibensis tum sanctitate signisque præclari, Persæ variis divinitus immissis cladibus calamitatibusque afflicti, fugati tandem sunt. Constantius vero ea parte solicitudinis levatus, diligenter undique in Vetranionem & Magnentium copias cogebat; ingentique comparato exercitu, milites quosque hortatus est, qui nondum sacro baptismatis fonte abluti essent, ut quamprimum sacramenti hujus beneficio peccatorum sordes deponerent. Inter hæc Magnentius oratores ad Constantium misit Servatium Tungrensem episcopum, & Maximum item episcopum, aulicosque duos, Clementium & Valentem. Valens in Libyam contendit, ejus, ut videtur, ad defectionem sollicitandæ studio. Athanasius porro cum accepisset Valentem per Libyam iter habere, vehementer extimuit, veritus ne quidpiam ille facinoris aggrederetur; neu Constantis amicis, quibus ipse cum primis annumerabatur, violentas inferret manus. Quorsum autem abierint ejusmodi Valentis molimina, quive rei fuerit exitus, non fertur apud illius ævi scriptores. Clementius alter legatus, Alexandriam profectus, Athanasium convenit; cumque de Constante suorum perfidia trucidato verba faceret, in lacrymas sanctus Præsul erupit, gemitibusque viri cædem lamentabatur. Tum pro Constantii incolumitate Domini opem imploravit; præsentibusque Felicissimo Ægypti duce, Rufino Thesaurario, Stephano Magistro, Asterio Comite, Palladio Palatii Magistro, qui ambo missi fuerant, ut mox dicetur, a Constantio; Antiocho & Evagrio Agentibus in rebus, hasce supplices emittebat voces: *Oremus pro salute piissimi Augusti Constantii*. Populusque una voce statim acclamavit: *Christe auxiliare Constantio*. Et hæc precando aliquandiu perseveravit.

Magnentius oratores mittit ad Constantium.

4. Con-

Anno 350. *Apolog. contra Arian. sub initium.* Ariani crimina redintegrant in Athanasium.

4. Constantis metu & auctoritate perterriti Athanasii adversarii, nihil ausi sunt, illo superstite, in sanctum Præsulem movere. Ejus autem evulgata nece, rumores denun spargere cœperunt, atque occulte maledictis serpere, crimina jam olim nblata, totiesque depulsa ementiri vera esse, Arsenii necem, mensam eversam, fractum poculum denun opponere, eo nempe consilio, ut versa rerum conditione, liberi metu, Athanasium aliosque infestos sibi præsules astu insidiisque circumvenirent. Quibus perspectis Athanasius prolixam illam edidit apologiam, antequam, ut ex compluribus ejus locis animadvertere est, Ursacius & Valens, qui ficta pœnitentia defecerant ab Arianis, mutatæ iterum sententiæ signa darent, ac nova molirentur in Athanasii perniciem. In ea igitur apologia vir sanctus ex ipsis rerum actis & monumentis falsa sibi. cnmprobat, & jam multnties repulsa nbjici crimina: malam mentem, malum animum inimicorum patefacit. Supervacaneum ait, de quibus toties judicatum fuerat, eadem denuo in judicium vocari. Esse Ursacii & Valentis pœnitentiam ad innocentiæ suæ testimonium satis; suo ipsos nutu, nulloque cogente, facti veniam postulasse. Cætera autem quæ ille persequitur, suis jam in locis descripta & enarrata sunt.

Socrat. lib. 2. cap. 20.

5. Ait porro Socrates, eosdem Athanasii adversarios nomen ejus apud Imperatorem detulisse, quod per Ægyptum atque Libyam turbas seditionesque concitaret, atque præter Ecclesiæ regulam in alienis provinciis Episcopos constitueret. Verum Cnnstantius Magnentiano tum bello occupatus, ac propediem pugnam commissurus, veritus, ut credibile est, ne si quam Athanasio inferret molestiam aut calamitatem, hinc causæ irarum suborirentur ae seditionum apud Alexandrinam plebem Athanasii amantissimam, Asterium Comitem, olim Armeniæ Ducem, & Palladium Palatii Magistrum misit cum litteris ad Felicissimum Ægypti Ducem & ad Nestorium Præfectum, arceri jubens Philippum quemdam ac quemvis alium ab insidiis Athanasio parandis. Iisdemque litteras dedit latine scriptas ad Athanasium deferendas; quibus deplorata Constantis fratris nece, Athanasium fidere jubet, nec adversariorum machinamentis perterreri, sed populum edocere veram pietatem ac religionem, velle se ac peroptare ut in sede Alexandrina imperturbatus semper consistat. Hasce litteras Athanasius ceu inducias belli, haud ita multo post futuri, accepisse videtur: non ignarum quippe fuisse arbitramur, exasperatum Constantii animum simulato beneficio occultari.

Constantii litteræ ad Athanasium. *Apolog. ad Constantium n. 22. 23. Historia ad Monachos n. 24.*

Vetranio abdicatur. *Socrat. lib. 2. cap. 28. Sozom. lib. 4. cap. 4. Zosim. lib. 2.*

6. Constantius porro cum grandi itinere multisque peragratis nationibus in Daciam pervenisset, Vetranionem numerosn instructum exercitu nffendit; eventumque pugnæ reformidans, ut astu declinaret, de pacis conditionibus agere velle simulat. Tum ubi senex ille, Constantii arte delusus, in conspectum ejus venisset, in suggestum ambo conscendunt, circumsistentibus undique militibus. Constantius autem, qui occulta largitinne militum sibi animos devinxerat, pluribus commemorare Constantini beneficia, sacramenta militum nb oculos ponere, rem indignam dicens, tyrannum cæso Constantini filio imperium invasisse. Tum milites uno ore clamare, nonnisi Constantini filio deferendum imperium esse, ipsum solum inaugurari oportere. Vetranio autem tanta rerum inclinatione perterritus, protinus ex suggestu descendens, insignia imperii ad pedes Constantii deposuit; quem perhumaniter Constantius exceptum, Prusiamque in Bithynia missum, omnibus ad victum honestumque cultum necessariis instruxit. Senex vero piis hinc nperibus deditus, reliquum vitæ suæ tempus probe & ut Christianum decebat exegit. Contigit Vetranionis abdicatio anno Domini 350. die vigesima quinta Decembris.

Anno 350.

Anno 351. Sirmiensis synodus. *Socrat. lib. 2. cap. 30. Sozom. lib. 4. cap. 6.*

1. Anno sequente celebratur secunda Sirmiensis synodus adversus Photinum, versante tum Sirmii Constantio. Qui aderant Episcopi, maxima pars Orientales erant. Photinus porro, cum obstinato animo ad extremum usque errores propugnaret suos, impiæ doctrinæ causa damnatus depositusque fuit. Quo peracto, aliam fidei formulam adjectis duodetriginta anathematismis ediderunt Orientales, quam transmisere nobis Athanasius & Hilarius. In ea tametsi nihil comparet ab ecclesiastica fide absonum, id suspiciosum tamen est quod τοῦ ὁμοουσίου nomen tacetur, nec excluditur hæreseos venenum. Photino oblata fidei formula est, ut si eam vellet subscriptinne sua munire, integris rebus suam repeteret sedem. Respuit ille conditionem; adiensque Constantium, se immerentem vexari & abdicari querebatur; si copia foret sibi congrediendi cum adversariis, ex Scripturarum se testimoniis sententiam suam confirmaturum. Constantius autem Photini conquestinne permotus, septem aulicis designatis, jubet cnram ipsis iniri controversiam. Quamquam turpis conditio, quia tamen id Imperatori in optatis erat, deligitur a synodo Basilius Ancyranus, qui Photinum ipso præsente Constantin cnnfutavit, atque ex sacris Scripturis coarguit hæreticum esse. Hic deinde in exsilium deportatus, multis post annis in impietate perseveravit. Et quia rebus suis augendis strenue Ariani invigilabant, Germinium quemdam suæ factionis hominem curarunt in Photini locum cooptari.

Athan. l. de synodis. Hilar de synodis.

Photinus ablegatur in exsilium.

2. Eodem anno, commisso ad Mursam prælio, diu ancipiti marte pugnatum est. Victus demum Magnentius in Italiam se recepit, ut pro facultate copias instauraret. Accidit autem, ut tempore pugnæ, doln ac simulatione Valentis ejus civitatis episcopi, Constantius, qui jam nimium in Arianas res animo propendebat, totus demum ad hæreticorum partes accederet. Quod qua ratione gestum sit, ita narrat Sulpitius Severus. *Nacti ergo Ariani istiusmodi occasionem*, conspirant penitus Sardicensis synodi decreta subvertere. Etenim eis color quidam suppetere videbatur: quod tam injuste fuisset pro Athanasio judicatum, quam Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasii judicio hæreticus esse probaretur. Namque Marcellus Sabellianæ hæresis assertor exstiterat: Photinus vero novam hæresim jam ante protulerat, a Sabellio quidem in unione dissentiens; sed initium Christi ex Maria prædicabat. Igitur Arriani astuto consilio miscent innoxium criminosis, damnationemque Photini & Marcelli & Athanasii eadem sententia comprehendunt: illud nimirum apud Imperatorum animos præstruentes, ut non putarentur de Athanasio perperam judicasse, qui de Marcello & Photino vera sensissent. Ve-*

Mursina clades occisæ res Magnentii.

rum-

Anno 351. *rumtamen ea tempestate Arriani perfidiam suam occultabant, non ausi palam erroris sui dogmata prædicare; catholicos se gerebant, nihil sibi prius agendum rati, quam ut Athanasium Ecclesiæ submoverent, qui semper eis velut murus obstiterat, quo remoto reliquos in libidinem suam cessuros sperabant. Sed pars Episcoporum, quæ Arrium sequebatur, damnationem Athanasii cupitam accepit, pars coacti metu & factione in studia partium concesserant. Pauci, quibus fides chara, & veritas potior erat, injustum judicium non receperunt; inter quos Paulinus episcopus Treverorum, oblata sibi epistola ita subscripsisse traditur, se in Photini atque Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non præbere. Tum vero Arriani, ubi doli parum processerant, vi agere decernunt. Namque quodlibet audere atque agere facile erat, Regis amicitia subnixis, quem sibi pravis adulationibus devinxerant: quin etiam ex consensione multorum inexpugnabiles erant. Nam omnes fere duarum Pannoniarum episcopi, multique Orientalium ac tota Asia in perfidia eorum conjuraverant. Sed principes mali istius habebantur a Singiduno Ursacius, Valens a Mursa, ab Heraclia Theodorus, Stephanus Antiochenus, Acacius a Cæsarea, Menophantus ab Epheso, Georgius a Laodicea, Narcissus a Neropoli. Hi ita palatium occupaverant, ut nihil sine eorum nutu ageret Imperator: obnoxius quidem omnibus, sed præcipue Valenti deditus.* Valentis dolus. *Nam eo tempore, quo apud Mursam contra Magnentium armis certatum, Constantius descendere in conspectum pugnæ non ausus, in Basilica Martyrum extra oppidum sita, Valente tum ejus loci episcopo in solatium assumto, diversatus est. Cæterum Valens callide per suos disposuerat, ut quis prælii fuisset eventus, primus cognosceret: vel gratiam Regis captans, si prior bonum nuntium detulisset; vel vitæ consulens, ante capturus fugiendi spatium, si quid contra accidisset. Itaque paucis qui circa Regem erant metu trepidis, Imperatore anxio, primus nuntiat hostes fugere. Cum ille indicem ipsum intromitti posceret, Valens ut reverentiam sui adderet, Angelum sibi fuisse nuntium respondit. Facilis ad credendum Imperator, palam postea dicere est solitus, se Valentis meritis, non virtute exercitus, vicisse. Ab hoc initio illecti Principis extulere animos Arriani, potestate Regis usuri, ubi auctoritate sua parum valuissent.* Historia Arianorum ad Monachos sub initium. Hæc Sulpitius Severus; cui in eo haud libenter adstipulamur, quod ait Marcellum eo tempore hæretici loco habitum ab Athanasio, quippe cum in historia Arianorum anno 358. ad Monachos missa, inter Præsules qui rectæ fidei ac pietatis causa ab Arianis exagitati vexatique fuissent, annumeretur Marcellus.

Anno 352. 1. Etsi vero omnia ad perniciem Athanasio inferendam parata, Arianumque bellum tot Præsulum hæreticorum opera mox redintegratum iri formido erat, in pace tamen Alexandriæ versabatur Athanasius, veræ fidei tuendæ augendæque plurimum intentus. Populus autem Alexandrinus, sancti viri monitis & exemplis institutus, florebat pietate, vera fide morumque probitate ornatus. Quæ res Eusebii sodalium invidiam inflammabat. Quæritare illi semper spatium occasionemque turbarum, nova machinamenta comminisci, quibus tantum pietatis studium interturbarent. Aliquot tamen annis Athanasio licuit in sua ecclesia consistere,

A donec scilicet Arianorum furor, ope Principis, Anno 352. quo erumperet haberet locum. Nec deerant interea quædam ceu velificationes, in diesque controversias agitari videre erat, ut solet fieri cum contraria studia multitudinem in varias distrahunt partes. Athan. epist. de Nicænis decretis subnotatum. Erat tum quidam ex Athanasii familiaribus, qui de fide frequens cum Arianis disceptabat, litterisque monebat Athanasium quid utrimque dictum allatumque esset, qua quisque ratione sententiam asserere suam satageret. In quadam vero disputatione, cui nonnulli intererant Eusebii familiares, cum B fracti Ariani planeque ab hujusmodi viro confutati, eo tandem argumentorum inopia confugerent, ut Nicænam synodum, quia vocibus ex Scriptura sacra non mutuatis usa fuisset, repudiarent; rem ille Athanasio significat. Librum scribit Athanasius de Nicænis decretis. Quapropter Athanasius hunc circiter, ut putamus, annum epistolam dedit de Nicænis decretis inscriptam; ubi quæ gesta sint in sacra illa Synodo, cui ipse præsens interfuerat, recenset, quæve causa fuerit vocis ὁμοουσίου usurpandæ, quo pacto Eusebius ipse Pamphili vocem illam censuerit admittendam in sua ad Cæsarienses C epistola, neque deesse ex antiquis Patribus qui ea ipsa aut similibus sint vocibus usi. Theognostum dicit, Dionysium Alexandrinum, & gentilem ejus Romanum, Origenemque. Memorat autem fusiorem epistolam, quam eidem familiari rescripserat, jamque injuria temporum amissam. Vocem etiam ἀγέννητον, io cujus usu ludebant Ariani, quoad varias quibus accipi solet significationes erudite explanat. Et de sententia Dionysii. Occasione, ut quidem æstimamus, hujus epistolæ, Ariani cum eodem Athanasii amico congressi, Athan. epist. de sententia Dionysii. D Dionysium Alexandrinum sibi suæque sententiæ adstipulari contendebant. Et sane Basilius non obscure innuit, minus probe de ortu Filii Dei verba fecisse Dionysium. Verum Athanasius, data iterum epistola, sanam sancti viri fuisse fidem comprobat ex aliis ejusdem scriptis & operibus. Quæ res, quia pluribus jam a nobis pertractata est, ne historiæ fines prætergressi extra metam excurramus, non ulterius hic indagabitur.

2. Hoc anno, duodecima mensis Aprilis, Julii mors, & Liberii exordium pontificatus. Julius, invictus ille Athanasii patronus, diem E obiit extremum, cum sedem apostolicam rexisset annos quindecim, menses duos, tresque dies. In ejus vero locum die vigesima secunda Maji deligitur Liberius Romanus. Is, si quid fidei vel auctoritatis inesset epistolæ, quæ illius nomine inter Hilarii Fragmenta circumfertur, Hilar. col. 1337. mox ab inito pontificatu Athanasio infestus, virum a societate & communione sua repulit. Enimvero cum litteras, ut fertur ibidem, adversus Athanasium ab Orientalibus Julio missas, ipso interea demortuo, Liberius excepisset, presbyteros Lucium, Paulum & Helianum F cum litteris Alexandriam legavit, Athanasio jubens ut maturaret Romam, ex ecclesiasticæ regulæ præscripto oblatorum criminum redditurus rationem; si non properaret, ecclesiæ Romanæ communione interdictum iri. Reversis autem legatis, renuntiantibusque Athanasium detrectare iter Romanum, Liberius missa ad Orientales epistola indicavit, cum illis sibi, minimeque cum Athanasio pacem & communionem esse. Verum, ut probe commonstratum a nostris fuit in postrema Hilarii editione, hæc epistola aperte νόθου laborat. Athanasius enim,

Anno 352.

Hilar. Fragm. col. 1336.

qui illatam sui damnandi causa Liberio vim variis in locis commemorat, nihil uspiam horum innuit; quodque plurimum urgeat, ipse Liberius, cum patrii soli repetendi desiderio flagrans, Orientalibus rescriberet, ait se virum ideo admisisse ad communionem, quia suscepisset cum decessor ejus Julius, ne in quorumdam offensionem, despectis defuncti placitis, incurreret: at ubi deprehendisset jure damnatum fuisse, tum ejus abdicationi esse adstipulatum. Quibus verbis palam innuit, se tum solum condemnasse Athanasium, cum Berœam relegatus, tædio diuturnioris exsilii fractus, sedis suæ recipiendæ causa Arianorum, quos penes tunc summa rerum erat, gratiam efflagitaret. Quod ex aliis item Liberii apud Hilarium locis advertere est. Compertum itaque exploratumque nobis est, Liberium, donec in exsilium pulsus ab Athanasio deficeret, ejus semper fuisse partibus addictum.

Livor Arianorum præsulum in Athanasium. Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 28.

3. Hoc circiter tempus Arianorum principes, Leontius Antiochenus, Georgius Laodicenus, Acacius Cæsariensis, Theodorus Heracleotes, & Narcissus Neroniadis, qui omnes, Leontio excepto, abdicati fuerant in synodo Sardicensi, invidia juxta atque metu agitati, magnis rursum excitandis tumultibus atque turbis intenti sollicitique erant. Et quidem invidia illi summa flagrabant, quod tantam cernerent Episcoporum cum Athanasio concordiam: nam plus quadringentis erant, qui cum illo pacem & societatem foverent. Metu item laborabant, ne episcopi nuper fraude ac insidiis suis circumventi, ad tantam multitudinem paulatim defluerent, neu deserti illi, hæresisque eorum infamata, in triumphum, ait Athanasius, una ducerentur. Tantæ ergo calamitatis declinandæ causa, primum Ursacio & Valenti auctores sunt, ut mutata iterum sententia, ad suas denuo partes deficiant, idque excusationis obtendant, se nimirum Constantis Augusti formidine compulsos fuisse ad pœnitentiam simulandam. Quæ res tamen, ait Athanasius, prorsus commentitia erat. Nullo siquidem compellente, nullo cogente, nullo accersente, ipsi ultro Romam profecti, in cœtu Ecclesiæ, ubi nulla extranea formido erat, facti veniam precati sunt. Id vero, mea quidem sententia, sic intelligatur; non quod illi nullo Imperatoris Constantis urgente timore ad simulandam pœnitentiam deducti sint, (ad quid enim illa tanta terroris, tanta fracti animi signa pertinerent, nisi Imperatoris metus accessisset?) sed quod nulla Constantis jussione, nullis intentatis minis, ipsi ultro ejus mandata prævertentes, factorum se pœnitere simulaverint. Ad hæreticorum itaque catervam reversi Ursacius & Valens, una cum aliis Imperatorem adeunt; cui ea commemorarunt, quæ jam prænuntiassent ante Athanasii reditum, nimirum si exsuli foret ad ecclesiam Alexandrinam regressus liber, exitium sectæ suæ parari; omnes ab hujusmodi viro Arianis infestissimo, a suis partibus abductum iri; periculumque fore ne ipsi mox soli, deficientibus omnibus, deserantur, atque cum Manichæis annumerentur hæreticorum nequissimis.

Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 30.

4. Constantius autem, qui tum Magnentii debellandi causa properabat, conspecta tot tantorumque Episcoporum cum Athanasio societate, atque iis & similibus Arianorum verbis inflammatus, cum rem concoquere non posset, exinde viro adversari calamitatesque parare cœpit, juramentorum juxta ac litterarum, fraternique officii immemor: quæ quidem tertio post anno in apertum bellum eruperunt. Athanasius porro cum exacerbatum Imperatoris animum esse cognosceret, persuasumque haberet insidias sibi in palatio adornari; ipse quidem ad Imperatoris comitatum proficisci nec ausus, nec e re fore sua ratus, delectos quinque Episcopos, ex quorum erat numero Serapion Thmuitanus, admirabili vir sanctimonia & eloquentia, parque tali negotio gerendo, ad Imperatorem in Occidentis partibus tum degentem misit, datis legationis comitibus tribus presbyteris, qui omnes una a se aversum Constantii animum mitigarent, & adversariorum criminationes depellerent, cuncta denique agerent, quæ cum sibi tum Ecclesiæ conducere existimarent: qui, ut ex subsequentibus gestis licet augurari, re infecta reversi sunt.

Anno 352.

Athanasius Constantium mitigare frustra tentat. Sozom. lib. 4. cap. 9.

Anno 353.

1. Magnentius autem, qui post Mursinam cladem sese Aquilejam receperat, victus in Italia anno 352. cum ad Alpes præsidii causa concessisset, demum accisis rebus anno 353. Lugduni manus intulit sibi, cum tres annos ac dimidium tyrannidem occupasset. His prospere gestis, Constantius victoria elatus, superbiaque tumens, eo insaniæ progressus est, ut æternum se dominumque totius orbis, nec sine risu Gentilium, appellari juberet. Tum videre erat assentantium Arianorum impudentiam, qui Filio Dei æternitatem denegare ausi, leviusculi ingenii hominem, æternum compellare non verebantur. In cujus appellationis insolentiam acriter invehuntur Athanasius, Hilarius, & Lucifer Calaritanus.

Magnentii mors. Athan. lib. de synod. Ariminensium. Ammianus Marcel. l. 15.

Fraus Arianorum insignis. Athan. Apolog. ad Constantium.

2. Hoc item anno Ariani episcopi sua contra Athanasium molimina orsi, fictitias litteras Constantio obtulerunt, quasi ab Athanasio conscriptas, quibus rogaret, ipsius Augusti adeundi gratia, facultatem sibi in Italiam properandi concedi, ut una de ecclesiasticis instaurandis rebus agere liceret. Eo autem, ut videtur, consilio his insidiis usi sunt Ariani, ut quia sancto Præsuli Alexandrini populi amor præsidio erat, facilius esset peregrinanti perniciem machinari. Et fortassis ipse Constantius in partem fabulæ venerat. Vix namque credatur, imprudente Imperatore, Athanasii nomine litteras exarare ausos fuisse Arianos; cum mox Athanasio reclamante, fraudemque aperiente, exploratum foret, inscio Episcopo, inimicorum dolo datas fuisse. Epistolam porro Constantii, qua quod fraudulentis litteris postulatum fuerat concedebat, Athanasio detulit Montanus Palatinus; atque ut ex Athanasii verbis conjectare licet, publici vehiculi copiam faciebat Imperator ad Italicum iter instituendum. His acceptis litteris Athanasius, animadversaque inimicorum conspiratione, scripto verboque significavit se iter minime detrectare, si Imperator accerseret: at cum non suo ille nutu, sed dolo Arianorum litteras dedisset, quasi ipse proficiscendi facultatem petiisset, qui ne id cogitarat quidem, nequaquam iter ingressurum, nisi sincera & Imperatoris consilio data epistola accederet. Et hoc in capitale crimen Athanasio vertere Ariani sunt conati, ut narratur inferius.

3. Hæc circiter tempora, annum quippe assigna-

Anno 353. Alexandrinæ ecclesiæ angustæ pro populi multitudine. Athan. Apol. ad Constantium n. 14.

signare in promtu non est, aliud contigit, ex quo item criminandi Athanasii materiam nacti sunt ejus adversarii. Erant Alexandriæ ecclesiæ permultæ, sed pro populi frequentia ita angustæ, ut haud sine præfocationis periculo posset Christianorum turba coaventus celebrare. Quæ causa fuerat, ut Gregorius ὁ Ἀδδιτιανος, impetrata ab Imperatore Constantin facultate, Hadrianeum, sive templum ab Hadriano excitatum, io ecclesiam convertere aggressus, ædificium opibus Constantii exstrueret, ita tamen ut nondum confecto opere obtruncatus ille fuerit. In quadragesimæ igitur synaxibus, ob locorum angustiam ingentemque populi frequentiam, multi infantes, mulieres, aniculæ, adolescentes, compressi ac pene exanimati domum delati sunt, ita tamen ut nullus, Deo concedente, exstingueretur. Sed universa multitudo, conqueri, obmurmurare, postulareque ut in magna ecclesia, licet nondum absoluto opere, conveniretur. Accedente autem Paschatis solemnitate, ingens Christianorum frequentia cogitur, & grandi edito tumultu rogare omnes ut in eam ecclesiam conventus causa concederetur, ne cæterarum angustia ecclesiarum multos in periculum coojiceret; Athanasius contra hortari, turbamque obsecrare, ut nihil properantius ageretur, remque tantisper differrent, & donec completum opus esset, in aliis ecclesiis collectas celebrareot. At, quod fere fit in populi turba, ut quod semel apprehenderunt, exuere ac repudiare vix possint, nequaquam illi obtemperarunt; imo parati eraot ex urbe egredi, & ad deserta loca orandi causa proficisci. Malebant quippe itineris perferre laborem, quam cum mœrore festum peragere. Tum Athanasius populo morem gessit, veritus & ipse ne cum discrimine vitæ cooventus ageretur. Qua de re item vir sanctus in capitis crimen vocatus est. Ita nimirum, ut ipse nec semel conqueritur, erat opportunus insidiis atque criminationibus hæreticorum.

4. His machinamentis Ariani Athanasio exitium parabant, quod videlicet putarent perniciem ejus cum magna catholicæ rei calamitate esse conjunctam. Næ illi jam inveterata priorum criminum invidia, Arsenii necem, mensam subversam, aliaque id genus missa faciunt; gravioraque commenti, Athanasium reum agunt apud Imperatorem. Etsi porro quædam crimina jam meminimus ab Arianis Athanasio oblata, non ingratum lectori erit, si cum memoriæ causa, tum ut liceat hujusmodi criminationes omnes quo ordine in medium allatæ sunt paucis intelligere, omnia denuo breviter perstringamus. Hæc itaque deferunt illi ad Imperatorem. Primo, quod crebris itionibus atque colloquiis Constantem Augustum in Constantium exasperare, odiaque & inimicitias inter fratres movere conatus esset. Secundo, quod Magnentio gratiæ ejus ineundæ causa misisset litteras. Tertio, quod in ecclesia Cæsareæ dicta, necdum absoluto ædificio, conventus habuisset. Quarto, quod jussus a Constantio in Italiam ipsius adeundi causa proficisci, non obtemperasset. Si quid loci æquitati reliquum fuisset, hisce calumniis nonnisi post accuratam rerum perquisitionem fidem habiturus erat Constantius. At ille insidiis obsequiisque Arianorum circumventus, eunuchorum agmine obsessus, quorum audacia ipso imperante nihil non

Athan. Apol. ad Constantium.

Calumniæ Arianorum in Athanasium.

A moliebatur, horum consilio & opera nullam æqui bonique rationem habuit, sed exinde Athanasio necem quavis data occasione machinatus est.

Anno 353.

5. Constantius post debellatum exstinctumque Magneotium in Gallias veoit, Arelateque a die decima Octobris mensis ad annum ineuntem 354. consedit. Eo in loco adversus Athaoasium signa canere cœperunt ejus adversarii, cum sancti Præsulis abdicandi gratia auctores sunt Imperatori convocandæ in ista urbe synodi. Sperabant scilicet, præsente ac patrocinante Au- B gusto, inimici arbitrio suo ulciscendi facultatem fore sibi. Eo missi a Liberio sunt Vincentius Capuanus & Marcellus in Campania episcopus, datis quibusdam aliis viæ legationisque sociis. Quia vero decretum jam fuerat, ut Aquilejæ synodus celebraretur, non autem Arelate, postulatum accedebaot, ut in illa prius assignata urbe evocarentur omnes. Detulit item Vincentius Orientalium litteras, necnon alias ab Ægyptiis episcopis octoginta in gratiam Athanasii conscriptas. Rogabat porro per oratores suos Liberius, ut de fide deque Athanasii C causa sincera mente ageretur, quo vera nullisque obnoxia fraudibus insidiisve pax posset conciliari. Hanc Liberii postulationem perinique tulit Constaotius, ut nullis postea ejus dictis excusationibusque mitigari potuerit; tam feroci oimirum ex prosperis fortunæ casibus erat animo. Grandem in Vincentio Capuano spem repositam habebat Liberius, quod is rem quæ tractabatur apprime cognosceret, & judex in eadem causa inter Episcopos frequens sedisset. Interfuerat quippe Romanæ synodo ann. 342. Sardicensi ann. 347. &, ut veri quidem simi- D le est, ipse Vincentius tum presbyter Nicænæ synodo interfuit cum Vitone item presbytero, legati ambo a Sylvestro Pontifice. Verum cessit res contra quam ratus erat. Ardens enim furore ac scelere in Athanasium Constantius, terrore omnia & formidine complet, exsilium interminatur Episcopis, qui bene multi ex Italia eo concurrerant, nisi Athanasium proscriberent. Minis hujusmodi fractus perterritusque Vincentius, eo appulit aoimum, ut quem insontem toties declarasset, jam reum ageret at- E que damnaret. Et principio quidem ille integris rebus postulabat agi de fide. Id negabant Ariani episcopi, veriti ne si in medium adferretur hæresis Ariana, Occidentalibus stomachum faceret, ac deinde peroptatam ipsi Athanasii damnationem impetrare non posseot. Rem paulo secus narrat Liberius, Legatos videlicet, ubi urgeri se ad Athanasium damnandum conspexere, spopondisse virum se damnaturos, dum damnarentur item Ariani. Hi vero re secum deliberata respondent, non præsentis esse instituti Arii doctrinam proscribere, F sed de sola Athanasii damnatione agi. Tum denique Vincentius tanta Imperatoris formidine perculsus est, ut contra quam vere sentiebat, simularet Athanasium se damnare, ejusque communionem respuere. Eam tameo postea maculam diluit Vincentius, ubi strenue Arianorum conaribus obstitit, abnuitque actis Ariminensibus suffragari.

Synodus Arelatensis. Ammian. Marcellin. lib. 14. Hilar. in Fragment. Hilar. contra Arianos.

Sulpicius Severus.

Hilar. Fragm. col. 1339.

Lapsus Vincentii Capuani.

6. Eadem in synodo Arelatensi fortitudine atque constantia emicuit Paulinus episcopus Trevirensis, qui Maximino successerat Athanasii necessario. Is, cum pari violentia, inten-

Paulini Trevirensis constantia & exsilium. Marcellin. & Faustin. in libello.

Anno 353. Historia ad Monachos.

tentatis minis, episcopi Ariani instarent, juberentque ut cum Arianis amicitiam communionisque societatem iniret, Athanasiumque damnaret, maluit sceleratorum vindictæ subjacere, quam ad indecoram simulationem deduci, se Photinum ajens & Marcellum damnaturum, non adduci tamen posse ut Athanasium, quem insontem æstimaret. Cum autem e re fore sua putareot iniqui homines, si a tanto viro Athanasii damnatio extorqueretur, blandimentis atque promissis, quando vi nil impetrarent, id obtinere nisi sunt. Sed cum frustra sa invictum Paulini animum tentare animadverterent, ut Ecclesia indignum atque nesarium in exsilium deportari curant. Sic autem vir ille fortissimus exsulavit, ut non diu eodem loco consistere liceret, sed ex alia in aliam urbem raptatus, varias peragraret regiones; eo nimirum consilio, ut fractus tædio diuturnioris itineris animo concideret, moremque gereret Arianis. Dum vi compulsus sedes subinde commutat, in ea demum loca appulit, ubi Jesu Christi nomen non colebatur, in Phrygiam scilicet Montanistarum erroribus refertam. Erat siquidem impia mens nefariumque consilium Arianorum, ut vel fame istic interiret, vel pollutos exsecrandis Montani & Maximillæ ritibus cibos penuria cogente comederet; qui demum, non fractus animo, sed inedia ærumnisque debilitatus, confessor & exsul occubuit anno 358.

Hilar. col. 1282.

Anno 354.

1. Post Arelatensem synodum, pacis conciliandæ specie, mandatum per Italiam totam prodiit, ut Episcopi omnes Orientalium sententiis adstipularentur, gravibus in eos qui non obtemperarent jactatis interminationibus. Liberius autem, cui tum cordi erat æquitatis veræque fidei causa, accepto legatorum suorum lapsu, tanto punctus est dolore, ut præoptandam sibi fuisse mortem testaretur Hosio rescribens, quam ut in legatis suis novissimus omnium Athanasii delator videretur esse, aut seotentiis Euangelio adversantibus adstipulari. Ac ne permultis Vincentii lapsus exemplo vel offendiculo foret, litteras mittit ad Cæcilianum Spoletanum episcopum, hominem cohortans, ut ne a probo consilio Vincentii transgressione avocaretur; firmusque persisteret io æquitatis veræque doctrinæ solicitudine ac studio. Et vero ad magnum item Hosium dat litteras, deplorans legatorum lapsum. Quem Hosium, ceu quamdam Ecclesiæ columnam suspiciebant tum universi. Præter hæc autem de integro oratores ad Constantium mittendos censuit, Luciferum nempe Calaritanum, qui Liberium adiens, sese ultro legationi ad Constantium obeundæ obtulerat, Pancratium (Eutropium vocat Athanasius) presbyterum, & Hilarium diaconum cum epistola ad Augustum, datis item litteris, Eusebio Vercellensi eodem itinere, antequam Constantium adirent, tradendis: cujus hoc erat argumentum, solatio esse sibi invictam ejus fidem, quod sane commodum opportunumque accedebat. Nam post Vincentii casum, Orientalibus ohtemperaturos fuisse reliquos per Italiam episcopos, nisi superveniens Lucifer ex Sardinia, qui probe norat eorum in Athanasium invidiam atque implacabilem iram, sese obtulisset ad legationem apud Augustum obeundam, postulaturus celebrandæ synodi facultatem. Rogat sua suorumve opera Lucifero ad id impetrandum ferat opem. Rem pluribus legatos ipsi narraturos. Constantio autem Augusto litteris significabat, spem fuisse sibi a Christiano Imperatore & Constantini filio postulata concedenda fore, nisi exasperatum ejus erga se animum arguerent, quæ ad se lacerandum populo misisset. Miraculo esse sibi a tam clemente principe profectam rem ejusmodi. Veram se cum Imperatore pacem requirere, non fictam & simulatam. Non Athanasii modo causa haberi synodum oportere; sed alia quoque multa instare negotia, atque in primis de vera fide esse agendum. Rem ejus imperio dignam esse, ut tot disceptationes finem inveniant. Multos esse discidiorum percupidos, qui se litteras quasdam occultasse mentirentur, quo possent latere crimina damnati viri, nempe Athanasii. Se illas quidem evulgasse litteras, legisse Ecclesiæ, legissa Concilio; mioime tamen iis habuisse fidem, quod putaret octoginta Episcoporum de Athanasio sententiam iis esse antefereodam. Ea scripta detulisse Eusebium quemdam, qui iter in Africam haberet, eadem Arelatem pertulisse Vincentium Capuanum. Exinde vero, ut crimina propulset apud Constantium sibi oblata, se testificatur nihil ex temerario quodam furore, nihil per jactantiam aut gloriæ cupiditatem hactenus admisisse. Invitum se ad delatam sedem pontificiumque muous accessisse, suum jam esse cum timore Dei omnia peragere, ac curare non sua sed apostolica statuta servari; se nihil jura Romani episcopatus minui, nihil augeri esse passum, fidemque veram illibatam custodiri se semper exoptare. Significare quidem Orientales, pacem se cum Liberio & cum Occidentalibus habere velle; sed nullam esse posse cum hominibus, quorum oratores ante annos octo Mediolani abnuissent Arii sententiam proscribere. Erantque ii legati quatuor episcopi Ariani Demophilus, Macedooius, Eudoxius, & Martyrius. Non esse novum quod jam occasione nominis Athanasii moliebantur Ariani. Exstare quippe litteras Alexandri Alexandriæ episcopi ad Sylvestrum olim conscriptas, quibus significabat undecim tam presbyteros quam diaconos, quod essent Arii erroribus conspersi, ab se ecclesia ejectos fuisse; ex quorum numero quidam superessent, qui privata extra ecclesiam conciliabula haberent, quibus erat societate ac communione junctus Georgius episcopus, ut videtur Laodicenus. Nullam esse pacem posse, si talibus hominibus cogantur obsequi Itali episcopi. Ex Vincentii & sociorum litteris propalam esse, terrore ipsos animique perturbatione, non proprio consilio descivisse ad senteotiam Orientalium: proposuisse tamen ut alii Episcopi Arianam hæresim proscriberent, sed repulsam tulisse. Obsecrat demum Liberius Imperatorem, ut isthæc negotia curet provideatque in Synodo agitari: legatos suos Luciferum, Pancratium & Hilarium perbenigne recipiat, concedatque celebrandæ synodi facultatem.

Anno 354.

Liberii gesta Athanasii causa. Hilarii Fragment. col. 1334.

Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 41.

Baron. ann. 351. n. 2.

2. Profectis autem legatis, litteras Liberius, Calepodio quodam deferente, ad Eusebium misit; rogatusque tabellarius, ut Eusebio auctor esset cum legatis ad Constantium proficiscendi. Legatos autem Eusebius Vercellis honorifice comiterque excipit, viæ juxta atque legationis comitem offert sese. Liberio significat,

Anno 354.

cat, libentissime se huic negotio dare operam, nec defuturum officio, Ecclesiæ, Lucifero. Cui mox rescribit Liberius, gaudere se ex animo quod ejus negotii curam susciperet, sperare multum rem ejus solicitudine feliciter gerendam: scripsisse Fortunatiano Aquilejensi, ex cujus item consilio atque opera impetrandæ synodi spes accederet.

Synodus Mediolanensis indicitur.

3. Neque tameo tantæ fuit operæ synodum impetrare, quantæ rebatur Liberius: nam eo Arianorum quoque præsulum vota concurrebant; qui Constantii ope & auctoritate freti, se nihil non in synodo pro libidine & arbitrio suo consequuturos sperabant. Resque sane contigit ut peroptabaot ipsi. In annum itaque proxime sequeotem Imperator synodum indicit Mediolani celebrandam.

Galli mors.

4. Hoc anno Gallus Cæsar de cædibus aliisque maleficiis delatus ad Constantium, jussu ejus capite truncatus pœnas luit. Julianus vero frater ejus in summum capitis discrimen venit, vix impetrata a Constantio incolumitate. Is ipse Julianus est, qui ad Imperium postea evectus, a christiana religione ad gentilitios ritus deficiens, ingentes intulit Ecclesiæ calamitates.

Missus qui Athanasium deturbaret, pellitur a plebe. Sozom. lib. 4. cap. 9.

5. Si fides est Sozomeno, anno post delatas a Montano Alexandriam litteras subsequente, scilicet hoc anno 354. æstate, alter ab Imperatore eadem de causa missus Alexandriam, una cum Magistratibus urbis, Athanasium urgebat ut civitate decederet, gravissimumque clericis ejus bellum indixerat. At cum populares ejus appulsu atque impetu perterriti respirasseot a metu pristino, adversique & ad pugnam instructi consisterent, Imperatoris legatus metuens seditionem ac cædem, re infecta discessit. Eo loci apud Sozomenum perspicuo vitio laborat Valesii ioterpretatio. Hæc quippe verba, τῷ δὲ ἐπιγενομένῳ θέρει παραγενόμενος ἕτερος ἐκ βασιλέως, σὺν τοῖς ἐν τῷ ἔθνει ἄρχουσι, κατήπειγεν αὐτὸν ἐξιέναι τῆς πόλεως, ita interpretatur ille: *Sequente æstate alter ab Imperatore missus cum provinciæ rectoribus Alexandriam veniens, eum ex urbe discedere compulit*. In qua versione duplicem nævum statim advertas. Illud enim, σὺν τοῖς ἐν τῷ ἔθνει ἄρχουσι, nequaquam copulandum cum præcedente voce παραγενόμενος; neque enim putandum magistratus Ægypti vel civitatis Alexandrinæ, ex comitatu Imperatoris, qui tum in Galliis versabatur, in Ægyptum venisse; sed jungas velim cum voce κατήπειγεν, ut sententia sit: cum magistratibus Ægypti legatus ille compellebat Athanasium urbe excedere. Illud eoim Valesii *compulit* vitiosum item est; neque enim Alexandria tunc decessit Athanasius, & sane verbum κατήπειγεν in imperfecto jacet.

Anno 355. Synodus Mediolanensis. Socrat. lib. 2. cap. 36. Sozom. lib. 4. cap. 9. Sulpicius Severus. Baron. ann. 355. n. 22.

1. Annus 355. rei catholicæ exitiosus fuit; in quo vi & tyrannica Constantii potestate religionis jura violata, hæreticis summa rei ecclesiasticæ administrandæ permissa, catholicis Præsulibus vis illata, oblata exsilii capitisque pericula, nisi Athanasium ferirent anathemate. Mediolanum igitur, ut statutum anno proximo fuerat, convenerunt Episcopi, ex Oriente quidem pauci, reliquis aut morbi, aut senectutis, aut longinqui itineris causa eo concedere detrectantibus: Occidentales autem ingenti numero, ad trecentos enim adfuere. Et, uti supra tetigimus, suspicari quidem erat, ex Constantii animo diuturnis Arianorum fallaciis circumvento, exque rebus Arelate gestis, Arianorum præsulum arbitratu gerenda omnia fore. Quamobrem quibus cordi erat ecclesiasticæ doctrinæ integritas, cujus strenuus vindex a multis annis audiebat Athanasius, vix induci poterant ut Mediolanum concederent, ubi damnandum prospiciebant insontem virum. Eusebius in primis, qui proximo anno orator Mediolanum venerat, in istam urbem, etsi propinquam, accedere abnuebat. Verum Arianoi e re fore sua arbitrati si vir ille tantus Synodi actis adstipularetur, curarunt litteris Synodi nomine conscriptis evocari. Et sane litteræ maximum pacis charitatisque studium præferebant; missique duo sunt qui inter Arianorum principes computabantur, Eustomius scilicet, seu, ut putatur, Eudoxius, & Germinius, qui litteras adferrent, & Mediolanum accedendi auctores essent. Se ajebant æquitatis concordiæque amore adventum ejus expetere, rogare legatis gereret morem, nec cunctaretur contra Marcellum & Photinum hæreticos, Athanasiumque sacrilegum definire, quæ jam prope totus definiisset orbis; plura dicturos legatos. Si non obtemperaret, ea se præstituros quæ postularet ecclesiastica regula, nec ipsi querelarum locum superfore, quando missis legatis rogatus fuerat. Cui epistolæ permulti Episcopi subscripserunt. Exstant hodieque in subscriptionibus triginta præsulum nomina; ex quorum numero Valens, Leontius, Acacius, Germinius, Arianorum primipilares. Eusebio rescripsit etiam Imperator, urgens profectum, ac commonens ut cum cæteris Episcopis paci Ecclesiæ conciliandæ navaret operam. Accesserunt item litteræ Luciferi, Pancratii & Hilarii legatorum, vehementiore ac mordaci, ut solebat Lucifer, stylo conscriptæ, quibus auctores Eusebio sunt, ut quam maturrime proficiscatur, spem esse ut ejus adventu propediem Valens profligetur, Arianorumque machinæ obruantur: se summopere ejus præsentiam & operam expetere. His amicorum inimicorumque litteris inductus Eusebius, missa ad Constantium adventus sui prænuntia epistola, Mediolanum se contulit. Quo vixdum pervenerat, cum ecclesiæ aditu intercluditur: ac deinde totum decem dierum extrahitur spatium, antequam miscendi colloquii facultas esset. Quo toto tempore conspirationis adornandæ rationem inibant Ariani. Cum porro essent omnia ad fraudem composita, & machinamenta in Athanasii perniciem comparata, tum evocatur Eusebius cum comitibus legatis, a quibus coram constitutis postulatum ut Athanasii damnationi adstipularentur. At Eusebius contra primum de fide tractandum contendebat, adesse quippe viros hæretica labe pollutos; oblatoque Nicæno symbolo, se, si velleot ipsi, ejusmodi fidei formulæ subscribere, damnaturum hominem pollicetur. Quam ille cooditionem, iniquam licet, tuto offerebat: numquam enim Arianorum principes Nicænæ fidei, cui ab annis triginta implacabile bellum indixerant, adstipulaturi erant. Tum accepta charta Dionysius Mediolanensis, veræ fidei propugnator, prior suffragium Nicænæ formulæ adscribere cœpit. Valens autem calamum & chartam violenter extorsit, vociferatus id nihil ad rem quæ tum agebatur pertinere, nec quidpiam ea ratione perfectum iri.

Hilar. col. 1222.

Anno 355.

Suborto exinde clamore res in vulgus emanat, gravisque omnium animos dolor occupavit, quod ab ipsis sacerdotibus impugnari fidem cernerent. Valens autem, Ursacius, & reliqui Ariani, judicium populi reformidantes, ex Dominico seu ecclesia ad Palatium transeunt, quasi scilicet aulicorum comitia, non Episcoporum, convocarentur.

Edictum Constantii offertur subscribendum.

2. *Intra palatium congregati*, ait Sulpitius Severus, *illinc epistolam sub Imperatoris nomine mittunt, omni pravitate refertam: eo nimirum consilio, ut si eam æquis auribus populus recepisset, publica auctoritate cupita proferrent. Sin aliter fuisset excepta, omnis invidia esset in Rege, & ipsa venialis: quia etiam tum catechumenus sacramentum fidei merito videretur potuisse nescire.* Erat quidem edictum magnificis descriptum verbis: affectabat quippe Constantius eruditionis & eloquentiæ famam. Arianis auctoribus & magistris hæreseos vestigia in ejusmodi litteris videre erat; & quod fuit male feriati capitis argumentum, se per somnum Constantius quæ diceret a Deo accepisse mentiebatur. Primo igitur Episcopis edictum subscribendum offertur per aulicos & palatinos, omnibus in eodem quo Imperator conclavi consistentibus, sed velo intermedio, qui mos erat ea tempestate, ut perfacile Constantius colloquium audiret. Commemorabant aulici Imperatoris solicitudinem in concilianda Ecclesiæ pace, ejus esse votum ac in eo totum versari, ut Dei voluntatem impleret; etsi vero Lucifer Arianæ illum doctrinæ addictum criminaretur, sanam ejus esse fidem ex collatis ipsi a Deo beneficiis ac victoriis comprobari. Ad hæc Lucifer, vehementi de more studio incensus, reclamat, Nicænam fidem Arianæ oppositam solam piam, solam sanam, nec si adessent universæ Constantii copiæ militaresque turmæ, posse se edictum sacrilegum non despicere, & maledicta in Deum non exsecrari. Tum Constantius ea legatorum loquendi fiducia offensus, homines esse petulantes exclamare, nec ipsorum munus esse Imperatorem ab Arii doctrina revocare; ac derepente mutato consilio, precibus viros, quando interminatione nihil conficiebat, tentare cœpit. Sed frustra eorum animos cum minis, tum blanditiis impetebat. In petra namque fundati, ut decumanos fluctus imperterriti exceperant, ita neque blandimentis a proposito dimoventur.

Lucifer lib. mor. pro Dei Filio.

Dionysii suffragium astu delet Eusebius.

3. Populus autem lectam in cœtu Ecclesiæ Constantii epistolam perindigne tulit. Plebs namque Mediolanensis veræ fidei studiosissima, quidquid peregrinam Arii doctrinam oleret, præsulis sui vestigiis insistens, summe aversabatur. De Dionysio tamen fertur, in sermone Maximi Taurinensis de natali die sancti Eusebii, hujusmodi historia. Cum Arianorum dolis circumventus Dionysius, suffragium suum adversus Athanasium scripto dedisset; superveniens Eusebius, rogatus ut pari modo & ipse subscriberet, se velle quidem idipsum præstare simulavit, sed quod sibi filium suum (sic nuncupabat Dionysium) in subscriptione anteposuissent, perindigne ferre. *Vos enim*, inquit, *qui dicitis Filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi filium præposuistis?* Quibus illi dictis permoti, confestim Dionysii chirographum deleverunt, primas Eusebio deferentes. Quos ille objurgans atque irridens ait: *Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque filium meum vobiscum participare concedo.* Unde cum dicat Euangelium in hac generatione prudentiores filios tenebrarum esse quam lucis, tum ipsis tenebrarum filiis prudentior lucis filius compertus est. Sic delusa Arianorum exspectatio fuit. Jam quod colloquium invicti confessores cum Constantio habuerint, Athanasio narrante edíscimus. „Accitis, inquit ille, Episcopis, nempe Lucifero, Eusebio & Dionysio, jussit Imperator, ut contra Athanasium suffragia darent. Ipsi vero id cum fiducia negare, commemorare Ursacii & Valentis pœnitentiam, quæ Athanasii adversarios falsi argueret. Non ultra fidem Valenti socioque habendam, qui jamdiu ea ejurassent quæ nunc contra Athanasium adferrent. Ille confestim exsurgens: Ego, ego, inquit, Athanasii accusator adsum, vel mei gratia eorum dictis habete fidem. Illi contra: Qui accusator esse potes absente reo? nam etsi tute sis accusator, de absente sane judicari nequit. Non judicium quippe Romanum instituitur, ut tibi quamvis Imperator sis fides habeatur; sed cum de Episcopo sit controversia, pari jure cum accusatore & cum reo agier oportet. Qui autem accusare potes hominem, eo tempore procul vertantem & tanto itineris intervallo dissitum? Quod si illis narrantibus fidem habes, quid est quod Athanasio non æque habeas? Sin illis, non huic habes, sane hinc propalam est ipsos ad tui gratiam ineundam Athanasium accusare.

Anno 355.

Constantius frustra tentat Episcopos.

Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 76.

Alio autem loco hæc habet Athanasius: „Cum juberet Imperator viros contra Athanasium suffragia scribere, ac cum hæreticis communicare; illis rei insolentia stupentibus, pugnantibusque id ecclesiastici non esse juris, statim ille: At quod mihi libitum est, id ecclesiastici juris loco habeatur: mihi quippe ita loquenti annuunt Syri episcopi: aut igitur obtemperate, aut ipsi quoque extorres futuri estis. His auditis Episcopi, remque summopere mirati, supplices ad Deum manus tendere, cum fiducia compellare virum, docereque non suum esse imperium, sed Dei qui tradidisset: rogare ut eum timeret, ne derepente datum adimeret; interminari judicii diem, suadereque ne ecclesiasticas res pessum daret, neu Romanum Imperium cum ecclesiasticis statutis commisceret, nec Arianam hæresim introduceret in Ecclesiam Dei. Verum ille neque aurem præbuit, neque plura dicere concessit; quin & acrius stricto adversum illos gladio comminabatur: imo nonnullos ad supplicium rapi abducique jusserat; sed postea mutato consilio vitam nec rogantibus concessit.„ Iis Lucifer adjicit, eam episcopos obtulisse conditionem, præsto esse se suis sumtibus Alexandriam properare, ut auditis dumtaxat catholicis accusatoribus, si qui forent, æquum de Athanasii causa ferre possent judicium. Hac vero repudiata conditione, habitisque ut supra colloquiis, (quæ tamen omnia ordine uti gesta sunt non in promtu est enarrare: nam hinc & inde ex variis collecta scriptoribus consequenter recensere facultas non est,) tres Episcopos Constantius in exsilium misit, Pancratium item presbyterum, (quem Eutropium vocat Athanasius) una cum Lucifero a Libe-

Athan. ibid. n. 33. 34.

Episcopi mitti in exsilium abergati.

rio

Anno 355. rio legatum pariter extorrem fecit. Hilarium autem diaconum, ejusdem legationis comitem Ursacius & Valens una cum spadonum caterva ubi nudassent, atque dorso flagellis cecidissent, in exsilium item deportari curarunt. Inter flagellandum autem hæc scelerati homines vociferabantur: Quare Liberio non obstitisti? *Athan. ibid. n. 41.* cur ejus detulisti litteras? Diaconus vero inter verbera gratias Domino rependere atque dicere: *Dorsum meum flagellis obtuli*. Illi autem irridere ac cachinnos effundere, nec erubescere quod Levitam contumeliis & plagis onerarent. In exsilium itaque acti sancti Confessores, excusso pulvere pedum, erectisque ad Deum oculis, cujus amore neque Imperatoris iras reformidaverant, neque stricti gladii metu veritatem prodiderant, exsilium pro ministerii sui officio habuerunt. Dum enim loca civitatesque peragrarent, etsi vinculis constricti, sanæ fidei prædicationem nihil intermittebant, Arianam hæresim impiam ubique renuntiabant, traducebantque Ursacii & Valentis pœnitentiam. Quod contra quam rati erant, cessit insidiatoribus. Nam quanto longiore spatio & intercapedine distabat exsilii locus, tanto gravius in impios homines concitabatur odium, latiusque serpebat invidia facti. Sanctorum itaque Præsulum demigratio, vere prædicatio fuit, qua eorum impietatis fama ubique manaret. Quis enim dum peragrantes cerneret, non laudibus ut confessores exornavit? quis non Arianos maledictis & probris insectatus est ut impios, carnifices & homicidas, & non quovis potius quam Christianorum nomine compellavit? Cæterum exsules, ait Sulpitius Severus, satis constat totius orbis studiis celebratos, pecuniasque eis in sumtum affatim congestas, legationibus quoque eos plebis catholicæ ex omnibus fere provinciis frequentatos.

Liberii litteræ ad Confessores. 4. Accepto Liberius rerum Mediolani gestarum nuntio, gratulatorias exsulibus misit litteras, quamvis, ajens, malis adfici videantur, ipsos tamen singularis suæ fidei causa acceptissimos esse Deo, & jam ad futuram martyrii gloriam designatos. Optasse ut sibi priori id boni contingeret; sed quia illi prævertissent, rogare ut se studio amoreque præsentem æstimarent: & cum per hujusmodi ærumnas atque calamitates propius ad Deum accessissent, precibus jam suis ipsi opitularentur. Postulat demum, missis litteris sibi quid gestum sit accurate significent, ne ipse inter incertos vulgi rumores animi pendeat.

5. Quo autem acerbiorem exsilii pœnam sancti Præsules experirentur, (quod erat hæreticorum consilium studiumque;) non unum in locum relegati sunt, sed in varias & multo intervallo dissitas transmissi regiones, ne mutui conspectus solatio supplicii dolor levaretur. Verum, ut cæca res est malitia, non advertebant scelerati, in grave rerum suarum detrimentum veritatis præcones ac hæreseos hostes varia loca peragrare, quo latius manarent illa perfidiæ Arianæ argumenta. Nemo enim conspectis sanctis viris tantam pro veritate calamitatem ferentibus, sceleratorum iniquitatem non est exsecratus. Eusebius igitur Scythopolin exsilii locum pervenit; cujus urbis episcopus erat Patrophilus Arianus, qui tanta cura, Epiphanio teste, catholicos a sua parœcia exegerat, ut nonnisi unus Joseph Comes isthic superesset, qui Arianum non sectaretur errorem. *Anno 355.* Erit fortasse narrandi locus quid ejus cura & opera perpessus sit Eusebius. Fuit autem Eusebio peregrinationis laborumque socius Exuperantius, qui postea fuit in Tortonensem episcopum cooptatus. Lucifer Germaniciam mittitur; cujus tum episcopus erat Eudoxius Arianus. Quo in loco quibus sit ærumnis adfectus, describit ipse in sua ad Constantium epistola. In carcere quippe reclusus ac luce privatus, in tenebris asservabatur, ut ne cuipiam ejus invisendi copia esset. Dionysius autem Mediolanensis in Cappadociam deportatus, illic exsilii juxta ac vitæ finem invenit; Dominum precatus scilicet, ut ex hac vita demigrare liceret, ne reversus, parœciam suam Ariana labe infectam deprehenderet. Et sane res ut augurabatur accidisset, si diutius extraxisset vitam. In ejus quippe locum suffectus est Auxentius Arianorum deterrimus, a Gregorio Alexandrino presbyter ordinatus, qui Arianæ rei augendæ atque promovendæ strenue operam dedit.

6. Præter memoratos autem Episcopos, alii perpauci exsilii pœnam subire maluerunt, quam vel Athanasium damnare, vel cum Arianis inire societatem. Maxima pars minis, terrori, ac fraudibus Constantii concessere; ex quorum numero Fortunatianus Aquilejensis, & Eremius Thessalonicensis, quorum lapsum deplorat Athanasius.

7. Eminuit autem inter veritatis confessores Maximus Neapolitanus; qui cum ægritudine *Maximus sede pellitur.* stomachi laboraret, ab Arianis subscriptionem suam extorquere conantibus multis est adflictus malis. At cum ille in ægro corpore invictum gereret animum, nullis cedens cruciatibus, in exsilium tandem pulsus est. In cujus locum cooptatur Zosimus quidam. Is cum hactenus catholicam fidem constanter propugnasset, tum Arianis rebus emolumenti causa studere cœpit. Quo audito Maximus diras homini imprecatus, prænuntiat eum non diu in episcopali sede permansurum. Accidit res, ut præfatus ille fuerat. Cum enim Zosimus episcopali munere in populi cœtu fungeretur, derepente lingua horrendum in modum foras erupit, ut neque reducendi facultas esset. Quod cum repetitis vicibus accidisset, sensit ille divinitus immissum malum, novitque non frustra vaticinatum fuisse Maximum, ac sponte dignitatem exuit episcopalem. Maximus autem in exsilii loco postremum obiit diem, confessionis exinde gloria clarus.

8. Iisdem annumeratur item Rufinianus qui- *Martyrium Rufiniani.* dam vitæ sanctimonia conspicuus; qui fidei causa ab impiissimo Epicteto Centum-cellarum episcopo immanem in modum vexatus, ante currum ejus concitato cursu procedere compulsus est: quo factum, ut erumpentem sanguinem ore evomens, exstinctus sit.

9. Nec solum autem Mediolani ac per Italiam Ariana lues grassabatur; sed per totum *Vexatio catholicis per orbem illata.* Romanum imperium horrore omnia plena: minæ, mulctæ, exsilia, quodvis ærumnarum genus iis qui nollent Athanasii damnationi subscribere. Qua de re Athanasium libet audire loquentem. Statim litteræ ad Præfectum missæ, jussumque est Athanasium solita frumenti annona privari, totamque in usum Arii sectatorum conferri. Data cuique volenti facultas est,

Anno 355.

est, contumeliam iis inferendi qui Athanasii conventibus interessent. Hinc minæ quoque judicibus intentatæ, nisi cum Arianis communionis societatem inirent. Paria in aliis regionibus jussa prodiere: videreque erat per urbes singulas missos Notarios & Palatinos, qui judices concitarent in Athanasium, & Episcopos vel ad ferendum suffragium inducerent, vel pellerent in exsilium, populisque graves interminarentur calamitates. Legatis dabantur itineris comites Ursacii & Valentis clerici: qui si judices viderent non strenue rem agere, deferrent ad Imperatorem. Et quod stupendum plane erat, cum ceteras hæreses intactas sinerent, solis catholicis bellum inferebant. Tum Episcopi, ut scriptum est, ad reges & præsides ducti, a judicibusque hæc audiebant: Aut subscribite, aut decedite ab ecclesiis; nam jussit Imperator ut abdicemini. Alii a præfectis exturbati; quod tamen primarii viri non odio quodam infensoque animo præstabant, sed ut ne ipsi inter Episcoporum amicos computarentur, atque hinc foret sui criminandi occasio. Nam ipsis magistratibus missæ litteræ sunt, minisque adhibitis, mulcta pecuniaria indicta, nisi singuli suæ civitatis Episcopum compelleret ad subscribendum. Omnis denique locus, omnis civitas terrore erat ac tumultu plena, dum raptati Episcopi pellerentur, populi omnia luctu gemitibusque complerent.

10. Hæc erant missorum Palatinorum gesta. Admirandi autem homines iis quæ nacti sunt patrociniis freti, in eo toti erant ut alios Episcopos accirent ad Imperatorem, alios litteris fictisque criminationibus circumvenirent, ut illi Constantii vultum conspectumque, hi legatos, minas, conficta crimina pertimescentes, pariter a recto pioque consilio evocarentur. Iis artibus Imperator tam multos Episcopos compulit ad hæc proferenda verba: *Non ultra cum Athanasio communicamus*. Nam eos qui se adirent non ante ad conspectum admittebat suum, neque domo egredi facultatem dabat, quam vel subscriberent, vel abnuentes pellerentur in exsilium. Id agebat autem, gnarus invisam omnibus hæresim esse: quæ potissima causa fuit quod tam multos vi compelleret, ut paucis annumerarentur. Cura summa atque solicitudo ipsi erat vim nominum una cogere, cum ut invidiam Athanasio conflaret, tum ut Arianæ hæresi, cujus fervens ipse vindex erat, aliquam adferret dignitatis speciem, ratus veritatem se perinde atque homines circumvenire posse.

Sylvani defectio.

11. Inter hæc in Galliis contigit Sylvani defectio, qui ab exercitu Imperator est inauguratus. Ea res Constantium in summam consilii inopiam perturbationemque conjecit. At cum ille interpositis viginti octo post defectionem diebus ab Ursicino obtruncatus esset, ingenti Constantius metu liberatus est.

12. Dum hi per totum orbem motus, hæ turbæ dantur, Athanasius Alexandriæ haud sine metu impendentis periculi versabatur, populi præsidio & amore tutus ab insidiis Arianorum: qui semper machinis erant & calumniis struendis intenti, quo virum urbe pellerent & exterminarent.

Dracontius in Episcopum adlectus fugit.

13. Accidit autem paucis ante Paschalem solemnitatem diebus hujus, ut opinamur, anni, ut vacante sede Hermopolis parvæ, quæ A parœcia maximam Alexandrini agri partem complectebatur, Dracontius quidam Monachus & Monachorum ἡγεμὼν in Episcopum ejus loci promoveretur. Et quidem tantis erat ille populorum votis expetitus, ut Gentiles etiam se Christianos fore pollicerentur, dum Dracontius esset Episcopus. Is vero sive imminentis Christiano populo calamitatis declinandæ causa, sive quod monachali instituto addictus animus episcopalem adire dignitatem pertimesceret, cum de eligendo Antistite agebatur, ubi advertit inclinatas in se omnium voluntates, B juramento edixit se, si deligeretur, nequaquam obtemperaturum. Cum autem communi calculo electus fuisset, auctoribus & consuasoribus Monachis quibusdam fugam fecit, seseque occultavit. Re comperta Athanasius, de fuga summe doluit, elegantemque ad Dracontium misit epistolam per tabellarios Hieracem presbyterum & Maximum lectorem, jussos ut & ipsi cohortarentur ad remigrandum. Multis ajebat Athanasius, sibi in primis offensioni esse, quod propter impendentes Ecclesiæ calamitates fugam fecisset; hinc futurum ut episcopalis sedes a C multis iisque improbis hominibus invaderetur, utque Ethnici, qui se Christianos fore spopondissent, in idolorum cultu perseverarent. Minabatur judicii diem, nisi vocanti Domino obsequeretur. Si enim, inquit, eadem omnes semper mente fuissent, qua ratione Christianus tu esses, non exstantibus Episcopis? Et si qui post futuri sunt, eodem animo fuerint, qua ratione constare valebunt ecclesiæ? Deinde exemplo Mosis, Heliæ, Helisæi, & Apostolorum, qui gravissima olim pro populo Dei sub- D ire certamina, & capitis periculum adire non recusaverant, Dracontium ille ad delatum munus revocare nititur, & ad calamitates Christi gregisque sui causa perferendas cohortatur. Monachos item recenset, qui ad episcopatum promoti, id oneris cum laude populorumque emolumento perferrent. Erant ii Apollos, Agathon, Ariston, Ammonius, Muis, Paulus. Non tam conditionem ipsam, quam institutum veri Monachi amplexandum esse; quod præstare etiam Episcopo liceret. Carpit autem Monachos, qui Dracontio ejusmodi fugæ auctores E fuissent. Hortatur ut maturet parœciam adire suam, cum maxime instet Paschatis solemnitas: ne populi in lætissimo resurrectionis festo absentem doleant pastorem suum. His Athanasii hortamentis cessit Dracontius, nec diu postea pro catholica fide in exsilium ab Arianis pulsus est.

Revocatur ab Athanasio.

14. Constantius, tot pulsis Episcopis, Arianorum consilio Liberium aggreditur. Cum adverterent enim eum sanæ doctrinæ cultorem esse, Athanasio patrocinari, erroribus adversari suis, seque ut hæreticos ubique locorum tradu- F cere; rati impii homines se, si Liberium subornare possent, omnes illico superaturos, virum apud Imperatorem crimininantur. Ille vero sperans se Liberii opera quamprimum omnes sibi conciliaturum, cum litteris spadonem quemdam Romam mittit Eusebium nomine, qui principem inter eunuchos obtinebat locum; dona ferentem, ut Liberium muneribus tentaret, ac si minus dona possent, additis litterarum minis optatum finem assequeretur. Profectus Romam spado, principio auctor erat Pontifici ut adversus Athanasium suffragium scriberet

Constantius Liberium a proposito dimovere tentat.

cum

Anno 355.

cum Arianisque communicaret: id exoptare, id jubere Imperatorem. Hinc oblatis muneribus hortabatur, manusque Liberii contrectans ajebat: *Imperatori obtempera, & hæc accipe*. Episcopus contra compellare hominem, & hæc adversum dicere: Non posse damnari Athanasium, quem non una dumtaxat, sed & altera Synodus purum innoxiumque promulgasset; quem Romana synodus cum pace dimisisset, æquum non esse a se Romano Pontifice condemnari. Si Imperatori tamen placeret abrogari quæ fuerant pro Athanasio conscripta, irrita quoque forent quæ adversus eum gesta, atque litteris mandata essent, ac de integro res in synodo ageretur, procul palatio, ubi non Imperator, non forensis judex, non Comes, nulla demum extranea formido adesset, sed ex solo Dei timore ederentur omnia: ac primo exigerentur Ariani, utpote a Nicæna synodo anathemate percussi, aditus omnis ad hujusmodi synodum esset hæreticis interclusus. postea de reis ageretur, ut sontes pœnas luerent, insontes liberi dimissi tuto consisterent in sedibus suis. Hæc Imperatori renuntiaret, moneretque ut ne aurem ultra præberet Ursacio & Valenti, qui cum de rebus ante gestis pœnitentiam egissent, jam nulla essent fide digni.

Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 37.

15. Hæc Liberii dicta indigne ferens spado, non tam quod in Athanasium subscribere detrectaret, quam quod illum hæresi adversarium comperisset, nihil reveritus Episcopum, acriter interminatus, cum donis abscedit; nefariamque rem aggreditur, Christiano homine indignam, & majoris audaciæ quam quæ spadonem deceat. Profectus enim ad Martyrium Petri apostoli, dona illic apposuit. Re comperta Liberius, in loci custodem graviter succenset quod non prohibuisset hominem: ipsaque dona, quasi illicitum sacrificium, abjicit. Quæ res castratum vehementius ad iram concitavit. Quare profectus ad Imperatorem de Liberii in Arianam hæresim odio conquestus, juvantibus cæteris eunuchis, penes quos tum summa rerum erat, quorum vis & audacia multa in Arianorum gratiam moliebatur, hominem impotentem in furorem agit. Litteras igitur Romam quamprimum mittit: rursumque Palatini, Notarii & Comites ad id negotii iter suscipiunt. Litteris Præfectus urbis jubetur, aut Liberium dolo Roma subductum in castra transmittat, aut vi aperta comprehensum ad se pertrahat. Ejusmodi missis litteris exorta formido est, insidiæ per totam urbem paratæ, promissa dona iis qui strenue adversus Liberium rem gererent. Tum Episcopi his perspectis rebus sese abdere, matronæ calumniarum metu per pagos secedere, Ascetæ insidiis appeti, homines Romæ commorantes expelli, portus exitusque portarum intercludi, ut ne quis ingressus Orthodoxorum Liberium inviseret. Tunc Roma quoque Christi hostium immanitatem experta, re ipsa novit quæ vix ante crediderat, cum rumore nuntio audiret quantam cæteris Ecclesiis singulisque urbibus impii illi intulissent vastitatem.

Liberius ad Imperatorem trahitur. Athan. ibid. n. 39. Ammian. Marc. lib. 15.

16. Cum itaque Constantius litteris, interminationibus, jussis instaret urgeretque profectum, Liberius tandem curante Leontio Romæ præfecto ad Imperatorem trahitur; multaque usus loquendi fiducia, Desine, inquit, Christianos vexare, ne nostra opera cures impietatem introducere in Ecclesiam. Sumus sane ad omnia toleranda parati potius quam cum Ariomanitis annumeremur. Ne nos Christianos cogas christomachos evadere. Auctores tibi sumus, ne bellum moveas in eum qui hoc tibi imperium tradidit, neu gratiarum actionis loco impietatem ipsi referas. Ne calamitatem iis inferas qui in Christum credunt, ne ipse quoque audias: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*. Sed utinam aurem præbeas, ac tu quoque quemadmodum beatus Paulus morem geras. Ecce adsumus, accessimus, vel antequam crimen illi comminiscantur. Ideo properavimus, gnari licet a te nobis exspectandum exsilium esse, ut ante confictam criminationem damnemur, cunctisque propalam sit pari ratione cum aliis actum esse, oblataque ipsis crimina similiter conficta ab inimicis fuisse; quorum omnia dicta nihil nisi calumniæ, nihil nisi mendacia fuere.

Act. 9. 1.

Colloquium Liberii cum Constantio. Theod. l. 2. cap. 16.

17. Hæc de colloquio Liberii cum Constantio Athanasius. Rem pluribus adfert Theodoretus, cujus dialogum adscribere ne pigeat; ex eo quippe cum Liberii constantia & fortitudo, tum Imperatoris in Athanasium infensus animus palam perspicitur. Constantius Imperator dixit: „ Nos, quoniam & Christianus es & nostræ urbis Episcopus, te evocandum duximus, ac monemus ut nefariæ dementiæ impii Athanasii communionem abjicias. Id enim æquum esse orbis terrarum censuit, eumque ab ecclesiastica communione alienum fore synodali sententia decretum est. Respondit Liberius: Judicia ecclesiastica, o Imperator, summa cum æquitate ferri oportet: quare si pietati tuæ libeat, judicium institui jubeto; & si quidem Athanasius damnatione dignus videatur, tum juxta ecclesiasticæ regulæ formam sententia in illum feretur. Neque enim vir a nobis condemnari potest de quo non judicavimus. Cui Constantius: Totus terrarum orbis de ejus impietare tulit sententiam, eo quod jam inde ab initio deludendo tempus trahat. Ad hæc Liberius episcopus: Quotquot subscripserunt, res gestas ipsi non viderant; sed ex inani gloria, tui metu, ignominiæ a te inurendæ formidine subscripserunt. Tum Imperator: Quæ gloria, qui metus, quæ ignominia? Infit Liberius: Quotquot Dei gloriam non amant, ii tua munera anteponentes, eum quem non viderant, de quo ne judicarant quidem, damnaverunt: quod alienum a Christianis est. Hic Imperator: Atqui de præsente judicatum est in synodo Tyria, universique orbis Episcopi in ea synodo hominem damnavere. Cui Liberius: Numquam ille præsens judicio fuit. Quotquot enim eo tempore coacti in eum sententiam tulere, post Athanasii discessum inique de absente judicarunt. Tum Eusebius eunuchus: In synodo Nicæna alienus a catholica fide demonstratus est. Liberius Imperatori (despecta eunuchi futilitate:) Ex iis qui cum Ischyra navi in Mareoten transmiserunt quinque solum fuere judices, quos illi quidem miserant ut adversus reum acta conficerent. Ex iis qui tunc eo legati sunt, duo ex hac vita migrarunt, Theognius scilicet & Theodorus, reliqui tres adhuc superstites sunt,

Anno 355.

Maris, Valens, & Ursacius. Contra hosce in Mareoten missos Sardicæ ea ipsa de causa lata sententia est. Qui postea veniam precati libellos obtulerunt, ob acta scilicet quæ per calumniam, altera dumtaxat præsente parte, in Mareote confecerant. Quos quidem libellos nunc in manibus habemus. Utris horum assentiri & communicare debemus, Imperator; hisne qui cum Athanasium ante damnassent, veniam postea rogarunt, an illis qui nuper istos condemnarunt? Tum Epictetus episcopus; Non fidei causa, nec pro defensione judiciorum ecclesiasticorum Liberius jam verba facit, o Imperator; sed ut apud Romanæ civitatis Senatores glorietur Imperatorem a se fuisse superatum. Imperator Liberio: Quota pars es orbis terrarum, ut tu solus impio homini suffragari velis, & orbis Romani, totiusque mundi pacem perturbes? Cui Liberius: Etiamsi solus sim, fidei ratio non ideo minuitur. Nam & olim tres tantum reperti sunt qui Regis mandato obsisterent. Eusebius eunuchus ait: Imperatoremne nostrum Nabuchodonosori confers? Tum Liberius: Nequaquam. Sed tu inique hominem damnas, de quo non judicavimus. Ego vero postulo, ut primum quidem omnium præcedat subscriptio, quæ fidem Nicææ editam confirmet, deinde ut revocatis ab exsilio fratribus nostris & in sedes suas restitutis, si ii, qui jam tumultus in ecclesiis auctores sunt, apostolicæ fidei consentire visi fuerint, tunc universi Alexandriam convenientes, ubi & accusatus & accusatores sunt, necnon eorum patronus, eorum examinata causa sententiam proferamus. Tum Epictetus episcopus: Verum cursus publicus vehendis Episcopis nequaquam erit satis. Cui Liberius: Ecclesiastica negotia non egent cursu publico; Ecclesiæ enim singulæ episcopos suos ad mare usque perducere suis sumtibus facile possunt. Imperator dixit; Quæ jam rite statuta sunt, non ultra abrogari possunt: valere debet pluriororum episcoporum sententia. Tune solus es qui impii hominis amicitiam foveas? Liberius: Numquam audivimus, Imperator, absenti reo judicem impietatis notam inurere, quasi privatas cum eo inimicitias gerat. Imperator autem: Universos quidem ille adfecit injuria, sed nullum perinde atque me. Qui non contentus exitio fratris mei majoris natu, felicis memoriæ Constantem ad suscipiendas mecum inimicitias numquam destitit; & id sane contigisset, nisi nos majore mansuetudine & incitantis & incitati impetum pertulissemus. Nullam itaque victoriam tanti facio, ne illam quidem quam de Magnentio retuli ac de Sylvano, quanti ut hunc sceleratum ab Ecclesiæ administratione submoveam. Cui Liberius: Noli, Imperator, inimicitias tuas per Episcopos vindicare. Ecclesiasticorum enim manus ad sanctificandum vacare debent. Jube igitur, si placet, ut Episcopi ad proprias sedes revocentur: ac si quidem videantur cum illo consentire, qui rectam fidem Nicææ editam jam tuetur, in unum coacti paci orbis terrarum prospiciant, ne insontem virum infamia notatum esse comprobetur. Tum Imperator: Unum est quod quæritur. Te namque, ubi ecclesiarum communionem fueris amplexatus, Romam remittere volo. Assentire igitur paci, & suffragium scribe, atque ita Romam revertere. Ad hæc Liberius: Fratribus qui Romæ sunt jam vale dixi. Romano quippe domicilio anteferendæ ecclesiasticæ leges. Imperator autem; Triduum ergo tibi ad deliberandum conceditur, utrum postquam suffragium dederis Romam velis commigrare, aut ad deligendum quem in locum cupias deportari. Cui Liberius: Trium dierum aut trium mensium interposita mora non mutabit sententiam. Itaque mitte quo libet. „ Biduo post Imperator, cum Liberium accivisset, atque is de sententia non decederet, eum Beroeam in Thraciam relegari jussit. Egresso Liberio, Imperator quingentos solidos offerri jubet ad viaticum. Deferenti Liberius ait: Abscede, & hæc redde Imperatori, qui iis sane in stipendium militum opus habet. Similiter Augusta tantumdem ipsi pecuniæ misit. Remisitque Liberius: Redde, ajens, isthæc Imperatori; iis enim habet opus in militum annonam. Quod si his non egeat, dentur Auxentio & Epicteto, qui opus habent. His rejectis, aliam pecuniæ summam adtulit Eusebius eunuchus. Cui Liberius: Ecclesias orbis terrarum expilasti, & mihi tamquam reo eleemosynam adfers? Abscede, & prius Christianus efficiare. Elapso autem triduo relegatus Beroeam est Liberius. Felix sane, si tanta invictæ mentis argumenta fœdis exinde fracti & emolliti animi notis non labefactasset.

Exsilium Liberii.

18. Nec prætermittenda quæ de Liberii exsilio habet Ammianus Marcellinus, *Hoc administrante Leontio*, ait, *Liberius Christianæ legis antistes, a Constantio ad comitatum mitti præceptus est, tamquam Imperatoris jussis & plurimorum sui consortium decretis obsistens in re quam brevi textu percurram. Athanasium episcopum eo tempore apud Alexandriam, ultra professionem altius se efferentem, sciscitarique conatum externa, ut prodidere rumores assidui, cœtus in unum quæsitus ejusdem loci multorum (synodus ut appellant) removit a sacramento quod obtinebat. Dicebatur enim fatidicarum sortium fidem, quæve augurales portenderent alites, scientissime callens, aliquoties prædixisse futura. Super his intendebantur ei alia quoque a proposito legis abhorrentia cui præsidebat. Hunc per subscriptionem abjicere sede sacerdotali paria sentiens cæteris, jubente principe, Liberius monitus perseveranter renitebatur, nec visum hominem, nec auditum damnare nefas ultimum sæpe exclamans; aperte scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen auctoritate quoque qua potiores æternæ Urbis episcopi firmari, desiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato Liberius ægre, populi metu, qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate, noctis medio potuit asportari.* Quod Ethnici hominis testimonium, Romanæ sedis auctoritate comprobandæ peridoneum, iniquum sane Athanasio est, quod augurali arti tribuat eam divinitus inditam Athanasio facultatem futura prospiciendi, quam sancto viro adscribit Sozomenus, ubi illum a Deo monitum pericula sæpe prævidisse, declinasseque commemorat. Illam futura prospiciendi vim in crimen vocabant Gentiles & hæretici, quasi scilicet id ille magicis artibus consequeretur.

Ammianus Marcell. l. 15. p. 91.

Sozom. lib. 4. cap. 10.

Ut

Anno 355. Athanasius futura prospiciendi vi pollet.

Ut fertur autem, quodam tempore, Athanasio per urbem incedenti, forte supervolitans cornix crocitavit. Turba vero Gentilium, quæ tunc aderat, quasi præstigiatorem deridens, rogabat quidnam cornix illa prænuntiaret. At ille suaviter ridens: Cras, inquit, clamat. Id autem vociferans, injucundam vobis fore crastinam diem denuntiat. Significat enim vobis ab Imperatore prohibitum iri, ne cras festum diem de more celebretis. Quæ Athanasii prædictio, etsi ridicula visa illis est, vera tamen fuit. Insequente enim die magistratibus redditæ sunt Imperatoris litteræ, vetantes ne Paganis templa adire sua, neve solemnes sacrorum ritus ac publicos conventus celebrare liceret.

Felix in Liberii locum adlegitur. Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 75.

19. Pulso Liberio, de successore deligendo actum fuit. Quod quam indigne, quam contra ecclesiasticum morem peractum sit, ita narrat Athanasius: Imperator Epictetum quemdam, audacem adolescentem, qui etsi neophytus in Episcopum adlectus fuerat, quod ad nulla non scelera paratum promtumque cognosceret in amicis habebat, ejusque opera invisis sibi Episcopis arbitratu suo parabat insidias. Hujusmodi itaque usus administro rem plane stupendam Romæ aggreditur, quæ Antichristi malignitatem præ se ferat. Adornato namque in ecclesiæ vicem palatio, populi Christianique cœtus loco, tres sibi spadones adesse jubet. Demumque improbos tres Catascopos, id est, exploratores, (haud enim episcopi nuncupandi,) compulit ut Felicem quemdam moribus sibi consimilem virum in ipso palatio ordinarent Episcopum. Populi namque, animadversa hæreticorum prævaricatione, aditus illis ad ecclesias intercluserunt, & procul abscessere. Qui Felix catholicis-ne postea, an Arianis rebus studuerit, jam quæstio est inter scriptores.

Constantius hortatu Arianorum Hosium tentat. Athan. ibid. n. 42. 44.

20. Unum restabat Arianis quod maxime cordi erat, ut scilicet Hosium illum venerandum & nobilem senem in suam sententiam perducerent. Qua de re Constantium conveniunt, monent nihildum actum esse, nisi sibi suisque factis magnus ille Hosius confessionis gloria conspicuus adstipuletur. Rogant ut virum, perinde atque cæteros vi compellat, ut secum communicet Athanasiumque damnet. His inductus Imperator senem accivit, qui centenario major annos, jam plus sexaginta episcopalem occupabat sedem. Accedentem Hosium rogabat Constantius, lenibusque dictis hortabatur ut, contra Athanasium sententiam daret, Arianisque communione jungeretur atque amicitia. Senex, qui rei hujusmodi vel auditum ægre ferret, indignatus, quod talem Imperator obtulisset conditionem, virum acriter compellat, monet ut finem faciat hujusmodi verba proferendi, clamare ait facti insolentiam: demum dictis suis persuasum ac perterritum deducit e sententia; atque ita integris rebus redit in patriam & in ecclesiam suam. Sed cum absente eo hæretici haud sine querimoniis & lamentis denuo instigarent, urgerent, & sua eunuchorumque opera nullis non machinis levissimum Constantii animum tentarent; acquievit demum ille postulatis assentantium, litterasque minarum plenas ad Hosium misit. His, Hosius contumeliis, periculorum denuntiatione exagitatur; neque tamen insidiarum metu de sententia dimovetur; sed fidenter hæresim ut impiam noxiamque traducit ubique locorum. His auditis Constantius cœpit senis animum iteratis litteris sollicitare, modo adulari quasi patrem, mox interminari exsilium. Necdum tamen ille vel minarum & impendentium malorum formidine, vel blandimentorum illecebris, cessit e sententia. Imo epistolam constantiæ & firmitatis plenissimam rescripsit Imperatori, significans se jam pridem sub Maximiano pro Christi nomine passum, paratum esse ad ærumnas quaslibet, si sit opus, pro veritate perferendas. Monet, Arianorum doctrinam ne tueatur; neu Ursacio & Valenti habeat fidem. Non tam illos Athanasii perniciem machinari, quam impietati Arianæ augendæ atque promovendæ studere. Commemorat quæ in Sardicensi synodo gesta essent, Arianorum metum, conscientiam scelerum, turpem in conspectu synodi fugam. In mentem revocat Ursacii atque Valentis pœnitentiam, qua palam esset insonti Athanasio fuisse crimina oblata. Hortatur ne se rebus immisceat ecclesiasticis: „Tibi, inquit, Deus „imperium, nobis ecclesiastica concredidit. Ac „quemadmodum qui tibi imperium eriperet, „Deo providenti repugnaret; ita metue ne si „tibi ecclesiastica vindices, magni criminis „reus evadas.„ Se nedum cum Arianis consentiat, eorum hæresim anathemate ferire; Athanasium vero minime damnare, quem Romana Ecclesia, universalis Synodus, ipseque Imperator pro insonte habuisset. Hæc tum Hosius, qui haud diu, ut infra memoratur, in probo hujusmodi proposito perseveravit.

Hosii epistola ad Constantium.

Namque Constantius nec insidiarum finem fecit, neque desiit occasiones aucupari, minasque in senem intentare. Accesserunt Arianorum criminationes, querimoniæ, maledicta. Ajebant eum nedum Athanasium damnaret, hæresim Arianam diris vovere atque proscribere, omnibusque auctorem esse ut fidem catholicam integram intactamque servent. Insuper monent Constantium, plurimos in Hispania eadem esse atque Hosium sententia, quorum Imperator suffragia adversus Athanasium postulabat. Hi cum non metu Imperatoris, non minis, non pollicitationibus eo adduci possent, in Hosium ducem vertitur Constantii furor. Accitus itaque senex anno integro Sirmii detinetur. Res quorsum evaserit, infra memoratur.

Profligatis aliis Constantius Athanasium aggreditur. Athan. ibid. n. 47. 48. 50.

21. Constantius igitur, postquam terrore, minis, exsilio, malis artibus Episcopos pene omnes aut profligasset, aut ad simulationem compulisset, jam in Athanasium machinas intendit; promissorum scilicet oblitus, immemor juramenti. Nam qui semel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium quam ad mendacium perduci consuevit. Hoc autem callide Arianis auctoribus, postquam Præsulum turbam in suas allexisset partes, aggressus est, eo nimirum consilio, ut multorum Antistitum suffragia ostentare posset, Athanasioque non modo retinendæ dignitatis, sed etiam deplorandæ calamitatis admeret potestatem. Itaque concitatus Imperator ab Arianis, primum litteras mittit ad Ducem & ad milites, interminatus iram suam, nisi probe contra Athanasium rem gererent. Leguntur item Notarii Diogenes & Hilarius, & una cum illis Palatini quidam. Horum consilium erat ut Athanasium dolo Alexandria extraherent, & quidem,

Anno 355.

dem, ut ex Imperatoris litteris postea memorandis liquidum est, nullis non malis, imo & morte mulctandum. Si namque palam & intra urbis mœnia manus in Athanasium violentas intulissent, non deerat turbarum tumultuumque formido. Quare astu providerant virum pellere, populique præsidio subducere. Inter hæc, imminente Arianorum furore, obiit magnus ille deserti incola Antonius, annos quinque supra centum natus, qui instante morte, discipulos hortatus multis ad veræ fidei virtutisque cultum, demum perorans his commonet dictis: „ Mea inter vos vestimenta dividite: Athanasioque episcopo melotem date unam, palliumque quo utebar olim: ab eo novum acceperam, jam detritum usu est. Melotem alteram Sarapioni episcopo tradite; vos habete cilicinum indumentum. Et quod reliquum est, salvete filii: Antonius quippe hinc migrat, nec ultra vobiscum erit. His ille dictis, placido vultu, lætusque animam efflavit. Qui autem, subsequitur Athanasius, melotes & pallium accepere, perinde asservant ac si magni res pretii essent; iisque conspectis Antonium se videre putant, iis amicti Antonii monita gestare se arbitrantur. „ Ita nimirum Athanasius dum insidiis eunuchorum Arianorumque impeteretur, viris Dei percarus erat & in amicis. Interea Notarii adventantes Alexandriam jussa Constantii nec impigre exsequi conantur.

Athan. in vita Antonii n. 91. 92.

Anno 356. Diogenes, Hilarius & Syrianus contra Athanasium rem gerunt. *Athan. Apol. ad Constant. n. 19. & seqq. & Hist. Arian. ad Monachos n. 52.*

1. Diogenes porro nullas ab Imperatore datas litteras tradidit Athanasio, nec in ejus umquam conspectum venit. Syrianus autem Dux Ægypti, vel sub idem quo Diogenes tempus, vel paucis post diebus, Alexandriam ingressus, instare jubereque ut Athanasius Alexandria decederet. Ariani autem ubique spargere, id litteris, id jussis imperatoriis ferri. Sciscitabatur porro ex Syriano Athanasius, num eas quas jactitabant Ariani litteras penes se haberet. Cum autem non habere se dixisset, rogare Athanasius, ut vel ipse Syrianus, vel præfectus Ægypti Maximus hoc sibi jussum scripto traderent. Nam, uti supra memoratum, Athanasium Constantius jusserat nullis inimicorum fraude sparsis rumoribus moveri, sed cum pace populum edocere veram religionem: velle namque se ut tranquille degeret in sua parœcia. Hæc causa erat, ut nonnisi Constantii jussu civitate decedere vellet. Id ipsum ad Syrianum adeuntes populares, presbyteri, clerici, parsque maxima civitatis postulabant, præsente Maximo Ægypti præfecto: nimirum vel litteras tradi, si quas tandem essent; vel ecclesiam non turbari, donec ea de re missis oratoribus cum Imperatore ageretur. Populo acriter instante, Syrianus, sive quod perspectum haberet quam æqua postulatio esset, sive quod motum seditionemque, concitata plebe, metueret, præsente tunc Hilario, inspectantibusque multis, per salutem Constantii pollicetur se nihil mali Athanasio vel ecclesiæ illaturum, antequam rem detulisset ad Constantium. Cujus rei testes erant cohortes Ducis, Præfectique Maximi, qui ejusmodi rescriptum penes se retinuit. Quæ porro causa esset, quod cum Athanasius, tum plebs Alexandrina, Ducis fidem interponi curarent, ipse aperit Athanasius. Aderat scilicet ingens suspicio insidiarum, non tantum quia nullo oblato Imperatoris rescripto jussum esse jactitarent ut Athanasius Alexandria excederet, sed etiam quia permulti cum Syriano essent Ariani comites, quibuscum ille quotidie epulabatur ac consilia inibat, ut nisi eorum arbitratu nihil ageret. Quæ omnia certam male suspicandi causam Athanasio adferrent. Cum Syrianus itaque decima septima Januarii fidem ita dedisset, populus lætus, ac bene secum actum esse putans, conventibus ecclesiasticis vacabat, omni posito metu ac suspicione. Sed insidiosa promissa fuisse exitus comprobavit.

Syrianus noctu ecclesiam invadit. *Athan. Apol. ad Constant. n. 25. & Apol. de fuga sua n. 24. & Hist. Arian. ad Monachos n. 81.*

2. Nam elapsis viginti tribus a data fide diebus, ineunte nona Februarii, dum pervigilium agitur subsequentis in Parasceve synaxeos, media circiter nocte, Dux exercitus Syrianus derepente cum militibus irrupit plus quinque millibus, qui armis, strictis gladiis, arcubus, telis, fustibus, galeis instructi erant. Atque concitantibus comitibusque Arianis, ecclesiam densis collocatis militibus, ceu arcem quamdam hostiumve castra circumsedit, ne quis posset evadere. Tum Athanasius, ratus non probi pastoris esse gregem in tanto tumultu deserere, ac se solum subducere periculo, in throno sedens diacono jussit ut Psalmum legeret, populoque ut responderet, *Quoniam in æternum misericordia ejus*, ac omnes deinceps se reciperent, abirentque domum. Verum peracta lectione, populoque precante, a militibus januæ confractæ sunt. Foribus autem vi multitudinis patefactis, Syriani jussu alii sagittas emittere, alii bellicum canere; hinc armorum strepitus insonare, enses ad lampadum fulgorem micare. Post hæc virgines occisæ, multi irrumpentibus militibus corruere, alii sagittis confossi cadere. Militum pars ad prædam versi virgines nudabant, quibus vel minimus virorum contactus ipsa morte acerbior erat. Tum Episcopus qui in throno sedebat, conspecta clade & calamitate, surgit & ad preces cohortatur. Dux autem, qui loci sanctitatem tantidem quanti fidem suam fecit, agmen agebat comite Hilario Notario, qui ea machinabatur quæ rerum exitus palam fecit. Nam Arianorum, quorum furoris administer fuit ille, hoc consilium erat, ut Athanasium nec opinantem confoderent, rati non posse diu se, vero Episcopo incolumi, alienam ecclesiam obtinere. Milites porro Sacrario circumfusi, corona facta, locum obsident, ut Athanasio adimant evadendi facultatem. Tum quotquot e clero & populo istic aderant, clamare & obsecrare ut se subduceret. Ille contra negare recessurum se, nisi singulis egressis; satius esse periclitari se, quam lædi quempiam e plebe. Excedentibus ergo quam plurimis, cæterisque subsequentibus, qui cum Athanasio intus erant Monachi & ex Clericis quidam, in thronum ascendentes sanctum Præsulem pertraxere. Raptatus autem ille, ac Deo duce Monachorumque & Clericorum ope via facta inter strictos gladios & carnifices, qui ei necem parabant, pene exanimatus vi trahentium & compressione turbæ, clam militibus numine providente discessit; licet pars sacrarium circumsisterent, pars ecclesiam obsiderent. Ac in tuto cum fuit, dignas divinæ misericordiæ gratias retulit, quod, nec populo deserto, inimicorum manus evadere licuisset. Exinde vero Syrianus & Hilarius ubi stra-

Cædes perpetratæ.

Athanasius se subducit.

Anno 356.

ſtragem conſpexere, militibus imperarunt ut defunctorum corpora amolirentur, in abditiſque locis depoœrent. Sanctiſſimæ porro virgines, quæ cæſæ relictæ fuerant, in monumentis ſepultæ ſunt, martyrii gloriam ipſis Conſtantii, qui ſe Chriſtianum profitebatur, temporibus adeptæ. Diaconi autem in ipſa eccleſia plagis conciſi ac recluſi ſunt.

Athan. Hiſt. Arian. ad Monachos n. 81.

3. Neque tamen hic conſtitit ſcelus. Nam poſt ea geſta, quivis arbitratu ſuo quam poſſet januam confringebat, ut obvia quæque diriperet. Imo ad ea loca penetrarunt, quo ne Chriſtianis quidem omnibus liceat ingredi. His locis tam ſanctis manus impias ac ſacrilegas adferre auſi ſunt ſcelerati homines, a quibus etiam oculos cohibere religionis jura cogebant. Hæc autem præſente ipſo Alexandriæ Duce Gorgonio geſta ſunt. Abſcedentibus porro re adeo præclare geſta militibus, arma, tela, enſes in eccleſia relicta ſunt, quæ populus ibidem ſuſpendit in facti memoriam. Nam poſtquam fracti ac perterriti improviſa irruptione animi confirmati ſunt, tum catholicorum multitudo coacta reſcriptum edidere, quo rerum indigne geſtarum ferrent teſtimonium, commemorarentque confractas fores, invaſionem in eccleſiam, cædes, expilationem, aliaque id genus. Quod ubi comperit Dux Syrianus, obvios vi compellebat ad teſtificandum, nullum exſtitiſſe tumultum, nullam cædem factam. Quod ſane argumentum erat, injuſſum illum id facinoris perpetraſſe. Alexandrini autem, conſpecta Ducis iniquitate, hominem adeunt, rogant nulli vim inferat, neu geſta neget. Ille plebem fuſtibus cædi ac profligari jubet, nihil reveritus Chriſtianorum cœtum. Ac cum edidiciſſet, arma & tela a militibus relicta in templo fuiſſe ſuſpenſa in rei geſtæ memoriam, exercitus ut vocabant Dynamium cum Tribuno miſit, qui abſportarent. At catholicorum cœtus id minime conceſſit, nec ſivit auferri tam conſpicua violatæ eccleſiæ veſtigia.

Conteſtatio Alexandrinorum. *Athan. ibid.*

Exinde vero plebs catholica aliud edunt reſcriptum ad Imperatorem tranſmittendum, quo teſtificantur, cum ex priore reſcripto occaſionem arripuerit Syrianus contraria geſtis rebus teſtimonia extorquendi, rogare & obteſtari ſe Maximum Ægypti præfectum & Curioſos, ut facti veritatem Conſtantio deferant; obteſtari item & obſecrare nautas omnes, ut Imperatori iſthæc omnibuſque per diverſa loca Præfectis ac judicibus renuntient. Exinde narrant ordine quæ ad v. idus Februarii geſta eſſent, uti nos ſupra recenſuimus. Si ſit illud ab Imperatore edictum, paratos eſſe ſe ad martyrium ſubeundum; ſin hoc Auguſti placitum non ſit, rogare Maximum reliquoſque magiſtratus id apud Conſtantium agant, ut ne in poſterum ejuſmodi res eveniat. Obſecrare item, ut reſcriptum a ſe editum Imperatori offeratur, nec quis alius epiſcopus intrudatur in locum Athanaſii, quem ſibi Deus ab initio dediſſet ſecundum ſucceſſionem Patrum ſuorum, quem ipſe Conſtantius juratus cum litteris tranſmiſiſſet Alexandriam. Datum fuit hujuſmodi reſcriptum poſt conſulatum Arbethionis & Lolliani, Mechir 17. quæ eſt 12. Februarii.

Georgius Antiochiæ deligitur. *Sozom. lib. 4. cap. 8.*

4. Interea de ſucceſſore in vicem Athanaſii deligendo agebant Ariani. Et ſane veri ſatis ſimile eſt quod habet Sozomenus, ordinatum ſcilicet Georgium fuiſſe in ſynodo Antiochiæ coacta; cujus principes erant Arianorum ea tempeſtate anteſignaoi. In menſem Februarium hujuſce anni opportune poteſt Georgii ordinatio conferri. Cætera porro, quæ ibidem narrat Sozomenus, ἄπιστα ſunt, potiſſimumque quod ait, ſuperſtite adhuc Conſtante cooptatum fuiſſe Georgium. De cujus moribus & ingreſſu Alexandriam pluribus inferius.

Conſtantius nefaria Syriani geſta probat, & alia adjicit. *Athan. Hiſt. Arian. ad Monachos n. 48. & ſeqq.*

5. Accepta Imperator Alexandrina clade a Syriano geſta, ut erat feroci in Athanaſium ejuſque ſequaces animo, factum probavit. Non ille funeſtatam cædibus eccleſiam, non ſacrorum expilationem, non denudatas virgines, non omnia ſacra profanaque violata graviter tulit. Tanto nimirum Arianiſmi ſtudio tenebatur, ut quantumvis atrox immaneque facinus, in rem modo illius cederet, probe factum optimeque conſultum exiſtimaret. Neque hic tamen fuit calamitatum finis. Litteris quippe ad Schatum & populum Alexandrinum miſſis juvenes cohortabatur, ut una coacti Athanaſium inſequerentur, ac ubi locorum eſſet perveſtigarent, interminatus indignationem ſuam ſi non gererent morem. Litteras ejuſmodi detulit Heraclius quidam Comes, præcurſor Georgii mox Alexandrinam ſedem invaſuri. Litteræ autem publice lectæ ſunt. Ajebatque Conſtantius ſe in gratiam fratris ſui Conſtantis, non ſuopte motu vel conſilio, dediſſe Athanaſio Alexandriam revertendi facultatem. Comes juſſu Imperatoris denuntiavit Alexandrinis, maximeque Gentilibus, ſi non obtemperarent, auferendum panem, evertenda idola, ac plurimis optimatibus popularibuſque exſpectandam fore captivitatem. Deinde his denuntiatis minis, non puduit hominem, hæc palam altaque voce proferre: Athanaſium Imperator non vult Epiſcopum eſſe, eccleſias Arianis tradi jubet. Hinc mirari omnes, nutus dare ac dicere: Num Conſtantius hæreticus effectus eſt? Ille autem nullo turpiſſimæ rei pudore, nullo rubore adfectus, contra inſtare, urgere, poſtulare a Senatoribus Ethnicorum optimatibus, ædituis idolorum, ut imperatorio reſcripto nomen & ſuffragium darent, profiterenturque illum ſe recipere epiſcopum, quem mitteret Conſtantius. In hoc certe agendo, ait Athanaſius, Conſtantius Eccleſiæ canones egregie vindicabat. namque pro Eccleſiæ litteris, fori litteras; pro Chriſtiani populi ſuffragiis, æدituorum ſuffragia repoſcebat; gnarus ſcilicet ſe non Epiſcopum Chriſtianis, ſed iis qui talia ſcriberent litigatorem mittere. Ethnici itaque, qui tali ſubſcriptione redimebant idolis ſuis immunitatem, & nonnulli ex agricolis, ac ſi de Duce aut de alio quopiam miſſo judice ageretur, licet inviti, minas tamen pertimeſceotes, ſuffragium dederunt. Nam Ethnici cum eſſent, quid acturi erant, quam quod Imperatori placeret?

Alia Chriſtianorum calamitas. *Athan. Hiſt. Arian. ad Monachos n. 55.*

6. Heraclius porro Comes cum comperiſſet Chriſtianum populum quarta Sabbati coactum in eccleſia eſſe; inſequente die, aſſumto ſecum Cataphronio Ægypti præfecto, Fauſtino catholico ſive rationali, Bithynoque hæretico homine, juniores quoſdam forenſes idolorum cultores concitat, & ab Imperatore juſſum denuntiat, ut in eccleſiam irruant, populumque lapidibus obruant. Cum itaque jam plurimi poſt dimiſſionem catholici digreſſi eſſent, remanentibus paucis mulieribus, tum uti juſſum fuerat

Anno 356.

gesta res est. Eratque miserabile spectaculum. A Nam cum paucæ completa oratione mulieres sederent, derepente petulans caterva cum lapidibus & fustibus nudi irruentes alias cædere, alias lapidare, sacra virginum corpora plagis concidere, detractis velaminibus earum capita nudare, ex adverso trahentes illas pedibus impetere. Virginum vero modestiam, auriumque castimoniam cum perspectam haberent, gnari graviorem obscœnis dictis, quam gladiis & lapidibus, injuriam inferri, turpia quæque vociferari, instigantibus Arianis, qui ad ejusmodi sermones erumpebant in cachinnos. Jubentibus B autem & cohortantibus Comite atque Catholico, subsellia, thronum, mensam, quæ lignea erat, vela ecclesiæ & cætera quæcumque potuere, direpta & absportata in magna platea ante ostium combusserunt, thusque injecerunt in ignem. Heu! quis hæc audiens, inquit Athanasius, temperet a lacrymis? imo aures non obstruat, ne alium narrantem ferat, ratus ejusmodi rerum vel auditum damno sibi fore? Tum Ethnici in idolorum deorumque suorum laudes erumpunt, palamque clamant ad suam C Constantium accessisse religionem, Arianosque suum nec horrere nec improbare cultum, imo vero sese ethnicos simulare, ut sua stabiliatur & confirmetur hæresis. Exinde buculam irrigandis hortis deputatam immolare aggressi sunt; & sane immolassent, nisi femina ea fuisset, quas in sacrificium offerre religio ipsis erat.

Ultio divina in petulantes Ethnicos. Athan. ibid. n. 57.

7. Ejusmodi facinora impii Ariani cum Ethnicis admisere, rati ea in catholicorum vertere contumeliam. At divinum numen inultum scelus non prætermisit, gravesque facinorosis D immisit pœnas, quibus sese læsum injuriaque adfectum ostenderet. Nam ut juvenis quidam ex petulantioribus in sacrarium irruens ausus esset in episcopali throno sedere, sedensque temerarius ille meretricium nescio quid naribus personaret, inde cum surrexisset, thronum convellere ad seque trahere conatus, ignorans se sibi divinam attrahere vindictam, avulso ligno ventrem ipse suum percussit, atque ictu intestina foras emisit. Collapsus itaque absportatus est, & postridie interiit. Ingressus item alius, qui thallos manu gestabat, cum more Ethni- E corum manu illos agitaret, cachinnosque profunderet, repente tenebris offusus oculisque captus, non ultra sciebat ubi terrarum esset: qui jamjam collapsurus, a comitibus suis manu adductus & sustentatus exivit, vixque postridie mentis compos effectus est, facinoris juxta ac casus sui immemor.

8. His conspectis Ethnici perterriti sunt, nihilque ultra aggredi sunt ausi: Arianos vero ne tum quidem gestorum puduit, sed ejusmodi facinora a petulantibus hominibus admissa libentes ac læti conspiciebant. Aderat ipsis, F opemque ferebat Faustinus quidam Rationalis sive thesaurarius, circumforaneus & arrogans homo. Neque sane spectatores illi scelerum tantum fuerunt, sed nefariis ipsi manibus graviora perpetrarunt. „ Quam enim, ait Athanasius, non diripuere domum? quas ædes per- „ vestigandi causa non expilarunt? Quem hor- „ tum nimiis concursationibus non devastarunt? „ Quod sepulcrum non aperuere, specie qui- „ dem Athanasii perquirendi, cum nihil ta- „ men aliud curarent, quam diripere & ob-

ibid. n. 55. & seqq.

A „ vios quosque spoliare? Quam multorum do- „ mus obsignatæ sunt! Quam multa, quæ in „ hospitalibus erant, administris suis militibus „ tradiderunt! Quis eorum improbitatem ex- „ pertus non est? Quis illis obvius non sese „ in foro occultavit? Quis non, relicta do- „ mo, in deserto pernoctavit? Quis, dum sua „ intacta servare curat, non multorum jactu- „ ram fecit? Quis maris imperitus non ma- „ luit adire periculum navigandi, quam mini- „ tantes illos conspicere? Multi sane in discri- „ men ne vocarentur, domicilia permutarunt, B „ & a vico in vicum, ab urbe in suburbia „ transmearunt. Quam multi, eum insidiis „ Arianorum mulcta sibi esset irrogata, cum „ nihil suppeteret, ab aliis mutuari coacti „ sunt, gravioris scilicet jacturæ vitandæ cau- „ sa! „ Nemo scilicet Arianorum manus effugere poterat in calamitatibus infligendis exercitatas. Hæc autem variis acta temporibus acervatim uno loco recenset Athanasius.

Anno 356.

9. Præfectorum itaque & Comitum patro- C cinio freti Ariani omnibus terrori erant, Imperatorisque formidinem opponentes, apud omnes venditabant sese, comminantes illius iram. Virginibus autem Christi implacabile bellum indixerant impuri homines, quia eas impietatem detestari compererant. Quamobrem alias ex ædibus dejecerunt, alias adfecere contumeliis; earumque capita, quæ potissima tunc erat ignominiæ nota, nudari jusserunt a petulanti illa juvenum caterva. Mulieribus quoque suis facultatem dederunt contumelias arbitrio suo cuivis illarum inferendi. Honestæ igitur D ac fideles matronæ, his conspectis, declinabant occursum hujusmodi. Illæ autem quasi bacchæ & furiæ circumcursantes, detrimentum putabant, si quam non offenderent cui inferrent injuriam.

Virgines vexatæ. Athan. ibid. n. 59.

10. Jam ad Athanasium redeamus, a quo nos paulum abduxit illa tanta ab Arianis concitata tempestas. Postquam ergo furori Syriani militumque se proripuisset, hoc unum curavit, ut vitam suam sicariorum manibus ereptam fugæ solitudinique mandaret. Nec tamen in promtu est dicere quo statim loco se recepe- E rit. Nam vulgata illa Palladii de Athanasii secessu historia multis nominibus suspecta nobis est. Apud virginem quamdam, inquit Palladius, speciosissimam, vigintique annos natam ausugit, sticario tantum seu tunica & birro instructus. Obstupuit virgo rei insolentia. Cui Episcopus: Me Ariani nefariis sceleribus accusatum perquirunt: ne ergo in malam incidam famam, neve peccati causa sim iis, qui me volunt supplicio adficere, fuga mihi consulere decrevi; mihique Dominus revelavit hac nocte nonnisi apud te posse me salutem conse- F qui. Illa vero ex animo gaudens, totos sex annos, donec scilicet superstes fuit Imperator Constantius, sanctissimum Episcopum occultavit, pedes abluens, necessaria suppeditans, librosque mutuata legendos ipsi tradens. Accepta porro Constantii morte, solus noctu in ecclesiam concedit, honesto indutus habitu. Mirantibus autem amicis, quod quem virum defunctum putarent, vivum conspicerent, rogantibusque qui sibi fuisset latebrarum locus, respondit Athanasius: Ea de causa ad vos non confugi, cum ut sciscitantibus jurare vobis li-

Quo se proripuit Athanasius.

Pallad. lib. 8. cap. 136.

citum

Anno 352.

citum esset, tum ut nemini suspectum locum nemo mei quærendi causa adiret. Scribit porro Palladius, eam se vidisse virginem septuaginta tum annos natam. Verum in hujusmodi historia nonnulla aperte falsa, reliqua suspecta videntur. Quod narratur enim divinitus præmonitum, vix dato ad vestimenta induenda spatio, aufugisse; toto sexennio delituisse apud virginem; amicos ejus virum per tantumdem temporis pro mortuo habuisse; hæc inquam plane repugnant sexcentis Athanasii & aliorum testimoniis. Unde nec immerito historia isthæc tota ingenti suspicione laborare videtur. Vel si omnino ad virginem profugerit, paucis sane diebus isthic commoratus est; cum ante ipsum Georgii ingressum, ex deserto, ut testatur ipse, litteras quasdam dederit, quæ hodieque supersunt.

Athanasius in deserto litteras ad plebem Alexandrinam mittit. Athan. Fragmento epist. festis fest.

11. In remotiora igitur Ægypti loca concessit; nec umquam tamen ab eo, licet absente, debitum Ecclesiæ suæ officium requisitum est. Accepto namque rerum post discessum suum gestarum nuntio, consolatoriam plebi catholicæ Alexandrinæ epistolam misit; qua deplorabat inflictam calamitatem, cædem, expilationem. Hortabatur ne conciderent animo, sed in Deo spem reponerent res ipsorum prospiciente. Et quia de ablatis Arianorumque cœtui traditis ecclesiis dolebant maxime Catholici: *Illi*, inquit, *loca, vos fidem apostolicam habetis. Illi in locis exsistentes a vera fide sunt foris; vos vero a locis quidem foris estis, sed fides intus est. Discutiamus quid sit majus, locus, an fides? clarum est utique quia vera fides. Quis ergo plus amisit, vel quis plus habet, qui locum tenet, an qui fidem? Bonus quidem locus est quando illic apostolica fides prædicatur; sanctus est, si ibi sanctus habitat.* Exinde vero se didicisse ait, Arianos ecclesiam convertisse in speluncam latronum, in domum negotiationis, & in domum veli. Quid sit autem domus veli, vide in Onomasticon ad vocem Βῆλον. Hanc porro epistolam ex numero earum arbitramur esse, quæ [illegible] seu Festales vocantur, & ab Athanasio dum, inimicorum furorem declinans, in desertis Ægypti & Thebaidos subinde mutans locum versaretur, ad gregem ipsius missæ sunt, ut in cœtu Catholicorum legerentur. Alterius item numero XXXIX. fragmentum exstat Græce, nec non aliud cujusdam epistolæ ex Festalium numero infra commemoratur ex Theodoreto.

Martyrium Eutychii. Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 60.

12. Inter hæc Ariani Alexandriæ ecclesiarum rerumque omnium potiti, nihil semel initam intermittebant Catholicorum vexationem; cædem, vastitatem. Enimvero Scytharum barbarorumque more, Eutychium Subdiaconum, virum probe Ecclesiæ ministrantem, ubi taurinis scuticis dorso ad necem ferme cædi curassent, rogarunt ad metalla transmitti; ad metalla sane omnium asperrima, Phæno appellata, ubi reus vix paucis diebus vitam agere posset. Et quod erat prorsus inhumanum, ac ferini odii indicium, ne paucis quidem horis ejus curari vulnera concesserunt; sed continuo lacerum viæ commiserunt. Tum superbe impii homines hæc effutire: Si ita res agatur, reformidabunt omnes, ac deinceps nostris erunt partibus addicti. At ille non multum progressus, cum ex vulnerum dolore iter ad metalla conficere non posset, inter eundum exstinctus est. Ac lætus quidem ille obiit, martyrii gloriam adeptus. Impii autem homines, qui sensum omnem humanitatis amiserant, atrociora statim admisere scelera. Nam cum supplices populi pro Eutychii salute precarentur; jusserunt illi ut quatuor ex turba probi liberique viri, interque eos Hermias, qui mendicorum pedes abluebat, mox corriperentur, quos gravibus ante plagis concisos Dux conjecit in carcerem. Hos ubi Ariani plagarum vi non interire perspexerunt, efferatis animis in Ducem fremere, expostulare, comminari: Eunuchis, ajebant, renuntiabimus. Ducem non arbitrio nostro verbera infligere. Dux autem non ignarus summam rerum penes eunuchos tunc esse, perterritus homines denuo comprehensos concidi verberibus mandat. Illi vero cum probe nossent quid causæ esset quod ita vapularent, hæc inter verbera effari: *Propter veritatem vapulamus, nec tamen communicamus cum hæreticis. Verbera pro libidine, & a Deo hac de re in judicium vocandus es.* Impii vero Ariani summopere optabant, ut illi in carcere vi vulnerum interirent. Sed Catholica plebs nacta opportunitatem, septem interpositis diebus, impetrarunt probis viris libertatem.

Anno 356.

Ferina Arianorum immanitas.

Eleemosynam erogare Ariani vetant. Athan. ibid. n. 61.

13. Ariani autem, quasi rem indigne ferrent, immane facinus aggrediuntur. Cum enim egenos conspicerent & viduas sedere in assignato sibi loco a Clericis, quibus viduarum cura concredita fuerat; (namque cum Dux Arianis ecclesias tradidisset, interclusus Catholicis erat earum aditus;) cum cernerent item promto & alacri animo viduis victum necessariaque præberi, tum cœperunt calcibus eas impetere, fugare, territare; eos autem qui victum eis erogarent deferebant ad Ducem, ministro usi Dynamio quodam milite. Eratque illud Sebastiano Manichæo pergratum perque jucundum. Apud Manichæos namque nulla commiseratio; perosa sane res ipsis erat pauperem miserari. Insolens itaque accusationis genus, novum tribunal ab illis jam primum excogitatum est. Ob beneficium namque collatum in jus ambulabant homines. Qui beneficium tribuerent, deferebantur; qui reciperent, vapulabant. Neque tamen scelesti Ariani his præclare actis ea nacti sunt, quæ assequi peroptabant: imo vero in gravissimum incurrerunt universorum odium. In spem venerant, terrore, insidiis, periculorum denuntiatione, multos ad hæresim amplectendam abductum iri, atque ita magnam conventibus suis parari frequentiam: verum cessit res contra quam rati erant. Ærumnas enim & vastitatem Catholici fortiter ferebant; ac nedum veritatem proderent & negarent, fortiore in dies animo pericula & calamitates adibant, rati ea sibi martyrii loco esse. Amentes autem Ariani grandem sibi vel apud Gentiles parabant invidiam; qui conspecta barbarorum hominum carnificina, nullis non maledictis, nullis non convitiis scelestos incessebant. Est quippe ab ortu insita hominibus erga pauperes & egenos misericordia.

Presbyteri & Diaconi fugati. Athan. ibid. n. 61.

14. Sub hæc autem in Presbyteros & Diaconos grassatur Ariana rabies; qui Ducum & judicum auctoritate profligati, fuga sibi salutem providere coacti sunt. Tum in affines eorum sævitum est; qui statim pulsi domibus ac sedi-

Anno 356. sedibus suis, fugatique sunt. Si qui vero in Ducis manus inciderent, hi plagis & verberibus ad necem ferme lancinati sunt. Quodque indignissimum juxta ac fœdissimum erat, cum vivorum, tum mortuorum panes petulanter diripiebant. Neque vero audiendi, qui vocem *ἄρτους*, *artus*, non *panes*, verti volunt. Res est sane apertissima, panes hic ab Athanasio, ut & alias similibus in locis, intelligi. Neque exemplo quopiam nititur prior interpretatio.

15. Ea porro erant animi vafritie Ariani & calliditate, ut patrocinii sui pollicitatione ac pecuniarum largitione, multos sibi allicere tentarent; ut quandoquidem non ex æquo & bono in pretio erant, vel hinc saltem apud rudiores aliquam præferrent speciem dignitatis. Si quos autem frugi homines infensos sibi nossent, apud quos nullus ad pecuniam, ad blandimenta, ad munera aditus esset, hos nullis non malis, nullis non calumniis onerabant. Videre erat homines per urbem, perque varia Ægypti loca circumcursare, ut si quos offenderent hujusmodi, flagris, verberibus, exsilio, imo morte, si possent, adficerent. Non illis nocturna invasio, non cædes atque expilatio, non ab Heraclio illata vexatio erant satis; sed levissimum suisque consiliis addictum Constantii animum ad graviora inferenda compellebant, necemque piorum hominum omni arte & studio moliebantur. Nam summæ viri audaciæ, Secundus Pentapolitanus strenuus rei Arianæ propugnator, & Stephanus scelerum socius, gnari se hæreseos gratia & patrocinio nulla non crimina impune admissuros, cum in Barca presbyterum sibi non obsequentem deprehenderent Secundum nomine, ita calcibus virum impetierunt, ut ictuum vi & frequentia interiret. Ille dum necaretur has emisit voces: Nemo me apud judices ulciscatur, ultor aderit Dominus, cujus causa hæc patior. Illi vero nulla ejus miseratione commoti, nulla ducti sanctæ Quadragesimæ, qua hæc agebantur, reverentia, eum calcitrando interemerunt.

Martyrium Secundi. Athan. ibid. n. 65.

15. Hæc porro quæ superius enarrata sunt, ante Georgii ingressum Alexandriam gesta opinamur: tum quod ea ipsa Athanasius post Syriani & Heraclii gesta consequenter enarret in historia Arianorum ad Monachos, antequam ad ingressum Georgii Alexandriam veniat; tum quod in apologia de fuga, inter ea quæ post Georgii adventum gesta commemorat, nihil ex supra recensitis compareat. Et vero ex epistola ejus encyclica ad episcopos Ægypti palam est, jam multa ante Georgii ingressum, Alexandriæ & per totam Ægyptum in catholicæ rei perniciem machinatos fuisse Arianos, imo Episcopos & Presbyteros quamplurimos misisse in exsilium. Nam ad omnia quæ jam admiserant facinora, novum hoc insidiarum genus adjecere: coacti scilicet Ariani formulam fidei edunt ad episcopos Ægypti transmittendam, ab ipsisque subscribendam, denuntiantes exsilium iis qui nollent suffragium dare. Quo comperto Athanasius epistolam misit encyclicam ad universos Ægypti & Libyæ episcopos; in qua, præmissis multis de diaboli versutia, insidiis, machinationibus, de inani hæreticorum sollicitudine ut testimoniis ex Scriptura mutuatis errores suos confirment, ait accepisse se illos multam in eo navare operam, ut episcopos Ægypti & Libyæ cogant suæ sententiæ adstipulari; si abnuant, pellant sedibus; eo scilicet consilio, ut sua confirmata sententia, Nicænam abrogent fidem. Nec mirum, non esse illis Nicænam doctrinam satis, quando ne suis quidem contenti formulis, novas singulis annis edunt, priores oblitterant: quod sane perspicuum sit Arianæ impietatis atque instabilitatis argumentum. Queritur viros ad episcopale munus, tanto gradu indignos, ac ne catholicos quidem, promoveri ab impiis hominibus. Adjectis exinde multis, narrat Arii interitum, ut commonstret Deo invisum fuisse hominem tam insolenti mortis genere sublatum. Meletianos ait cum Arianis non primitus & ab origine consentire, sed cum ante mutuo odio conflagrassent, jam in unum veritatis opprimendæ consilium concurrisse. Utrosque autem ab Ecclesiæ communione jamdiu proscriptos fuisse, Meletianos nempe ut schismaticos ante quinquaginta quinque annos, Arianos vero ut hæreticos ab annis triginta sex, in Alexandrina nempe synodo anno 320. & in Nicæna anno 325. Jam multa molitos & machinatos esse Arianos, ecclesias invasisse, Episcopos misisse in exsilium; sed spem esse sibi, fore ut Imperator, si quando hæc comperiat, eorum consilia disturbet ac prævertat. Hortatur demum fortiter impiis obsistant, nec veritatis causa mortis adire periculum reformident.

Athan. n. 58. & seqq.

n. 6. & seqq.

n. 22.

Ariani formulam fidei edunt.

Epistola Athanasii.

16. Erant ea quæ supra memoravimus mala, præludia ingressus Georgii Alexandriam. Is demum magna militum manu stipatus, qui mos erat Arianorum præsulum, sedem invasit Alexandrinam. Erat Georgius genere Cappadox, Tharbastenites dictus a vico, ut putatur, unde traxit originem, (alii Cilicem dicunt,) homo illiberalis & ineruditus, nulla mentis dote commendatus. Fullonis filium fuisse, ait Ammianus Marcellinus; qui parasiti statim & gnathonis conditionem sectatus, nihil non ventris gulæque causa agere paratus erat. Postmodum autem auctus in damnum complurium, penuariorum exceptor effectus, Constantinopoli suillis carnibus recipiendis ac distribuendis operam dabat; cumque pecunias omnes depeculatus esset, repetundarum reus aufugerat. His vir præclarus gradibus ad Episcopi dignitatem ascendit. Ne quidem Christianum fuisse, quando fuit ad sacerdotale ministerium vocatus, testatur Athanasius. Hujusmodi hominem quærebant Ariani, venalem scilicet, cujus vita omnibus flagitiis inquinata esset, sumtus effusi cum probro atque dedecore, prorupta audacia, tantaque avaritia, ut nihil non ipsi quæstui esset opportunum. Ut talem igitur hominem decebat, adfuit ingredienti militare satellitium, quasi scilicet arcem ille non ecclesiam regendam susciperet. Quadragesimæ tempus erat cum ille advenit. Neque ita multo post, quid ab hujusmodi pastore dominico gregi exspectandum esset palam fuit. Etenim post hebdomadam Paschatis videre erat virgines in carcerem conjici, Episcopos a militibus vinctos abduci, orphanorum viduarumque domos & panes diripi, irruptiones in domos fieri, multa nocte Christianos ædibus deturbari, domicilia obsignari, fratres clericorum pro fratribus periclitari. Hæc quidem atrocia, sed atro-

Anno 356.

Ingressus Georgii Alexandriam. Athan. Ep. ad Episc. Ægypti, & Libyæ n. 7. & Apol. de fuga sua n. 6. & Hist. Arian. ad Monachos n. 75. Greg. Naz. Orat. 21. Ammian. Marcel. l. 22. Sozom. lib. 4. cap. 10.

Athan. de fuga sua n. 6.

Anno 356. Athan. Apol. ad Const. n. 27. Nova in Catholicos irruptio. atrociora deinde consequuta sunt facinora. Nam hebdomade sacram Pentecosten subsequente, cum populus expleto jejunio orandi causa ad coemeterium, vel ut alio loco ait Athanasius, ad desertum locum prope coemeterium egressus esset: (Nam quod omnes a Georgii societate & communione abhorrerent, ecclesias Arianis traditas frequentare nolebant,) re comperta sceleratissimus ille Sebastianum Ducem concitat, auctorque est ut populum infestus adoriatur. Qui nec mora, cum manu militum plus trium millium, armis, strictis gladiis, arcubus & telis instructorum ipsa die dominica in populum irrupit. Tum perstrepere & horrere omnia, tumultu, clamore, plagis, gemitu dolentium, quod solet in hujusmodi incursionibus evenire. Commodum tamen accidit, ut cum adveniente hora turba populi digressa domum se recepisset, pauci eo in loco residui essent, qui nullis non malis contumeliisque sunt adfecti. Non mulieres, non parvuli intacti fuere; qui tamen mali nihil admiserant, precibusque vacabant. Exinde vero in virgines saevitum est. Accenso quippe rogo, admotas igni Dux compellebat ad Arianam fidem amplectendam. Ubi autem eas vim tormenti superare ignemque nihil curare animadvertit, nudas tot plagis in vultum impactis dehonestavit, ut per aliquantum temporis spatium ne a familiaribus quidem internosci possent. Dum autem illae inter verbera Christi Domini auxilium implorant, dentibus illi stridere ceu laesi & injuria adfecti. Viros quadraginta comprehensos, Dux insolenti ac immani supplicii
Athan. de fuga sua n. 7. genere mulctavit. Nam virgis palmarum recens amputatis, quibus adhuc aculei haerebant, sic eorum terga laceravit, ut nonnulli ob infixos aculeos medicorum subinde manu opus haberent, imo quidam vim plagarum non ferentes interirent. Reliquos autem omnes apprehensos una cum virginibus in magnam Oasin deportari curarunt.

17. Corpora porro eorum, qui vi plagarum exstincti sunt, non continuo ad funeris justa solvenda tradiderunt; sed ipsa abjecerunt insepulta, canibusque discerpenda, donec cum ingenii periculo cognati suorum corpora clam subducerent; qui haud sine magno labore curarunt, ut ne cuipiam res nota esset. Ariani hisce efferati animi indiciis summae sibi crudelitatis famam conciliarunt, ut nemo non eos quasi facinorosos & exsecrandos ubique traduceret. Hac de re porro consolatoriam epistolam misit Athanasius, cujus fragmentum adfert Theodoretus. „ Horum, inquit, causa nemo „ vestrum dolore crucietur, licet impii sepulturam invideant, & funeralia prohibeant. „ Eo enim usque progressa est Arianorum impietas. Portas occludunt, ad sepulcra sedent „ quasi daemones, ne quis defunctus eo inferatur. „ Ad virgines missam epistolam ait Theodoretus. Viros tamen una cum virginibus alloqui videtur Athanasius, cum ait, ἐ θεσπομένους ὑμῖν κλονῶν. Unde conjectare liceat ad coetum Catholicorum missam epistolam fuisse, & aliquam esse ex iis quae ἰσρατευκαὶ sive in coetu Christianorum legendae dicuntur.

Consolatoria Athanasii epistola. Theodoret. Fragment. ad calcem operum Athan.

Athan. Apol. ad Constant n. 11. 18. In sacras autem virgines haec etiam gesta fuisse commemorat Athanasius. Admirandi, inquit, Ariani, judicibus ipsis sibi hac in re ministrantibus obtemperantibusque, nudatas virgines in Hermetariis, ut vocant, suspendi jusserunt, & sic illarum latera ternis usque vicibus lancinarunt, ut ne viri quidem scelestissimi talia umquam sint experti. Sed jam ad ista omnia Ariani obduruerant, & humanitatem omnem amiserant.

Ecclesiae jussu Constantii Arianis traduntur. Athan. ibid. n. 27. & Apol. de fuga sua n. 7. & Hist. Arian. ad Monachos n. 72. 19. Eo ipso tempore edicto mandavit Constantius, ut omnes Episcopi catholici Aegypti & Libyae sedibus pellerentur, ecclesiaeque traderentur Arianis. Qua data jussione, confestim una omnes Episcopi vexati, profligati, pulsi, vel ad simulandam cum Arianis communionem coacti sunt. Ad nonaginta numero erant qui cum Athanasio communionem & societatem colerent, in quos omnes Arianus furor grassatus est. Nam misit Sebastianus Dux litteras ad omnes ubique locorum Praepositos militaresque Tribunos; quorum opera veri ac probi Episcopi exacti; ii vero, qui impie sentirent, in eorum sedes intrusi sunt. Grandaevos igitur Episcopos, qui ab Alexandro ordinati in Sacerdotio consenuerant, in exsilium deportari curarunt, Ammonium scilicet, Hermem, Anagamphum & Marcum in superiorem Oasin; Muim, Psenosirim, Nilammonem, Plenem, Marcum & Athenodorum in Ammoniacam, non alia mente, quam ut per deserta loca peragrantes interirent. Nam ne infirmos quidem miserati, dum aegre illi conficerent iter, compellere tamen illi, urgere; & si qui non possent incedere, ne puncto quidem temporis intermissa via sellis deferebantur. Tam ardui itineris laborem non ferens unus e turma Praesul, cujus tacetur nomen, exstinctus est. Illius cadaver suis asportandum non concesserunt. Tam feroci nimirum erant animo, ut ne morte quidem adversariorum mitigari possent. Eadem de causa Dracontium episcopum ad deserta loca circa Clysma in Arabia relegarunt: Philonem, Babylonem, Adelphium in Psinabla Thebaidis, Hieracem & Dioscorum presbyteros Syenem exsules miserunt. Alios ad fugam capessendam compulerunt, nempe Ammonium, Agathum, Agathodaemonem, Apollonium, Eulogium, Apollon, Paphnutium, Gajum & Flavium antiquos episcopos: Dioscorum, Ammonium, Heraclidem & Psaim item episcopos profligarunt; quorum alios ad lapicidinas, rem prorsus indignam, abduxerunt, alios ad necem insequuti sunt, aliorum multorum facultates diripuerunt. Demum ad triginta numero, ut fertur apud Athanasium, vexati & in fugam versi sunt, praeter exsules, qui ad sedecim erant. Eratque miserabile spectaculum, episcopos vinculis constringi, Presbyteros & Monachos ferreis catenis ligari, ad necemque laniatos mitti in exsilium. Tum mixta ubique omnia, atque in periculo versabatur Aegyptus tota. Dum enim populi edictum hujusmodi perindigne ferrent, viderentque bona sua & fortunas devastari & in Arianam rem converti, in motuum seditionumque discrimen respublica vocabatur.

Episcopi vexati & pulsi.

Monasteria eversa. Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 70. 72. 20. Tum Monachi cum primis Arianorum furorem experti sunt. Enimvero non erat improbis hominibus satis quod Monasteria everterent & solo aequarent; sed etiam Monachos in ignem conjicere, vivosque concremare conabantur. Dum Catholicorum domos devastarent, deposita etiam ab Athanasio in honesto-

Anno 356. Lucifer pro Athanasio 2.

rum civium ædibus collocata irrumpentes abstulerunt. Interea tamen clerus plebsque catholica tot ærumnis tot calamitatibus adflicti, de constantia ac de veræ fidei studio nihil intermittebant. Duo certe tantum presbyteri, Machetes & Didymus, vexationis declinandæ causa ad Arianorum se partes proripuere. Nec defuere inter episcopos Ægypti, qui fracti terrore atque impendentium periculorum metu ad Arianos deficerent; inter quos annumeratur Theodorus Oxyrinchi, qui postquam inter Arianos computatus est, denuo ordinatus ab Georgio fuit.

Marcellin. & Faustin. in libello.

Qui fuerint Episcopi ab Arianis constituti. Athan. ibid. n. 73. 78.

21. Periniqua perque indigna res populis visa fuit, cum tot tamque gravibus ac grandævis Episcopis profligatis, Ethnici nondum initiati, catechumeni, senatores, juniores petulantesque homines, idololatræ, bigami, magnisque criminibus obnoxii viri ad eorum implendas vices delecti sunt, postquam ab Arianis Christianam fidem didicissent. qui Ariani ad suos quæstus Ecclesiæ dignitatibus abusi, venalia cuncta proponebant. Hoc sane cæteris eorum sceleribus velut cumulus accessit. Non quærebatur ex Apostolico præcepto, inculpatusne quis ac integris moribus esset; sed qui plus auri penderet, is episcopus renuntiabatur. Nihil curabant impii quod vel gentilis esset qui accederet, aurum modo daret. Hinc populis gravior emersit calamitas: cum enim mercenarios illos alienosque sibi viros aversarentur, tunc verberati, proscripti, carcerique a Duce mancipati sunt. Quod ille, utpote Manichæus & Catholicis infensus, libenter exsequebatur. Qui porro ejusmodi episcopos ordinarent, Meletiani erant: qui plerique omnes non religiosa institutione educati, non sanam fidem, non quid christianismus, non quibus Christiani scripturis uterentur noverant. Nam quidam eorum ex gentilitate, alii ex senatu & ex supremis magistratibus ad Christianos accesserant, ut miseram immunitatem ac patrocinium nanciscerentur; antiquioribusque Meletianis pecunia corruptis, ad eam pervenere dignitatem, priusquam catechumeni essent. At etiamsi fuissent, qualis, quæso, institutio apud Meletianos? Nullatenus ergo instituti derepente accedunt, statimque accepto quasi infantes nomine, episcopi sunt appellati: ignari sane homines quid esset pietatem inter & impietatem discriminis. Hi igitur jubente Imperatore ne minimum quidem cunctati, ex Meletianis Ariani sunt effecti, parati certe ad quemvis Constantii nutum religionem mutare. Næ illi, cum ita moribus & cultu versatiles essent, rati Ecclesiam civilem esse senatum, cum adhuc idolorum impietatem utpote Ethnici saperent, usurpato tamen præclaro Christi nomine, Ariana peste totam infecerunt Ægyptum; Ægyptum scilicet, in qua sola Orientis regione libera hactenus ubique fuerat sanæ fidei prædicatio.

Athan. Apolog. ad Constant. n. 10.

Athan Hist. Arian. ad Monachos n. 67. 68.

De violatis Ecclesiæ sacerdotibus gravissime conqueritur Athanasius: tantæque auctorem calamitatis Sauli & Achabo, Pharaoni cæterisque hujusmodi tyrannis comparat. Imo Achabum in ea re Constantio anteferendum, quod viso Helia pœnitens pertæsusque sceleris aliquando fuerit: verum Constantius in malis inferendis exercitatus, calamitatibus calamitates adjiciebat, atque pulsis graviores ærumnas parabat, ἀθάνατον κακὸν γεγόμενος εἰς αὐτοὺς, ait Athanasius, alludens ad Homeri carmen de Scylla:

Anno 356. ibid. n. 68.

Ἡ δέ τοι ὁ θνητὴ, ἀλλ' ἀθάνατον κακὸν ἐςι.

Non mirum autem, subsequitur ille, si ita in Episcopos sæviat, qui ne cognatis quidem suis pepercit. Patruos enim occidit, patrueles sustulit, socerum cognatosque nihil miseratus est. Omnibus perjurus: erga fratrem, cujus sepulcrum excitare se simulat, impius & inhumanus: nam desponsam ejus Olympiadem barbaris tradidit, quam ille ad obitum usque apud se servavit, educavitque quasi propriam sibi uxorem. Eam Constantius scilicet Arsaci Armeniæ regi locavit conjugem, neque multo elapso tempore post Constantis mortem.

Pia populi Christiani studia. Athan. Hist. Arian. ad Monachos n. 79.

22. Inter innumeras istiusmodi calamitates, verbera, exsilia, cædes, eminebat Christiani populi alacritas ad martyrium subeundum, graviorique in impiam hæresim odio conflagrabant Catholici. Hinc luctus, lacrymæ, gemitus, universis uno ore ad Dominum clamantibus: *Parce, Domine, populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium inimicis tuis: sed festina ut eripias nos de manu iniquorum. Nam famulis ecce tuis non pepercerunt, sed viam præmuniunt Antichristo.*

Oxyrinchi status. Marcellin. & Faustin. in libello.

23. Sensit sancta Oxyrinchi civitas hæreticorum furorem. Erat ea urbs perampla & populosissima, in qua tum uno tempore viginti millia virginum, & monachi ad decem millia degebant. Ejus, uti diximus, episcopus Theodorus, cum ad Arianas partes descivisset, denuo ordinatus a Georgio fuit. Quam rem indigne ferentes populi, ab ejus communione recesserunt, quemadmodum & monachi; quorum tum antesignanus erat Paulus quidam, vir sanctitate conspicuus. Ecclesiam vero deinde interposito quodam temporis spatio regebant presbyteri & diaconi. Si Faustino & Marcellino sit fides, in Theodori locum cooptatus est Heraclides, qui postea ad Luciferianos defecit. Erat item, ut in aliis permultis Ægypti ecclesiis, episcopus quidam Oxyrinchi Meletianus, nomine Apollonius, qui Seleuciensi postea synodo interfuit. Ita tres in partes distracta tum erat civitas. Tantam scilicet hæreticorum furor Constantiique levitas reipublicæ christianæ intulerant perturbationem atque perniciem.

Athanasius Apologiam ad Constantium edit. Athan. Apol. ad Constantium.

24. Inter hæc Athanasius in secretioribus eremi locis per summa corporis incommoda delitescebat, ac cum feris, ut ipse ait, latendi causa versabatur. Cum autem Constantii Imperatoris animum non probe perspectum haberet, ratus imprudente illo tanta admitti facinora, orationem in ejus conspectu ad propulsanda crimina habendam adornabat. Et primo quidem ille Imperatorem, utpote Christianum ac religiosum, cum fiducia se adire significabat. Statimque a principio ex visceribus causæ orsus, grande se ait adserre in sycophantas argumentum, quia scilicet Ursacius & Valens, qui a multis retro annis ficta sibi crimina obtulerant, libellum postea pœnitentiæ dedissent, quo se mentitos esse & calumnias protulisse aperte faterentur. Magnam hujusmodi argumento accessionem esse, quod se absente, arbitratu suo ipsi rem gessissent; cujusmodi acta non valere nemini compertum non esset. Ex hisce palam esse, nullam fidem men-

Anno 356.

mendacibus habendam, si quas post hæc criminationes offerrent. Et primo quidem quod jactitabant illi, Athanasium Constanti Augusto in malam partem de Constantio fratre verba fecisse, id nedum veri simile esset, ne fieri quidem potuisse, quando numquam ille Constantem solum solus esset alloquutus, sed semper comitibus permultis, qui gestæ rei testimonium ferre possent. Rogat ut ne patiatur istam manere suspicionem, sed reminiscatur se ipsum Augustum Constantium ter convenisse, ac inter alloquendum ne verbum quidem fecisse contra Eusebium & socios tantarum sibi calamitatum auctores. Quod si ne illos quidem accusaverit, quos criminandi causa aderat, qua ductus insania Imperatorem apud Imperatorem accusasset, fratremque concitasset in fratrem? Aliam exinde adversariorum calumniam depellere aggreditur. Ajebant enim, eum litteras gratiæ conciliandæ causa misisse ad Magnentium, cujus exemplar in suas incidisse manus jactitabant. Gemit quidem Athanasius sibi tam atrocis rei vel suspicionem fuisse injectam, cum ignotus plane sibi fuerit parricida Magnentius, qui Constanti sibi patrono aliisque permultis de se bene meritis necem intulerit. Sibi multum ab hujusmodi viro amicorum Constantis interfectore pertimescendum fuisse, cum nemini ipse hac in parte secundus esset. Aliis vero permultis ad eam levandam suspicionem allatis, ad tertiam criminationem progreditur. In crimen quippe vertebant, quod in magna ecclesia, nondum absoluto ædificio, nec exspectato Constantii jussu, synaxin habuisset. Ille vero non negat quidem factum, verum ait se non dedicationem ecclesiæ celebrasse, quod injussu Constantii nefas fuisset, sed cum ob ingentem populi frequentiam non possent Catholici omnes in aliis ecclesiis absque periculosa compressione convenire, rogantibus, imo obmurmurantibus populis, ac in desertum locum angustiæ vitandæ causa proficisci parantibus, compulsum se fuisse eorum optatui gerere morem, atque in ecclesia in Cæsareo dicta conventum habere, quam rem & ex aliorum usu, & ex recta ratione licitam esse commonstrat. Quartam exinde criminationem ut propulset Athanasius, qua mentiebantur eum Imperatori, jubenti ut se adiret, non obtemperasse: negat litteris Constantium suis Athanasio jussisse ut se conveniret, sed quasi rogatum concessisse facultatem se adeundi, quam tamen ipse numquam postulasset; hincque palam esse, eas litteras ex adversariorum suorum conspiratione fuisse datas. Deinde vero cætera S. Præsul prosequitur quæ nos superius enarravimus. Hac postrema confutata criminatione apologiam clauserat Athanasius, ejusque coram Imperatore recitandæ gratia ad eum properabat. At iter ingressus, rumore vulgi edidicit quas sui causa Occidentis episcopis Constantius intulisset calamitates. Quo comperto, cum obstupesceret Athanasius ac secum hæsitaret, altera ecce fama vagatur, ecclesias Ægypti Arianis traditas, Episcopos pulsos, viros Christianos, virginesque ad necem lancinatos, Ethnicos in episcoporum sedes intrusos fuisse. Hæc quamvis accepisset Athanasius, pergebat tamen ad Imperatorem, ratus imprudente illo ista peragi; cum tertium ecce nuntium accipit, epistolam a Constantio missam Alexandrinis fuisse, qua Athanasium scelestum, nefarium, omni supplicio dignum significaret, Georgium vero præstantissimum virum in rebus ecclesiasticis exercitatissimum. Epistolam item datam ad tyrannos Auxumenos Æzanam & Sazanam, qua jubebat ut Frumentium Auxumeos episcopum transmitterent Alexandriam, ut a Georgio veram fidem sanamque religionem edisceret. Hæ profecto litteræ, quas ad verbum refert Athanasius, animum præferunt maledicorum criminationibus vehementer exasperatum. His acceptis Athanasius intellexit quanto in discrimine versaretur. Cumque omnes aditus arduos seu potius interclusos videret, in eremum pedem retulit, atque apologiæ suæ ea quæ posterius enarravimus adjecit, ubi & legitimam sibi adfuisse fugæ causam, nec se officio suo defuisse commonstrat. De virginum in Ecclesia dignitate & sanctimonia multa commemorat, & quantum sit criminis Christi sponsas a Christianis tam indigne exceptas, quas ipsi Gentiles summo honori & admirationi haberent. Cæterum Constantius ea feritate erat, ut juberet aut adduci Athanasium, aut adferri caput ejus, magna promissa ei qui id ageret mercede.

Ut Constantium adeat iter ingreditur.

Remigrat in solitudinem.

Theod. lib. 2. cap. 14.

25. Interea Georgius fretus Constantii gratia, cum sine injuria potestatem levem atque inopem arbitraretur, exactoris ac tyranni magis quam episcopi munus agebat, vimque toti civitati ac populo inferebat, ut etiam civibus erepta paterna bona in rem suam converteret. Ad hæc nitrum sibi omnem adtribuit, cujus magna vis quotannis colligebatur ad lacum Mariam, atque una papyri calamique paludes, necnon salinaria stagna. Imo tam sordida avaritia laborabat, ut quantumvis vilissimæ res essent ipsi quæstui opportunæ. Nulla turpitudo, nulla infamia hujus umquam cupiditatem retardabat. Nam inter cætera, lecticarum ad efferenda mortuorum corpora certum numerum assignavit; nec cuiquam, præter eos, quos ipse constituisset, mortuorum maximeque peregrinorum corpora efferre licitum erat. Quod non ille hospitalitatis amore, sed lucri pecuniæque causa faciebat. Nemo impune & citra periculum corpus humabat, quia ex singulis cadaveribus nonnihil ipsi quæstus obveniret. Si quis autem sibi indigna molienti obsisteret, eum quamprimum ad Constantium deferebat, professionis suæ oblitus, ait Ammianus Marcellinus, quæ nihil nisi justum suadet & lene. Memoratur a Juliano Apostata quidam Zeno medicus, Georgii opera in exsilium pulsus: qui postea revocatus, ac cum honore restitutus ab eodem Juliano fuit. „ Et inter cætera „ (hæc Ammianus) dicebatur id quoque maligne docuisse Constantium, quod in urbe „ prædicta, ædificia cuncta solo cohærentia, a „ conditore Alexandro magnitudine publicarum impensarum exstructa, emolumentis ærarii proficere debent ex jure. „ Non cogitabat scilicet homo pecuniæ semper quam officii cupidior, quam turpia illa, quam aliena a pastoris munere. Non secum reputabat in civitate versari se, quæ sunpte motu, & ubi causæ non suppeterent, seditionibus crebris agitabatur. Quæ sane inconsiderantia virum tandem conjecit in perniciem.

Georgii avaritia & immanitas. Rufin. lib. 1. cap. 33. Greg. Naz. Orat. 21. Ammian. Marcellin. l. 22.

Julian. Epist. 43.

26. Cum itaque his de causis in Catholicorum

Anno 356. Georgius a plebe pulsus in eodem restituitur. Athan. de Synodis n. 37. Sozom. l. 4. cap. 10.

corum juxta & Gentilium odium incurrisset, concitata plebs, ardensque furore, eum in ecclesia agentem adorta est, parumque abfuit quin hominem trucidaret. Vix itaque elapsus, ad Imperatorem profugus adiit. Hinc autem data Athanasianis occasione, ecclesias ipsi, exactis Arianis, denuo obtinuerunt; quibus tamen non diu licitum fuit conventus in illis celebrare. Alexandriam enim concedens Dux Ægypti, Catholicis ereptas iterum tradit Arianis. Post hæc missus ab Imperatore Notarius, qui de seditiosis pœnas exposceret, multos Alexandrinorum excruciandos verberibusque cædendos tradidit. Pulsum Georgium memorat cum Sozomeno Athanasius in libro de Synodis. Neque ita multo post ipse Georgius regressus Alexandriam, memor ejus quo perfunctus erat periculi, ardens vindictæ cupiditate, multo plura quam ante mala infert populis. Quibus ipsi calamitatibus magis magisque ad iram accensi, hominem ceu pestem quamdam perosum & exsecrabilem habuere. Præterea perfidiæ & arrogantiæ incusabatur a Monachis, quorum ingens tunc erat per Ægyptum numerus. Hoc autem genus hominum multitudini erat pietatis virtutisque causa acceptissimum. Ut autem narrat Gregorius Nazianzenus, & inferius dicitur in colloquiis Joviani, non in Ægypto dumtaxat, sed & in Syria & per totum Orientem, parem quoad facultas fuit intulit vastitatem. „ Exque proceribus, ait Gregorius, „ eos sibi pecunia conciliabat, qui auri amo„ rem Christi amori anteferrent; ac potissi„ mum muliebres homines, (id est, eunu„ chos) inter viros minime viros, sexu qui„ dem dubios, impietate autem perspicuos: „ quibus cum feminarum cura committatur, „ haud scio qui fiat ut eos Romani Impera„ tores virorum officiis muneribusque præfi„ ciant. Tantum valuit ille diaboli admini„ ster, ille sator zizaniorum, ille Antichristi „ præcursor, qui tum Episcopo quodam ea „ tempestate omnium disertissimo linguæ vice „ utebatur (si cui tamen disertum eum ap„ pellare lubeat, qui non tam impius secta„ rius fuerit, quam inimicus & contentionis „ studio flagrans: nomen ejus consulto præter„ ibo:) ipse manus sibi officium apud suæ „ factionis turbam retinuit, qui veritatem au„ ro evertere conabatur. quod quidem ad pios „ usus corrogatum, impietatis instrumentum „ improbis curantibus evasit. „ Quis autem esset Episcopus ille, quo vice linguæ uteretur Georgius, haud facile dictu est. Augurantur nonnulli Acacium fuisse Cæsariensem. Sed qui potuit, tanto intercedente inter utrumque spatio, ejus hac in re ministerio uti? Annon potius Meletianum quempiam Arianumve episcopum hic subindicari putandum? Res esto penes eruditi lectoris arbitrium.

27. Georgium porro Alexandriæ sedentem convenit Aetius, τὰ ἄθεα nomine infamatus apud sui ævi & sequentium temporum homines. Si Epiphanio creditur, a Georgio Aetius diaconi gradum accepit; verum alii a Leontio dicunt. Aetii vero adeundi causa Alexandriam item concessit Eunomius ejus discipulus æmulusque impietatis. Cujusmodi homines Georgius amice comiterque excipiebat, dum Catholicis piisque viris asperrimum bellum indiceret.

Anno 357. Episcopi quidam alii ærumno fracti cedunt, alii manent invicti.

1. Inter hæc, ex Episcoporum numero, qui veræ fidei & Athanasii causa exsulabant, alii invicto semper animo ærumnas, solitudinem, inediamque ferebant; alii vero diuturnitate calamitatum fracti cessere demum, atque ad simulandam cum Arianis concordiam deducti sunt. Eminuit quidem Eusebii Vercellensis fortitudo animique firmitas: qui Scythopolin relegatus, principio quidem blande perhumaniterque exceptus fuit, a Patrophilo autem deinceps & ab Arianis, nullis non malis & contumeliis est adfectus. Quæ quidem minutatim enarrare prolixius esset, quam instituti nostri ratio ferat. Adeatur Ferrerius, qui rem suse describit. Scythopoli postea in Cappadociam, inde in Ægyptum deportatus, Synodo demum Alexandrinæ anni 362. interfuit, ut narramus inferius. Emicabat item inter confessores lumen Galliæ Hilarius episcopus Pictaviensis de cujus vita, certaminibus, operibusque suse nostri in postrema Hilarii operum editione.

Joan. Stephan. Ferrerius de vita S. Eusebii Vercell.

Liberii reditum Romanæ senatoriæ impetrant.

2. Verum inter ea firmitatis & constantiæ exempla, quibus Christiani quique ad veram fidem tuendam & propugnandam concitabantur, summus ex Liberii Hosiique lapsu mœror piis hominibus coortus est. Nam ad Liberium quod spectat, dum Berœæ ille versaretur, Romam Constantius venit, atque triumphantis more urbem ingressus est 28. Aprilis anno 357. Tum matronæ Romanæ honorabiliores & senatoriæ, detrectantibus officium viris, Constantium supplices adeunt, reditumque Liberii præsulis sui obnixe postulant. Ille respondet adesse Felicem urbis episcopum, virum tanto munere dignum. Cui illæ, invisum omnibus Felicem esse, nec umquam se posse eo deduci, ut cum ejusmodi viro societatis vel communionis quippiam habeant. Constantius autem ut rem pergratam Romanis efficeret, jubet revocari Liberium, & una cum Felice ecclesiam moderari. Qua conditione cum risu excepta, & contra clamante populo, unus Deus, unus Christus, unus Episcopus, postulatum ille plebi concessit. Ut autem habet Sozomenus, nonnisi re cum Episcopis deliberata evocandum statuit Liberium, & quidem ea lege & conditione, ut Orientalium ante sententiam amplexaretur. Cui non statim fuit Romam commigrandi facultas, ut infra narramus.

Blasphema fidei formula Sirmii edita.

3. Hoc anno Sirmii coacti Arianæ factionis præsules eam edidere fidei formulam, quæ septima numero recensetur ab Athanasio, tanta refertam impietate, ut blasphemiæ nomine insignita fuerit. Nam in lib. de Synodis apud Hilarium hæc inscriptio legitur: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Hosium & Potamium conscriptæ*. Sed ut conjectare licitum est, dolo Arianorum Hosius hic præmittitur, quo major formulæ auctoritas tam præclari viri nomine accederet; quia scilicet Hosius, uti mox narrabitur, eidem formulæ vi & plagarum dolore compulsus, suffragium adscripsit. In ea tacetur nomen substantiæ & consubstantialis, Filius minor Patre prædicatur, honore, dignitate, claritate, majestate, Patrique subditus. Dicitur Pater solus initio carere, immortalis, invisibilis, impatibilis esse. Quamobrem jure ab Hilario hæc fidei professio, blasphemia & hæresis Sirmiana nuncupatur. Potamius vero illius, ut vulgo existimatur, artifex, Ulyssi-

Anno 357.

Ulyssiponensis episcopus, qui olim Catholicæ fidei strenuus vindex fuerat, Imperatoris gratiæ aucupandæ causa illam prodidit, Arianisque sese societate junxit. In cujus prævaricationis præmium fundo fiscali, cui cupiditatis oculos adjecerat, donatus est. Quo factum, ut Hosius Potamium ut impium & hæreticum traduceret ubique. Neque bonis tanta impietate partis frui Potamio licuit. Dum enim fundi recipiendi causa properat, divina percussus ultione, ulcere linguam corrodente, necdum conspecto prædio, diem obiit extremum.

Hosii lapsus.

4. Tot prostratis subornatisque veritatis vindicibus Constantius, ad Hosium a pristino consilio deturbandum semper inteotus, senem anno integro Sirmii patria extorrem detinuit. Non ille viri canitiem, non dignitatem, neque paternum ergam Hosium amorem est reveritus vir inhumanus; sed majorem ceotenario, non exsilio tantum, sed contumeliis, verberibus, plagis adficere est ausus. In cognatos autem ejus crimina fingunt Ariani, strenui calumniarum artifices, ut suis suorumque malis jam senio confectus homo frangeretur, ad suasque partes deficeret. Quibus tandem calamitatibus oppressus Hosius eo adductus est, ut cum Ursacio & Valente iniret communionis societatem, Sirmiensi fidei subscriberet, nec tamen umquam calculum ferret in Athanasium, quod peroptabant Ariani. De cujus lapsu a multis hoc sæculo disputatum est. Sunt qui dicant, virum id ætatis noo sat mentis compotem tum fuisse, sed calamitate & senio debilitatum ad Imperatoris cooditiones venisse. Ait porro Athanasius, Hosium instante morte vim sibi illatam quasi testamento declarasse, Arianam hæresim feriisse anathemate, vetuisseque ne quis illam reciperet. Non desunt tamen qui de Hosii pœnitentia controversias moveant. Nos a re multum implicata consulto brevitatis causa abstinemus. Adeantur ii quibus rei fusius tractandæ otium fuit.

Liberii lapsus.

5. Hosii prævaricationem haud ita multo post subsequutus est Liberii lapsus: qui cum priorem vexationis tempestatem fortiter tulisset, fractus demum diuturnitate ac tædio exsilii, minis Arianorum, suis suorumque ærumnis, remotione familiarium, æmuli item sui felicitate stomachatus, jam ad simulandum declinabat, cum accedens Fortunatianus Aquilejensis dubium Liberii animum, ad ineundam cum Arianis societatem & denegandam Athanasio communionem deduxit. Moxque ille a Demophilo Berœensi oblatam Sirmieosem fidem, sive potius perfidiam, suffragio suo munivit, pollicitus nullam se cum Athanasio societatem communionemve admissurum. Exinde litteras dat ad Constantium mittendas, cui testatur se jam dicto audientem esse, damnare Athanasium, precari legatis suis, sibi, aliis exsulibus Episcopis remigrandi ab exsilio facultatem. Nec tamen ille tantis animi emolliti significationibus postulatum statim est assequutus. Quare diuturnioris moræ impatiens, litteras Orientalibus Episcopis rescripsit, itemque Ursacio, Valenti ac Germinio Arianorum in Occidente antesignanis: cum probro atque dedecore fractum abjectumque sese indicans, damnatoque Athanasio, supplex postulans eis amicitia & communione adjungi. Usque eo plus apud illum potuit amor patriæ & sedis recuperandæ libido, quam officii ac præteritæ laudis & existimationis recordatio. Ursacio autem & sociis pro Liberio Imperatorem rogantibus, demum ipsi in ecclesiam revertendi copia facta est.

Anno 358. Athanasius apologiam de fuga edit.

1. Ioter hæc Athanasius in secretioribus Ægypti locis degens, monachorumque tantum cœtus frequentans, comperit Leontium Antiochenum, Narcissum Neroniadis, Georgium Laodicenum, cæterosque Arianos probra & convitia multa spargere in fugam ipsius, ac timiditatis ipsum accusare, quod formidina mortis perculsus se proripuisset. Quorum ille maledicta ut propulsaret, elegantem edidit apologiam; ubi salse ab exordio irridet hominum amentiam, qui eo consilio, ea spe sibi fugam formidinemque exprobrarent, ut pudore ejusmodi convitii, ultro ipsis occurreret. Narrat vero quantis eos malis adfecerint, quos secum non consentire deprehendissent, Liberium scilicet, Hosium, aliosque permultos. Contendit per euangelicam regulam cuique licere capiti & saluti suæ prospicere. Exemplum adfert veterum Patrum, Prophetarum, Apostolorum, imo ipsius Christi, qui non solum docuit esse persequutionis tempore fugiendum ab alia in aliam civitatem, sed & ipse ad necem conquisitus, haud semel se proripuit insidiantibus. Demum apologiam claudens enarrat quo pacto obsessa a Syriano Duce ecclesia, in qua ille tum versabatur, porteoti ac prodigii simile fuerit quod Deo opitulante tantum declinaret periculum.

Epistolam item & historiam ad Monachos.

2. A Monachis autem frequenter rogatus Athanasius ut rerum sibi ab Arianis gestarum Ecclesiæque historiam transmitteret, necnon Arianorum dogmatum confutationem, eorum ille optatis obsequutus, Arianismi ad illud usque tempus historiam scripto mandavit, unde nos eorum quæ hactenus enarrata sunt maximam partem hausimus. Misit item librum, quo paucis impugnabat hæreseos Arianæ commenta. Et rogabat, qua erat animi temperantia, ut postquam legissent opusculum, sibi remittereot, nec cuipiam legendum commodarent. Non enim, inquit, tutum est nostrum balbutieotium & indoctorum litteras ad posteros pervenire. Eam vero Arianismi confutationem penitus interiisse arbitramur. Diversa enim prorsus erat ab orationibus contra Arianos & ab epistola secunda ad Serapionem, ut pluribus alibi commonstratur.

Epistolam ad Serapionem de morte Arii. Vide ibid.

3. Neque ita oiulto post accidit, ut cum Serapion & alii quidam disputationem inissent, ibi cootroversiæ finem facerent, an Ecclesiæ communione junctus obiisset Arius, quæ res in proximo congressu vertenda erat. Interpositis ad quæstionem diebus, Athanasium Serapion rogavit, Arianorum historiam & Arianismi confutationem mitteret sibi, ac una percootatus est, quæ ratio mortis Arii, quid ea de re ipse comperisset. Duo quidem postulata libeoter exsequitur Athanasius, transmissis iis quæ ad Monachos ante conscripsisset. Tertium vero ægre se atque ingrato animo concedere fatetur, veritus ne mortuo insultare ac in pernicie hominis enarranda gestire videatur. Vetat similiter ullum libelli contra Arianos apographum edi. Tutum non est, inquit, imperiti scripta edere; ne si quid per imbecillitatem obscuritatemque sermonis minus perfecte

Anno 358.

dictum sit, noxam id lectoribus adferat. Quæ animi temperantia elucet item in toto operum ejus decursu.

Libros contra Arianos.

4. Idem circiter tempus, ut putamus, quatuor edidit libros contra Arianos, famosos quidem illos & nullis non sæculis postea celebratos; ex quibus ceu fontibus argumenta deinceps mutuati sunt quotquot pro divinitate Verbi asserenda scripserunt. Non uno quidem & eodem tempore illos evulgavit; sed ubi priorem ediderat, gnarus Arianos contra insurgere, & adversus veritatem eo libro vindicatam dimicare, alterum edidit. Nec quiescentibus Arianis, tertium & postea quartum exaravit. Libros autem hujusmodi amicorum nescio cui mittit. Et fortassis quia innuit se eadem scripta viro nuncupare, qui controversiis adversus Arianos operam dare solitus erat, hinc suspicio oriatur esse Serapionem Thmuitanum, qui multus erat in confutandis coarguendisque Arianis, & subinde controversias coram inibat.

Athan. Orat. I. contra Arian. n. 22.

In prima vero ait Athanasius, Arianos circumcirca concursare solitos pueris in foro occurrere, atque ut argutiis a fide dimoverent interrogare: Qui est, eum-ne qui nondum esset fecit ex nihilo, an qui jam esset? Et rursus, Unum ne est *ἀγέννητον* an duo? Num Filius libero præditus est arbitrio, propriaque voluntate non mutatur, cum naturæ sit mutabilis? Non enim instar lapidis immobilis est. Mulierculas itidem sciscitatos esse: Num filium, ajebant, habuisti priusquam pareres? Atqui quemadmodum non prius babuisti, ita nec Dei Filius fuit antequam nasceretur. Hæc Arianorum sophismata invictus Verbi defensor, nec sine Arianorum convitio confutat, & vanissima ostendit.

Epistolas ad Serapionem de Spiritu sancto.

5. In deserto item, cum ardentibus instantibusque adversariis suis ad necem ubique locorum perquireretur, quatuor illas ad Serapionem epistolas etiamnum superstites conscripsit; quarum hujusmodi data occasio est. Litteris Athanasio significabat Serapion, nonnullos esse qui Arianam quidem hæresim proscriberent, sed de Spiritu sancto ita præpostere sentirent, ut non modo rem creatam esse pugnarent, sed etiam unum ex administris spiritibus esse, soloque gradu ab angelis differre. Re comperta Athanasius impios homines prolixa illa priore ad Serapionem missa epistola, innumeris pene ax Scriptura sacra mutuatis testimoniis confutavit. Quam epistolam cum Serapion familiaribus necessariisque suis obtulisset, rogabant illi ut rem fusius istic agitatam in compendium redigeret ipse Athanasius; quo facilius ipsi possent veræ fidei hostes paucis coercere. Id quoque libenter Athanasius, Catholicorum semper commodis intentus, præstitit; alteraque missa ad Serapionem epistola de divinitate Filii, tertiam rescripsit, quæ erat prioris epitome. In quarta quoque idipsum argumentum persequitur, atque ceu appendicis loco explanat illud:

Matth. 12. 32.

Quicumque dixerit verbum contra filium hominis &c. Qui plura de epistolis ad Serapionem desiderarit, consulat monitum in earum fronte adornatum.

Liberius Romam redit.
Sozom. lib. 4. cap. 15. Theod. l. 2. cap. 17. Philostorg. l. 4. cap. 3.

6. Hoc ipso anno Romam cum pervenisset Liberius, jussus, contra quam concessum fuisset, una cum Felice Romanæ ecclesiæ gubernacula tenere, ingenti omnium plausu & lætitia exceptus est. Felix vero perosus multitudini, haud ita multo post pulsus profligatusque, procul urbe postremum clausit diem. Non desunt qui eum quasi martyrem baberi atque celebrari oportere contendant. Alii vix æstimant hominem in locum viri pro vera fide pulsi constitutum, martyris nomine ornandum esse; cum maxime ab æqualibus ferme omnibus traducatur ut tyrannus & Catholicis invitis ordinatus, nec nisi a viris qui multis postea sæculis scripsere pro vera fide passus tradatur.

Anno 358.

7. Quid autem toto septem annorum spatio exsul Athanasius egerit, cum incertis sedibus remotiora deserti loca peragraret, mirum ubique silentium: quo gravior oriatur dolor ex illa vel lacrymis deploranda jactura epistolarum festalium, quas magno numero sanctus Præsul Alexandrinæ plebi in cœtu Catholicorum legendas transmisit; ubi de malis & calamitatibus Ecclesiæ illatis, deque gestis Arianorum persæpe mentio erat, atque dubio procul de ratione & instituto vitæ suæ apud Monachos, quorum cœtus frequens adibat. „ Cum Monachis, ait Gregorius Nazianzenus, consuetudinem habens magnus ille vir, ut aliorum „ omnium arbiter & conciliator erat, eum „ scilicet imitatus, qui sanguine suo ea quæ „ diffidebant in pacem deduxit; ita solitariam „ quoque vitam cum communi conciliavit: o„ stendens sacerdotium non esse philosophiæ „ expers, & philosophiam sacerdotio egere. „ Sic enim hæc duo copulavit consociavitque, „ & tranquillam actionem, & actuosam tran„ quillitatem: ut persuasum omnibus redde„ ret, monasticæ vitæ professionem morum „ potius gravitate & constantia, quam corpo„ ris secessione exprimi atque insigniri. Quo „ pacto David simul & rerum gerendarum fa„ cultate præstabat, & in summa tamen soli„ tudine degebat; si cui tamen illud, *Singu„ lariter sum ego donec transeam*, ad hujus di„ cti confirmationem adferri posse videatur. *Psal. 140. 10.* „ Ita ut qui alios virtute anteibant, iidem ab „ illius consilio & mente longiore intervallo „ abessent, quam reliquos antecederent: atque „ ad sacerdotii munus numeris omnibus absol„ vendum pauca conferentes, multo plura ad „ monasticæ vitæ rationem partibus omnibus „ explendam reciperent. Tantumque ei tribue„ bant, ut quidquid ipsi visum esset pro lega „ haberent; ac rursus vetitum sibi & interdi„ ctum quidquid ille sententia sua improbasset „ existimarent, illiusque decreta pro Mosaicis „ tabulis ducerent, ac majore quam quæ san„ ctis viris deberi videatur ipsius veneratione „ adficerentur.

Athanasius ad desertum usque perquiritur.

8. Tanta porro vesania, tanto furore & odio erant ejus adversarii correpti, ut ne desertum quidem sat tutum illi a perquisitionibus adversariorum esset, sed in quotidianis adhuc insidiis versaretur. „ Nam cum quidam, „ prosequitur Gregorius, eo se contulissent, ut „ pium virum perinde ac feram quamdam in„ vestigarent, nec eum undequaque perquisitum „ invenirent, ne miscere quidem cum iis qui „ missi fuerant colloquia voluere: verum cer„ vices gladiis objiciebant, velut pro Christo „ periclitantes, atque ita animo comparati, „ ut si acerbissimi quidpiam pro eo perferrent, „ id magni ad philosophiam momenti duce„ rent, diuturnisque jejuniis, chameuniis, cæ-

„ teris-

Anno 358.

„ terisque corporis ærumnis, quas pro perpetuis deliciis haberent, multo sublimius ac „ divinius. „ Hæc Gregorius Nazianzenus.

In vita Pachomii Acta SS. 14. Maji.

Quid autem in ejusmodi perquisitione eadem, ut videtur, quam narrat Gregorius, gestum sit, pluribus recensetur in vita Pachomii ad hunc ferme modum.

Artemius Dux ad Monasteria venit.

Post hæc, cum Athanasius ab Imperatore Constantio perquireretur, atque ex insidiis Arianorum, ejus vestigandi provincia cuidam duci data esset Artemio nomine, is ubique perscrutatus est. Cum rumor autem esset eum fortasse latere apud Tabennesiotas monachos sibi dilectissimos, solvit Dux ut illuc navigaret. Cui adverso flumine contendenti occurrit Theodorus; qui secundo flumine ferebatur, perlustraturus Monasteria circa Hermopolin. Cum autem Monasterio cui Cajo nomen erat appropinquaret, vidit retro navigantem Ducem. Domino autem revelante quid futurum esset intellexit, ac fratribus renuntiavit. Cum percuperent autem fratres retrogredi ipsumque antevenire, ne forte fratres in Pabau agentes perturbarentur, ait illis: Is cujus gratia tantum itineris spatium servorum ipsius invisendi causa emensi sumus, potest eam rem citra tristem casum aut eventum dispensare, atque cœptum ad Monasteria iter prosequutus est. Posteaquam itaque ad Monasterium Pabau propius accessit Artemius, haud secus ac si bellum gereretur, dispositis circumquaque militibus, jussit Monasterium observari. Ingressus ibi considebat. Extra locum tamen conventus cum præpositis agebat, constitutis ultro citroque sagittariis. Quo conspecto fratres perterriti sunt. Erat tum istic vir sanctitate conspicuus nomine Pecysius, qui fratrum animos confirmabat. Dux autem interprete usus, Quo, inquit, in loco pater omnium vestrum versatur? Respondit Abbas Pecysius: Abscessit ad Monasteria. Cui Dux: Qui secundum ab eo locum obtinet ubinam est? Tum indicant Abbatem Psarphium magnum Œconomum. Quem seorsim Dux alloquitur. Est penes me, inquit, Imperatoris jussum contra Athanasium, quem apud vos delitescere fama est. Cui Abbas Psarphius: Ipse quidem omnium nostrum pater est, necdum viri faciem aspexi; ecce Monasterium. Diligenter perscrutatus Dux, cum Athanasium non invenisset, ad conventum accedens: Orate, inquit, pro me. Reponunt illi: Non licet nobis. Vetitum quippe nobis est a patre nostro, ne cum aliquo oremus qui cum Arianis communicet. Cum Duce namque Arianum quemdam versari conspexerant episcopi formam præferentem. Abscedentibus autem illis, solus Dux precatus est. Ac cum interdiu in Synaxi obdormisset, expergefactus sanguinem naribus emittebat. Cumque ignorarent Monachi quid accidisset ipsi: perterritus Artemius, Oblata mihi, inquit, visione, ex miseratione divina vix mortem effugi; atque ita discessit. Quæ cum reversus audisset Theodorus, Deo gratias retulit.

Athanasii iter ad Monasteria Thebaidis. In vita Pachomii.

9. Haud multo post ipse Theodorus, cum accepisset Athanasium in Thebaidem accedere, obviam cum antiquioribus patrum fratrumque Monasterii progreditur; virumque offendunt ante quam in Hermopoliten nomum pervenisset. Quo procul conspecto, fratres maturantes accurrunt. Utramque autem fluminis ripam innumerabilis multitudo occupabat Episcoporum, Clericorum, Monachorum. Quos ubi primum vidit Athanasius, hæc ex Scripturis vociferatur: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, & quasi columbæ cum pullis suis ad me feruntur?* Tantam exinde frequentiam salutavit Athanasius, ignarus quis Abbas Theodorus esset. Neque enim ille ita proxime ad Pontificem accesserat, sed Monachorum seniores ad turmæ frontem incedere jussit. Primo tamen adspectu virum agnovit Athanasius; cujus apprehensa manu: Et quomodo, inquit, fratres se habent? Cui Theodorus: Sanctissimis tuis precibus bene, Pater, valemus. Tum fratres circiter centum numero Psalmos canere, in tanta frequentia ut nemo proximum sibi cognosceret. Abbas interea Theodorus asinum, quo Pontifex vehebatur, manu tenens præibat cum fratribus psallentibus. Lucernæ & faces ultro citroque micabant. Athanasius autem Theodorum cernens animo ferventem, non in promiscua solum turba pedibus incedere, sed ab accensis utrinque facibus ferme comburi, tantamque alacritatem, tantum virtutis studium præferre, alios Episcopos sic affatur: Videte quanto nos spatio antecedat ille tantæ Monachorum frequentiæ pater. Nobis haud vere patrum nomen convenit. Illi sane patres, qui humilitati & obsequentiæ ex Dei amore dant operam. Beati profecto & nulla non laude digni, qui semper crucem Domini gestant: quorum ignominia vere est gloria, quorum labor vere requies. Paucisque diebus Antinoopoli & Hermopoli commoratus, utilibus eos ac divinis cohortatus sermonibus, ad Monasteria profectus est. Conspecta ibi fratrum probitate sinceraque mente summe lætus, laudes Domino retulit. Ac cum Monasterium circumquaque perlustraret, attenteque dispiceret collectarum locum, mensæ conclave, singularum domorum cellulas, & ipsa usque sedilia, admiratione captus ait: Magnum, o Theodore, opus peregistis, curantes requiem animarum. Monachales vestras regulas audivi, præclara omnia. Hinc subjungit: Patris vestri opera vobis inest gratia Dei. Cum te conspicimus nos, Christum conspicere putamus. Paucisque ibi diebus commoratus, dicit Abbati Theodoro: Quoniam prope est Pascha, fratres de more convoca; ego vero ut Dominus dispensaverit agam. Ipsoque salutato, istinc profectus est. Litterasque per eum misit ad Orsisium ejusque fratres; quibus se ad conspectum Theodori fratrumque ejus summopere lætatum fuisse significabat, nec umquam fore sanctissimi hujusmodi cœtus immemorem.

Anno 358.

Esai. 60. 8.

10. Alia item exstat epistola Athanasii ad Monachos per Ægyptum; quæ quo tempore scripta sit ignoratur. Cum accepisset nimirum Athanasius, nonnullos Arianorum esse, qui Monasteria peragrantes sanam & orthodoxam fidem simularent, ut fratrum ex hinc animos, sensim & occulte serpentes, dolo abducerent a recta fide; admonet illos ne cum Arianis ullam habeant vel ad precandum societatem, ne quibusdam rudioribus offensionis ac perniciei hinc occasio oriatur: nec modo ab Arianorum congressu & colloquio abstineant, imo ne iis quidem jungantur qui cum Arianis foveant communionis societatem. potuisse se hujusmodi hortamentum innumeris ex Scriptura mutuatis locis confirmare; supersedere ta-

Anno 358.

tamen, quia cum callentibus Scripturas ageret.

Ariani in varias divisi sectas. *Sulpicius Severus lib. 2. Rufin. lib. 1. cap. 25. Socrat. lib. 2. cap. 35. Sozom. lib. 4. cap. 12.*

II. Ariani ubi omnia ex sententia & arbitratu suo, profligaris iis qui catholicam fidem tuerentur, procedere videbantur, obortis jam multis factionibus, mutuis discidiis, mutuo bello conflagrabant. Hinc proseminatæ sunt quasi familiæ dissentientes inter se ac multum disjunctæ & dispares. Macedonius quippe, inter Arianorum principes hucusque computatus, novam de Spiritu sancto sententiam induxit, aperteque docuit esse creaturam & unum ex administris spiritibus, licet aliis longe præstantiorem. Alii veri ac puri Ariani erant, duce Aetio, administris vero Eudoxio, qui Antiochenam hoc circiter tempus invasit sedem, ejusque discipulo Eunomio, qui haud ita multum postea hujusmodi sectæ nomen indidit. Maxima tamen pars Semiariani erant, antesignano & doctore Basilio Ancyræ episcopo. Ii autem hac una in re a Catholicis dissentiebant, quod consubstantialitatem repudiarent. Filium namque adfirmabant in omnibus Patri similem. Et vero, ipso fatente Athanasio, non erant ii prorsus ab ecclesiastica communione abjiciendi, cum ea tantum repudiata voce, cum Catholicis reipsa concordarent. At non una, ut in similibus sectis solet, erat omnium Semiarianorum opinio. Non deerant enim ex illis, qui Filium quidem Patri similem dicerent, sed per gratiam tantum, omni repudiata naturæ similitudine. Basilius vero cum gratia & auctoritate apud Constantium multum valeret, Anomœis erat doctrinæ causa infestissimus; auctorque fuisse Constantio fertur, ut Aetius, Eudoxius, & alii permulti ejusdem sectæ homines, pellerentur in exsilium. In eo sitæ res erant anno 358. cum Anomœi, qui paulum a calamitate respirabant, synodum celebrari rogant; eaque in re concurrentibus item Semiarianorum votis, amborum optatui ut fieret satis, synodum Constantius Nicomediæ indixit; in qua erat de fide maxime statuendum. Sed jam multis Episcopis eo concedendi causa iter ingressis, accidit ut horrendo terræ motu urbs everteretur, quodque intactum ab hujusmodi pernicie superfuerat, incendio periret. Quæ causa fuit, ut ad cogendam synodum Nicæa, celebris illa ac magna Synodo anno 325. nobilitata urbs, iterum deputaretur. Ut autem instabiles erant Ariani, ut sua quisque interesse putabat, mutato consilio, auctores & suasores Constantio sunt, ut divisis Episcopis Occidentales Ariminum, Orientales Seleuciam in Isauria convenire jubeat.

Anno 359. Synodus Sirmiensis. *Socrat. lib. 2. cap. 37.*

1. Anno 359. cum Sirmii Constantius ageret, præsentibus Arianis episcopis haud parvo numero, qui aulicorum more principis comitatui hærere solebant, quos inter videre erat Georgium Alexandriæ [illegible] & Basilium Semiarianorum antesignanum. Inita ibi controversia, eo demum ventum est, ut novæ cudendæ formulæ fidei Marco Arethusio provincia daretur; qui ut erat τῷ ὁμοουσίῳ infestus, diserte nomen substantiæ & consubstantialis proscribendum in ipsa formula statuebat. Cui, nec tamen sine controversia, suffragium dederunt quotquot aderant Episcopi. Non nostrum est ea omnia recensere, quæ tum Sirmii ejusdem formulæ occasione designata sunt. Sed non silendum, cum magna Catholicorum omniumque frugi hominum offensa, fidei professioni præmissum hujusmodi titulum fuisse: *Edita est catholica fides, præsente Domino nostro piissimo & victoriis eximio Constantio Augusto, æterno, venerando. Coss. Fl. Eusebio, & Fl. Hypatio clarissimis. Sirmii undecimo Kalendas Junias.*

Anno 359.

lib. de Synodis n. 4. & seqq.

2. Displicebat iis quibus ecclesiastica disciplina & traditio cordi, quod in fronte formulæ temporum adscriberetur memoria, quando in iis quæ fidem spectant nulla temporis ratio conditioque observanda sit. Nec minoris erat invidiæ, quod ubi Filii Dei æternitas ab impiis hominibus in controversiam vocabatur, æternus tamen impudentissima assentatione Constantius appellaretur. Hæc maxime omnium carpit Athanasius. Cui item illud rationi & christianæ religioni absonum videtur, quod nulla urgente causa, nullo postulante negotio, tantum iter capessendum Episcopis esset: quasi vero non esset Nicæna synodus ad sinceram firmandam fidem satis, ut in dies novæ de integro formulæ ac fidei professiones prodirent in publicum.

Synodus Ariminensis. *Socrat. lib. 2. cap. 37. Sozom. lib. 4. cap. 17. & sequent. Theod. lib. 2. cap. 27.*

3. Ariminum itaque cum convenissent Episcopi circiter quadringenti, Ariani, qui octoginta numero accesserant, Sirmiensem fidem, de qua mox actum, totius Synodi calculis & suffragiis consignandam offerunt. His Patres conspectis, statim insidias suspicari, solitasque Ursacii & Valentis artes & machinas ad Nicænam evertendam fidem comparatas subodorari. Quamobrem in hujusmodi conspirationis artifices conversi, acriter compellant & alloquuntur, non fidei formulæ promulgandæ causa a se tantum iter susceptum fuisse, quibus esset Nicæna fides satis; sed eo consilio accessisse, ut quotquot huic adversarentur ferirent anathemate. Ursacio autem Valente & sociis contra obnitentibus, & facta fidemque suam propugnantibus, nulla interposita mora, Patres Ursacium, Valentem, Germinium, Auxentium, Gajum, & Demophilum damnant ut hæreticos: missisque per viginti oratores ad Constantium litteris, quid gestum sit significant. Jussi sunt autem legati, qui Episcopi erant, apud Principem causam Episcoporum agere. Obnixe quippe rogabant, ut sibi ad parœcias suas revertendi copia esset: esse quippe multos paupertate ac senio laborantes, quibus diuturnior eo loci commoratio ærumnæ ac tædio esset. Verum auctoribus & consuasoribus Arianis Constantius, trahere moras, nec legatis sui conspectus copiam facere; idque dolo ac versutia, ut rerum imperitos ac ætate juniores Episcopos tædio moræ, præcisa spe perficiundi negotii, frangeret demum, & ad ineundam cum Arianis societatem adduceret. Nec modico post accessum legatorum interposito spatio, Ariminensibus patribus rescribit Imperator, se negotiorum mole obrutum nondum potuisse legatos alloqui. Illi contra obsecrare per litteras Imperatorem, ut sibi ecclesias suas ante ineuntem hyemem repetendi facultas esset, numquam se a proposito recessuros, quantumvis moræ diuturnitate ærumnisque pressos. Interea Ariani instare, urgere ac solicitare legatos, qui tum Nice in Thracia versabantur, ut latam in synodo Ariminensi in Ursacium Valentem & socios sententiam abrogarent. Qui de-

Anno 359. demum tædio ac desperatione bene gerendæ rei fracti ac devicti, optata concedunt Arianis, dato ad eorum libidinem rescripto. Quodque maxime deplorandum fuit, contumeliis & calamitatibus Arianorum opera inflictis, demum & ipsi Ariminenses Episcopi, paucissimis exceptis, cesserunt; ac quæ jure ante decreverant, irrita ac rescissa fuere, non sine magna proborum offensione. Nam ingemiscens, ait Hieronymus, orbis terrarum se Arianum esse miratus est.

Hieron. dialog. contra Lucif.

Synodus Seleuciana. Socrat. lib. 2. cap. 19. Sozom. lib. 4. cap. 22. Theod. lib. 2. cap. 26. Athan. lib. de Synodis sub initium.

4. Dum hæc in Occidente geruntur, Orientales Episcopi ad 160. numero Seleuciam convenerunt; ibique decima septima Septembris de fide agere cœptum est. Interfuit Synodo Hilarius. Athanasiumque ipsum opinantur adfuisse quidam recentiores: quia nimirum ipse Athanasius librum de Synodis orsus, testatur ea se scribere quæ vidit, quæque accurate novit, ἅπερ ἑώρακα ἢ ἔγνων ἀκριβῶς. At vix credatur, Athanasium per totam Ægyptum ea tempestate ad necem perquisitum, ut locum ubi coosisteret reperire vix posset, Seleuciam concessisse, ubi nulla subterfugiendi via erat ab insidiis itimicorum. Itaque quod ait ipse ea se scripto tradere quæ vidisset, non ita intelligendum putamus, quod præsens ea coram aspexerit; sed quod non rumore vulgi ea acceperit, verum litteras & acta synodorum suis ipse oculis intuitus sit. Et sane verba isthæc, ἅπερ ἑώρακα ἢ ἔγνων ἀκριβῶς, non unam synodum Seleuciensem spectant, sed Ariminensem quoque, cujus historiam priore loco enarrat Athanasius, postea vero Seleuciensis synodi ad hunc fere modum: Erant istic, inquit, Episcopi circiter centum sexaginta. Cum autem multorum nomina de variis criminibus deferrentur, accusatoresque edito clamore scelera objicerent, Acacius, Patrophilus, Uranius Tyri, Eudoxius, qui Antiochenam invasit ecclesiam, Leontius, Theodorus, Evagrius, Theodulus & Georgius ille Laodicenus facinorum fama nobilitatus, veteratores homines, ac præteritarum fraudum non immemores, futuram damnarionem astu declinare conantur. Veriti quippe cum argumenta adversariorum in se comparata, tum solitudinem suam, pauci enim admodum erant, & ingens illorum frequentia; alios sibi Arianæ factionis adscivere, mercenarins homines, a Secundo Pentapolitano ordinatos, ex Libya scilicet Stephanum, Seram & Pollucem, scelestos & reos homines, insuperque Pancratium & Ptolemæum quemdam Meletianum. Tum ut accusationes adversariorum subterfugerent, de fide agere velle simulant. Quorum vafritiem conspicati cæteri Episcopi eorum exinde gesta observabant. Illi autem non obscure Arianam se hæresim propugnaturos significabant. Quæ causa fuit ut duas in partes propalam Synodus abiret. Pars minima, quæ ceu colluvies erat homioum, qui aut rei, aut suspecti, aut sceleribus insigniti eraot, hærebant Acacio Cæsariensi; alii longe majori numero ab iis segregari Basilium Ancyranum ducem sequebantur. Acaciani igitur temerarii homines, quibus nihil inausum, Nicænam synodum aperte criminari, negare fidem ejus sinceram, abroganda ejus decreta contendere, atque de iotegro statuendum de fide prædicare. Cæteri autem qui magno, ut dictum est, numero erant, summo quidem opere obnitebantur impiis hominibus, unam tamen, cæteris integris, consubstantialis vocem præcidi optabant ex Nicænis decretis, eo scilicet obtentu, quod obscuritaris causa suspecta quamplurimis & formidolosa videretur. Cum igitur longiores istic moræ traherentur, instantibus accusatoribus, reis autem solita calliditate judicium refugieotibus, Episcoporum cœtus, cum negotii diuturnitatem, tum excogitatas in dies ab impiis hominibus ad subterfugiendum machinas indignissime ferentes, damnatos Acacium, Patrophilum, Uranium, Eudoxium, Georgium olim exactorem, & alios ex Asia, Leontium, Evagrium & Theodulum abdicarunt. Communione autem sua interdixerunt Asterium, Eusebium, Augarum, Basilicum, Phœbum, Fidelium, Eutychium, Eustathium, & Magnum, quod in jus vocati, ut oblatas criminationes depellerent, comparere detrectassent: decretumque fuit ut ea conditione perstarent, donec se ab hujusmodi criminarionibus purgarent. Confessionem autem novam fidei ediderunt, qua voces ὁμοιούσιος & ὁμοούσιος, quod motuum & querelarum occasio fuisseot, abjiciebant, ἀνόμοιον autem damnabant anathemate, in reliquis nihil alienum a catholica doctrina. Cæterum postquam ad singulas ecclesias judicium in Acacianos latum miserant Semiariani, Constantium adeunt Augustum, actaque illi sua renuntiant. Hujusmodi fuit Seleuciensis synodi exitus.

Anno 359. Acaciani damnantur.

Athanasius epistolam scribit de Synodis.

5. Hæc maxima pars hausta ex epistola Athanasii de Synodis, conscripta post celebratas Synodos Ariminensem & Seleuciensem, antequam legatorum & patrum Ariminensium lapsum edidicisset. In cujus prima parte paucis narrat quid in istiusmodi Synodis sit actum. In secunda recenset blasphemias ab Arianorum primipilaribus in Filium Dei prolatas. Ut autem eorum instabilem animum inconstantiamque palam faciat, recenset undecim diversas fidei formulas per eos variis locis & temporibus conscriptas. In tertia, vocum οὐσία & ὁμοούσιον sinceritatem propugnat cootra Semiarianos, quos tamen noo inimicorum habere loco profitetur, in primisque Basilium Ancyranum, cum vocem tantum ὁμοιούσιον, non rem ipsa significatam, respuant. Quibus autem litteras miserit Athanasius, haud plane constat. Socrates ἐπιστολὴν πρὸς τοὺς γνωρίμους nuncupat, Sozomenus vero πρὸς τοὺς σπουδαίους. Sunt qui putent ad Monachos missas. Sed crederem potius ad catholicum cœtum Alexandrinum, ne inter incertos vulgi rumores de ejusmodi synodis ubique pervagantes animi penderent: & sane initio & fine epistolæ cœtum, ut videtur, alloquitur.

Anno 360. Synodus Constantinopolitana.

1. Semiariani autem Constantinopolim profecti, cum multa alia peregerunt, quæ nos consulto enarrare supersedemus, tum celebrata ea in urbe Synodo, Aetium cum asseclis percusserunt anathemate. Et de more, quasi non essent tot jam pridem editæ fidei formulæ satis, qua erant animi volubilitate mentisque incertitudine, eam quæ numero decima fertur apud Athanasium de integro promulgant; qua similem quidem Patri Filium declarant, sed voces ὁμοούσιος & ὑπόστασις repudiant: quia scilicet populis offensioni juxta ac suspicioni essent, nec exstarent in divinis litteris.

2. Hoc, ut putatur, anno, vel fortassis superio-

Anno 360. Lucifer pro Athanasii defensione libros edit.

periore, Lucifer Calaritanus libros pro Athanasio necessitudine sibi aliisque nominibus conjunctissimo; itemque alia quæ adhuc exstant opuscula concinnavit; ubi acerrime in Imperatorem invehitur, quod Athanasium bonum virum, æqui ac veri studiosum, de medio rerum tollere, quantum in ipso situm erat, satageret, universorum subscriptiones & suffragia extorqueret in perniciem ionoxii. Ideo autem istæc in annum conferimus 360. quia Lucifer ait bellum eo tempore Constantin fuisse cum Soporino sive Sapore Persarum Rege. Quod bellum cum anno proximo 359. cœperit, opportune in annum 360. Luciferi scripta conferri posse arbitramur. Cum rumore nuntio hæc a Lucifero conscripta fuisse accepisset Athanasius, misso Eutychete Diacono litteris rogat Luciferum, ut sibi hujusmodi scriptorum copiam faciat, quem eximio Confessoris nomine compellat. Optatum ei Lucifer quamprimum libens concedit. Id vero consequutus Athanasius, ex animo gaudens, libros accurate perlectos Græce, si fides Marcellino, transtulit.

In libello precum Marcellini & Faustini. Epistolæ Athanasii ad Luciferum.

Εὐχαριστηρίους eidem Lucifero litteras remisit Athanasius; ubi deploratis Ecclesiæ calamitatibus, ait Arianos tanto furore in Catholicos agi, ut non modo Clericos militum opera verterent io fugam, verum etiam nefarias in Monazontas & Eremitas inferrent manus; quo factum ut ipse salutis causa in remotiora Ægypti loca secederet. Grandi labore & periculo ejus accepisse lucubrationes, mirari opus, hortamenta ejus ad subeundum pro Christo martyrium magni facere: auctorem tanti operis suspicere, Heliæque similem habere. Rogat ut Deum supplex oret, tum in sui gratiam, tum eorum qui præ formidine lapsi essent. Queritur ex quo Arianis auctoribus ad fugam compulsus esset, non modo fratres videre sibi non licuisse, sed ne parentes quidem suos. Tanta scilicet Ariani cura urbis aditus observabant. „ Naves, ait, quærunt, Eremias gyrant, domos perturbant, concutiunt fratres, singulis „ negotia concinnant: quibus tamen rebus magis magisque universorum odium incurrerent. „ Sed sceleratos tandem facinorum pœnas daturos. Hæc erat, cum Athanasius hæc scripsit, ecclesiasticarum rerum conditio. Ubi parentes autem meminit, non de patre matreque acceptum velim; grandævus quippe jam erat Athanasius: verum fortassis interpres vocem συγγενῶν per parentes expressit. Et sane, in ecclesiasticis maxime, haud infrequens hujus vocabuli *parens* usus ad cognatos designandos.

Anno 361. Meletius in episc. Antiochenum allectus ab Arianis.

1. Anno 361. ineunte, Meletius vir pietate, sanctimonia, eruditione insignis, studio & opera Arianorum, qui non sat explorato ejus animo inter suos hominem connumerabant, io episcopum Antiochenum, defuncto Eudoxio, delectus est. Verum ut in tanto munere vix latere potest quid quisque sentiat, cum potissimum ille nec obscure τὸ ὁμοούσιον prædicaret propugnaretque, Ariani deprehensa ejus doctrina deturbatum ex episcopatu curarunt in exsilium ablegari, cum vix triginta sedisset dies, in ejusque locum Euzoium cooptarunt, nequaquam suspectum sibi nec dubiæ fidei hominem, sed Arianum Arianæque hæreseos vindicem acerrimum. Hinc tres in partes distracta civitas. Prima numero potior Arianorum, Eu-

Anno 361.

A zoio episcopo. Secunda Meletianorum, qui in Palæa seu veteri urbe collectas agebant, a Meletio sanam edocti fidem. Tertia Eustathianorum a sancto Eustathio olim episcopo. Hi a reliquis omnibus segregati, Paulini presbyteri conventibus interesse solebant. Hæ factiones, hæc discidia, etsi levi motu, ac temerario prorsus ausu exorta sunt, ad multum tamen annorum spatium furore & pervicacia partium sunt extracta.

Ariani novam edunt fidei formulam.

2. Porro ut solemne erat Arianis & Semiarianis numquam in unum coire, quin no-

B vam aliquam fidei formulam publicarent, quia scilicet a veritatis tramite deflexi, atque errorum caligine obvoluti, multiplici tentato itinere, nullum sat tutum, nullum pervium reperire poterant, novum jam fidei rescriptum ediderunt, quod cæteras fidei formulas impietate longe superaret. Filium scilicet in omnibus Patri dissimilem prædicabant. Et tanto quidem opere a pristina sententia, quam Constantinopoli evulgaraot, descivere, ut ipsis Arianæ doctrinæ vindicibus in communionis societatem admissis ecclesias traderent. Hinc or-

C sæ Anomœorum & Exucontiorum nomenclaturæ. Horum principes Eunomius, Acacius, ac reliqui conscelerati, nullo metu, nulla adversa formidine impetum retardante, blasphema quæque & maledicta in Christum proferre ausi sunt, Constaotium nacti impietatis vindicem; qui cum in hæresi confirmanda ad usque finem perseverasset, diem obiit extremum.

Constantii obitus.

Cum properaret enim adversus Julianum, qui ab exercitu in Galliis inauguratus Imperator in Orientem agebat iter, morbo correptus,

D Mopsucrenis in Cilicia defunctus est 4. Octobris, vel ut alii 3. Novembris: atque instante obitu ab Euzoio Ariano baptismate tingi voluit. Cujus corpus ingenti pompa in ecclesia Apostolorum Constantinopoli depositum fuit, populis ultro citroque adcurrentibus ad exsequias cohonestandas.

Anno 361. Julianus inauguratur Imperator.

1. Etsi vero videbatur Ecclesiæ licitum fore, exstincto Constantio, a calamitate ac terrore pristino respirare, occulto divinæ providentiæ consilio secus res cecidit. Julianus enim repugnante nemine imperium integrum adeptus,

E a christiana fide, quam nomine tenus specieque tantum colebat, aperte descivit, impiisque prophanorum ritibus impense addictus, turbam gentilium deorum invexit in orbem. Christianis porro etsi bellum palam non indiceret, quavis data occasione sæviebat in eos qui eo deferrentur nomine. Unde infami apostatæ titulo appellari cœpit. Attamen, ut philosophiæ humanitatisque famam affectabat, cum imperium iniret, exsules omnes edicto publico revocavit. Quo factum, ut quotqnot a Constantio pulsi io exsilium fuerant Episcopi, re-

F dirent sedes suas. Antiochiam autem profectus Artemium ex duce Ægypti, de quo haud multo ante actum fuit, de templorum expilatione ab Alexandrinis gentilibus delatum, capitali supplicio mulctavit.

Artemii Ducis martyrium.

Qui exinde Artemius pro martyre cum a Græcis, tum a Latinis est habitus. Et sane quamquam eum paulo ante vidimus Imperatoris jussu ad Monasteria, Athanasii perquirendi causa, profectum; attamen immissa divinitus castigatione, pœnitentem facti fuisse ex ipsius supra memoratis verbis liquidum est. Pius autem eo nomine

exísti-

Anno 362.

existimandus, quod Monachos obnixe rogaret in suum ad fundendas Deo preces conventum admitti: Deo item carus, quia castigatus; divina tamen miserante providentia mortem effugerit.

Georgii & multorum Christianorum cædes.

2. Allato Alexandriam necis Artemii nuntio, Gentilium turba insolenti de inaugurato suæ religionis homine gaudio effusi, impetu Georgium & Christianos omnes adoriuntur. Erant quippe tum Georgio offensi Pagani omnes ob hujusmodi causam a Socrate memoratam. Locus erat in urbe jam inde a priscis temporibus vacuus & neglectus, multa sordium colluvione refertus, in quo Gentiles Mithræ mysteria peragentes immolare homines consueverant. Hunc utpote vacuum ac desertum Constantius ecclesiæ Alexandrinorum jam ante attribuerat. Georgius vero cum ecclesiam eo loco excitare vellet, repurgari adytum præcepit. In peramplo hujusmodi loco mysteria Gentilium erant recondita; complures scilicet hominum calvariæ, juvenum pariter ac seniorum: qui olim mactati ferebantur, quando extorum inspectione divinarent, ac magica sacrificia ad incantandas animas peragerent. Hæc in Mithræ adyto reperta Christiani ad Gentilium ludibrium foras omnium oculis exposuere, eadem gestantes traduxere per civitatem. Quæ res paganorum turbam inflammavit. Tum furore arma ministrante, in obvios quosque Christianos impetum faciunt; quorum permultos vario mortis genere enecarunt, ferro, fustibus, lapidibus. Nec deerant qui funibus homines strangularent, nonnullosque ad ludibrium crucis in crucem agerent, alios vulnerarent. Non familiaribus illi, non cognatis pepercere; sed amicus amicum, frater fratrem, parentes filios confodere, ac in mutuam ruere cædem. Quæ causa fuit ut Christiani a repurgando Mithræ adyto absisterent. Gentiles vero Georgium abstractum ab ecclesia, & ad camelum alligatum, per urbem totam raptatum, fustibus percussum, variisque cruciatibus adfectum & enecatum, cum aliis pariter cæsis, qui camelis impositi erant, combusserunt; cineresque in mare projecti sunt, ne a Christianis collecti, in honore deinceps ut martyrum reliquiæ haberentur. Cum iis autem obtruncati sunt Dracontius monetæ præpositus & Diodorus quidam veluti Comes; qui fune cruribus alligati, pertracti ultro citroque raptati, eo in supplicio exstincti sunt: ille quod aram in moneta cui præerat recens locatam evertisset; alter quod dum ædificandæ præesset ecclesiæ, cirros puerorum, quos ad deorum cultum pertinere æstimabat, licentius detonderet. Nec prætermittendum quod adjicit Ammianus, potuisse scilicet homines ad crudele supplicium ductos Christianorum auxilio defendi, nisi Georgii odio omnes indiscrete flagrassent: qui Georgius facinorum gravitate & frequentia sibi omnem misericordiæ aditum præcluserat.

Socrat. lib. 3. cap. 2. Sozom. lib. 6. cap. 30. Ammian. l. 25. cap. 7.

3. Præter superius memoratam, aliam enecati Georgii causam adfert Ammianus: quod scilicet cum transiret per speciosum genii templum, multitudine stipatus ex more, oculis in delubrum ipsum conjectis dixisset: *Quamdiu sepulcrum hoc stabit?* Quo audito Pagani reformidantes ne illud quoque tentaret evertere, quantum poterant in ejus perniciem insidias parabant, donec inaugurato Juliano, oblatam illi occasionem arripuere. Hic exitus Georgii fuit. Felix sane, si fidei causa, & non in scelerum pœnam, homo Gentilibus juxta atque Christianis invisus, tam male mulctatus esset. Enecti porro Georgii invidiam in Catholicos conjicere conati sunt Ariani. Verum ex Epiphanio & Ammiano Marcellino constat a solis Gentilibus id facinoris perpetratum, & quidem, ut ait mendacissimus Philostorgius, concitatis ab Athanasio. Quæ calumnia vel hinc confutatur, quod per id tempus Athanasius in secretioribus eremi locis profugus & occultus versaretur.

Philostorg. l. 2. cap. 7.

Julianus Alexandrinam cædem se indigne ferre simulat.

Socrat. lib. 3. cap. 3. Jul. epist. 10.

4. Accepto Julianus rerum Alexandriæ gestarum nuntio, se quidem tantum tumultum, tam immanem carnificinam damnare simulat; quamquam negligentia ulciscendi facinoris, non ingratam accidisse rem significaret. Litteris itaque missis, carpit animum Alexandrinorum turbulentum atque seditiosum: parcere tamen ait multitudini, rebus a Georgin scelerate gestis in furorem actæ. Oportuisse Alexandrinos Alexandri conditoris, magui Sarapidis, sui etiam Imperatoris reverentia a tanto scelere cohiberi. Et si qnidem atrocibus Georgii flagitiis accensi concitatique fuere, par fuisse judicibus hominem pro merito plectendum tradi, non ipsi temerariam turbam violentas inferre manus. Præclare cum eis actum esse, quod se imperante tantum facinus sit admissum; qui partim verecundia in Deum, partim reverentia avi & avunculi sui veniam concoderet civitati. Vetat ne in simile crimen prorumpere deinceps audeant.

Georgii bibliothecam transmitti sibi curat.

Jul. epist. 9.

5. Secundum hæc, Ægypti præfecto Ecdicio jussit, ut Georgii bibliothecam multis philosophiæ & rhetoricæ codicibus, necnon aliis Christianam religionem spectantibus instructam, diligenter perquisitam, Antiochiam curaret transmitti sibi. A quo Georgio quosdam se libros olim, cum in Cappadocia degeret, mutuatum esse commemorat. Et tamen Georgium illiberalem & ineruditum, præsertim in rebus ecclesiasticis, fuisse tradunt Athanasius aliique Patres.

Athanasius Alexandriam regreditur.

Socrat. lib. 3. cap 4.

6. Post publicatum Juliani edictum; quo exsulibus redeundi potestas erat, Athanasius Alexandriam reversus, ingenti de more plebis catholicæ gaudio exceptus est. In hunc reditum Gregorius Nazianzenus ea omnia confert, quæ jam superius commonstratum est ad reditum anni 349. pertinere. Alexandrinus autem populus, Arianis ejectis, ecclesias conventibus ecclesiasticis frequentandas tradit Athanasio. Pulsi porro Ariani ab ecclesiis, clam privatisque in ædibus collectas agebant. In defuncti vero Georgii locum Arianos Lucium suæ factionis hominem cooptasse narrat Socrates. Verum reclamare videntur acta, Joviano principe, edita. Non dicitur enim eo loci Arianos episcopum sibi Lucium constituisse, sed constituere voluisse. Et fortasse cum in Georgii sedem Lucium subrogare vellent, coerciti a Catholicis fuerant, quorum ingens erat Alexandriæ multitudo.

7. „ Simul atque ad Ecclesiam pervenit A-
„ thanasius, inquit infra Gregorius Nazianze-
„ nus; tanta lenitate atque humanitate res eo-
„ rum a quibus læsus fuisset administravit, ut
„ ne iis quidem ipsis reditus ejus molestus fue-
„ rit. Ac templum quidem sacrilegis nundi-

„ nato-

Anno 362.

„ natoribus, qui Christo ad quæstum abute-
„ bantur, repurgat perinde atque ipse Chri-
„ stus; nisi quod non texto flagello, sed ar-
„ gumentis ad persuadendum accommodatis id
„ efficit. Tum eos, qui inter se & cum ipso
„ simultates gerebant, in mutuam concordiam
„ reducit: & quidem ita, ut nullius pacifica-
„ toris opera ad eam rem opus haberet. Ad
„ hæc, injuria adfectos tyrannide liberat, nul-
„ lo posito inter sectatores suos & alienos di-
„ scrimine. Prolapsam insuper fidei doctrinam
„ erigit: ac libere rursus Trinitas prædicatur,
„ super candelabrum posita, splendidoque unius
„ divinitatis lumine animas omnes collustrans.
„ Leges etiam rursus orbi terrarum præscri-
„ bit, atque omnium mentes ad se convertit;
„ aliis epistolas mittens, alios accersens, non-
„ nullos etiam ultro accedentes erudiens, o-
„ mnibusque liberam voluntatem pro lege pro-
„ ponens, quam solam ut iter ad Deum re-
„ cta instituatur, satis esse putabat. „ Hæc Nazianzenus

Alexandrina Synodus. Socrat. lib. 3. cap. 5. & 7. Sozom. l. 5. cap. 12.

8. Neque ita multo post reditum Athanasius Synodum Alexandriæ celebravit, ad quam convenit Eusebius Vercellensis; qui cum Lucifero in Thebaide exsul, promulgato Juliani de pulsorum revocatione edicto, Alexandriam rogante Athanasio concessit. Rogatus item Lucifer maluit Antiochiam, ad ejus Ecclesiæ factionum partibus laborantis negotia componenda, iter habere. Interfuit etiam Alexandrinæ synodo Asterius Petrarum Arabiæ, qui olim Sardicæ ab Arianis ad Catholicos desciverat. Ex Ægypto autem quamplurimi Episcopi ad Synodum convenere, quorum septemdecim tantum nomina in Synodali epistola comparent, ferme omnes ab Arianis antea pulsi, variisque calamitatibus afflicti. Eo item concesserunt Diaconi duo a Lucifero legati, Herennius & Agapetus; a Paulino autem Antiocheno, Maximus & Calemerus item Diaconi. Aderant etiam quidam Monachi ab Apollinario episcopo missi.

Acta Synodi de lapsis. Athan. tom. ad Antiochenos & epist. ad Rufinianum.

9. Actum est ea in synodo de iis qui tempore vexationis in hæresim essent delapsi. Eratque nonnullorum sententia, ejusmodi homines si Episcopi essent aut clerici, officio sacrorumque aditu interdicendos atque in laicorum conditionem dejiciendos. At cæteris præsulibus, quorum mitior sententia, re accuratius expensa, placuit ut lapsis, si quidem erroris aut impietatis cujuspiam artifices auctoresque fuissent, venia quidem rogantibus concederetur, sed ab officiis deturbati, inter laicos computarentur; sin necessitate solum ac vi illata eo deducti essent, ut cum hæreticis communionem & societatem simularent, & veniam & de integro sedem esse concedendam; cum potissimum ii non absurdam causam & excusationem adferrent: se nimirum œconomia quadam & probo consilio id præstitisse, nec in impietatem lapsos esse, sed maluisse aliquantum vi illatæ concedere, quam ut ab impiissimis hominibus catholicæ plebis perniciem machinantibus occupatas viderent ecclesias. Ea tamen lege atque conditione admittendos censuerunt, ut Arianam hæresim damnarent, Nicænam fidem amplecterentur; damnarent item eos qui dicerent Spiritum sanctum esse creatum, necnon cæteras hæreses, Sabellii videlicet, Pauli Samosateni, Valentini, Basilidis & Manichæi, ac nominatim Euzoii & Eudoxii. Cæterum tabellam Sardicensem, illam in Sardicensi synodo oblatam & propositam (de qua ad annum 347.) proscripserunt Alexandrini patres, quia non fuerat in Synodo admissa.

De Hypostasibus.

10. Actum præterea de hypostasibus, quas jam cœperant nonnulli in controversiam vocare. Erant nimirum qui tres hypostases in Trinitate esse dicerent, aliis unam esse pugnantibus. Re autem quæsita & deliberata, expensisque singulorum sententiis, utrorumque fidem sanam & orthodoxam esse deprehensum est. Nam qui tres hypostases dicerent, se ita profiteri ajebant, quod Trinitatem non nomine tenus crederent, sed singulas personas vere existentes & subsistentes; ita tamen admissa distinctione, ut neque tres deos, neque totidem principia vellent prædicari, sed Filium Patri consubstantialem, Spiritumque sanctum non creatam rem, sed a substantia Patris & Filii indivisum. Qui autem unam hypostasin esse defendebant, non ea mente ita enuntiabant, ut quemadmodum Sabellius, Filium ac Spiritum sanctum de medio tollerent, sed quia existimarent idem esse hypostasin atque οὐσίαν sive substantiam, quam unam eamdemque in Patre, Filio ac Spiritu sancto esse propugnabant. Re sic utrinque explanata, eamdem omnium sententiam esse exploratum fuit. Atque uno omnium ore, uno consensu, hæretici omnes proscripti, Nicæna fides, ut omnium præstantissima, admissa est. Ea porro in disputatione & controversia, Orientalium Asterius, Occidentalium Eusebius Vercellensis causam & partes egerunt.

De Apollinarii sententia.

11. Ventum deinde est ad Apollinarii doctrinam expendendam. Tum Monachi ab eo legati doctoris sui opinionem, occultato tamen hæreseos veneno, aperuerunt: nempe, non qua ratione in Prophetas advenit Verbum Domini, eadem in sanctum hominem, scilicet Christum, venisse; sed ipsum Verbum carnem esse factum, & cum in forma Dei esset, formam servi accepisse, exque Maria virgine secundum carnem pro nobis hominem esse factum. Profitebantur item, non corpus inanimatum aut sensus expers, aut mente carens Christum habuisse. Neque enim, ajebant, possibile erat, Domino nostri gratia homine facto, corpus ejus sine mente exsistere: siquidem non corporis dumtaxat, sed animæ quoque in ipso Verbo salus facta est. Hæc scilicet illi jubente Apollinario, qui Athanasii gratiam & amicitiam affectabat, professi sunt. Verum vafre ac subdole. Neque enim ea germana erat Apollinarii sententia. In epistola enim sua ad patres Diocæsariensis synodi, cætera quidem ut a Monachis Alexandriæ allata fuerant profitetur, adjicit tamen ipsum Verbum carnem esse factum, non assumta mente humana, mente mutabili, quæ turpibus cogitationibus captiva ducitur, sed divina mente immutabili & cælesti. In synodo igitur Alexandrina Apollinarii doctrina, ut a Monachis exposita est, utpote catholica, admissa fuit. Et vero licet Athanasius haud semel postea in Apollinaristarum errores invectus sit, numquam tamen Apollinarium ipsum nominatim est adortus: quoniam videlicet, ut quidem opinamur, dum vixit Athanasius, Apollinarius occulte serpens, erro-

Anno 362.

errores spergebat quidem quantum in ipso situm fuit, apud Athanasium autem catholicæ & sinceræ fidei studium ementiebatur. Quo defuncto, palam apertisque verbis in ipsa Diocæsariensi synodo virus hæreseos ore impio evomuit.

De rebus Antiochenis.

12. De rebus item Antiochenæ ecclesiæ componendis actum Alexandriæ fuit. In ea quippe civitate tanta vis dissidii & contentionis obtinuerat, ut non ab Arianis modo, sed inter sese Catholici disjuncti essent, nec mutua communionis societate fruerentur; aliis Meletio præsule ecclesiam in veteri urbe sitam, aliis Paulino presbytero rectore aliam in urbe nova occupantibus. Optatissimum Patribus erat, ut non modo Catholicorum illæ factiones in unum coirent, verum etiam si qui ex Arianis ad veram fidem accedere vellent, iis facilis pateret aditus, dum Arianam proscriberent, Nicænam amplexarentur fidem. Quamobrem duos ex Episcopis, qui Alexandrinæ synodo intererant, cum tomo seu synodali epistola legarunt Antiochiam, qui pacem inter diffidentes conciliarent. Quodque insolens & fortasse hactenus inauditum, non ad eos tantum, qui tum absentes Antiochiæ versabantur, epistola nuncupata est, sed etiam ad eos qui deferrent, atque inter mittentes annumerarentur, hac forma: *Eusebio, Lucifero, Asterio*, &c. *Athanasius .... Eusebius, Asterius*, &c. Hisce litteris Alexandrini Patres pacis conciliandæ auctores erant. Rogabant ut liberum facilemque aditum præberent iis, qui secum conjungi ac communicare cuperent, dum Arianam damnarent impietatem, maximeque omnium iis, qui in veteri conventus agerent, scilicet Meletianis. Exinde vero res a se in Synodo gestas enarrant, quo fermia ordine nos recensuimus. Huic epistolæ subscripsere præsules omnes Alexandrini, eorumque subscriptiones etiamnum exstant. Ait porro Socrates Athanasium, quod fugæ ac secessus causa insimulatus fuisset, apologiam de fuga sua in Synodo legisse.

Socrat. lib. 3. cap. 8.

13. Cum hujusmodi litteris profecti Eusebius & Asterius, res Antiochenas deprehendunt præpostera Luciferi festinatione labefactatas. Is enim Paulinum Antiochenum Eustathianis rogantibus ordinarat Episcopum. Factum improbavit Eusebius Vercellensis, & cæteri quibus pax ecclesiarum cordi. Qua enim in urbe jam duo Episcopi erant, quorum alter hæreticus, catholicus alter esset, in eadem novum ex Catholicis deligere, quid id erat aliud, quam æterni prope dissidii auctorem esse? Et sane multis post annis discordia hujusmodi perseveravit. At obdurato Lucifer obstinatoque animo, iis insuper qui lapsi fuissent ad communionem Ecclesiæ aditum negabat. Quæ causa fuit ut in proborum Præsulum, qui leniore ac moderatiore erant mente, offensam incurreret. Atque hinc ortum schisma Luciferianum. Nec prætermittendum, Philonem episcopum Ægyptium, qui ab Arianis veræ fidei causa Babylonem in Ægypto relegatus fuerat, Luciferi sententiam in deneganda lapsis communione sequutum, ad Alexandrinam synodum non convenisse, quod Patrum, ut putatur, erga lapsos lenitatem, quam futuram prospiciebat, improbaret. Quæ item causa fuisse videtur, quod Lucifer, rogante licet Eusebio exsilii socio, Alexandriam iter habere noluerit.

Lucifer Paulini promotione res Antiochenas labefactat. *Socrat. lib. 3. cap. 9. Sozom. lib. 5. cap. 13. Theod. l. 3. cap. 5.*

14. Dum post reditum Athanasius Alexandriæ consideret, partem reliquiarum sancti Joannis Baptistæ ad se transmissam accepit. *Nam Juliani temporibus*, ait Rufinus, *velut relaxatis frenis efferbuit in omnem sævitiam feritas Paganorum. Ex quo accidit, ut apud Sebasten Palæstinæ urbem, sepulcrum Johannis Baptistæ mente turbida & funestis manibus invaderent, ossa dispergerent, atque ea rursus collecta igne cremarent, sanctos cineres pulveri immixtos per agros & rura dispergerent. Sed Dei providentia factum est, quosdam de Jerosolymis ex Monasterio Philippi hominis Dei, orationis illuc causa per idem tempus venisse. Qui cum tantum nefas humanis quidem manibus, sed ferina mente fieri viderent, mori gratius habentes quam hujusmodi piaculo funestari, inter eos qui ossa ad exurendum legebant mixti, diligentius in quantum res patiebatur, ac religiosius congregantes, furtim se vel stupentibus, vel insanientibus pertraxere, & ad religiosum patrem Philippum venerandas reliquias pertulere. Ille supra se ducens tantum thesaurum propriis servare vigiliis, ad Pontificem maximum tunc Athanasium hostiæ immaculatæ reliquias per Julianum diaconum suum, post etiam Palæstinæ urbis Episcopum, mittit. Quas ille susceptas, paucis arbitris, sub cavato sacrarii pariete inclusas, prophetico spiritu profuturas generationi posteræ conservavit: quibus nunc, dejectis & prostratis idololatriæ vestigiis, in ædibus quondam profanis aurea tecta consurgerent.* Hæc Rufinus.

Athanasius partem reliquiarum sancti Joannis Baptistæ recepit. *Rufin. lib. 2. cap. 28.*

15. Haud diu Athanasio licuit Alexandriæ post reditum consistere. Gentiles namque suæ addictum impietati Imperatorem nacti, metuentesque cultui numinum suorum, qui Athanasii doctrina, sermone, precibus decrescebat in dies: velut tetros serpentes e cavernis egressos una secum assumsere magos, aruspices & augures, qui simul contestarentur, nihil e re gentilitatis prospere cessurum, nisi Athanasius pelleretur. Præterea dæmones, ait Theodoretus, cum vim sermonum precationumque Athanasii ferre non possent, ministros suos ad maledicta in eum congerenda incitarunt, ac multis exposcebant exturbari Athanasium; addebantque: Si Athanasius remanserit, nullus supererit deorum cultor, cunctos enim ille ad suas partes alliciet. Litteris ergo Ethnici ad Imperatorem missis monent, Athanasium conventus in ecclesia agere, libere populum docere, multosque Gentilium illo consuasore christianæ fidei nomen dedisse, nobiles matronas ejusdem fidei rudimentis imbutas baptismate donatas. Re comperta Julianus factum perindigne tulit, ac hujusmodi litteras dedit ad Alexandrinos. „ Æquum erat eum, qui Imperatoris edictis compluribus ejectus fuerat, „ unum saltem Imperatoris edictum præstolari „ ad repetendam domum: nec singulari temeritate atque amentia legibus tamquam prorsus exstinctis illudere. Enimvero nos haud „ ita pridem Galilæis a Constantio ejectis, „ non reditum ad ecclesias, sed ad patriam „ cuique suam concessimus. Audio Athanasium hominem audacissimum, solita audacia „ elatum, Episcopatus, ut ipsi vocant, sedem „ usurpare. Quæ res non mediocriter Alexandrino populo displicet. Quare eum jubemus „ urbe

Ethnici Julianum concitant in Athanasium. *Socrat lib. 3. cap. 13. & 14. Sozom. lib. 5. cap. 15.*

Theod. lib. 3. cap. 9.

Epistola Juliani contra Athanasium. *Julian epist. 28.*

Anno 362.

„ urbe excedere, quo die humanitatis nostræ A litteras acceperit. Quod si in urbe remanserit, longe majores gravioresque pœnas ei denuntiamus. „ Christianorum vero perampla multitudo, cum litteris Julianum rogasset, ut omnium votis expetitum optatissimumqua sibi Athanasium in pace Alexandriæ consistere liceret, prolixiorem ille ad eosdem Alexandrinos dedit epistolam, futilibus dictis & facetiis plenissimam, qua deorum turbam laudibus celebrans, in Galilæos invehitur; pudori esse inquiens, si vel unus eorum se Galilæum esse

Julian. epist. 15.

fateatur. „ Vos igitur, ait, si monenti mihi B obtemperare vultis, majorem lætitiam adferetis: sin illa in superstitione & vafrorum hominum institutione perseverare mavultis; at mutuam inter vos concordiam retinete, neque Athanasium desiderate. Sunt enim ex ejus discipulis utique complures, qui prurientibus ac sermonibus impiis expleri cupientibus auribus vestris faciant satis. Utinam enim Athanasio solo sacrilegæ ipsius scholæ circumscripta esset improbitas: sed est in vobis hujusmodi non ignobilis multi- C tudo. Ac nullius sane negotii res est: nam quicumque tandem e populo delectus erit a vobis, quod ad Scripturarum enarrationem pertinet, nihilo est eo qui optatur a vobis deterior. Sin quod vos Athanasii solertiam exoptatis: veteratorem enim esse hominem audio, scitote hac ipsa de causa urbe illum ejectum fuisse. Etenim noxia per se res est, vir populi præfectus, ac rerum novandarum cupidus. Quod si ne vir quidem est ille, sed contemtus homuncio: qualis revera est præclarus ille vir, qui jam in capitis discri- D men venit. Hoc sane publicæ perturbationis initium est. Quamobrem ne quid simile apud vos contingat, cedere illum pridem urbe jussimus: nunc autem Ægypto etiam univer-

Julian. epist. 6.

sa. „ Ut urgeret autem Athanasii exsilium, aliam misit epistolam ad Ecdicium Ægypti præfectum, his verbis conscriptam. „ Etsi nihil nobis de cæteris rescribis, attamen de illo deorum hoste Athanasio rescribere debuisti; potissimum quia quod præclare a nobis decretum fuit ante audiveras. Testor magnum Sarapin, nisi ante Calendas decem- E bres inimicus deorum Athanasius ex ea urbe, vel potius ex universa Ægypto decesserit, centum auri pondo cohortem quæ tibi paret mulctatum iri. Scis autem quam sim lentus ad condemnandum, & quanto lentior postquam condemnavi ad ignoscendum. Per mihi molestum est ejus opera deos omnes contemni. Equidem nihil a te factum libentius videam audiamque, quam Athanasium illum scelestum ex omnibus Ægypti locis pulsum esse, qui ausus est in meo Imperio matronas Græcorum nobiles baptizare. „ F

Athanasius se subducit. Sozom. lib. 5. cap. 14. Theod. lib. 3. cap. 9.

16. Quamobrem cum se denuo in discrimen & periculum vocari animadverteret magnus Athanasius, quarto jam solum vertere coactus, cum circum se collacrymantes Christianos videret: Bono, inquit, animo estote; nebula est, quæ brevi evanescet. Quæ cum dixisset, profectum parat; & Ecclesia amicis quibuscum arctiore caritatis vinculo junctus erat commendata, excedit urbe. Litteris porro Juliani secretioribus non pelli modo Athanasium, sed etiam obtruncari jussum erat.

Anno 362.

A Subduxit se tamen Athanasius, inquit Theodoretus, comperto quærentium se accessu; nactusque ad ripam fluminis navigium, ad Thebaidem contendebat: Is vero, cui Athanasium confodere jussum fuerat, audita ejus fuga, quam celerrime virum insequitur. Præcurrens autem quidam Athanasii familiaris, maturare nuntiavit, qui ipsum ad necem perquirerent. Tum nonnulli ex comitibus rogabant, ut in solitudinem secederet. Ipse re secum deliberata, gubernatori præcepit ut converso cursu, secundo flumine navigium dirigeret Alexan- B driam. Cum ergo obvii perquirentibus navigarent, occurrit sicarius, & quantum abesset Athanasius sciscitatur. Ille haud procul abesse respondit; ac prævertens Alexandriam repetiit, ubi latens degebat, reliquo Imperii Juliani tempore. Hæc Socrates & Theodoretus. Verum quod postremo ajunt Athanasium ad necem usque Juliani delituisse Alexandriæ, aperte repugnat historiæ mox enarrandæ; cui, utpote ab Ammonio Athanasii æquali traditæ, fidem negare nefas. In desertum igitur, teste C Ammonio, Juliani furorem declinans, profugit. Et ad ejus usque obitum; nec satis tutus ab insidiis inimicorum, incertis sedibus apud Monachos diversabatur.

In desertum se recipit. In epistola Ammonii. Acta SS. 14. Maji.

1. Quid autem ipsi, qua die cæsus Julianus est, nempe 26. Junii, acciderit, ipso apud Ammonium narrante Athanasio comperimus. „ Cæterum, ait Ammonius, quia beatus Papa Athanasius, me omnium minimo, aliisque ecclesiæ Alexandrinæ clericis præsentibus, beatæ memoriæ viro Ammonio, qui fuit episcopus Elearchiæ, & Hermoni Bu- D basticorum in magna Ecclesia de Theodoro aliquid enarravit, quod tuam existimo sanctitatem tum præsentem audivisse; operæ pretium duxi, ad renovandam tuæ pietati eorum memoriam, ea conscribere quæ ille loquutus est. Cum memorati Episcopi de beato Antonio nec sine admiratione verba facerent: qui vir sæpe cum Athanasio versabatur, eos sic affatur Athanasius: Vidi etiam ea tempestate magnos Dei viros, Theodorum Tabennesiotarum Monachorum Præfectum, aliumque Monachorum Patrem pro- E pter Antinoum, cui nomen Abbas Pammo, qui haud ita pridem obdormierunt. Cum enim me illo tempore Julianus ad necem perquireret, exspectaremque in dies interitum, amicis necessariisque meis periculum renuntiantibus; duo memorati viri me quadam die Antinoum convenerunt. Cum mecum ego reputarem, qua ratione apud Theodorum possem latere, ejus naviculam undique opertam atque clausam conscendi, Abbate Pammone nos honoris causa comitante: Vento autem minus secundo afflan- F te, equidem corde anxius Dominum precabar: qui vero Theodorum comitabantur Monachi, egressi naviculam trahebant. Cumque mœrenti mihi Abbas Pammo consolandi gratia verba faceret, respondi: Crede adfirmanti mihi, non tanta tempore pacis cordi meo fiducia inest, quanta tempore persequutionis. Confido quippe me pro Christo patientem, atque ejus misericordia roboratum, etiamsi occidar, multo majorem ab eo misericordiam consequuturum. Hæc verba necdum compleveram, cum Theodorus Ab-

Anno 363. Quid Athanasio contigit quo die cæsus Julianus est.

„ batem

Anno 363.

„ batem Pammonem intuitus subrisit: & cum „ pene arrideret Abbas Pammo. Quid, inquam, me ista loquentem ridetis? An me „ timiditatis arguitis? Tum ad Pammonem „ Theodorus: Dic illi, ait, quæ sit nobis causa ridendi. Cui Pammo: Tuum illud est. „ Ait Theodorus: Hac ipsa hora in Perside „ Julianus occisus est, ut de illo Deus prænuntiarat: *Arrogans vir, contemtor & superbus, nihil perficiet*. Surget autem Christianus Imperator, qui præclarus quidem, sed „ brevioris vitæ futurus est. Quare ne in „ Thebaidem ascendas, nec tanti itineris laborem feras: sed in comitatum clam te confer. Quem in itinere offendes, atque ille „ (Jovianus) citius a Deo ex hac auferetur „ vita. „ Hæc apud Ammonium Athanasius; in cujus postremis verbis quædam hæret difficultas alio loco excutienda.

Habac. 2: 5.

2. Nec tamen Athanasius Theodori consilio obsequutus, ad Imperatorem statim, sed interposita quadam mora spatioque, adiit. Ad hæc vero narrat Sozomenus, cuidam ex Juliani familiaribus revelatum divinitus futurum ejus interitum: Didymumque Alexandrinum Christianum philosophum, gravissimo de Augusti impietate animoque falsis numinibus addicto adfectum mœrore, cum deplorandis ac jejuniis precibusque avertendis futuris Ecclesiæ cladibus daret operam, somno oppressum vidisse equites candidis equis cælo discurrentes, tum eam accepisse vocem: Nuntiate Didymo, hodie Julianum hac ipsa hora peremtum esse, idque ille Athanasio episcopo significet, & exsurgens comedat.

Sozom. lib. 6. cap. 2.

Redit Alexandriam.

Jovianus Imperator inauguratus litteras dat ad Athanasium.

Epist. Joviani ad Athan.

3. Athanasius ergo accepta Juliani nece, nec exspectata, ut arbitramur, a successore remigrandi venia, sedes quamprimum suas repetiit. Jovianus autem Christianus, mira vir pietate animique lenitate, uno cohortium voto post Juliani interitum inauguratus, exsulum Episcoporum revocatione imperium est auspicatus. Moxque ab Athanasio, qui cæteris multum pietate anteibat, orsus, litteras misit benevolentiæ & observantiæ plenissimas, sancti Præsulis virtutem, in ferendis calamitatibus fortitudinem, adfectum erga Christum mirifice exornans. Revocat ad salutis doctrinam prædicandam, jubet remeare in Ecclesiam, populumque verbo Dei pascere. Testificatur magnam se spem in precibus ejus repositam habere. Εὐχαριστηρίους porro litteras Imperatori rescripsisse Athanasium nihil dubium, injuria scilicet temporum amissas. Neque ita multo post aliam dedit Jovianus ad Athanasium epistolam, rogans fidei veritatem, in sexcentas opiniones partesque distractam, transmittat sibi. Tum Augusto ille alteram misit tanto doctore, qui cumulus est laudis, dignissimam nomine synodi Episcoporum Ægypti, Thebaidis & Libyæ conscriptam: qua se Principis erga res cælestes amorem discendique studium suspicere acceptumque habere testificatur: Nicænam fidem commendat, Arianosque carpit quod illius synodi decretis stare renuissent; unde ortæ tantæ turbæ, tanta per Ecclesiam dissidia. Enumerat exinde provincias & regiones in quibus obtineret ejusmodi doctrina, paucis admodum Arianis temerario atque impio ausu adversus eam dimicantibus, excubantibusque ad quasvis turbarum occasiones. Adfert postea Nicænum symbolum, cui nonnulla perspicuitatis causa subjungit; iisdemque cum alia pernecessaria, tum maxime Spiritus sancti deitatem declarat. Quæ Athanasii litteræ Joviano pergratæ perque jucundæ fuere, ut eas deinceps ceu veræ doctrinæ tesseram censuerit. Istam item Athanasii epistolam celebrat Gregorius Nazianzenus, quod trium personarum unam essentiam, unam divinitatem esse propalam & nullis ambagibus profiteatur. Æstimavit porro vir cl. Henr. Valesius Antiochiæ datam ejusmodi epistolam fuisse, isthuc cum Athanasio profectis Ægyptiis præsulibus. Sed eam sententiam, utpote Theodoreto aliisque scriptoribus adversam, pluribus in Monito confutamus.

Athanasius ad ipsum.

Monit. in Ep. & Petit. Athan. ad Jovian.

Ad Jovianum adit Antiochiam.

4. Accepta Jovianus Athanasii epistola, ejus videndi desiderio flagrans, eum rogat Antiochiam proficiscatur. Quo cum ille concessisset, comiter exceptus ab Augusto, a consiliis, ut licet augurari, ipsi fuit, & machinamenta hæreticorum aperuit, commodum sane in tali rerum conditione. Enimvero Arianorum principes, inter quos Lucius ad Georgii implendas vices pridem ab Arianis destinatus, necnon Bernicianus nescio quis, Antiochiam concesserant, Athanasium Augusto de multis sceleribus delaturi, quod perpetuum erat eorum studium. Quadam ergo die Joviano per Romanensem portam in agrum concedente, inexspectati accedentes Ariani Ægyptii Augustum compellant his verbis: Rogamus potentiam, imperium, pietatem tuam, nos audias. Quibus ille: Quinam, & unde estis? Cui illi: Christiani, Domine. Unde, ait Imperator, & ex qua civitate? Respondent: Alexandrina. Imperator: Quid postulatis? Tum Ariani: Rogamus potentiam tuam & imperium tuum, ut des nobis Episcopum. Hic Imperator: Jussi Athanasium, quem prius habuistis, in throno collocari. Tum Ariani: Jam multis annis exsul & reus est. Statimque miles ira commotus: Obsecro, inquit, imperium tuum, ipse inquiras quinam & unde sint. Sunt enim abjectæ reliquiæ Cappadociæ, residua turba improbi illius Georgii, qui civitatem & mundum universum devastarunt. Quibus Imperator auditis, admotis calcaribus equum concitavit, & abiit in campum.

Arianorum querela in Athanasium, & responsa Joviani.

Athan. Petit. ad Jovianum Imperat.

5. Nec ejusmodi repulsa stupefacti Ariani, secundo Imperatorem ita alloquuntur: En adsunt criminationes & argumenta in Athanasium, qui ante decem & viginti annos a Constantino & Constantio in exsilium relegatus est, itemque sub beatissimo philosopho Juliano exsulavit. Quibus Augustus: Jam obsoleverunt quæ ante decimum, vicesimum & trigesimum annum institutæ sunt accusationes. Ne mihi de Athanasio verba faciatis. Neque enim ignoro qua de causa accusatus & proscriptus sit.

6. Nec ista quoque responsio audaces homines compescuit. Tertio namque ad Jovianum adeuntes ajunt: Aliæ quoque suppetunt accusationes contra Athanasium. Quibus Imperator: Non ex tumultu & loquacitate, quid jus, quid æquum sit deprehendetur. Sed deligite ex vobis duos, ex plebe totidem. Nequeo enim ad singulos vestrum respondere. Tum qui ex plebe aderant: Hi sunt reliquiæ improbi Georgii, qui provinciæ nostræ intulere vasti-

Anno 363. * Hæc ipsissima sunt verba. Athan. Petit. ad Jovianum Imperat.

vastitatem, * & in civitatibus nullum permisere consiliarium habitare..... Instabant Ariani: Quemcumque volueris præter Athanasium. Dixi vobis, ait Imperator, quæ Athanasium spectant jam constituta esse; & ira commotus, Feri, feri, clamabat. Nihilo Ariani minus: Si mittas, inquiunt, Athanasium, perit civitas nostra; nemo cum illo consentit. Contra Imperator: Atqui diligeoter sciscitatus, novi illum recte sentire ac docere, orthodoxumque esse. Illi impudenter: Ore quidem recte loquitur, animo autem dolose sentit. Tum argute Imperator: Satis est testificari vos eum recte loqui ac docere. Quod si lingua quidem recte loquitur, animo autem prave sentit, res illi cum Deo est. Nos quippe homines sermonem tantum audimus; quæ autem in corde latent novit unus Deus. Ariani vero: Jube nos conveotus celebrare. Imperator: Quis vos prohibet? Illi contra: Hæreticos & dogmatistas nos appellat. Quibus Augustus: Hoc ejus est officium, necnon eorum qui recte docent. Iterum Ariani: Hunc ferre noo possumus; nam & agros Ecclesiarum in rem propriam divertit. Imperator autem: Pecuniarum igitur, & non fidei causa, huc accessistis. Subdiditque: Recedite, in Ecclesiam concedite. Cras conventus vobis erit, & post dimissionem, adsunt hic Episcopi, itemque Nemesinus. Quisque vestrum secundum fidem suam subscriptionem dabit. Adest etiam Athanasius. Qui fidei doctrinam ignorat, edificat ab illo. Erit vobis crastinum & perendinum. Egredior enim in campum.

7. Quidam autem scholasticus ex Cynicorum numero conquestus apud Imperatorem est, catholicum sive rationalem ædes sibi eripuisse. Cui Imperator: Si catholicus ædes tibi eripuit, quid hoc ad Athanasium? Alius item scholasticus, cui nomen Patalas, dixit accusationem habere se in Athanasium proferendam. Tum Jovianus: Ecquid tibi cum Christianis, cum sis Gentilis? Quidam autem ex plebe Antiochena comprehensum Lucium Imperatori offerentes, Vide quæso, ajunt, quem voluerunt Episcopum constituere.

Lucius alloquitur Imperatorem.

8. Ipse quoque Lucius Imperatorem convenit ad atrium Palatii, aitque: Obsecro potentiam tuam, me audias. Tum Imperator substitit, & ait: Tibi Lucio dico, quo pacto huc venisti? navi-ne, an pedes? Cui Lucius, oavi. Statimque Jovianus, & facete quidem: Deus mundi & comatus sol atque luna iis succenseat, qui tecum navigarunt, quod non te in mare abjecerint; & navis illa numquam in posterum secundis fruatur ventis, nec cum jactata fluctibus erit, cum navigantibus umquam ad portum appellat.

9. Cum autem Ariaoi eunuchos sibi, Probatium scilicet & socios Eusebii & Bardionis successores, Euzoii npera conciliassent; rati fortasse ut apud Constantium, ita & apud Jovianum spadones vi & gratia valere, re cognita Imperator, eunuchos excruciandos tradit, ita loquutus: Hæc patiatur quisquis ausus fuerit Christianos deferre. Atque ita dimisit eos Jovianus.

Basil. ep. 325. Athanasius quærit gratiam inire Meletii Antiocheni.

10. Athanasii animus erat, cum Aotiochiam proficisceretur, nihil non agere conciliandæ cum Meletio Antiocheno gratiæ causa. Sed veteratorum hominum consilio factum, ut ad aliud tempus extracta res fuerit. Et magno quidem opere ille nitebatur pacem communionisque societatem inire cum Meletianis, communemque operam rebus ecclesiasticis conferre. Verum illi, sive Paulini amico diffisi, sive alio interpellante negotio, promissis quidem Athanasio spem fecere perficiundæ rei, optatissimamque ipsi pacem distulerunt in opportuniorem tempestatem. Et tamen multis post annis, cum Basilius scilicet jam episcopus esset, excubante licet Athanasio ad omnem concordiæ reducendæ occasionem, nondum confecta res fuerat. Quæ causa fuit ut Basilius hæc in quadam epistola Meletio verba fecerit. „ Athanasium quod spectat, prudentiam tuam, „ gnaram licet hujusce rei, commonefacimus, „ nihil posse litteris meis hoc in negotio con„ fici vel promoveri; nisi a vobis quoque, „ qui olim tempus extrahebatis, quando de „ communione cum ipso ineunda ageretur, lit„ teras accipiat. Certe ajunt illum summo „ studio vestram gratiam mutuique officii so„ cietatem efflagitavisse, & jam summopere „ dolere, tum quod eo tempore rem confe„ quutus non sit, tum quod jam vacua & in„ fructuosa promissa vestra experiatur. „ Cum itaque repulsam hujusmodi a Meletianis tulisset Athanasius, pacificis exinde mutuisque litteris societatem fovit cum Paulino, alio catholicarum partium episcopo.

Anno 363. Basil. ep. 271. Basil. ep. 149.

Anno 364. Mors Joviani. Socrat. lib. 4. cap. 1.

1. Grandis sane spes Catholicis erat, si ad molum temporis superstes & incolumis Jovianus fuisset, Arianam hæresim funditus evertendam fore. At occulto providentis Dei consilio, necdum octo ab inito imperio mensibus elapsis, Dadastane ad Bithyniæ fines subito exstinctus est, die decimaseptima Februarii anno 364. Cujus loco, septem interpositis diebus, inauguratur ab exercitu Valentinianus vir christianus & pius; qui sub Juliano Christi nomen confessus, pulsus in exsilium fuerat. Et sane si solus, non admisso consorte imperii, clavum tenuisset, redintegrata spes, & sat prospectum reipublicæ christianæ commodo & utilitati erat. Verum in gravem Ecclesiæ perniciem 28. Martii hujus anni Valentem fratrem pronuntiat Imperatorem: divisoque imperio, Occidentem sibi, fratri Orieotem adsignat. Qui Valens quantis Catholicos malis adfecerit, a nullis non illius ævi scriptoribus narratur.

In cujus locum deligitur Valentinianus.

Qui sibi Valentem adsciscit imperii consortem.

Anno 365. Mors Theodori Abbatis. In vita Pachomii Acta SS. 14 Maji.

1. Prioribus tamen ab ineunte Valeotis imperio annis pax Athanasio fuit a vexationibus & ærumnis, atque facultas edocendi liberae populi. Anno autem circiter 365. Theodorus ille Abbas, quicum Athanasius exsul & profugus haud semel versatus est, diem obiit extremum. Quo perlato ad Athanasium nuntio, litteras ille consolatorias Orsisio Abbati misit & Monachis ei subditis, quibus testificatur se summe de obitu tam præclari viri dolere, in usum ac salutem fratrum nati; multis lacrymis mortem ejus prosequuturum, nisi summam nactum felicitatem crederet. Rogat Monachos, precibus suis de pace Ecclesiæ confirmanda cum Deo agant. Licuisse sibi ait per inducias belli & vexationis isto etiam anno sanctum Pascha & Pentecosten cum lætitia celebrare.

Athanasius scribit vi am Antonii.

2. Hoc item circiter tempus, rogantibus transmarinis Monachis in peregrina regione ver-

Anno 365.

versantibus, & quidem, ut arbitramur, Occidentalibus, (jam enim per Occidentem frequentari cœperat monasticum institutum) Antonii præclari illius deserti incolæ vitam, gesta, & miracula scripto mandavit, ex iis quæ frequens adeundo virum, nec modico temporis intervallo cum eo versatus, oculis ipse conspexisset suis, necnon sodalium Monachorum testimoniis texens historiam. Opus sane singulare, cujus dignitas omnibus retro sæculis commendata. Quod mox in Occidentem perlatum, non, ut quorumdam fert opinio, ab Evagrio, qui jam antea anno scilicet 362. cum Eusebio Vercellensi in Italiam iter habuerat, sed a tabellariis ad se transmissis, ut ipse indicat Athanasius. Eam autem Antonii vitam in Occidente degens Evagrius latine fecit ante annum 369. superstite adhuc Athanasio: quod vel solum est ad eorum sententiam, qui id operis Athanasio abjudicant, refellendam satis. Quam celebris autem illa in Occidente, quam studiose excepta fuerit, fidem faciunt, cum sexcentorum pene scriptorum testimonia, quorum nonnulli æquales, ac necessarii Evagrio fuere, tum manuscriptorum copia & antiquitas. Qua de re pluribus in Monito ad vitam Antonii.

Librum scribit de Trinitate.

3. Cum per otium Alexandrinum & pacem liceret, nihil intermittebat Athanasius Lucifugarum confutationem, quorum potissima tum pars erant Anomœi & Pneumatomachi sive Macedoniani. Istos insigni opere adortus, æqualem in Trinitate personarum dignitatem commonstravit, non aliunde quam ex Scripturæ testimoniis petens argumenta. Titulus operis aperto in editis vitio laborans ejusmodi est in manuscriptis: *De Incarnatione Dei Verbi contra Arianos*. Ab antiquissimis etiam scriptoribus hoc nomine laudatur: *De Trinitate & Incarnatione*. inscriptio sane accommodatior ad libri materiem & argumentum. Mirum quam præclara hoc unum opusculum complectatur, de Trinitate & æqualitate trium personarum, de processione Spiritus sancti a Patre & Filio, de eucharistia, & de aliis permultis. Huic persimilem lucubrationem, quæ Latine tantum exstat, Athanasio vindicamus adversus quorumdam hujus ævi scriptorum sententiam. Utrumque porro opusculum in nullum isto 365. commodiorem annum conferri posse putamus.

Alium item de Trinitate & Spiritu sancto.

Anno 366. Mors Liberii; in cujus locum subrogatur Damasus.

1. Anno 366. mense Septembri diem obiit Liberius Papa. Qui post lapsum patriæ, & Ecclesiæ suæ restitutus, munere exinde episcopali inculpate ac diligenter ad obitum usque perfunctus est. Paucis interpositis post ejus exitum diebus in Pontificem deligitur Damasus, eruditione, sanctimonia, fortitudine in oppugnandis hæreticis præclarus. Sub idem tempus, ut erat tum factionum partibus distracta Romana civitas, seditiosorum conspiratione in episcopum cooptatur Ursicinus quidam. Hinc turbæ, hinc cædes, cæteraque mala permixtis & perturbatis rebus oboriri solita. Verum Damasi partibus a principio accesserunt, cum Athanasius, tum quotquot pacem curabant ecclesiasticam.

Epistola Athanasii ad Rufinianum.

2. In hunc circiter annum conferre licet epistolam Athanasii ad Rufinianum. Is inter varias de recipiendis iis qui in hæresim lapsi essent opiniones animi dubius, ab Athanasio, quem patris compellat nomine, quæ forma, quæ conditio lapsis offerenda, ediscere efflagitabat. Cui Athanasius pro innata sapientia hanc a diversis synodis definitam formam missis litteris indicavit; ut qui hæresis seu auctores seu patroni fuerint, si quidem resipiscant, ad communionem tantum admittantur, nec pristinam in clero dignitatem occupent; sin infirmitate atque formidine fuerint ad hæresim simulandam compulsi; integris rebus, gradum & officium retineant. Quæ quidem regula una catholicis omnibus erat, solis Luciferianis aditum pœnitenti negantibus. Hi namque, ut gesta clamant, nihili ducebant Alexandrinæ synodi placita.

Anno 366.

Anno 367. Valens Catholicos vexat, edicit ut pellantur Episcopi. Socrat. lib. 4. cap. 13. Sozom. lib. 6. cap. 12.

1. Annus 367. ut cum viris doctis opinamur, immani Valentis Ariani in Catholicos vexatione insignis fuit, qui Eudoxio auctore & consuasore singulis per urbes & regiones magistratibus, denuntiato in repugnantes ac non obsequentes fortunarum periculo, mandavit ut Episcopi Constantii temporibus abdicati, atque imperante Juliano restituti, sedibus pellerentur, & ecclesiis suis. Edicti gravitate compulsi Ægyptii magistratus, Athanasium rursus ecclesia deturbare & pellere urbe parabant. Non levis enim pœna omnibus per Orientem magistratibus, atque militibus indicta; nec modo mulctam pecuniæ ingentem, sed etiam corporis cruciatum interminabatur Augustus, si non strenue jussa exsequerentur. Tum Episcopo metuens Christiana plebs, quæ haud semel periculum & ferrum a cervicibus Athanasii depulerat, coacta ad Tatianum Ægypti præfectum adit, rogat ut ne temere & inconsulto Athanasium ejiciat, sed perpendat accuratius quid esset Imperatoris litteris definitum. Ad eos enim tantum pertinere, qui, temporibus Constantii pulsi in exsilium, imperante Juliano remigrassent. At enim Athanasium, tametsi sub Constantio pulsum, eodem tamen revocante sedem aliquando repetiisse suam, Julianum autem, cæteris restitutis, ipsum solum patrio solo exturbasse, quem denuo Jovianus Ecclesiæ restituerat. Hac habita oratione, cum nihil præfecti animum mitigassent, tum ejus conatibus obstitere, & violentiam ab Episcopo propulsare. Cum multitudo vulgi conflueret, ingensque tumultus ac perturbatio totam urbem occuparet, omniaque essent ad seditionem & bellum parata, rem Imperatori præfectus denuntiat, passus interim Athanasium in urbe manere. Interposito multorum dierum spatio, cum sedatus tumultus videretur, clam urbe digressus Athanasius, in occultum se locum proripuit, & jam quinto vir prope acta & decursa ætate patrium vertere solum coactus est. Multa nocte Præfectus Ægypti, comitante duce militibus stipato, ecclesiam in qua domicilium habebat Athanasius invadit, ratus scilicet compressa seditione, populisque somnum capientibus, se nullo negotio, nullo concitato tumultu irrumpentem, Valentis imperata facturum. Et cum ubique Athanasium in ipsis usque tabulatis perquisivissent, spe falsi, reque infecta abscedunt. Ingens tum admiratio cunctos subiit, quod Athanasius sive cælesti monitu, sive ingenii perspicacitate, re præcauta atque prævisa, se subduxisset. Tamen, ait Sozomenus, ut quis tam opportuno tempore sibi prospicere insidiasque cavere possit, id majoris vide-

Plebs Alexandrina pelli Athanasium non finit.

Athanasius se clam subducit.

Anno 367. videtur esse providentiæ quam quæ in hominem cadat. Sunt qui dicant, Athanasium, cum inconsideratum populi tumultum prævideret, veritum ne turbarum ipse auctor haberetur, haud modico tempore in sepulcro patrio delituisse.

2. Sub hæc Ariani, queis animi ex Valentis edicto multum creverant, ab eo postulant, ut Alexandriam Lucius mitteretur, qui episcopalem sedem occuparet. Quod tamen illis Athanasio superstite minime concessum. Imo vero Valens popularem seditionem reformidans, litteris suis Athanasio fecit repetendæ sedis potestatem. Suspicor, ait Sozomenus, Valentem non suopte consilio has litteras dedisse; sed, vel quod insitam omnium animis de Athanasii virtute opinionem secum reputaret, remque ideo Valentiniano, qui Nicænæ fidei hærebat, fore permolestam; vel quod Athanasii sectatorum multitudinem reformidaret, ne scilicet erumperent in turbas atque seditiones. Ad hæc vero Arianæ factionis Episcopi non tanta solicitudine excubabant ad eum episcopali sede deturbandum: futurum prospicientes, si pelleretur denuo, Imperatores interpellaturum; nactaque ipsos adeundi occasione, periculum fore ne Valentem ad suam deduceret opinionem, Valentinianumque, veræ sectatorem fidei, querelis, oratione, dignitate inflammaret in adversarios. Næ viri ingenium & sagacitas ex iis, quæ Constantio Imperatore contigerant, sat perspecta, sat explorata erat: prudentia quippe ac prospiciendi vi insidias & conspirationes sæpe declinaverat. Quæ causa fuisse videtur ut Ariani a consilio exturbandi Athanasii tum desciscerent, atque in pace finerent Alexandriæ consistere, dum cætera circum loca, Orientalesque provinciæ omnes Valentis in Catholicos immanitate, cædibus, exiliis, proscriptionibus, nullo non calamitatis genere conflagrarent.

Valens Athanasium revocat.

3. Fugam autem Athanasii postremam, cum erudito viro Antonio Pagio in annum rejicimus circiter 367. Quia scilicet ait Theophanes Athanasium quadraginta sex annis episcopali perfunctum munere, totos quadraginta in periculis calamitatibusque versatum, ita ut sex postremis solum vitæ suæ annis ei licuerit alta & imperturbata frui pace. Quæ sane temporis ratio constabit, si ad annum 367. ejus fugam reditumque conferamus. Et vero cum Theophane consentire videtur Sozomenus, qui post allatam ab Eustathio & sodalibus suam fidei confessionem, ait eosdem acceptis Liberii litteris in Siciliam transmittentes illic synodum habuisse, & eodem tempore lectis in synodo Tyanensi iisdem litteris, cum alia permulta, tum id etiam decretum fuisse, ut proximo vere Tarsi in Cilicia Synodus celebraretur. Quæ tamen prohibitu Valentis habita non fuit. Is eodem tempore edixit, exturbandos fore Catholicos præsules. Cum porro ut tardius anno 366. data sit epistola Liberii, qui eo ipso anno defunctus est, anno subsequente Imperatoris edictum promulgatum fuerit. Non videtur enim ante datum, cum ad annum 367. Valens bello occupatus Gothico, tantæ inferendæ per totum Imperium vexationi, vix spatium & occasionem habuisse poterit.

1. Anno, ut opinamur, 368. Damasus Papa celebrato Romæ pro confirmanda Nicæna fide Concilio, Valentem & Ursacium famosos illos Occidentalium Arianorum antesignanos damnatos abdicavit, atque lapsos tempore vexationis Episcopos ad officium revocare conatus est, detectis iis qui defectionis auctores fuissent. Litteris autem Synodus acta & decreta sua ubique significavit.

Anno 368. Synodus Romana prior sub Damaso.

1. His acceptis litteris Athanasius, synodum convocat Alexandriæ; cujus synodalis ad Afros epistola exstat inter opera Athanasii. Is etiam externorum saluti invigilaret, hisce litteris deprehenditur. Cum enim accepisset, nonnullos esse oppugnandæ Nicænæ fidei cupidos, qui synodi Ariminensis acta, illa nempe Constantii auctoritate, minis, formidine ad suam libidinem conscripta, adferrent in medium, ac omni ope studioque contenderent Nicænis decretis anteferenda, Afros Athanasius rei veritatem edocet; Arianorum scilicet hæc molimina, hæc nova machinamenta esse; Nicænam fidem a 318. Episcopis editam, firmam, sanam, & omnium pietatis amantium calculo apud Indos usque & Barbaros receptam. Arianam vero, nedum probis esset accepta, ne ab Arianis quidem sat firmam haberi, qui in synodis plus decem totidem formulas, mutata subinde sententia, varias inter se, nec satis sibi constantes edidissent. Nec esse quod de Ariminensi synodo sibi gratularentur: quæ dum libera, dum extranea formidine vacua esset, & arbitratu suo rem ageret, Arianorum principes abdicasset, Ursacium nempe, Valentem, Eudoxium, & Auxentium. Si qua Ariminensibus actis esset fides, huic habendam decreto, quod ex libero Patrum arbitrio datum ignoraret nemo; secus autem aliis Constantii opera terroreque extortis suffragiis. Testimoniis exinde antiquorum Patrum vocis ὁμοούσιος usum, dignitatem, sinceritatem commonstrat, & pluribus defendit adversum hæreticos. Ait esse nonaginta circiter per Ægyptum episcopos, qui secum ista scriberent; qui tam concordi, tam unanimi sententia essent, ut ex recepto more, qui adessent pro absentibus subscriberent. His similes Alexandrina synodus litteras ad Damasum paullo dedit, quibus permirum sibi esse ajunt, Auxentium, non Arianum modo, sed etiam sexcentis flagitiis nobilitatum, Gregorio Alexandrino olim in amicis, ac scelere parem, non damnatum, non abdicatum in Romana synodo fuisse. Gratias Damaso & synodo referunt, quod pacis & ecclesiasticæ concordiæ causa factiosos & turbarum auctores Ursacium, Valentem, & asseclas damnaverint.

Anno 369. Synodus Alexandrina.

Epist. Athanasii ad Afros.

1. Athanasii aliorumque Præsulum monitis morem gessit Damasus. Coacta quippe anno 370. vel sequente Romæ synodo, de Auxentii causa actum, qui omnium suffragio Episcoporum condemnatus est, & munere dignitateque abdicatus. Quæ hactenus superest synodica Damasi epistola, videtur compendium esse epistolæ ad Afros, seu potius ei consimilis, quam ad Damasum miserant Ægyptii præsules, eaque occasione conscripta. In ea quippe Auxentius damnatus, Ariminensis proscripta formula, Nicæna fides confirmata est. Quas res omnes complectitur epistola ad Afros. Vulgo arbitrantur, Basilium, qui anno

Anno 370. Synodus Romana altera. Theod. lib. 2. cap. 22.

370.

Anno 370.

370. in episcopum delectus est, legatos Romam ad eam ipsam synodum cum epistola misisse. Quod si exploratum esset, palam hinc foret, Romanam synodum vel anno 370. vel sequente fuisse celebratam. Sed cum ea Basilii epistola ad Episcopos Italiæ & Galliæ nuncupata sit, nulla facta synodi cujuspiam mentione, nullius, mea quidem sententia, est momenti ad temporis rationem ineundam. Conjectando solum in hoc circiter tempus Romanam synodum consignamus. Nam priorem sub Damaso synodum in annum reponimus circiter 368. Alexandrinam vero in sequentem. Qui autem illam in annum 366. hanc in 371. conferunt, minus certe probabilem ineunt chronologiæ rationem. An Athanasius & Ægyptii episcopi totum quinque vel sex annorum spatium effluere permiserunt, ut inveteratis rebus gestis, gratias Damaso & synodo Romanæ referrent? Ad hæc, non videtur Damaso sub finem anni 366. in Pontificem cooptato, & ineunte episcopatu Ursicini æmuli factione exagitato, spatium fuisse ad synodum eodem anno celebrandam; sed rebus demum compositis anno 368. de synodo cogitasse probabilius est, anno autem insequente litteras accepisse Athanasii & Ægyptiorum, iisque obtemperasse, ac synodum postea coegisse ad Auxentii causam excutiendam.

Anno 371. Athanasius præfectum Libyæ Catholicorum communione interdicit. Basil. epist. 47.

1. Hac circiter tempestate, Basilio jam episcopo, in Libya monstrorum semper parente præfectus erat crudelitate & lascivia insignis, cui mos erat in alienos thoros inhiare. Impuri hominis sceleribus permotus Athanasius, ut infamem, Ecclesiæ communione interdixit, missisque litteris, cum obscœnam hominis vitam, tum illatas merenti pœnas significavit. Iis acceptis Basilius litteris factum laudat, pronuntiat hominem esse Athanasii sententia exsecrandum, nemini cum illo ignis, aquæ vel tecti communionem ineundam; e re Ecclesiæ fore, ut violenti hujusmodi tyranni communi omni omnium calculo proscribantur.

Epistolæ Basilii ad Athanasium 47. 48. 49. 50. 51. 52.

2. Aliæ item exstant ejusdem Basilii ad Athanasium epistolæ. In ea vero, quæ secundo fertur loco, deplorat calamitates Orientalis Ecclesiæ: & rogat Athanasium, apud Occidentales id agat, ut quam solicitudinem adversus unum duosve qui prave sentirent prætulerant, eamdem ipsam verterent ad res Orientales componendas. Neminem esse ad eam rem impetrandam ipso opportuniorem, sive ingenium, sive prudentia, seu virtus, seu venerabilis canities spectaretur: id epistolis, id legatis, id precibus obtinere contenderet. Ac cum primis res ecclesiæ Antiochenæ, tum luctuoso discidio, ac triplici factione conflagrantes componi curaret: si caput totius Orientis ad concordiam revocaretur, spem fore gratiæ inter reliqua membra reconciliandæ. Sunt autem qui putent, eam epistolam Athanasio missam antequam celebraretur Alexandrina synodus de qua superius. Verum ut eorum sententiæ palam non repugnamus, cum tamen paulo post Ursacii & Valentis abdicationem, quæ nec obscure in hac Basilii epistola memoratur, ea synodus subsequuta sit, hinc sane firmatur conjectura nostra.

3. In alia epistola rogat, ut in tanta Ecclesiæ perturbatione precibus se, consilio, peritia rerum gerendarum adjuvet, nec aliquam elabi sinat litterarum sibi mittendarum occasionem; grandi quippe subsidio & consolationi sibi esse ejus epistolas. In sequente de Meletio agit, Athanasioque innuit optatissimum quibusque esse, ut ipse solus Antiochenam regat Ecclesiam, reliquæ vero partiunculæ in corpus unum coaptentur. Hanc excipit alia epistola, qua deploratis de more Ecclesiæ calamitatibus, postulat Athanasii epistolas ad varios Episcopos datas sibi transmitti. Claudit agmen alia, qua se testificatur ingenti gaudio Petrum ab Athanasio missum excepisse, se omnibus in negotiis ipsum quasi ducem ac rerum gerendarum principem habere: Dorotheum Meletii diaconum ad ipsum mittere. Videri sibi consentaneum, si litteris apud Romanum episcopum agatur, ut rebus Orientalibus constituendis curam operamque navet. Nec synodo opus esse, sed ipse auctoritate propria viros deligat cum ferendis viæ molestiis, tum rebus gerendis idoneos, qui mansuetudine & facilitate ingenii male adfectos valeant ad sanam reducere mentem: & quidem clam taciteque accederent, ut qui adversæ partis erant, ne præsentiscerent quidem adventuros. Esse qui Marcellum contenderent abjici ab Ecclesia oportere, qui Verbi Dei ante incarnationem & post resurrectionem exsistentiam tolleret.

Anno 371.

Athanasius cum Meletio reconciliatur.

4. Ex hac postrema epistola confici videtur, Basilii opera Athanasium Meletio reconciliatum fuisse. Nam quod Meletii diaconus ad Athanasium conveniendum properaret, id ea tempestate inter signa initæ aut saltem ineundæ pacis computabatur. In hisce omnibus epistolis magnam cernere est Basilii erga Athanasium observantiam. Virum ut patrem, ut doctorem, ut arbitrum semper alloquitur: & totius ferme Ecclesiæ sortem ex ipsius maxime pendere consilio testificatur. Athanasius vicissim Basilium filii loco semper habuit, ejusque doctrinam, vim ingenii, pietatem quanti faciat, haud semel significat in litteris Basilii causa conscriptis. Nam quæ ad ipsum Basilium datæ sunt, injuria temporum interierunt.

Epistolæ Athanasii ad Joannem & Antiochum & ad Palladium.

5. Hoc circiter tempore excitatis de Spiritus sancti divinitate quæstionibus, Basilius temporum sese conditioni attemperans, etsi Spiritui sancto ea omnia quæ Deo competunt adscriberet, & Deum vere ipsum crederet esse, a Dei tamen nomine abstinebat, ne res auditoribus appellationis hujusmodi insuetis offensioni foret. Id cum indigne ferrent Monachi nonnulli, sanctum virum ubique traducere atque insectari cœperunt. Re litteris Joannis cujusdam & Antiochi presbyterorum comperta, Athanasius missa ad eosdem epistola, Monachorum carpit audaciam & temeritatem, necnon eorum qui quæstionibus movendis intenti turbarum & dissidiorum essent auctores. Rem pluribus agitat in epistola ad Palladium, quem rogat ut pacem Basilium inter & Monachos componere curet. Probari sibi ait, acceptamque esse piam illam Basilii simulationem, qui pro infirmorum utilitate infirmitatem & ipse præferret. Virum hujusmodi, Ecclesiæ gloriam esse contendit. Et hæc quidem de Athanasii cum Basilio societate & amicitia dicta sunto, non quidem temporibus distincta suis, cum non sat conspicua ferant ejusmodi litteræ temporum signa. Hoc unum certum exploratum-

que,

Anno 371.

que, trium annorum spatio hæc omnia circumscribi oportere, ab anno scilicet 370. quo ordinatus fuit Basilius, ad 373. in quem, ut mox comprobatur, mors Athanasii conferenda est. Nec prætermittenda alia quædam Basilii dicta grandem Athanasii existimationem præferentia. In epistola ad Neocæsarienses hæc habet. „ Cum accepissem a beatissimo patre „ Athanasio Alexandriæ episcopo litteras, quæ „ etiam nunc penes me sunt, & flagitantibus „ offero legendas, quibus ille aperte edixit „ eos, qui ax Arianorum hæresi ad nos transire voluerint, admittendos esse, dum Nicænæ synodi fidem profiteantur, nec vel minimum esse ea in re hæsitandum: & cum „ sententiæ hujus consortes ille mihi cum Macedoniæ tum Achaiæ episcopos allegasset, „ necesse duxi tanto viro propter gravissimam „ eorum auctoritatem qui id decreverant obsequi: simulque præmium pacificis destinatum nancisci cupiens, eos qui fidem istam „ confiterentur communicantium parti adscripsi. „ In epistola autem ad Euphemium hæc habet: „ Studium tuum erga Athanasium „ evidentissimum erat argumentum, te in maximis fidei capitibus recte sentire. „

Basilii de Athanasio testimonia. Basil. ep. 75.

6. Hæc item circiter tempora res evenit, quam Synesio auctore ediscimus. Erant in quadam Pentapoleos diœcesi, cui nomen Erythrum, vici duo, Palæbisca & Hydrax. Episcopo autem Erythri Orioni, jamdiu gravi & provecta ætate cum esset, summa facilitas ex ingenii mentisque imbecillitate advecta vitio vertebatur. Cum diutius autem vitam extraheret, longioris moræ impatientes vicorum incolæ, juvenem quemdam gerendis rebus strenuum, Siderium nomine, ab exercitu Valentis adventantem delegerunt, ut vicos administraret, ejusmodi virum scilicet, qui & inimicis nocere, & amicis prodesse posset. Per id enim tempus hæresis multitudine & auctoritate valebat, opportunaque tum dexteritas in agendo quæ est administra prudentiæ. Is primus fuit Palæbiscæ creatus episcopus; sed neque legitime, cum nec Alexandriæ, nec a tribus, ut mos erat, Episcopis fuerit ordinatus. Solus namque Philo Siderium ordinavit. Is Philo fortasse idem est, qui fidei causa sub Constantio relegatus, Luciferianis postea nomen dedit, homo patria Cyrenensis, junioris cujusdam Philonis patruus: in cæteris quidem ex præscripto Christianæ disciplinæ vitam agens, quod autem ad regendum & parendum attinet audacior, quam legum observantior. Verumtamen hoc ad Philonis veniam adferri poterat, quod formidolosis temporibus accuratiorem disciplinam prætermitti necesse fuerit. Quæ causa fuit ut Athanasius id tempori dederit, nec vel cum ordinante, vel cum ordinato expostularit. Imo vero cum exiguam adhuc fidei scintillam quæ Ptolemaide residua erat fovere, & magis magisque vellet accendere, Siderium majoribus gerendis idoneum eo commigrare præcepit, ut metropolitanam regeret ecclesiam. At ubi senex demum exstinctus esset, Palæbisca & Hydrax in antiquam redactæ formam sunt, atque Erythro contributæ. Insequentibus autem annis turbæ rursum eadem da causa datæ sunt.

Siderii Historia. Synesius. ep. 77. Siderium confirmat Athanasius.

7. Interea Apollinarii errores, qui post synodum Alexandrinam anni 362. ex simulata ejusdem confessione compressi & exstincti videbantur, late serpere & io multas spargi regiones cœperant, ut non per Syriam, Palæstinam, & Ægyptum modo, sed per Græciam & Achaiam emanarent. Et uti solet nova quæque opinio io varias distrahi partes, cum, ut putamus, ex variis & in omnem partem effusis Apollinarii scriptis, alius aliud apprehendisset, hinc variæ obortæ sententiæ, quas uno Dimœritarum nomina complectitur Epiphanius. Ejusmodi ergo pravæ & adulteræ opiniones cum Corinthi propositæ agitatæque fuissent, Epictetus istius urbis episcopus commentarios edidit, ad Athanasiumque trasmisit, rogans sibi quid agendum, quidve sentiendum, qua ratione confutandi ejusmodi errores essent, indicaret. Hæc autem erant istiusmodi sententiarum capita. 1°, Consubstantiale Verhi divinitati esse corpus ex Maria genitum. 2°, Verbum in carnem, ossa, nervos, capillos fuisse mutatum. Qui error Marcionitis adscribitur in dialogo Origenis nomine publicato. 3°, Dominum fictione, non natura, gestasse corpus. Perantiqua hæresis ab Ignatio & ab omnibus ferme Patribus deinceps memorata. 4°, Ipsam divinitatem circumcisam & cruci adfixam fuisse. 5°, Verhum nequaquam ex Maria, sed ex sua sibi substantia corpus efformasse. 6°, Eum qui ait Domioi corpus ax Maria ortum, non trinitatem sed quaternitatem admittere. Isthæc erant, testibus Epiphanio & Gregorio Nazianzeno, Apollinaristarum commenta. Tacebatur tamen in commentariis Epicteti error ille, qui ab initio fuerat Apollinaristarum ceu tessera, quo negabant scilicet mentem humanam inesse Christo. Acceptis Athanasius Epicteti commentariis, litteris ad eumdem missis erronum opiniones acriter insectatur, validisque confutat argumentis. Mirere sane in homine prope decursa jam ætate tantum acrimoniæ, salis, eloquentiæ, quantum vix deprehendas in cæteris efflorescente ætate conscriptis. Nec omittendum, initio istius epistolæ errores hujuscemodi tamquam insolentiores, ac sibi hactenus inauditos exagitare Athanasium. Unde pateat, reliqua opuscula adversum Dimœritas & Apollinaristas a sancto Doctore adornata, secundum eam ad Epictetum epistolam fuisse conscripta; quæ ad quinque sexve adhuc supersunt. Epistolam ad Epictetum, consequenter ad eam quam superius augurando statuimus chronologiæ rationem, in annum consignamus circiter 371. Memorat quippe istic Athanasius synodum Romanam anno 370. a Damaso adversus Auxentium celebratam.

Apollinarii errores late serpunt. Anno 371. Epiphan. Hær. 77. Epist. Athan. ad Epictetum. Epist. Athan ad Epictetum.

8. In eamdem circiter tempestatem referimus epistolam ad Adelphium confessorem. Qui litteris Athanasium, totius orbis eo tempore arbitrum & ceu oraculum, mooverat, esse ex Arianis nonnullos, qui negarent Christi corpus esse adorandum; sed ajebant tamen Verbum hominem factum, quod animæ vicem in humano corpore impleret, adorandum esse. Ejusmodi homines datis ad Adelphium litteris solita vi ingenii refellit & coarguit: exprobratque Arianis, quod rem quam creatam putarent, Verbum scilicet, adorarent. Alios item oppugnat, qui carnem Christi ex conjunctione cum Verbo increatam evasissa adfirmarent. Quæ sane opinio recidit in

Ad Adelphium.

Anno 371.

in proxime commemoratos Apollinarii errores.

Ad Maximum.

9. Inter hæc Maximus quidam philoſophus, is ipſe, ut videtur, qui ementita poſt hæc Gregorio Nazianzeno amicitiæ neceſſitudine junctus, eumdem ſede pellere aggreſſus eſt, litteris Athanaſio ſignificavit, eſſe qui adverſus Dei Verbum ſententias efferrent erroneas, & quidem, ut inibi cernitur, Apollinariſtarum hæreſi finitimas. Athanaſius vero, qui impigre ſemper obortis erroribus convellendis excubabat, eoſdem integra mentis acie confutavit in epiſtola ad Maximum, quæ etiam nunc ſupereſt.

Anno 372. Athanaſii libri contra Apollinarium & alia opuſcula.

1. Ejuſdem elegantiæ ſunt duo libri contra Apollinarium, quos incunctanter poſt epiſtolam ad Epictetum reponendos cenſemus, quibus errores hominis & ſectatorum ejus inſectatur, tacito ſemper Apollinarii nomine. Nam quod in inſcriptione comparet, id videtur librariorum auctoritate inductum, quando in quibuſdam exemplaribus non exſtat. Et vero ea re firmatur noſtra ſæpe memorata npinio, Apollinarium, dum viveret Athanaſius, ejus ſemper gratiam affectaſſe, atque ſtuduiſſe imprudente illo errores ſpargere ſuos. Sane gloriabatur ille, multas ſe ab Athanaſio accepiſſe litteras. quæ nota eſſet ſervatæ ſemper ejus gratiæ amicitiæque. Athanaſio autem defuncto, poſita larva, palam cœpit errores evulgare; ut auſus ſit etiam miſſis ad Diocæſarienſem ſynodum litteris virus hæreſeos detegere & publicare. Præter memorata opuſcula exſtat alia perbrevis oratio contra Apollinarii errores, omiſſo de more illius nomine, quam antehac ineditam nunc primum publici juris facimus. Itemque fidei confeſſio haud multum diverſa ab ea quam Joviano roganti tranſmiſit Athanaſius, inſertis ſolum clauſulis adverſum Apollinariſtas & Pneumatomachos; quæ ab Athanaſio ſub finem vitæ concinnata jam primum lucem adſpicit.

Melaniæ iter Alexandriam.

2. Hoc item anno Alexandriam proficiſcitur Melania matrona Romana, & quidem, ut ex Rufini & Palladii teſtimoniis commonſtrari videtur, Athanaſio ſuperſtite; etenim donatam ajunt ab Athanaſio ovina pelle, dono ante ſibi oblata a Macario Abbate: qui Macarius eam a leone in beneficii præmium acceperat & mercedem reſtituti catulis ſuis luminum uſus.

Anno 373. Mors Athanaſii. Sozom. lib. 10. cap. 19. Theod. lib. 4. cap. 20.

1. Demum Athanaſius cum totos quadraginta ſex annos in epiſcopatu conſediſſet, & quadrageſimum ſeptimum ageret, ætate ac ſenio confectus, prope octogenarius, promeritum tantis officiis, tantis laboribus præmium accepturus, ſexto nonas Maji diem obiit. Moriturus ſucceſſorem ſibi deſignavit Petrum, virum jam plurimis fidei cauſa una cum Athanaſio ſuſceptis laboribus præclarum, populorumque votis expetitum, dignum ſcilicet, quæ ſumma laus, qui Athanaſium exciperet.

2. Non una eſt de anno obitus Athanaſii ſententia. Ex Socratis enim teſtimonio, qui Coſſ. Gratiano ſecundum & Probo defunctum ait, multi nec ignobiles viri, mortem ejus conferunt in annum 371. ſed hanc chronologiæ rationem ſat firmitatis non habere ſuadent, cum ea quæ ſuperius dicta ſunt, tum aperta antiquiorum & fide digniorum ſcriptorum teſtimonia. Baſilius namque anno 370. menſe Junio, ut firmior fert ſententia, in epiſcopum cooptatus eſt. Atque exinde multas quæ hactenus exſtant miſit, multas itidem accepit ab Athanaſio litteras. Unde jam videatur anguſtius temporis intervallum, viris tanto terra marique ſpatio disjunctis, ad tot epiſtolas ultro citroque mittendas. Minus enim undecim menſibus ab ordinatione Baſilii ad Athanaſii obitum intereſſent. Et quod magis urget, ait Baſilius in una epiſtolarum ad Athanaſium, unum duoſve ex Arianis Rnmæ damnatos, ſcilicet Urſacium & Valentem, in priore ſcilicet Romana ſynodo. Ex quo colligitur, necdum ſecundam ſub Damaſo Romanam ſynodum, ubi damnatus Auxentius Arianorum nequiſſimus fuerat, celebratam fuiſſe. Unde cnnficitur, eam vel ſub finem anni 370. quo delectus Baſilius eſt, vel ſequente habitam fuiſſe. Huic autem Synodo diu ſuperſtes Athanaſius erat, qui illam in epiſtola ad Epictetum laudat, quique multa alia, ut proxime oſtendebamus, ſecundum eam datam epiſtolam edidit. Ad hæc, in vivis erat Athanaſius anno 372. cum Melania in Ægypto peregrinaretur. Quamobrem Hieronymi & Proterii epiſcopi Alexandrini & martyris teſtimoniis hærere præſtat. Hieronymus enim ad annum Domini 374. ait Petrum Athanaſii ſedem excepiſſe, qui annus eſt æræ noſtræ 373. Proterius vero in epiſtola Paſchali ſic habet: „ In octogeſimo nono anno ab imperio Diocletiani, ſuperſtite patre noſtro & epiſcopo Athanaſio, cum XIV. luna Paſchalis, XXVIII. die menſis Phaminoth, id eſt, nono Kalendarum Aprilium die proveniſſet, die Dominico, in ſubſequentem translatum eſt hebdomadem, ita ut quinta die menſis Pharmuthi, hoc eſt, pridie Kalendarum Aprilium, celebraretur Paſcha Dominicum. „ Quæ notæ omnes in annum quadrant 373. Hiſce aliud adjicit argumentum vir eruditus Pagius mutuatum ex hiſtoria Patriarcharum Coptitarum, Latine verſa & evulgata per Abrahamum Eckellenſem, ubi dicitur obiiſſe ſanctus Patriarcha, ſeptimo Beſcinas die Jovis, cujus dies ſeptimus cum die ſecunda Maji concurrit. Quare cum anno 373. dies ſecunda Maji in feriam quintam inciderit, in eumdem annum optime confertur mors Athanaſii.

3. Eo igitur anno ad cæleſtem vitam demigravit vir ille tantus, tot laboribus periculiſque perfunctus, tot emenſis declinandæ vexationis cauſa terrarum ſpatiis, tot pro Chriſti fide ærumnis & calamitatibus adfectus, quinquies exſul, inſidiis ſemper Arianorum appetitus. Quot annos vitæ, tot fere annos calamitatis enumeres. Annos ferme ſeptem ſupra quadragenos ſedem tenuit, annos prope totidem hæreticorum impetu, conſpirationibus, fraudibus agitatus; qui exſuli necem, reduci exſilium parabant aſſidue. Non ille minis, non terroribus, non capitalis periculi denuntiationibus fractus umquam fuit, aut ceſſit adverſariis. Imperatores quatuor, Duces, Præfectos exercitus, mala perniciemque ſibi parantes vidit: & qua erat animi fortitudine, imperterritus ſemper, numquam deflexit a veritatis via. Ad hæc, quantum conſilio, quantum dicendi copia valeret, cum ex rebus negotiiſque per totum vitæ curriculum,

Anno 373. quantumvis ardua & periculosa essent, feliciter juxta atque prudenter administratis, tum adversariorum testimonio comprobatur; qui cum tam acri, tam sagaci viro rem esse sibi inique ferentes, haud semel ira feroces in maledicta erupere. Sed ut acer cum hæreticis & novatoribus, ita mitis & modestus cum iis qui, ex imbecillitate lapsi, resipiscerent: in bello pacis studiosissimus, faciles semper aditus præbens ad reconciliandam gratiam, quantum salvo officio poterat: quod ex rebus cum Basilio Ancyrano & Meletio Antiocheno gestis perspicuum. Qui vero fuerit in re domestica & familiari, ne sciamus, vetat omnium antiquorum ea de re silentium, vetat epistolarum ejus jactura. Sed amor populi Alexandrini, famaque sanctitatis apud Ægyptios juxta, & alios extrema usque orbis incolentes, omnium genere virtutum præclarum fuisse testificantur: quarum præmium obtinuit, æternumque habiturus est. Anno 373.

Absoluta Vita Sancti Athanasii Archiepiscopi Alexandrini, non abs re visum fuit duos laterculos hic adjicere. Primum Episcoporum Alexandriæ Græce ex codice Colbertino num. 3558. recenti manu exarato, sed ex antiquiore descripto. Alterum Romanorum Alexandrinorumque Pontificum ex Bibliothecæ mss. S. Joannis Laudunensis ab annis plus mille descripto.

EX CODICE COLBERTINO 3558. XVI. SÆCULI.

Πατριάρχαι Ἀλεξανδρείας.

α. Μάρκος ὁ εὐαγγελιστής,	ἔτη β.	κγ'. Κύριλλος,	λβ'.
β. Ἀνιανός,	κβ'.	κδ'. Διόσκορος,	ζ ἥμισυ.
γ'. Αἰμίλιος,	ιγ'.	κε'. Προτέριος,	ϛ' ἥμισυ.
δ'. Κίρδων,	ά.	κϛ'. Τιμόθεος,	γ'.
ε. Πρίμος,	ιβ'.	κζ'. Πέτρος, ϛ' ἥμισυ, ἐξεβλήθη.	
ϛ'. Ἰοῦστος,	ιά.	κη. Ἰωάννης,	ά.
ζ. Εὐμένιος,	ιγ'.	κθ'. Ἀθανάσιος,	ζ ἥμισυ.
η. Μάρκος,	ι.	λ'. Ἰωάννης,	ιά.
θ'. Κελαδίων,	ιδ'.	λά. Διόσκορος,	γ'.
ι. Ἀγριππῖνος,	ιβ'.	λβ'. Τιμόθεος,	ιζ.
ιά. Ἰουλιανός,	ι.	λγ'. Γαϊανός,	α.
ιβ'. Δημήτριος,	μγ'.	λδ'. Θεοδόσιος,	β.
ιγ'. Ἡρακλᾶς,	ιϛ'.	λε. Παῦλος,	β.
ιδ'. Διονύσιος,	ιζ.	λϛ'. Ζωΐλος,	ζ ἥμισυ.
ιε. Μάξιμος,	ιη.	λζ'. Ἀπολινάριος,	κβ.
ιϛ'. Θεωνᾶς,	ιθ'.	λη. Ἰωάννης,	ιά.
ιζ'. Πέτρος ὁ μάρτυς,	ι.	λθ'. Εὐλόγιος,	κζ.
ιη. Ἀχιλλᾶς,	ά.	μ'. Θεόδωρος,	ε.
ιθ'. Ἀλέξανδρος,	ιζ.	μά. Ἰωάννης,	ι.
* l. μϛ'. κ'. Ἀθανάσιος,	* ιϛ'.	μβ'. Γεώργιος,	θ'.
(* Πέτρος abest) καὶ Θιμόθεος,	ι.	μγ'. Κύριλλος,	ι.
κβ'. Θεόφιλος,	κη.	μδ'. Πέτρος,	ε.

Incipiunt Romanorum nomina Sacerdotum.


1. Petrus Apostolus,	ann. 25. * mensis 2. (* sic mss.)	24. Stefanus,	ann. 11. mensis 5.
2. Julius,	ann. 13. mensis 6.	25. Xistus,	ann. 7.
3. Cletus,	ann. 12. mensis 1.	26. Maximus,	ann. 8. mensis 5.
4. Clemens,	ann. 9. mensi uno.	27. Felix,	ann. 4. mensis 2.
5. Evarestus,	ann. 9. mensis 10.	28. Euticianus, (sic) Dionysius,	ann. 9. mensis 9.
6. Alexander,	ann. 12. mensis 7.	29. Gaius,	ann. 11. mensis 4.
7. Xistus,	ann. 10. mensis 3.	30. Marcellinus,	ann. 9.
8. * Talesphorus, (* sic)	ann. 11. mensis 1.	31. Eusebius,	
9. Iginus,	ann. 4. mensis 3.	32. * Miltiades,	ann. 4. mensis 7. (* sic)
10. Pius,	ann. 19.	33. Silvester,	ann. 33. (lege 23.) mensis 8.
11. Niceta,	ann. 11. mensis 4.	34. Marcus,	
12. Soter,	ann. 8. mensis 2.	35. Julius,	ann. 17. mensis 4.
13. Eleuterius,	ann. 15. mensis 3.	36. Liberius,	ann. 6. mensis 4.
14. Victor,	ann. 15. mensis 4.	37. Damasus,	ann. 18.
15. Zepherinus,	ann. 18. mensis 6.	38. Musonius,	ann.
16. Calistus,	ann. 5. mensis 10.	39. Siricius,	ann. 15.
17. Urbanus,	ann. 9. mensis 1.	40. Anastasius,	ann. 3. mensis 1.
18. Pontianus,	ann. 7. mensis 10.	41. Innocentius,	ann. 15. mensis 3.
19. Anterus,	mensis 2.	42. Zosimus,	ann. 7. mensis 9.
20. Fabianus,	ann. 14. mensis 4.	43. Bonifacius,	ann. 3. mensis 8.
21. Victor,	ann. 15. mensis 3.	44. Cælestinus,	ann. 9. mensis 10.
22. Cornelius,	ann. 2. mensis 3.	45. Xistus,	ann. 3.
23. Lucius,	ann. 3. mensis 7.	46. Leo,	

46. Leo, ann. 21. mensis 1.
47. Hilarius, ann. 6. mensis 2.
48. Simplicius, ann. 15.
49. Felix, ann. 9.
50. Gelasius, ann. 4. mensis 8.
51. Anastasius, ann. 1. mensis 11.
52. Simmachus, ann. 15. mensis 6.
53. Ormisdas, ann. 9.
54. Johannes, ann. 2. mensis 9.
55. Felix, ann. 2. mensis 2.
56. Bonifacius, ann. 2.
57. Joannes, ann. 2. mensis 4.
58. Agapius, ann. 1.
59. Vigilius, mensis 12.
60. Silverius, mensis 10.
61. Vigilius, ann. 19. mensis 3.
62. Gelasius, ann. 4.
63. * Catellus, qui & Johannis, * sic
64. Benedictus,
65. Pelagius, usque præsens, tempore Mauritii Imperat. Augusti.
66. Gregorius,

Item Alexandrinorum nomina Sacerdotum & Antestitum.

1. Marcus,
2. Anianus, ann. 22.
3. Avillius, ann. 12.
4. Cerdon, ann. 11.
5. Primus, ann. 12.
6. Justus, ann. 11.
7. Eumenes, ann. 13.
8. Marcus, ann. 10.
9. Calendio, ann. 14.
10. Agripinus, ann. 12.
11. Julianus, ann. 10.
12. Demetrius, ann. 43.
* l. Heraclas 13. * Herachas, ann. 16.
14. Dionisius, ann. 17.
15. Maximus, ann. 8.
16. Themas, (Theonas,) ann. 18.
17. Petrus martyr, ann. 10.
* forte, menses 18. Afillas, (Achillas,) * ann. 6.
19. Alexander, ann. 15.
20. Athanasius, ann. 46.
21. Petrus, ann. 2.
22. Thimoteus, ann. 5.
23. Theuphilus, ann. 29.
24. Cyrillus, ann. 33.
25. Dioscorus hæreticus,
26. Proterius martur, ann. 5. mensis 5.
27. Timotheus * illarus, ann. 3. * elurus
28. Timotheus alius,
29. Petrus Mongos,
30. Inannis Tavenensis, (Joannis.)
31. Athanasins,
32. Joannis alius, Niceta,
33. Dioscorus alius,
34. Timotheus,
35. Theudosius Heresiarchus,
36. Gaianus Heresiarchus.
37. Paulus.
38. Zoilus.
39. Apollinarius.





SANCTI PATRIS NOSTRI

GREGORII THEOLOGI

ORATIO.

IN MAGNUM ATHANASIUM ARCHIEPISCOPUM ALEXANDRINUM.

Jacobo Billio Prunæo interprete.

1. ATHANASIUM laudans, virtutem laudabo. Idem enim est illum dicere, quod virtutem laudibus efferre: quoniam virtutes omnes in unum collectas tenebat: vel, ut verius loquar, tenet. Deo quippe omnes vivunt, qui secundum Deum vixerunt, etiamsi ex hac vita migrarint. Unde & Deus, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob dicitur, ut viventium Deus, non mortuorum. Virtutem autem laudans, Deum laudabo, a quo virtus hominibus est, illudque, ut per cognatam illuminationem ad eum evehantur, vel potius reducantur. Nam cum multa nobis & magna sint, atque adeo tot & tanta, ut nemo ea sermone complecti possit, quæ nos a Deo partim habemus, partim habituri sumus: maximum tamen & humanissimum est, propensio ad eum atque conjunctio. Nam quod rebus in sensum cadentibus est sol, hoc iis, quæ animo & ratione intelliguntur, est Deus. Ille enim mundum hunc aspectabilem collustrat: hic invisibilem. Ille corporis oculos ita afficit, ut lumen ipsius intueri possint: hic naturas intelligentes, divinas reddit. Atque ut ille, cum & iis, quæ oculorum sensu prædita sunt, & iis, quæ videntur, hanc vim tribuat, ut & illa videre, & hæc visu percipi possint, interim tamen ipse omnia, quæ oculis subjecta sunt, pulchritudine antecellit; eodem modo Deus, cum tam iis, quæ intelligentia utuntur, quam quæ mente & intellectu comprehenduntur, hoc afferat, ut & ista intelligant, & hæc intelligentia percipiantur, ipse tamen intelligibilium omnium summus est vertex, in quo desiderium omne consistit, nec supra eum usquam fertur. Nec enim quicquam sublimius habet, aut omnino habebit mens ulla, quantumvis philosophica, & altissime tendens, ac summe curiosa. Hoc etenim rerum omnium expetendarum extremum est: quo cum pervenerimus, conquiescit omnis speculatio. Cuicunque igitur terrena mole per rationem & contemplationem perrupta, solutaque hac carnali, sive nubes sive obvelatio dicenda est, cum Deo commercium habere, ac purissimæ luci, quantum humanæ naturæ datum est, commisceri licuerit, is duplici nomine beatus prædicari debet: tum quod hinc sursum ascenderit, tum quod deificationem illam sit consecutus, quam verum & sincerum philosophiæ studium conciliat, ac mentis supra terrenum binarium subvectio, propter eam, quam in Trinitate intelligimus, unitatem. Qui autem ob animæ cum corpore conjunctionem deterior factus est, ac luto usque adeo hæsit, ut nec in veritatis radios mentis aciem intendere, nec supra inferiora hæc assurgere queat, idque cum desuper originem traxerit, & ad superna vocetur, hunc cæcitatis ergo miserum existimo, etiamsi res hujusce vitæ illi ex animi sententia fluant: tantoque etiam miseriorem, quanto magis a secundo ac felici fluxu A delusus fuerit, sibique aliud quodpiam bonum vero bono præstabilius esse persuaserit, malum utique malæ opinionis fructum decerpens, nimirum ut vel tenebris mulctetur, vel eum tamquam ignem videat, quem ut lucem minime cognovit.

2. Hæc paucis, tam nostræ tempestatis, quam priscis hominibus curæ ac studio fuerunt: (pauci enim Dei sunt, quamvis omnes ipsius figmenta sint) legislatoribus, bellicis ducibus, sacerdotibus, Prophetis, Euangelistis, Apostolis, pastoribus, doctoribus, omnique spirituali cœtui atque agmini, inter omnes autem eos huic quoque, in cujus laudem hæc a nobis B habetur oratio. Quos tandem hos dico? Enoch illum, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, duodecim Patriarchas, Mosem, Aaronem, Josue, Judices, Samuelem, Davidem, Salomonem aliquantisper, Heliam, Helisæum, Prophetas, qui vel captivitatem antecesserunt, vel post eam extiterunt, atque hæc, ordine quidem postrema, cæterum revera prima, quæ circa Christi incarnationem seu humanitatis assumtionem contigerunt, nimirum lucernam illam ante lucem, vocem ante sermonem, mediatorem ante mediatorem, hoc est eximium illum Joannem, mediatorem, inquam, veteris & novi Testamenti, Christi discipulos, eos C denique, qui post Christum vel plebi præfuerunt, vel per sermonem ac doctrinam in conspicuum venerunt, vel per miracula nobilitati sunt, vel per sanguinem consummati. Ex his Athanasius alios exæquavit, ab aliis paulum abfuit, nonnullos etiam, nisi hoc audacius a me dictum videatur, antecessit: atque aliorum sermonem & eruditionem, aliorum actionem, aliorum mansuetudinem, aliorum zelum, aliorum dimicationes, aliorum multa, aliorum omnia imitando consecutus, atque aliud ab alio mutuatus, quemadmodum qui formas singulari studio & elegantia pin-D gunt, atque in unam sui ipsius animam complexus, unum ex omnibus virtutis simulacrum numeris omnibus absolutum edidit: sic videlicet se comparans, ut & disertos actione, & rerum gerendarum facultate præditos eruditione atque eloquentia vinceret; aut si mavis, & doctrinæ gloria florentes, doctrina, & rebus gerendis aptissimos actione superaret: atque & iis, qui mediocrem in utroque genere laudem habebant, eo superior esset, quod in altero horum summe excelleret, & rursus, iis, qui altero dumtaxat genere summopere eminebant, hoc nomine præ-E staret, quod utraque virtute polleret.

3. Quod si bis, qui ipsum ætate præcesserunt, virtutis exemplum ipsi præbuisse magnum atque honorificum est, non minus certe huic nostro præclarum censeri debet, quod posteris exemplum ipse fuerit. Atque omnem quidem illius vitam sermone prosequi ac laudibus

bus efferre longius fortasse fuerit, quam hujus orationis institutum ferat, ac non tam encomii opus, quam historiæ: quam etiam ut posteris documento atque oblectationi futuram peculiari scripto mandare cum primis optarem, quemadmodum ipse divi Antonii vitam conscripsit, monasticæ nempe vitæ præcepta sub narrationis specie tanquam lata lege promulgans. Verum cum pauca ex multis illius rebus, quæque nunc nobis, ut notiora & insigniora, ultro memoria suppeditat, commemoraverimus (ut simul & cupiditati nostræ satisfaciamus, & officium huic * festo debitum persolvamus) plura iis, quibus ea cognita sunt, relinquemus. Neque enim alioqui apud nos pium nec tutum est, cum impiorum hominum vita memoriæ prodatur, nostros pietate præstantes viros silentio transmittere: idque in ea civitate, quam vix etiam multa virtutis exempla servare possint, quippe quæ, ut Circos & theatra, ita res quoque divinas pro ludo habeat. Ille igitur in divinis moribus ac disciplinis statim educatus est, cum liberalibus artibus perexiguum temporis tribuisset, ne videlicet hujusmodi rerum omnino rudis & ignarus videretur, eaque nescire, quæ sibi contemnenda duxerat. Neque enim nobilem & egregiam animi indolem vanis studiis occupari sustinuit, eodemque modo affici, quo imperiti athletæ, qui dum aerem plus quam corpora feriunt, præmiorum spe frustrantur. Atque & vetus & novum Testamentum ita permeditatus, ut neutrum quidem quisquam alius. Non modo contemplatione, sed etiam morum ac vitæ splendore ditatur, mirificeque utrumque connectit, catenam vere auream, & quæ a plerisque minime necti queat: hanc nimirum rationem iniens, ut & vita duce ad contemplationem uteretur, & contemplatione vitam obsignaret. Nam & timor Domini principium est sapientiæ, velut primum quoddam incunabulum: & sapientia, cum timorem excesserit, atque ad Dei amorem nos subvexerit, ex servis jam amicos ac filios efficit.

* cœtui.

Alexandrinorum pravi mores.

4. Sic porro educatus & institutus, ut nunc quoque eos oporteret, qui plebis Antistites futuri, magnumque Christi corpus tractaturi sunt, secundum magnum Dei consilium ac præscientiam, quæ magnarum rerum materiam longe ante præstruit, in magnum hunc sacerdotum ordinem cooptatur, atque in eorum, qui appropinquanti Deo appropinquant, numerum adscribitur, ac sacrosanctæ stationis & ordinis honore afficitur, cunctisque Ecclesiasticorum graduum muneribus deinceps perfunctus, (ut quæ media sunt resecem) Alexandrino populo, quod idem est, ac si dixissem, universo terrarum orbi præficitur. Neque satis constituere possum, virtutisne præmium, an Ecclesiæ fontem ac vitam hujusmodi dignitatem acceperit. Hanc enim oportebat, veritatis siti languentem ac prope confectam, Ismaelis instar potione refici, aut velut Heliam, refrigerata per siccitatem terra, e torrente refocillari, paulumque spirantem ad vitam revocari, ac semen Israeli relinqui: ne ut Sodoma & Gomorrha efficeremur, quarum celebris quidem est improbitas, celebrior autem interitus, incolis nempe igne & sulphure oppressis atque obrutis. Propterea nobis jam jacentibus cornu salutis erectum est, lapisque angularis, nos, & sibi, & inter nos constringens, opportune injectus est, aut ignis, malæ & vitiosæ materiæ purgator, aut rusticum ventilabrum, quo a gravibus dogmatis levia discernuntur, aut gladius vitii radices exscindens: ac verbum belli socium invenit, & Spiritus hominem, qui pro se spiret, nanciscitur. Sic igitur, atque ob eas causas, totius populi suffragiis, non autem secundum pravum exemplum, quod postea inolevit, neque per vim ac cædem, sed Apostolico & spirituali modo ad Marci thronum evehitur, non minus pietatis, quam principatus successor. Ut enim si hunc spectes, remotissimus ab eo futurus est: ita, si illius rationem habeas, statim illi proximus invenitur. Quæ quidem proprie successio existimanda est. Nam qui eamdem fidei doctrinam profitetur, ejusdem quoque throni socius est: qui autem contrariam sententiam tuetur, adversarius quoque in throno censeri debet, atque hæc quidem nomen, illa vero rem ipsam & veritatem habet successionis. Neque enim qui per vim irrupit successor habendus est, sed qui vim perpessus est; nec qui leges violavit, sed qui modo legibus consentaneo electus est: nec qui contraria dogmata tenet, sed qui eadem fide præditus est. Nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati & tenebras luci, & tempestatem tranquillitati, & menti alienationem prudentiæ succedere dicimus.

Psalm. 110.

Levit. 10.

5. Posteaquam autem ad hunc modum præsul designatus est, ad hunc quoque protinus modum imperium administrat. Non enim simul atque ad thronum pervenit, velut qui tyrannidem quamdam aut hæreditatem præter spem arripuerunt, statim ob saturitatem in petulantiam prorupit. Hoc enim adulterinorum & adscriptitiorum præsulum est, eoque munere, quod profitentur, indignorum: qui cum nihil prius ad sacerdotium attulerint, nullas ærumnas virtutis causa pertulerint, discipuli simul magistrique pietatis creantur, aliosque ante purgant, quam ipsi purgati fuerint: heri sacrorum expilatores, hodie sacerdotes: heri prophani, hodie sacrorum antistites, veteres vitio, pietate rudes & recentes, (quod gratiæ ac favoris humani, non Spiritus opus est.) qui cum cætera omnia violenter pervaserint, ad extremum ipsam quoque pietatem tyrannide premunt: quorum non mores dignitati, sed dignitas moribus fidem adstruit, ordine admodum præpostero: qui denique plura pro suis, quam pro populi ignorantiis, sacrificia debent, ac prorsus duntum alterum peccant, vel quia venia ipsi opus habent, ultra modum aliis ignoscentes, ut sic vitium non modo non reprimatur, sed etiam doceatur: vel quia imperii acerbitate peccata sua obtegunt. Quorum utrumque fugiens Athanasius, vita quidem sublimis erat, verum animo humilis: atque ea quidem virtute, ut nemo ad eam accedere posset: cæterum ea comitate, ut ad ejus congressum facilis omnibus aditus pateret, mansuetus, ab ira alienus, ad miserationem propensus, sermone jucundus, moribus jucundior, facie Angelicus, animo magis Angelicus, in increpando placidus, in laudando erudiendi vim habens; sic utrumque temperans, ut neutrum horum per immoderationem labefactaret, verum & increpatio paternam charitatem, & laudatio imperio dignam gravitatem obtineret: nec aut mollities dissoluta, aut severitas rigida & tetrica esset, quin potius illa facilitatis & benignitatis, hæc prudentiæ nomen haberet, utraque vero sapientiæ laudem consequeretur: ita denique se comparans, ut nec sermone, propter mores abunde ad institutionem sufficientes magnopere opus haberet, nec rursus propter vim facultatemque dicendi, virga admodum egeret, sectione porro multo minus, ob virgam moderate ferientem.

Hebr. 9.

6. Quid autem vobis hominem describere attinet, quem Paulus antevertens depinxit, partim cum Pontificem illum magnum, qui cælos penetravit, deprædicat: (huc enim usque progredi non dubitat oratio, cum Scriptura eos, qui secundum Christum vivunt, pro Christis agnoscat) partim cum Timotheo in epistola, quam ad eum scribit, leges imponit,

ponit, eum, qui Ecclesiæ antistes futurus est, sermone fingens atque informans? Nam si legem eam, velut regulam quamdam ei qui ab his rebus laudatur admoveris, quam recta ea sit liquido perspicies. Agite igitur, ac mecum laudationis munus suscipite. Nam circa orationem laboro, ac multa quidem prætermittere cupio: verum alias ab alio detineor, neque, quod præcellit, reperire queo, velut in corpore undique æquali atque eleganti. Mihi enim, ut quidque occurrit, ita pulchrius ac præstantius videtur, orationemque ad se rapit. Facite igitur, quicunque laudum illius præcones ac testes estis, ut virtutes illius inter vos partiamini, ac præclarum certamen inter vos ineatis, viri simul & fœminæ, adolescentes & virgines, senes & juvenes, sacerdotes & populus, monachi & in sodalitio viventes, qui simplicitatis alumni estis & qui exactioris vitæ studiosi, omnes denique, quorum vita, vel in contemplatione, vel in rebus gerendis versatur. Hic illius, velut corpore vacantis ac materiæ expertis, jejuniis atque orationibus assiduitatem laudibus vehat; ille insuperabilem in vigiliis ac psalmodiis vigorem: alius egentium curam & præsidium: alius ut vel superbis & elatis restiterit, vel ad humiles se demiserit, narret. Virgines pronubum laudent: quæ matrimonii jugo constrictæ sunt, moderatorem: qui solitariam vitam agunt, excitatorem & erectorem: qui in sodalitio vivunt, legislatorem: simplices deductorem, speculationi dediti theologum, hilares frænum, calamitosi consolatorem, canities baculum, juventus pædagogum,

1. Cor. 9. paupertas largitorem, divitiæ dispensatorem. Quin mihi videntur & viduæ patronum laudaturæ, pupilli patrem, & pauperes pauperum studiosum, & peregrini hospitalem, & fratres fratrum amantem, ægrotantes medicum, idque cujuscunque morbi ac medicamenti volueris: sani valetudinis custodem, omnes denique eum, qui omnia omnibus factus est, ut omnes, vel quamplurimos lucrifaceret. Atque hæc, ut diximus, alii mirentur & prædicent, quibus tantum otii suppetit, ut exiguas illius virtutes laudibus prosequantur. Exiguas porro cum dico, ipsum secum comparans, dico, ipsiusque virtutes cum ipsius virtutibus

1. Cor. 4. conferens. Neque enim id quod glorificatum est, glorificatum est, etiamsi valde sit splendidum, propter exuberantem gloriam, velut litteris sacris proditum est: alioqui pauca etiam illius ornamenta ejusmodi sunt, ut ad nominis celebritatem aliis abunde esse queant. Nobis autem (nec enim ferendum est, nos relicto verbo rebus levioris momenti administrare) ad id, quod laudum ipsius caput est, convertenda est oratio. Deo vero, cujus causa hunc quoque sermonem instituimus, acceptum referendum erit, si quidpiam dixerimus, quod illius grandiloquentiæ animique virtuti respondeat.

7. Fuit quondam tempus, cum res nostræ florerent ac præclare se haberent, cum nimirum superflua hæc & verborum lepore atque arte fucata tractandæ Theologiæ ratio ad divinas caulas ne aditum quidem habet: verum idem erat calculis ludere, inversionis celeritate oculorum obtutum fallentibus, aut omnigenis & lascivis corporis flexibus spectatores ludificari, quod novi quidpiam ac curiosi de Deo vel dicere vel audire: simplex contra ingenuaque oratio atque doctrina, pietas existimabatur. At postea quamquam Sexti & Pyrrhones, & contradicendi libidine incitata lingua, velut gravis quidam ac malignus morbus in Ecclesias nostras magno nostro malo irrepserunt, ac nugacitas doctrinæ atque eruditionis opinionem tulit, quodque

Act. 17. Actorum liber de Atheniensibus narrat, ad nihil aliud vacamus, quam ut novi aliquid dicamus vel audiamus. O quis Hieremias confusionem nostram caliginemque deplorabit, qui solus lamentationes calamitatibus exæquare novit: huic furori Arius quidem ille, a furore nomen habens, initium dedit: qui etiam petulantis & effrenatæ linguæ pœnas expendit, in obscœnis & impuris locis exstinctus; atque orationis, non morbi, viribus oppressus, ac Judæ instar ob eandem Verbi proditionem disruptus. Verum alii hunc morbum excipientes, impietatis artem condiderunt, nimirum qui divinitatem Ingenito circumscribentes, non modo Genitum, sed etiam Procedentem, divinæ naturæ finibus exturbarunt, nominis tantum societate Trinitatem honorantes, imo ne hoc quidem ipsi integrum relinquentes. At non eodem modo beatus ille, & vere homo Dei, ac magna veritatis tuba. Quin potius cum illud perspectum haberet, & tria hæc in numerum unum contrahere, impii erroris esse, novique dogmatis Sabellii, qui primus divinitatis contractionem excogitavit; & rursus tria, quantum ad naturam, distrahere, nihil aliud esse, quam portentosam divinitatis sectionem introducere; hanc rationem tenuit, ut & unum, quantum ad divinitatem, pulchre servaret, & tria, quantum ad proprietates, pie doceret: nec aut per unum deitatem confunderet, aut per tria distraheret, sed intra pietatis metas consisteret, immodicam in utramque partem inclinationem & oppositionem vitans.

8. Atque idcirco primum in sancto Concilio Nicææ habito, atque illo trecentorum & duodeviginti lectissimorum virorum numero, quos Spiritus sanctus in unum coegerat, quantum in ipso fuit, morbum compressit, nondum ille quidem in Episcoporum numerum allectus, verum primi inter eos, qui simul cum ipsis eo perrexerant ordinis. Nam iis tum rerum status erat, ut non minus virtute, quam graduum dignitate, honoris præstantia censeretur. Deinde cum hoc malum pravi illius follibus excitatum jam atque inflammatum esset, majoremque orbis partem invaderet (hic enimvero tragœdiæ illæ initium capiunt, quarum fama terram pene ac mare implevit) varium illi quidem ac multiplex, ut strenuo fidei defensori bellum infertur: (adversus eum enim, qui obsistit, ac contra nititur, infestissima esse acies hostilis solet) atque aliunde aliud quoddam periculum influit (solers quippe & ingeniosa ad excogitanda mala est impietas, atque ad aliquid aggrediendum mire audax: quonam autem modo hominibus parcerent, qui divinitati non pepercerant?) unus tamen hic impetus atrocissimus fuit. Nam ipse quoque ad hanc tragœdiam nonnihil confero. Atque hic mihi charissimum solum, patriam, inquam, meam, omni crimine solutam velim: improbitas enim, non patriæ, sed iis, qui animi inductione ipsam elegerunt, assignanda est. Illa enim quippe sacra & apud omnes pietatis laude clara & illustris est: hi autem Ecclesia matre indigni. Porro in vinea quoque spinam nasci audistis: ac Judas, qui in discipulorum numero erat, proditor fuit. Nec vero desunt, qui ne meum quidem cognominem culpa liberent, qui doctrinæ more ac studio tum temporis Alexandriæ peregre agens, cum ab ipso humanissime, non secus ac filiorum charissimus, acceptus esset, tantamque apud eum gratiam & auctoritatem obtinuisset, ut res ei maximi ponderis committerentur, consilium, ut hominum sermo est, capit, adversus patrem & patronum insurgendi. Et quamquam alii tragœdiæ hujus actores essent: manus tamen Absalonis, ut dicitur, cum illis erat. Si quis vestrum est, qui manum illam, ex qua sancto viro

fal-

salsum crimen conflatum est, & mortuum illum viventem, & injustum exilium norit, quid dicam, intelligit. Verum hoc lubens obliviscar. Sic enim existimo, in dubiis & incertis rebus faciendum nobis esse, ut ad benignitatem & humanitatem propensiores simus, eosque, qui in culpa sunt, absolvamus potius, quam condemnemus. Malus enim celerrime adducitur, ut bonum etiam virum condemnet: contra vir probus ne malum quidem facile condemnaverit. Qui enim ad vitium minime proclivis est, is nec facile ad male de alio suspicandum movetur.

9. Quod autem jam non sermn, sed res est, nec inexplorata quædam suspicio, sed certissimis argumentis nixa persuasio, id vero narrabo. Cappadox quoddam monstrum, ax ultimis terræ nostræ finibus oriundum, malum genere, animn pejus, ne omni quidem ex parte liberum, sed dubium ae permixtum, cujusmodi mularum genus esse constat, primum aliæ mensæ mancipium, atque nssa venale, sicque comparatum & edoctum, ut omnia ad ventris gratiam tum faceret, tum loqueretur: tandem cum ad rempublicam gerendam pestifere se contulisset, atque extremn & sordidissimn illius muneri, hoc est suillis carnibus, quibus turba militaris alitur, suscipiendis præfectus fuisset, atque in commisso sibi negotin infidum se præbuisset, totamque muneris sui administrationem ad ventrem retulisset, posteaquam nihil illi præter corpus reliqui fuit, profugiendi consilium capit, atque aliam ex alia reginnem ac civitatem, ut fugitivorum mos est, subinde permutans, postremo ad communem Ecclesiæ perniciem instar cujusdam Ægyptiacæ plagæ Alexandriam invadit. Hic vagari desinit, improbitatem autem & versutiam auspicatur. Ac cætera quidem nullius pretii erat, non liberalibus disciplinis imbutus, nnn in congressu & colloquio facetus, non pietatis larvam saltem & inanem speciem præferens, verum ad suscipienda facinora, resque perturbandas appositissimus. Nostis nmnes, ac commemoratis, qualia adversus sanctum virum perpetrarit. Persæpe enim impiorum manibus ac potestati viri justi deduntur, non ut illis honor habeatur, sed ut horum virtus explnretur: & quamquam mali in morte atrocissima sint, quemadmodum Scriptura testatur, deridentur tamen interim in hac vita pietatis cultores, tantisper dum Dei benignitas occultatur, ac magna earum rerum promtuaria, quæ in posterum utrisque reconduntur: tum cum, & sermo, & actin, & cogitatin justa Dei trutina expenderentur, cum scilicet ipse ad judicandam terram surrexerit, consilium & opera colligens, atque ea, quæ apud ipsum condita & obsignata sunt, detegens, atque in medium proferens.

10. Hæc tibi, tum sermone suo, tum cruciatu Job persuadeat, qui cum homo esset veritatis cultor, a reprehensione alienus, justus, pius, & quæcumque illi Scripturæ testimonin tribuuntur, ab eo tamen, qui ipsum depoposcerat, tot tamque densis & copiosis assultibus quatitur, ut cum multi sæpe ex omni hominum memoria in ærumnas & calamitates inciderint, nonnulli enim, ut probabile est, vexati & afflicti fuerint, nemn tamen cum illius miseriis comparari queat. Non enim pecunias tantum & prædia, & splendidam ac numerosam prolem, quæ res ab omnibus hominibus vehementer expetuntur, non hæc, inquam, dumtaxat amittit; & quidem ita, ut nec luctibus ipsis nb malorum connexionem locus esset: sed postremn in ipso quoque corpore incurabili, ac visu etiam tetra & horribili plaga affectus, pro calamitatis cumulo uxnrem habebat, pejoribus & gravioribus eum consolantem. Id enim obnixe agebat,

A ut ad corporis plagam animæ vulnus accederet. Quin sincerissimns etiam amicos suos, malorum, ut ipsius verbis utar, consnlatores habebat, non depulsores: qui cum ipsius dolnrem perspicerent, nec doloris arcanum intelligerent, in ea opinione versabantur, ut non virtutis explorandæ, sed vindicandi sceleris causa hanc illi plagam inflictam esse existimarent. Quid dico existimarent? Imo nec calamitatem ei exprobrare verebantur: idque eo tempore, cum, etiamsi peccati pœnam lueret, ejus tamen angorem consnlatoria oratione fallere ac mitigare conveniebat. Atque hoc statu Jnb erat: ac divinæ circa eum actionis principia hoc B modo se habebant. Virtus enim cum invido spiritu decertabat. Hic ut virtutem superaret, nmni ope contendebat: illa, ut invicta permaneret, omnia perferebat. Atque hic, ut per justorum cruciatum vitio facilem viam strueret, laborabat: hæc contra, nt bonos retineret, etiam in calamitatibus superiores. Quid vero is, qui ad eum per turbinem & nubes nracula edebat, qui ad inferendam pœnam tardus est, & ad npem ferendam celer, qui virgam peccatorum in sortem justorum non omnino immittit, ne justi improbitatem addiscant? in fine certaminis illustri præconio athletam suum victorem pronuntiat, atque affli- C ctinnis arcanum aperit. Num tu censes, inquit, me aliam ob causam hæc in te decrevisse, quam ut justitia tua elucescat? Hæc vulnerum medicina, hæc certaminis corona, hoc patientiæ præmium. Nam quæ deinde secuta sunt, parva fortasse, (quantumvis nonnullis magna videntur) & pravorum hominum causa constituta, tametsi alioqui duplo majora, quam quæ ipsi ademta fuerant, receperit.

11. Proinde ne hic quidem mirum videri debet, *Job. 42.* quod Georgius meliori, quam Athanasius, conditinne fuerit: sed illud mirabilius videri debuisset, si D injuriarum & calumniarum ignibus vir justus minime exploratus fuisset. Imo ne hoc quidem valde mirandum, verum illud potius admirationem habuisset, si lnnga his flammis mnra producta fuisset. Hinc ille snlum vertit, ac de exilin quam præclarissime statuit. Nam ad sacra illa & divina Ægypti monasteria se confert: in quibus homines a mundo se distrahentes, ac solitudinem amplectentes, Deo vivunt magis, quam cæteri omnes, qui in corpore versantur. Quorum alii vitam prorsus solitariam, & ab hominum societate remotam agunt, sui ipsorum tantum & Dei colloquio fruentes, atque hanc E dumtaxat terræ partem prn mundo habentes, quam in solitudine cognitam habent. Alii autem charitatis legem per communinnem & societatem colentes, snlitarii simul & cœnobitæ sunt, ac cæteris quidem hominibus negotiisque, iis nmnibus, quæ in medio vnlvuntur, versantque simul & versantur, ac nobis per repentinas & crebras mutationes imposturam faciunt, mortui & exstincti: sibi ipsis autem invicem mundi loco sunt, ac per comparationem mutuo inter se virtutem acuunt & exstimulant. Cum his consuetudinem habens magnus ille vir, ut omnium aliarum rerum sequester, & conciliator erat, nimi- F rum illius exemplum sequens, qui per sanguinem suum ea, quæ inter se diffidebant, pacificavit: ita solitariam quoque vitam cum communi in gratiam reducit: illud nimirum ostendens & Episcopatum philosnphiæ minime expertem esse, & philosophiam sacri Antistitis institutione opus habere. Sic enim hæc duo, hoc est tranquillam actionem & actuosam tranquillitatem consociavit & copulavit, ut persuasum omnibus redderet, monasticæ vitæ professionem morum potius gravitate & constantia, quam corporis secessione exprimi atque insigniri. In quam etiam sententiam David, simul & rerum gerendarum

rum facultate præstabat, & maxime solus erat: si cui tamen illud, *Singulariter sum ego, donec transeam*, ad hujus dicti comprobationem confirmationemque pondus magnum habere videtur. Ita fiebat, ut qui alios virtute antaibant, iidem ab illius consilio & mente longiori intarvallo abessent, quam quo reliquos antecedebant: atque ad sacerdotii munus numeris omnibus absolvendum pauca conferentes, multo plura ad monasticæ vitæ rationem partibus omnibus explendam reciperent. Tantumque ei tribuebant, ut quidquid ipsi placuisset, pro lege haberent: ac rursus vetitum sibi atque interdictum, quicquid ille sententia sua improbasset, existimarent, illiusque decreta pro Mosaicis tabulis ducerent, ac majori, quam quæ sanctis viris deberi videatur, ipsius veneratione afficerentur. Nam cum quidam eo se contulissent, ut pium virum, perinde ac feram quamdam vestigarent, nec eum passim quæsitum invenirent, ne alloquendos quidem eos, qui missi fuerant, duxerunt; verum cervices gladiis objiciebant, velut pro Christo periclitantes, atque ita animo comparati, ut si acerbissimi aliquid pro eo perferrent, magni id ad philosophiam momenti esse judicarent, diuturnisque jejuniis, & chameuniis, cæterisque corporis ærumnis, quas pro perpetuis deliciis habent, multo sublimius ac divinius.

Psal. 140. 10.

Eccl. 3. 12. Atque hic in his studiis versabatur, illud Salomonis comprobans, quo suum cuique rei tempus esse docuit. Ac proinde aliquantisper belli tempus fugiens latitabat, ut cum adventante pacis tempore colluceret: quemadmodum & paulo post contigit. At Georgius, nemine jam ipsius impetum propellente, Ægyptum incursionibus vastat, atque impietatis robore Syriam populatur: Orientem etiam, quantum potest, invadit, ægros & infirmos quotidie, quemadmodum torrentes, ea quæ simul volvuntur, assumens, ac leviores aut ignaviores adoriens. Quin etiam Imperatoris simplicitatem sibi conciliat: pietate enim ipsius dimoveor, ne levitatem dicam. Nam si vere dicendum est, zelum habebat, verum non secundum scientiam. Tum ex proceribus eos sibi pecunia comparat, qui æri amorem Christi amori præferebant (ipsi etenim opes & copiæ, bona pauperum erant, in flagitiosos usus infumta) atque ut ex his potissimum muliebres homines & inter viros minime viros, sexu quidem dubios, impietata autem apertos & perspicuos, quibus cum fœminarum cura committatur, haud scio, qui fiat, ut Imperatores Romani eosdem virorum officiis muneribusque præficiant. Tantum valuit ille diaboli administer, ille zizaniorum sator, ille Antichristi præcursor; ita negotium partiens, ut Episcopo quodam, ea tempestate disertissimo, linguæ vice uteretur (si cui tamen disertum eum appellare libeat, qui non tam impius sectarius fuit, quam inimicus & contentionis studio flagrans: nomen ejus consulto præteribo) ipse autem manus instar cohorti suæ esset, ac veritatem auro convelleret, quod quidem ob pios usus collectum, impietatis instrumentum pravi homines effecerunt.

Rom. 10.

Matth. 13. 1. Jo. 2.

13. Hujus potantiæ opus Concilium illud fuit, quod Seleuciæ primum, ubi fanum est sanctæ & egregiæ virginis Theclæ, deinde in hac amplissima civitate coactum est: quas urbes pulcherrimis antea nominibus claras, turpissimarum rerum notis celebres illustresque reddidit: sive Chalanæ turrim, quæ linguas pulchre divisit (quemadmodum utinam illas quoque, in malum nempe concordes) sive Caiphæ concilium, quo Christus condemnatur, sive quocumque tandem alio nomine conventus hic appellandus est, qui omnia evertit, ac perturbavit. Piam enim & veterem doctrinam, ac Trinitatis patronam, jacto vallo, ac machinis impulsa & labefactata Consubstantialis voce, sustulit: impietati autem, per scripti dogmatis ambiguitatem, fenestram aperuit: hoc quidem prætextu, quasi Scripturam revereretur, ac probatissimarum vocum usum amplecteretur, re autem vera Arianismum nullo Scripturæ loco proditum in ipsius locum substituens. Hæc enim verba: *Simile secundum Scripturas*, simplicioribus hominibus illecebra erant, impietatis hamo circumjecta, statua ad omnes pertranseuntes sese obvertens, communis utriusque pedis cothurnus, cribratio ad omnem ventum ex recens scripta fraude, consilioque adversus veritatem excogitato, licentiam atque auctoritatem assecuta. Sapientes enim erant ad male agendum: at benefacere non norant. Hinc subdola illa & captiosa hæreticorum condemnatio: quos, ut plausibilior eorum conatus esset, verbis quidem ab Ecclesia proscripserunt, reipsa autem in medium prnduxerunt: sic videlicet cum illis agentes, ut non immanis cujusdam impietatis, sed scriptionis immodicæ crimen ipsis impingerent. Hinc prophani sanctorum judices, & nova atque insusitata mixtio, mysticæ nempe quæstiones spectanta vulgo tractatæ, atque iniqua rerum gestarum inquisitio, & pretio conducti sycophantæ, & sententiæ stata mercede pronuntiatæ. Hinc alii ab Ecclesiarum thronis injuste pellebantur: alii in eorum locum subrogabantur: sic tamen, ut ab iis impietatis chirographa, non secus atque aliud quidpiam necessarium, exigerent. Atque in promtu atramentum erat, & calumniator a tergo. Ea res per multos e nobis, invictos alioqui viros, in fraudem impulit, qui quamvis mente haudquaquam prolapsi fuerint, subscriptione tamen transversi acti sunt, atque cum illis, utroque nomine improbis, consenserunt: ac, si non flammæ, fumi certe participes fuerunt. Quod quidem ipse multis sæpe lacrymis prosecutus sum, impietatem eam, quæ tunc longe lateque manabat, & persecutionem, quæ nunc ab ipsis Verbi patronis adversus orthodoxam doctrinam excitata est, conspiciens. Nam proculdubio stulte egerunt pastores, (ut cum Scriptura loquar) & pastores multi vineam meam pervastaverunt, ac desiderabilem partem, hoc est Dei Ecclesiam multis sudoribus & victimis, tam ante Christum, quam post Christum cæsis, ac denique magnis ipsius Dei pro salute nostra cruciatibus relictam, probro ac dedecore affecerunt.

Eccl. 5.

Hier. 12.

14. Nam si perpaucos exceperis, qui, vel ob nominis obscuritatem contemtui habiti fuerunt, vel ob virtutem restiterunt: (quos Israeli seminis & radicis loco relinqui oportebat, ut per Spiritus influxiones rursum efflorescerет, atque ad vitam revocaretur) omnes tempori obsecuti sunt: hoc tantum inter eos discriminis fuit, quod alii citius, alii serius in eam fraudem inciderunt, atque, alii impietatis duces antistitesque se præbuerunt, alii autem in secundo ordine locati sunt, nempe vel timore perculsi, vel quæstu atque utilitate subacti, vel blanditiis inescati, vel denique ignorantia circumventi, ac circumscripti, quod omnium levissimum est: si cui tamen id quoque ad eorum, quibus populi cura commissa est, purgationem sufficere videtur. Nam quemadmodum leonum cæterorumque animantium non iidem sunt motus atque impetus, nec virorum & mulierum, nec senum ac juvenum, verum & ætatum & generum haud exiguum discrimen est: sic nec præfectorum & subditorum. Nam plebeiis hominibus, qui per errorem id admiserint, ignoscendum fortasse fuerit, quibus illud plerumque saluti est, quod animum a curiosa exploratione

tione alienum habent. At doctori quo tandem modo idem concedemus, qui aliorum etiam inscitias emendat, nisi id falso sibi nomen arroget? Nam cum Romanorum legem nemini, quamlibet rustico & indocto, ignorare liceat, nec lex ulla exstet, quæ criminibus per ignorantiam commissis opem ferat: nonne absurdum est, salutis doctores & antistites salutis principia nescire, etiamsi alioqui simpliciores sint, hebetiorique animo? Verum iis sane ignoscatur, qui impiis dogmatibus per ignorationem assensum præbuerunt. Quid autem de aliis dixeris, qui etiam ingenii laudem sibi vendicantes, ob eas tamen, quas commemoravimus, causas, hæreticis rerum potientibus manus dederunt, & cum pietatis personam diuturno tempore tanquam per ludum gessissent, simul ut aliquid apparuit, quo convinci atque coargui possent, protinus corruerunt?

Agg. 2. 7. Heb. 12. 26.

15. Semel quidem adhuc futurum Scriptura pronuntiat, ut cælum ac terra moveantur, tamquam id quoque ipsis antea jam contigerit. Quibus verbis mea quidem sententia, illustris rerum mutatio significatur. Atque etiam Paulo fides habenda est, posterum terræ motum nihil aliud fore affirmanti, quam secundum Christi adventum, mundique hujus immutationem, atque in tranquillum statum, & ab omni motu & agitatione liberum, translationem. Ego vero terræ motum hunc nostra tempestate coortum nullo eorum, qui jam exstiterunt, inferiorem esse existimo, per quem omnes philosophiæ dediti ac Dei amore præditi, atque ante tempus in cælis civium munere fungentes, a nobis dimoventur. Qui tametsi alioqui pacati ac moderati sint, hac tamen in re lenes & faciles esse non sustinent, cum per silentium & quietem Dei causa proditur: verum hic admodum bellaces sunt, atque in confligendo acres & feroces (hujusmodi enim zeli æstus est) citiusque aliquid, quod non oporteat, emoverint, quam, quod ex officio sit, prætermiserint. Eodem motu non minima quoque populi pars abrumpitur, velut in avium grege, cum his, qui prius avolarant, avolans, ac ne nunc quidem simul avolandi finem faciens. Tantum nobis in Athanasio, illo inquam Ecclesiæ columine, præsidii erat, quamdiu nobiscum versabatur! Tantam rursum a nobis ejusdem absentia calamitatem importavit, postquam improborum hominum conatibus cessit! Quemadmodum enim qui firmam quamdam arcem expugnare in animum induxerunt, si eam accessu alioqui captuque difficilem esse perspexerint, ad artem se conferunt, atque arcis præfecto pecuniis aut fraude ad suas partes pertracto, ita jam nullo negotio & labore arcem quoque ipsam in ditionem redigunt: aut si mavis, quemadmodum qui Samsoni insidias struxerant, crinem prius, in quo vires positas habebat, abstulerunt, atque ita demum Judicem in potestatem acceperunt, posteaque ipsi arbitratu suo insultarunt pristinæque ipsius potentiæ parem ex adverso potestatem adepti sunt: sic quoque alienigenæ nostri, summoto atque a medio sublato nostro robore, ac detonsa Ecclesiæ gloria, ita jam in impietatis dogmatibus & actionibus incredibili quadam cum voluptate versabantur. Hic vitam cum morte commutat adversarii pastoris confirmator & patronus, malum haud malo imperio finem imponens, atque inutili, ut ferunt, pœnitentia in extremo vitæ spiritu affectus, cum nimirum, ob alterius seculi tribunal, æquus rerum suarum unusquisque judex est. Tria enim hæc esse ajunt, ob quæ tanquam imperio suo indigna pœnitentia ductus fuerit, primum, quod propinquis suis necem intulisset: alterum, quod Julianum apostatam Imperatorem nominasset: postremum, quod novis fi-

A dei dogmatibus studuisset: simulque cum his vocibus e vita discessisset.

16. Itaque veritatis doctrina potestatem ac licentiam rursum accipit, atque ii qui vexati atque oppressi fuerant, solutam libertatem, zelo nempe iracundiam acuente. Quod etiam ipsum Alexandrinis accidit, qui, ut in eos, a quibus contumeliam acceperunt, acerbissimi esse solent, importunam hominis audaciam indignissimis animis ferentes, tum novo mortis genere improbitatem, tum novo dedecore mortem notandam atque infamandam duxerunt. Notus est vobis camelus ille, atque insueta B farcina, & nova magnitudo, primaque illa, ac nisi me opinio fallit, sola circumductio, quæ etiamnum contumeliosis hominibus minaciter denuntiatur. Posteaquam autem ille injustitiæ turbo, illa pietatis labes & corruptela, ille pravi illius præcursor, hujusmodi supplicio mulctatus est, meo quidem judicio haud recte (nec enim quid eum pati, sed quid nos facere decebat, spectandum fuit) sed mulctatus est tamen, totiusque populi impetum atque iracundiam subiit: tum vero nobilis ille athleta ex præclara peregrinatione; (sic enim ipsius fugam pro Trinitate, & cum Trinitate susceptam appello) in ur- C bem redit, atque ita lætos & alacres cives offendit, imo etiam universam prope Ægyptum undiquaque in unum concurrentem, atque ab editis omnibus locis, ut alii sola Athanasii voce, alii forma & aspectu saturarentur, alii, (quod de Apostolis prædicatur,) ex umbra saltem ipsa, novoque corporis simulacro sanctitatem contraherent: ut, cum multis jam sæpenumero ex omni hominum memoria honores habiti sint, multis etiam obviam proditum sit, idque non præfectis tantum publicis & Episcopis, sed familiarum quoque amplissimis quibusque & clarissimis, D nullius tamen occursionis major frequentia & splendor fuisse memoretur: unum dumtaxat Athanasium, eumque honorem, quoad priorem urbis ingressum ornatus fuerat, cum ex eadem fuga, & ob easdem causas inita, Alexandriam repeteret, cum ea comparari posse.

17. Quin & de honore illo hujusmodi quispiam sermo circumfertur: dicam enim, supervacaneus licet videri possit, ac velut condimentum, adventitiumque florem orationi adjungam. Post illius adventum quidam in urbem vehebatur, alteram jam præfecturam gerens (noster hic erat, quippe Cappa- E dox, vir in primis clarus: nec mihi dubium est, quin Philagrium illum a me nominari sentiatis) ea porro civium erga illum amoris flamma, ut nec ulla alia par, nec erga alium: honor autem, ut rem totam paucis verbis ob oculos ponam, amoris magnitudini respondens: cui etiam urbis administratio tum civium deprecatione, tum Imperatoris calculo & sententia rursus mandata fuerat. Tum igitur e vulgo quispiam, cui infinita multitudo videbatur, ac velut pelagus quoddam oculis haudquaquam circumscriptum, ad amicum quemdam & familiarem, ut in F hujusmodi rebus accidere solet, ita locutus esse fertur: dic mihi, vir optime, tantamne unquam populi multitudinem vidisti, tamque concordibus animis ad unum hominem ornandum effusam? Minime, inquit juvenis. Ac ne Constantium quidem ipsum pari honorificentia exceptum fuisse opinor: tamquam videlicet per Imperatoris nomen summus honoris vertex significaretur. Tum ille perquam suaviter arridens, quid ais, inquit, quasi magnum aliquid & admirandum dicens? Imo magnum quoque illum Athanasium pari honore introductum fuisse, vix adduci possum, ut credam: simulque patrium quoddam jusjurandum ad id, quod dixerat, confir-

man-

mandum adjunxit. Eo autem hic sermo spectabat, quemadmodum etiam vobis perspicuum esse arbitror, ut Imperatori quoque ipsi Athanasium anteferret. Tanta erat apud omnes viri hujus veneratio! Tanto stupore ingressus ejus memoria hominum mentes etiamnum defixas tenet! Nam per sexus & ætates atque artes divisi (solet enim maxime civitas illa ad hunc modum instrui, cum publico honore afficiendum aliquem suscipit. Quonam vero modo spectaculi illius magnitudinem oratione referre queam?) Fluvius unus omnes erant. Nilum etiam Poeta quispiam diceret, illum inquam vere auriflaum, & spicis uberem, ab urbe ad Chæreum retroacto cursu fluentem, diei unius itinere, atque eo amplius. Liceat mihi per vos quæso paulum adhuc in hac narratione lascivire. Illic enim animus versatur, nec sermonem ab ea solemnitate revocare facile possum. Pullus ipsum vehebat (ac peto a vobis, ne me audaciæ accusetis) non secus fere, ac Jesum meum pullus ille: sive Gentilis populus, quem ignorantiæ vinculis solutum percommode conscendit, sive quid aliud oobis hoc sermone designetur. Hoc unum interfuit, quod Christum rami susceperunt, & varia indumenta, multiplicique florum genere constrata, ante ipsum projecta sunt: excelso autem & magnifico viro Athanasio nihil tale factum est. In eoque uno impares honoris partes habuit. Jam hic quoque adventus Christi expressam imaginem videre licet, quod erant etiam, qui præeundo clamarent, ac chorum agerent: nisi quod non puerilis dumtaxat turba faustis illum acclamationibus excipiebat, verum etiam omnis lingua concors & adversaria hominum sese mutuo superare contendentium. Nam quid publicos plausus commemorem, & unguentorum profusiones, pervigilia & totam urbem lumine coruscantem, publica item & privata convivia, cæteraque, per quæ urbes lætitiæ atque hilaritatis argumenta edunt, quæ tum illi amplissime, & supra quam credi queant, conferebantur.

18. Sic vir eximius, ac tum tali pompa & celebritate civitatem suam ingreditur. Sed enim fortasse vitæ rationes ita instituit, ut eos decet, qui tantæ hominum multitudini præfuturi sunt, verum nequaquam parem vitæ doctrinam attulit: aut non ita decertavit, ut docuit: aut minus quam quivis eorum, qui pro recta doctrina certamen adierunt, periclitatus est: aut minores, quam pro certaminum merito honores consecutus est: aut denique honoribus illis, quibus in ingressu ornatus est, post ingressum decori atque ignominiæ fuit? Minime gentium. Verum omnia, non secus atque in cithara, inter se, apta & connexa erant, pulchreque congruebant, tum vita & doctrina, tum certamina & pericula, tum reditus, & quæ reditum sunt consecuta. Nam simul atque ad Ecclesiam pervenit, non eodem modo affectus est, quo ii solent, qui per iræ impotentiam cæcutiunt, &, ut quidque primum occurrit, ita illud, quamlibet etiam dignum, a quo manus abstineantur, protrudunt aut feriunt, ira nimirum animi principatum tenente. Verum hoc potissimum tempus ad nominis celebritatem & gloriam idoneum sibi esse arbitratur, (quandoquidem fere fit, ut qui in calamitate versatur, moderatiorem se præbeat, qui autem referendæ injuriæ potestatem nactus est, insolentius se gerat) tanta lenitate atque humanitate res eorum, a quibus læsus fuerat administravit, ut ne iis quidem ipsis, si hoc dici potest, ipsius reditus molestus fuerit. Ac templum quidem sacrilegis nundinatoribus, iisque qui Christo ad quæstum abutebantur, repurgat, in hoc quoque scilicet Christum referens: nisi quod non texto flagello, sed probabilibus argumentis atque ad persuadendum accommodatis id efficit. Tum eos, qui inter se, & cum ipso simultates gerebant, in concordiam reducit: & quidem ita, ut nullius pacificatoris opera ad eam rem opus haberet. Adhæc injuria affectos tyrannide liberat, nullum eorum, qui ipsius causæ studebant, & eorum, qui adversas partes sequebantur, delectum habens. Prolapsam insuper fidei doctrinam erigit: ac libere rursus Trinitas prædicatur, super candelabrum posita, splendidoque unius divinitatis lumine animas omnes collustrans. Leges etiam rursus orbi terrarum præscribit, atque omoium mentes ad se convertit, aliis epistolas mittens, alios accersens, nonnullos etiam ultro accedentes erudiens, omnibusque liberam voluntatem pro lege proponens. Hoc enim solum ad præmonstratum virtutis iter sufficere censebat. Ut in summa dicam, duorum laudabilium lapidum naturam imitatur. Nam & percutientibus adamas efficitur, & diffidentibus magnes, arcana naturæ vi ferrum trahens, ac durissimam omnium materiam sibi adsciscens.

19. Sed scilicet fieri non poterat, ut invidia hæc ferret, atque Ecclesiam, pristinæ gloriæ suæ veterique sanitati restitutam, videre sustineret, diffectis nimirum partibus celerrima cicatrice, velut in corpore, obductis. Ac proinde Imperatorem adversus eum excitat, in eodem, quo ipse, defectionis crimine versantem, atque improbitate parem, tempore solo posteriorem, qui primus Christianorum Imperatorum adversus Christum furore percitus, atque impietatis basiliscum, quem multo ante parturiebat, oblata occasione, subito presundens, simul atque Imperator declaratus est, statim & erga Imperatorem, qui ipsius fidei imperium commiserat, improbe, & erga Deum, cui salutem debebat, improbius se gerit. Ac persecutionem omnium, quæ umquam fuerunt, teterrimam excogitat: quatenus persuasionem & sermonis blanditias tyrannidi adjungens: (nam eos etiam honores, qui ob certamina tribui solent, Martyribus invidebat) fortitudinis laudem in dubium revocabat, verborum nempe captiones & argutias ad mores suos transferens, aut, ut verius loquar, a moribus & ingenii vafritie ad ea scelera studium conferens, dæmonisque, qui in ipsius pectore domicilium habebat, artem multiplicemque versutiam imitans. Hic parum amplum atque præclarum esse arbitratus est, universam Christianorum nationem imperio suo subjicere: magnum autem & gloriosum fore, si Athanasium ejusque in Christiana doctrina vim & facultatem superaret. Perspiciebat enim, nihil sibi ex suis in nos consiliis accedere, quod adversus eum in acie staret Athanasius, ejusque conatibus obsisteret. Id enim, quod ex Christianis decedebat, Gentilium accessione, ipsiusque prudentia quotidie supplebatur: id quod sane mirandum erat. Quæ cum callidus ille impostor & persecutor animadverteret & cerneret, ne personam quidem diutius ferre, ac sophistica & servili dissimulatione uti sustinuit, verum animi perversitate detecta palam aperteque hominem e civitate præcipitem exturbat. Egregium enim virum triplici certamine vincere oportebat, ut perfectum etiam præconium consequeretur.

20. Non multum temporis intercesserat, cum impium illum & sacrilegum ad Persas vis numinis ultrix ablegat, illicque causam disceptat: & quem magnificum & honoris cupiditate flagrantem transmiserat, eumdem mortuum reducit, ne miseratione quidem quemquam permoventem: imo, ut mihi quispiam narravit, nec ad sepulturam assumtum, sed a terra, quæ propter ipsius scelus tremore affecta fuerat, excussum; æstuque vehementi projectum: in-

sequen-

ſequentis, ut opinor, ſupplicii præludium. Surgit autem alter Imperator, facie minime impudens, quemadmodum is, de quo ante verba fecimus, nec pravis operibus, & operum præfectis Iſraelem opprimens, ſed mira pietate animique lenitate præditus. Qui, ut pulcherrimum imperii ſui fundamentum jaceret, rectamque legum ſanctionem, unde conveniebat, auſpicaretur, cum omnes alios Epiſcopos, tum eum ante omnes, qui omnibus virtuta præſtabat, ac citra dubitationem ullam pietatis cauſa oppugnatus fuerat, ab exilio revocat. Quin etiam fidei noſtræ veritatem a multis laceratam & perturbatam, atque in ſexcentas opiniones parteſque diſtractam ſibi tradi poſtulavit: ut maxime quidem univerſus orbis, ſi fieri poſſet, in fidei negotio conſentiret, Spirituſque auxilio in unum coiret: ſin minus, ipſe certe optimæ parti ſeſe adjungeret, ſimulque & ei robur afferret, & ab ea viciſſim acciperet, excelſe ſimul & magnifice de rebus maximis cogitans. Atque hic potiſſimum Athanaſius puritatis ſuæ fideique in Chriſtum firmæ & conſtantis ſpecimen edidit. Nam cum cæteri omnes, qui doctrinam noſtram profitebantur, trifariam diviſi eſſent, ac multi circa Filium, plures etiam circa Spiritum ſanctum ægram fidem haberent, (ubi levior impietas pietatis opinionem ferebat) pauci autem utrinque ſani & incolumes eſſent, primus ille & ſolus, aut cum admodum paucis, veritatem palam apertiſque verbis promulgare non dubitavit, unam trium perſonarum divinitatem & eſſentiam ſcripto confeſſus: & quod multis illis Patribus circa Filium prius conceſſum fuerat, idem ipſe poſtea in aſſerenda Spiritus ſancti divinitate ſuperno afflatu conſecutus. Atque Imperatori donum vere regium & magnificum offert, ſcriptam nimirum fidei confeſſionem adverſus novum dogma nuſquam in Scriptura expreſſum: ut ſic & Imperatorem Imperator, & doctrinam doctrina, & libellum libellus frangeret atque opprimeret.

21. Hujus confeſſionis, ut mihi videtur, auctoritate permoti, tum Occidentales, tum quidquid in Oriente vitale eſt, partim animo tenus pietatem colunt, ſi quid ipſorum verbis fidei habendum eſt, ulterius autem eam non proferunt, velut mortuum quemdam fœtum, in materno utero extinctum: partim eam, igniculi cujuſdam inſtar, nonnihil accendunt, hactenus ſcilicet, ut tempori, atque acrioribus & ferventioribus orthodoxis, aut piæ plebi utcumque ſatisfaciant: partim denique omni verborum libertate veritatem prædicant: a qua parte utinam ipſe ſtem (nec enim majus quiddam jactare audeo) non jam timiditati meæ ignaviæque conſulens, eique aliorum tarditatem & mentis imbecillitatem prætexens, (ſatis enim ſuperque diſpenſavimus, non modo alienos nobis non adjungentes, ſed noſtros etiam corrumpentes: quod ſane malorum diſpenſatorum eſt) verum partum in lucem efferens, & accurate nutriens, atque omnibus ob oculos proponens, quotidie augeſcentem. Sed hoc in illo minus admirationis mereri videtur. Nam qui re ipſa pro veritatis defenſione periculis ſe objecerat, quid mirum, ſi eamdem ſcripto confeſſus ſit? Quod vero mihi in ipſo maxime mirari ſubit, quodque non citra damnum ſilentio præteriri poteſt, hac præſertim tempeſtate, qua multæ contentiones diſſidiaque gignuntur, hoc adhuc ſuperioribus adjiciam. Nam his quoque, qui nunc vivunt, hæc actio doctrina eſſe queat, ſi ipſum nobis imitandum proponamus. Quemadmodum enim ab una & eadem aqua non tantum ea pars disjungitur, quam manus inter hauriendum reliquit, verum id etiam, quod manu comprehenſum per digitos effluit: eodem modo a nobis non impiæ ſolum doctrinæ cultores, verum etiam qui pietatis laude in primis excellunt, præciduntur, idque non in parvis dumtaxat & contemnendis dogmatis (minus enim hoc grave eſſet) verum etiam in verbis, quæ ad eumdem omnino ſenſum tendebant. Nam cum eſſentia una, & tres hypoſtaſes a nobis pie dicerentur, (quod alterum divinitatis naturam, alterum trium Perſonarum proprietates declaret,) atque eodem quidem modo apud Romanos intelligerentur, cæterum ob linguæ illius anguſtiam & verborum inopiam hypoſtaſin ab eſſentia diſtinguere non poſſent, eoque factum eſſet, ut pro ea, ne tres ſubſtantias admittere viderentur, Perſonarum vocabulum inducerent, quid tandem contigit? Res profecto ridicula, vel potius miſeranda. Diverſæ fidei ſpeciem præbuit levis illa & jejuna de vocum ſono altercatio. Hic deinde & Sabelliſmus ob tres Perſonas excogitatus eſt, & Arianiſmus ob tres hypoſtaſes, quorum utrumque pertinax contendendi ſtudium effinxerat. Quid poſtea? Cum exigua res aliqua quotidie accederet, quæ moleſtiam afferret (moleſta autem, ut videretur, contentio faciebat) eo tandem res adducta eſt, ut periculum eſſet, ne orbis terrarum fines una cum ſyllabis abrumperentur. Quæ cum beatus ille vir, & vere homo Dei, magnuſque animarum diſpenſator, oculis auribuſque uſurparet, tam abſurdam & a ratione alienam Verbi ſectionem diſſimulandam ac negligendam ſibi non putavit: verum medicinam morbo quamprimum adhibet. Quonam autem modo id facit? Utraque parte leniter benigne accita, verborumque ſententia diligenter & accurate perpenſa, poſteaquam concordes reperit, nec, quantum ad doctrinam, ullo modo inter ſe diffidentes, ita negotium tranſegit, ut nominum uſum concedens, rebus eos conſtringeret.

22. Hoc diuturnis illis laboribus & ſermonibus, quos omnes litteris mandant, longe utilius eſt: utpote qui ambitione non vacant, ob eamque fortaſſe cauſam circa fidei doctrinam quiddam innovatur. Hoc multis vigiliis & chameuniis præſtantius, quarum utilitas in his, qui hæc præſtant, defigitur, nec latius manat. Hoc pervulgatis atque omni fama eelebratis ipſius exiliis & fugis nihilo inferius exiſtimandum eſt. In eadem quippe ſtudia, ob quæ calamitates illas ſibi perferendas duxerat, poſt calamitates ipſas incumbebat. Quin id etiam ipſum in aliis facere non deſinebat, alios laudibus vehens, alios parce leviterque feriens: aliorum ſocordiam excitans, aliorum fervorem reprimens: aliis, ne laberentur, providens, alii ut lapſi erigerentur, rationem iniens: moribus ſimplex, gubernandi arte multiplex, verbis ſapiens, animo ſapientior: ſi cum humilioribus ipſi res eſſet, ad eorum captum ſe demittens, ſi cum ſublimiori mente præditis, altius aſſurgens, hoſpitum præſes, ſupplex, malorum depulſor, unus univerſa ea vere complexus, quæ ſingulatim Diis ſuis Gentiles tribuunt. Addam & connubialem, & virginum patronum, & pacificum, & reconciliatorem, & eorum, qui ex hac vita ad alteram properant, deductorem. O quantam nominum copiam mihi virtus ipſius ſuppeditat, undecunque cognomentum ipſi captanti! Cum autem eum vitæ curſum tenuiſſet, atque ita inſtitutus fuiſſet, alioſque inſtituiſſet, ut & vita ipſius morumque ratio Epiſcopatus norma eſſet, & ipſius dogmata pro fidei orthodoxæ lege haberentur, quod tandem pietatis præmium capit? (neque enim hoc neglectim tranſmittendum eſt.) In bona ſenectute vitam claudit, patribuſque ſuis, Patriarchis, & Prophetis, & Apoſtolis, ac Mar- Geneſ. 15. 15.
tyribus, qui pro veritate dimicaverant, adjungitur.

Atque,

Atque, ut epitaphium quoddam paucis complectar, excellentiori honore in discessu afficitur, quam quo in civitatis ingressibus ornatus fuerat: sic videlicet e vita migrans, ut multas lacrymas excitaret, majoremque iis rebus, quæ in aspectum cadunt, nominis sui gloriam in omnium animis reconderet. At, o charum & sacrum caput, tu inquam, qui præter cæteras tuas laudes sermonis & silentii modum eximie coluisti, orationi quidem nostræ finem hic constitue, si virtutum tuarum præstantiam haudquaquam assecutæ at viribus certe nostris minime inferiori. Nos autem utinam ipse benignus desuper & placidus aspicias, atque hunc populum gubernes, perfectum perfectæ Trinitatis, quæ in Patris & Filii & Spiritus sancti contemplatione intelligitur & colitur, adoratorem: meque, si quidem res pacatæ futuræ sint, in vita teneas, gregemque mecum pascas: sin autem Ecclesia bellis flagratura est, reducas, aut assumas, tecumque, & cum tui similibus colloces, tametsi magnum sit, quod postulo: In ipso Christo Domino nostro, cui omnis gloria, honor, & imperium in sæcula. Amen.

V I T A
ET CONVERSATIO
SANCTI PATRIS NOSTRI
ET CONFESSORIS
A T H A N A S I I
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.
INCERTO AUCTORE.

1. ALII quidem alia beatorum virorum scripta exempli & imitationis causa commemorent, auribusque tradant hominum Dei amantium: ex frequenti enim eorum qui virtute clari fuere memoria, ad virtutis studium & exercitium inflammamur. Ego vero quam puto omnium optimam secundum Deum vivendi rationem, alioqui licet ad perfecte imitandum difficilem, & inaccessam eam si vel aliquatenus assequamur, non minimum nobis arbitror adferre fructum. De Athanasii loquor vita, quam ceu quamdam virtutis columnam, omnibus conspicuam notamque exhibere conabor. Hujusmodi namque viri vita, tot propter Deum calamitatibus perfuncti, tot tantasque mutationes experti, tam frequentes, tam varias: non talis modo est, quæ probis animis admirationem una cum voluptate adferat; sed quæ illos ad Philosophiæ studium, ad quamcumque aliam virtutem, spem, magnanimitatem, patientiam opportunissime instituat. Haud facile profecto illius gesta omnia percensere: non modo enim ob magnitudinem imitatu difficilia, sed etiam ob multitudinem vix sunt enumeranda: verum quæ audire utilissimum erit: quæ quidem, una cum aliis, explorata multis sunt.

2. Athanasio igitur patria fuit urbs in Ægypto celeberrima Alexandria. Parentes aliis virtute præstantiores; sed filio tamen uni inferiores, ut ex fructu arbor, ex germine radix, majorem consequeretur laudem. Cujus animi ingenuitas liberalitasque, sanum ac constans ingenium, pietas erga Deum, propensio ad spiritualia, statim a pueritia emicuit. Vixdum enim excesserat ab infantia; quando (ut solet illa ætas ludis, & æqualium consortio gaudere, ob animi simplicitatem) ad quoddam maris littus cum æqualibus ille accessit, visusque est ibi jocari cum illis. At res seria lusus ille erat, atque futurorum signum, necnon occasio fuit & principium, quo ad Dei famulatum accessit. In ludo namque pueri sacerdotum ministeria imitati, Athanasium ordinant Episcopum; ac qui in presbyteros & diaconos deputati erant, admovebant ipsi pueros baptismo nondum obsignatos, ut ab eo tingerentur. Tum ille omnia constituta rite perficiens, pueros aqua marina baptizatos, videbatur velle aliqua admonitione cohortari. Qui vero Alexandrinæ tum præerat Ecclesiæ divus Alexander, nactus aliquam negotiorum intermissionem, aliquantumque vacans a rebus suis, cum recreandi animi causa jucundum maris adspectum oculis contemplaretur: videns huic ludo vacantem Athanasium, postquam non modicum temporis spectaculo intentus constitisset, valde rem admiratus, pueros statim accivit: ac quibuscumque cum Athanasii puræ manus, tum illi divinorum præceptorum ab infantia diaconi sive ministri, ceu quamdam in Christo sigilli formam imposuerant; eos ille promta manu inungit, quasi honestarum Athanasii præmaturam manuum impositionem revereretur; neque irritam faciendam esse judicaret. Illos, inquam, inungit ac baptismate initiat. Necdum enim initiatos fuisse jam supra dictum est. Ipsum autem Athanasium, dulcem illum virtutis florem, amœnissimam plantam, jam tempestivis imo præmaturis spiritus fructibus pullulantem, parentibus tradit, quo litteris statim addiscendis daret operam, atque adultus sibi iterum offerretur, vel potius Ecclesiæ atque Deo, quemadmodum, ajebat, Anna Samuelem.

3. Atque ita Athanasius in divinis institutus litteris; liberalium quoque disciplinarum aliquantum edoctus, quum adolescens jam esset, Archiepiscopo iterum adducitur a parentibus: Quem ille libenter exceptum, (norat enim quale quantumque bonum ecclesiis foret Athanasius)

nasius) sacra induit stola, atque Clero annumerat, pugnantibus scilicet commilitonem, in castris strenuum hominem. Multa itaque Athanasii erant bene morati hominis recte gesta: multa verborum, mirabiliaque documenta: quorum nullo ita præclarus efficitur, ut iis quæ sanæ causa doctrinæ subiit certaminibus: atque arduis contra impietatem pugnis. Quæ omnia ordine recensere perinde fuerit atque cotylis aquam maris metiri. Sed nobis tamen pauca sunt enarranda. Quemadmodum enim omnia recenseri nequeunt; sic rursum omnia prætermittere plane esset iniquum; invidorumque magis quam bonis alienis gaudentium. Furebat tum Arius ingentis insaniæ homo, totamque agitabat Ecclesiam, imo vero ipsum orbem, ac ubique malitia permeabat, nec ullus erat ejus terminus, temporis ratio nulla. Sed exsilio damnatus, atque ex Christi partibus proscriptus, ac pene semimortuus ille draco, cauda palpitabat, ac sectatores discipulosque concitabat. Horum igitur opera pietatis prudentiæque insignis virum Constantinum sibi conciliavit. Nihil enim æque, ac liberalis anima, dolis est incautum. Imperatorem, inquam, juramentis litterisque multum probabilitatis verisimilitudinisque habentibus per discipulos suos, aut potius magistros, vel legislatores circumvenit: suaque exposita doctrina, verbis utique simplicibus, quæ primo quidem auditu nostræ doctrinæ adfinia apparerent; re tamen atque latente intellectu ac sententia quam maxime differrent. Hac ille arte sibi ab exsilio reversionem parat.

4. Cum scelerato itaque illo in magnum reipublicæ & Ecclesiæ malum Alexandriam invadente, strenuus Christi miles, sanæ doctrinæ ac pietatis defensor, magnus Athanasius statim congreditur: multusque erat in concitando Archiepiscopum, ac ipsum ducem ad bellum inferendum movebat, ceu quidam generosissimus antesigoanus. Jam enim Archidiaconi gradum erat, & ordinem consequutus. Iis perturbabatur Ægyptus, tumultuabantur Eusebiani, contentiosi pravæque doctrinæ homines, qui tum Imperatoris simplicitatem litteris circumvenere suis. Athanasius porro non otio vacabat; sed lingua manuque strenue utebatur, ac una cum Alexandro, non cessabat epistolas ad Imperatorem mittere, quibus sane asperius argueret ejus in audieodis pravis hominibus simplicitatem: quod scilicet eum qui semel rectam Christianorum fidem abjecisset, ac ea de causa a Deo & a cunctis patribus proscriptus esset, ejus figmentis fabulisque circumventus, admitteret: patrumque terminos, uti scriptum est, immotos ipse moveret. Tum Imperator talem objurgationem non moderate ferens, sed ab Eusebio & sociis accensus, aspere dureque respondet, comminatus depositionem nisi eorum doctrinæ acquiescerent. Hæc aotem non agebat ille, quod ira commotus esset, aut quidpiam circa fidem innovaret, & Arianismum amplecteretur; sed zelo permotus, qui tamen non erat secundum scientiam: atque videretur operam dare, ne Ecclesia discinderetur.

Prov. 22. 28.

5. Alexander una cum Athanasio, ejusmodi ab Imperatore acceptis litteris, brevi post tempore superstes, optimo exitu vitam obiit. Tum Athanasius ut morum, sic statim ejus A throni successor fuit: totiusque populi calculo episcopatus illi concreditur, dignum sane talis unguenti vasculum, eamque sedem, non ut humanæ gratiæ opus, sed ut Spiritus donum, & virtutis certamen habuit. Tum graves impietatis patroni, occultique zizaniorum satores, ardentesque malitiæ ministri, paulum quidem temporis latuere, nihil moventes, nihil tumultuantes, sed impetum reprimebant, bellumque Athanasio indicere cunctabantur. Deinde velut accepta a maligno qui cor eorum alloquebatur tessera, partuque animæ suæ e- B rumpente, latentem antea aperire malitiam, insidias illi parare gravissimas: virumque illi cælestibus dignum tabernaculis, non throno tantum, sed urbe etiam pellere conantur. Ille imperterritus cum Davide psallere: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Princeps ponendarum insidiarum erat, qui solo nomine pietate præditus fuit, cujus sane mores tali appellationi oppositi erant, Eusebius, inquam, impietatis instrumentum. Ille enim cum asseclis captans Imperatoris simplicitatem, atque opportunum tempus se na- C ctum esse ratus, omnia movere, omnia miscere, quo Athanasium throno amoveret. Ea enim ratione sperabat se & alia consequi posse & Arii firmare sententiam. Conflata itaque adversus eum conspiratione, insidias, ratione ad persuadendum, ut sibi videbatur, aptissima, paravere. Ex Meletianis vero hæreticis, Isionem conduxere, itemque malitia divitem Eudæmonem, & pravitate omnes superantem Callinicum. Accusationes porro in Athanasium hujusmodi fuere: quod lineam vestem Ægyptios Alexandrinæ ecclesiæ pensitare coegisset: D quod se probe erga principem adfectum non exhiberet: sed Imperatoriis litteris insidiatus esset. Tertio avaritiæ accusabatur, nempe quod arcam auri plenam ad quemdam misisset amicum. Quarto producebatur Ischyras, vir turpissimis gravissimisque facinoribus obnoxius: qui non modo indignus qui accusaret; sed indignus misericordia erat. Vafer autem versutusque, qui posset causas accusantibus evertere. Qui cum sibi sacerdotium confingeret, nomenque presbyteri usurparet: qui, non initiatus licet, mystagogus in divinisque sapiens: E imprudens licet & insanus, prudens videri conabatur: & ea quæ sacerdotis sunt agere volebat, cum ne per somnum quidem sacerdos ordinatus fuisset. Unde illi talis honor, qui modo sacerdote indignissimo vitam egisset?

Psal. 26. 3.

6. Ea cum didicisset Athanasius, qua fuit semper diligentia in hujusmodi rebus explorandis, & ceu Lydius, ut ajunt, lapis, Presbyterum Macarium in Mareotem mittit: (ibi enim degebat Ischyras) eique rei perquisitionem committit. Postquam autem novit Ischyras se deprehensum esse, cum quid age- F ret non haberet, fuga se proripiens, Nicomediam petit: ibique Eusebio & sociis se sistit, impudenter clamans contra Athanasium, omniaque ipsum spectantia traducens, acerbeque homini maledicens. Sic enim se habet malitia, opportuna siquidem data occasione, ad mendacium cito concedit, atque palam contra veritatem arma sumit. Illi eum quasi Sacerdotem, honorant, atque apostatam transfugamque a Deo, a legibus & a sacris caoonibus, perhumaniter recipiunt. Natura enim similibus

dele-

delectamur, prout quisque nostrum aut vitiis aut virtute præditus est. Illi igitur sua cum Athanasio discordia animo æstuantes, quanta putas lætitia Ischyram videre, & illam arrogantia audaciaque plenam animam, præmiorum spe coocitarunt. Magna autem Episcopatus dignitate eum se honoraturos promisere, si modo quamdam adversus justum accusationem confingeret. Talia nimirum talibus factis munera destinarunt. Ac tot animarum curam mercedem fecerunt sycophantiæ. Tum ille qui non modo negotia ordiri, verum etiam confundere ac perturbare probe norat, uti jam superius dictum est; hanc Athanasio dicam impingit, quod scilicet jussu illius Macarius presbyter, in Ecclesiam latronum more irrupisset, inque altare animose insiliisset, sacram mensam evertisset: mysticum calicem confregisset, sacros libros combussisset. Talis Ischyræ apparatus ad scenam fuit. Porro ab aliis quoque insidiæ instructæ cum essent, ea deserunt Imperatori Constantino, concitaotque illum atque iram ejus commovent in Athanasium. Quod autem magis accendebat illum, (idque malitiæ inventum fuit, gnaræ, quam sint homines natura sua honoris cupidi) ajebant illi: Ne vestris quidem litteris obtemperavit, neque Arium ad communionem admisit. Quæ cum audiret Constantinus, primo quidem paulum conturbatus, rem deinde apud se considerabat, nec sciebat quid consilii caperet, quo se verteret, aut cui parti accederet. Virtutem Athanasii, omni suspicione superiorem norat: eorum tamen calumnia multum sane probabilitatis habebat atque coloris. Cum ita se haberet, mediam elegit viam, neque Athanasium damnans, neque inquisitionem fieri recusans; sed quoniam eo tempore Encænia Jerosolymis celebrabantur, eoque conveniebant fere omnes Episcopi: jubet ille ut paulum a via deflectentes, Tyri ea quæ Athanasium magnum spectabant examinarent, neque minus de Arii rebus constituereot: ut si, quemadmodum ajebat ipse, in recta doctrina cum consisteret, per invidiam proscriptus fuisset, rursum in Clerum atque in synodum admitteretur, & jungeretur membrum reliquo corpori. Quod si eloquentia ille uteretur ad subripiendam veritatem, juxta sacras leges judicaretur: atque dignam subversionis dogmatum subiret pœnam.

7. Trigesimus ille annus erat imperii Constantini: aderantque ex variis urbibus Episcopi. Ducebatur etiam a militibus Macarius presbyter vinctis manibus. Aderat præfectus ipse una cum Episcopis judicem agens; imo etiam quidam ex magistratu: intererant sycophaotæ. Tribunal judiciarium aperiebatur: accusabatur Athanasius: ac primo quidem illa de linea veste, & de avaritia proposita est aliena calumnia: sed statim criminis solutio consequebatur, manifestum sane inhumanitatis eorum argumentum. Nam ea ipsa hora litteræ ab Imperatore ad judicii locum advenere, quibus non mediocriter carperentur accusatores, crimine solveretur Athanasius, accerseretur que perhumaniter ad ipsum Imperatorem. Quooiam Apis & Macarius, non is de quo jamjam sermo habitus est: ille namque pro reo ab Eusebianis habebatur: sed alius ipsi cognominis, ambo Alexandrini presbyteri, Nicomediam non de industria, sed alio casu adierant, Im-

A peratoremque convenientes, omnia uti vere se habebant enarravere, falsamque adversus sanctum hominem accusationem, necnon iniquas illas insidias resolvunt. Quibus cum fidem haberet Imperator, atque persuasus, immo potius veris argumentis pudefactus, ac convictus, nihil credibile, nihil congruens esse cum veritate in calumnia hujusmodi, sed invidiæ fœtum illam esse: hujusmodi ille dedit litteras: quibus in ipsa accusationis productione ad tribunal lectis, angor mox & formido Eusebianos invasit; nec quorsum evaderent sciebant.

B At non hic eorum furor constitit; nec semel convicti quievere. Sed accusatione sic in coontrarium conversa, & insanos illos Imperatoriis expostulationibus subjiciente: ad alias illi accusationes se se vertunt. Ac tum criminatio adversus Macarium adsertur. Et adducebatur accusator Ischyras: testes autem Eusebiani erant. Quos primum utpote inimicos recusarat Athanasius, ipsisque legibus, legumque necessitate, arcebat a testimonio adversum se dicendo. Postulabat deinde, ut an Sacerdos Ischyras esset vere comprobaretur: tumque ea

C lege pollicebatur se causam dicturum. Hæc ille dicebat: at judices id non concessere. Sed tum in medium adducta est Macarii causa; jamque ad concertationes & probationes veniebant: sed cum infirma essent argumeota, intermissio erat actionis; ita ut etiam in ipso loco perquisitio facienda necessario esset. At videns Athanasius eo ad perquisitionem mitti viros a se recusatos; tunc non ultra silendum neque illud ferendum ratus; Exstincta est, exclamavit, justitia, conculcataque veritas: le-

D gum atque judicum æquitas abscedit. Qui eoim absurdum non fuerit, eum qui causam defeodit vinculis constrictum teneri, accusatorem vero & inimicos, totum judicii calculum penes se habere: imo testes ea proferre crimina, de quibus ipsi judices sint? Hæc cum palam exclamasset vir magnus, contestatusque coram universa Synodo, se oullam ibi æqui bonique rationem cernere; de discessu cogitavit, & clam Imperatorem adiit. Statim autem Synodus, aut potius sceleratus ille cœtus, fugæ illum insimulat. Cum res in Mareote gestæ ad

E finem deductæ essent, omniaque inimicis ex sententia cessissent, condemnationem Athanasii plenam decernunt, ipsi potius veritate judice condemnatione digni, quam ille qui nullam in pulchritudine animæ suæ maculam admittebat: qui accusationibus, abdicandi causa viri, contumeliis, derisionibus eum supra modum adficientes, extremo usi sunt furoris impetu.

8. His ita completis, statim quam maturrime Jerosolymam adcurrunt: ubi etiam illum contra Deum furiosum Arium, ad communionem admiseruot, quotquot scilicet lingua so-

F lum pii esse decreverant, & in Nicæna Synodo simulate tantum consubstantiali subscripserant. Qui autem sana erant fide, & tam corde quam labiis recte sentiebant, ac decreverant ut Arius in Alexandrina Synodo examinaretur: qui item cum verbis tum seoteotiis animum adhibuerant, multaque accuratione expenderant; deprehenderunt dolum multis opertum involucris, tam sententiarum, inquam, quam verborum, veritatisque inimicum capiunt ac vulpem comprehendunt. Exinde litteræ rursum Imperatoriæ prodeunt, quibus jussum erat ut

Atha-

Athanasius quidem se conveniret, & ipsi quoque quam celerrime adforent. Hinc haud modicus timor Synodo incussus. Verebantur quippe ne apud ipsum etiam Imperatorem deprehenderentur, partim gratia, partim odio sententiam tulisse, patroni scilicet mendacii & manifesti proditores veræ fidei. Quamóbrem maxima pars eorum domum remigrarunt. At Eusebius, Theognis & cæteri, verisimili conficta in iis locis remanendi occasione, non parvam fecere moram, atque sese apud Imperatorem litteris suis excusarunt. Interea dum hæc fierent Imperatori rursum Nicomediæ coram se sistit Athanasius, atque accusationem de pecunia intentatam legitime aperteque diluit. Cum autem magis magisque Eusebiani comperendinarent, litteris suis Imperator Athanasium remittit Alexandriam, episcopatumque tradit ipsi, significans accusationes illas omnes sceleratas futilesque videri sibi. Athanasio igitur ita reverso Alexandriam, congregatisque Arianis, magna confusio atque tumultus populum occupavit; ita ut multi indigne ferrent, cum ea quæ a tot Episcopis jam examinata essent iterum viderent in judicium vocari. Iratus ergo Athanasius, quod non modo Alexandriam, sed totam quoque Ægyptum tumultuantem videret, omnia indicat Imperatori, eumque ad pœnas de Ario sumendas cohortatur, aliquam cupiens hujusce rei haberi ultionem. Statimque litteræ Alexandriam venerunt, quibus Arius arcessebatur, ut immoderatæ linguæ sententiæque suæ supplicium subiret.

9. Cum ergo Alexandria ad Imperatorem adduceretur Arius, Cæsaream pervenit, convenitque Eusebium, Theognin & Marin. Hic mihi, quæso, perspice facinorum gravissimum, ut undenam tanta Athanasio tentationum procella orta sit. Consors illis Arius sermonis, consors morum; mensæ particeps, qui pugnæ contra Deum particeps item erat: omnia recenset quæ ipsum spectabant, tum consilia ineunt mutua, ut neque Deo, proh furorem! neque Athanasio parcerent. Alias itaque adversus illum consuunt calumnias; homines qui secundum maximum Esaiam, parturiunt laborem & pariunt iniquitatem, qui posuerunt mendacium spem suam, & dixerunt: Mendacio obtegemur: omnemque verborum funem movent, ut throno sanctum virum dejiciant, & belli contra Christianos Alexandriam veluti tutam arcem constituant. Imperatorem itaque adierunt: Arius quidem sese defensurus: Eusebius autem & socii mendacio patrocinaturi, testimoniumque contra Athanasium & contra veritatem dicturi. Postquam autem Imperatori adstantes, de rebus in Synodo gestis interrogati essent: statim aliis de rebus verba facientes: non ita, ajunt, Imperator, ægre ferimus, quod sacram mensam everterit, calicemque confractum in minutissimas partes redegerit; quam quod comminatus sit, se frumenti commeatum, Alexandria in urbem transmitti solitum se impediturum; hæc dolorem faciunt, hæc mordent, hæc cujus animum vel adamantinum non moveant? Horum testes sunt Adamantinus, Anubion, Arbethion, & Petrus Episcopi: a quibus horumce omnium gestorum convictus, supplicium quidem effugit, abdicationem tamen effugere non valuit; sed ab universa Synodo, ut nefandorum atque impiorum ejusmodi facinorum auctor abdicatus & depositus est. Dum hæc ita dicerentur Imperator primum silebat animoque turbabatur: ac demum tali auditu suspensus, in iram prorupit, justique viri exsilium in Gallias decernit; in hoc solum & animo & sententia corruptus, ac utramque Eusebianis aurem subjiciens. Revera enim, circumveniunt & corrumpunt bonos mores, ut ait sapiens, colloquia prava. Sane semper antea alteram aurem integram & incorruptam accusato reservarat: at tunc hæc ipsi macula & labes inhæsit, qui se antea incorruptum purumque conservarat. Sunt qui dicant, & forte accuratius scopum ejus atque judicium compertum habentes, eum non pœnæ & damnationis causa exsilio mulctasse Athanasium; sed ut Ecclesiarum tranquillitati & concordiæ provideret, tempestatem sedaret, ac tumultum compesceret. Quia enim seditio non parva Alexandriam totam, atque Ægypti maximam partem invaserat, tranquillitatem ille rebus adferre conatus, decrevit pro eo scilicet tempore Athanasium ablegare. Hac enim ratione, se aliorum Episcoporum animos emolliturum putabat, atque in unam omnes sententiam adacturum, si palam hominem urbe pelleret in exsilium.

10. Sed interea ille vitam obiit, imperii anno trigesimo, ætatis sexagesimo quinto: Imperiique successores habuit filios, quibus illud ipsum diviserat. Porro Constantino filiorum majori, majus reliquit imperium: testamentumque presbytero cuidam committit, clam & in occulto animæ suæ Arii morbo laboranti, qui una testamentum & morbum suum celabat: a multisque interrogatus, an Imperator testato decessisset, responsum distulit, atque occulti negotii Eunuchos Imperatori familiarissimos concios effecit. Cum autem cunctaretur Constantinus accedere; tertio filiorum Constantio qui Antiochia prior advenit, testamentum tradidit, atque unam ab illo postulat gratiam, ut ad Arianas & ipse transiret partes: atque eam ille immortali Imperatori Christo, collati imperii gratiam retulit; ut ipsum nec Deum esse, o amentiam! neque dominum agnosceret. Sociusque illis audaciæ accedebat supra dictus Eusebius, & qui cum eo erant, rati se temporis opportunitatem esse nactos. Hæc autem una illis via esse videbatur Arii confirmandi, & veritatis evertendæ, si Athanasii & ipse exsilium obsignasset: quasi probe & jure decretum esset. Ad quam rem manus illis promtissima exsecrandus iste sacerdos fuit, qui cum aliis domus etiam imperatoriæ præpositum ubi corrupisset, cum partem Arianæ impietatis nec minimam esse commonstravit. Ab eo namque ad reliquos etiam eunuchos morbus pervasit, qui perfaciles erant ad improbitatem admittendam, & apti ad eam aliis communicandam. Immo ipsa Imperatoris uxor, blasphemis paulatim colloquiis corrupta, eadem ipsa quoque labe infecta est. Nec multum postea ipse quoque Imperator, heu mihi, servorum facinora est imitatus, ubi, inquam, contra Dominum suum insurrexit, atque improbe Imperatorem suum affecit contumelia: ad Arii item sententiam abreptus; ita ut in illo impleretur illud Jeremiæ: *Etiam ipsi pastores impie egerunt in me*. Jubet Jerem. 2. 8.
itaque ille ut ejus doctrina vim obtineret, & ut quasi illius jussu Episcopi improbe sentirent, & impietatem ampl:cterentur; non obtemperan-

tes

tes quidem, sed potius reformidantes. In tam gravi tempestate, & tanta procella, gubernatores Ecclesiarum erant, Maximus Jerosolymorum, Athanasius Alexandriæ, qui tametsi in exsilio degebat, gubernacula non dimiserat, & Alexander Constantinopolitanus.

11. Eusebius porro pro impietate ardens audacissimusque, opportunitatem & loca, ut in pugnis solent optimi imperatores, ad veritatis subversionem observans: hujusmodi quippiam cogitat. Arium introducit Constantinopolim, cum maxima pompa, ita ut quæstio in aliena regione haberetur, cum Athanasius quidem in exsilio versaretur, nullusque adesset, qui sanam doctrinam vindicaret; imo Imperator & magistratus omnes ad aliam partem transiissent, propter oppugnatoris absentiam. Hæc ille secum reputabat. At supernus ille sapiens œconomus alio modo rem dispensavit, parvoque casu improbitatis impetum repressit, & quanto magis Arii adversus pietatem lingua vigebat, tanto plus ejus intestina paulo postea diffluebant. Ac vacuus quidem intestinis, vacuus visceribus in impuris locis Arius projectus est. Justa pœna effrænati oris, ac putredine pleni pravique vasis digna evacuatio. Illo igitur ita anima ita corpore miserabiliter disrupto, Eusebius atque socii omne subire bellum, omnes conturbare nisi sunt, utpote quibus instar manuum in hisce agendis erant Imperatorum Eunuchi: scelesta illa, violenta ac rerum mutationibus semper ac confusioni gaudentia mancipia. Ac illi quidem priori suo scopo insistebant, ut scilicet Athanasium, throno simul & verbo, & doctrina & fiducia intercluderent. At diversa plane sapiens illa providentia apparabat, quæ animum movit Constantini, & ætate & imperio, inter magni Constantini filios maximi: nam veteris tum ille Romæ imperium obtinebat, ut eum exsilio liberaret: litterasque Alexandrinis mitteret, ac ipsum mitteret Athanasium cum litteris sic habentibus.

VICTOR CONSTANTINUS

Alexandrinis Ecclesiæ & populo.

NEminem vestrum ignorare arbitror, quæ pridem acciderunt magno pietatis præconi, & venerandæ legis interpreti Athanasio, quomodo adversus illum a veritatis inimicis bellum sit concitatum, & qua ratione mecum in Galliis versari jussus sit, ut ita imminens capiti suo periculum declinare posset. Neque tamen perpetuum ipsi exsilium indictum fuit. Sed etiam illo ipso exsilii tempore, multa nobis ejus cura fuit, ita ut nihil ei præter voluntatem acciderit. Tametsi ærumnarum, si quis alius, & laborum patiens pro veritate est: atque ex zelo secundum Deum quamvis angustiam ferre valet. Sane beatæ memoriæ Constantinus Pater meus brevi eum in proprium restituere volebat: qui cum vitæ finis immineret, nec posset scopum implere suum, rem mihi hanc agendam per successionem reliquit: datis pro viro illo supremæ hac de re voluntatis jussionibus. Mandamus igitur vobis, ut jam eum cum omni reverentia, cum splendido occursu & honore excipiatis: & postea ad nos eum iterum remittatis qui postquam in conspectum venerit nostrum, cum quanta a nobis excipiendus sit reverentia, vobis compertum erit.

12. His confisus litteris Athanasius, Alexandriam petit, ac libentissime quidem illum recipit orthodoxus populus. Quotquot autem Ariani erant una convenientes, bella rursus & turbas movere, Eusebianisque alias sancti calumniandi occasiones suppeditare, quod scilicet nullo Synodi decreto regressum ab exsilio concedente, ipse sua sententia remigrans occupasset Ecclesiam. Deinde mortuam quamdam manum adferentes, falso jactitabant illam eum resecuisse mirabilium patrandorum atque præstigiarum causa. Hæc, inquam, ajebant illi, exsecrandi, corrupti, ac aperte venefici homines. Manum autem dicebant esse Arsenii cujusdam Alexandrini, arte quadam, ab Athanasio resectam. Quibus verbis Imperator captus auribus: (nam solet auditus ad tales novitatea resque portentosas credendas propensus simplices animas secum trahere) nequaquam perpetuo exsilio Athanasium ab alio exsilio jamjam reversum mulctavit id licet inimici obtinere totis viribus niterentur; sed jubet ut secundum leges hæc negotia pertractentur, ut sic legitimum ille subeat supplicium, si in talibus deprehendatur delictis. Archelaum itaque virum sibi familiarem & domesticum, una cum Nonno tum Phœnices præfecto, ad earum perquisitionem rerum mittit. Illi ubi Tyrum advenissent: in illa quippe Athanasius probationes de præstigiis illis expectabat, paulum dilatum est examen, ac ideo quemadmodum videbatur, quod accusatores expectarentur qui ipsis oculis exsecrandum facinus perspexerant. Ut autem vere eventus rei docuit, quia Deus superne rem hujusmodi perspiciebat, atque clementer eam intermissionem fieri dispensavit, quo ipse tandem Arsenius adesset, cujus erat manus demortua, injusta præcisio, talisque tragœdia. Arsenius namque unus erat ex gradu lectorum, qui ob secretum quoddam facinus haud leves daturus pœnas, fugam cogitat, atque Athanasio & Ecclesiæ se proripit. Illi itaque malitia sapientes, maligna adversarii portio, rati numquam ausurum Arsenium, non modo ad medium judicium procedere, sed ne ipsam quidem domum obtueri, ob nefarium scilicet & detestandum illud flagitium; ideo scilicet abscissam manum illi adscribebant, atque id contendebant, ut tantæ impietatis tanti flagitii crimen ipse subiret. Quare frequenter nomen Arsenii proferebant.

13. Fama ergo undique perlata, Arsenii causa Athanasium de veneficio judicandum iri, deindeque re ad ipsum Arsenium perveniente, commiseratione motus ille erga Athanasium, ac veritatem miseratus, namque ipsa ante generosam illam animam interitura erat. Per bonum malo medetur, & clandestinam fugam aperta loquendi libertate corrigit. Omniaque sua nihili ducens, brevi Tyrum pervenit, solus soli Athanasio se sistit, atque privatim eum convenit. Qui Arsenio id solum dat consilii, id suggerit, ut ne ante judicium appareret, ne-

que se quorumpiam oculis aperte proderet: A ne fortassis quid illi mali scelesti inferrent: qui si nihil aliud, saltem judicium declinarent. Arsenius ergo ita se gessit, ac in tutissimo latebat loco. Inter hæc minime quiescebat invidia, neque Athanasii malis exsatiata erat; sed ad alias procedebat insidias, ac cœtu ad tribunal iterum convocato adulterii crimen intentant pravis adfectibus carenti homini. Fuitque drama hujusmodi: mulierem quamdam introducunt impudenti vultu, abominanda mente, quæ egregie calumniis assueverat. Igitur illa calumniatrix, pecunia emta ajebat se B domi excepisse Athanasium, & pietatis & virtutis causa. Cum autem ad mediam circiter noctem ventum esset, contraria omnino iis quæ existimasset, vidisse passamque ab illo esse. Sic illa accusante, aderat Athanasius hæc audiens, cum illoque intererat Timotheus presbyter foris ad januam stantes: qui adversus eam calumniam aliquid excogitat sapiens & valde generosum. Repente enim cum Athanasio ingressus, eumque probe repræsentans Timotheus: mulier, ait, ego tibi noctu vim intuli, ut ipsa ais, C Egone? Tum illa ad judices conversa quam altissime, proterve valde, ac impudenter: hic, ait, est corruptor meus, hic castitatis meæ insidiator. Hic, non alius, est qui ad me diversatus, vim pro gratia retulit. Igitur impudente illa sic suis ipsius verbis convicta, & in seipsam teste, ut ita dicam, apparente: quippe quæ nesciret quidem quem illorum accusaret, Reque ita palam facta; judices, quid postea facerent ignorantes, quiete atque tranquille subrisere, ut solet fieri ubi quispiam in consilii inopia, vultus ruborem obtegere conatur. D Ipsi namque omnia erant Athanasio, judices, testes, accusatores. Quare legis sententiam contra calumniatores omittentes, ad veneficii crimen convertuntur, insanique in secunda accusatione, requirunt pristini pudoris levamen: quod potius erat apertior mendacii reprehensio. Manum itaque producunt, rem exsecrandam misericordibus oculis, neque vel solo visui ferendam. Hanc crudeliter illi & impudenter sancto viro agitantes. Hæc te, ajunt, Athanasi, vel silens accusat: hæc te firmiter ac sine effugio urget: hanc nec verbis, nec artificio, E nec alia quavis machina effugies. Norunt omnes Arsenium: cui tu, inique & impurissime homo, manum hanc amputasti. Dic ergo jam, quam ad rem illa es usus, & ad quem usum absciderís illam. Tum ille placida voce, ut decebat talem animam, quæ omnia studiose exsequebatur Christum spectantia, qui cum inique a Judæis judicaretur, non contendebat, neque clamabat; sed tamquam ovis ad cædem ducebatur, partim omnino silens, partim mansuete respondens. Quis vestrum, ait ille, Arsenium novit? aut quis F accurate scit, hanc ejus esse manum? ad hæc autem non paucis cathedra surgentibus, & Arsenium ipsum ejusque manum se probe nosse contendentibus; solvens statim scenam Athanasius, jubet in medium prodire Arsenium. Cum autem ille vivus ambabusque manibus sanus inductus esset: Tum beatus ille vir accusatores & judices intuitus, torveque homines adspiciens: nonne, ait, hic est Arsenius? nonne hic est, qui secundum vos mortuus est, & manum amisit? nonne hic omnibus Alexandrinis est notus? & simul ad medium tribunal adducens illum, ut omnium pateret oculis, primo dexteram educit: hinc jubet illum adtollere sinistram, atque magna altaque voce exclamans, quasi eos qui longe erant a veritate revocaret. Hic, o viri, inquit, Arsenius: hæ manus illius sunt, amputationis nesciæ. * Tum Arsenio relicto, ad accusatores conversus: o mirabiles, inquit, judices, rogo, quinam is sit ostendite, & cujusnam hæc abscissa manus, quæ nos amputationis accusat?

14. Tunc non ultra judicibus tolerabilis cathedra fuit, sed una cum satellitibus, ea relicta, tristes admodum ac demissa facie evidentia pudoris signa in vultu ferentes, abscessere. Itaque populus cum illos sic perturbatos cerneret, ac cum pudore & tristitia a tribunali recedere, quasi eorum & suæ pariter impietatis studio effervesceret, jam enim Arii lue pene repletus erat: & alioquin, ut & Episcopis & Imperatori gratum faceret, Athanasium lædere tentabant, ac undique virum circumsistunt, verbis perstringentes, manus inferentes: Garrulus, veneficus, qui male pereat, ajentes, multaque alia iis pejora: quæ nihil sane ad illum adtinebant: sed ad eos qui hæc proferrent, quæ etiam clementiora erant iis quæ ipsi audire merebantur: tum judicibus conviciabantur, quod non pœnis atque suppliciis, potius quam legitimis argumentis, sententiam tulissent: ac mortem ipsi, sunpte nutu, justo comminabantur. Cum tanta tamen seditio excitata fuisset, & tantus tumultus in populo coortus, nihil eam rem Gallin curavit, qui tum Præfectus erat civitatis; ita malum ulterius pervasurum fecisset, nisi Archelaus descendens, verborum suasione & lenitate plebem sedasset, Athanasiumque ab iis mox dilaniandum, ex mediis populi manibus eripuisset, clamque urbe subduxisset. Erat porro Archelaus tribunalis quidem Præfectus: virque alias prudentissimus, mansuetissimus, ac dicendi peritissimus, paratusque ad mortis periculum adeundum, si id opus fuisset. Hic populo furenti minime cedens, suadet Athanasio ut per secretos urbis exitus evadat. Cum itaque ille ea de causa urbe excessisset, coacti injustissimi illi judices deliberant contra sanctum; reumque allatorum criminum pronuntiant. Scribunt acta, quæ ubique divulgant: intercludunt eum aditu omnium regionum, urbium, Ecclesiarum: omnique ratione ostendunt tenebrarum filii, se longe abesse velle a tanta luce. Ira item incendunt Constantium adversus illum; ita ut etiam pecunias & honores decerneret iis, qui aut vivum indicarent, aut mortui caput adferrent. Ille vero ac si non intra Romani fines imperii, sed etiam extra orbem exsulare jussus & damnatus, sexennium in lacu sicco & inaquoso latens peregit. Cum autem ei ne ita quidem ad finem usque latere liceret, sed futurum esset ut insequente die caperetur. Ubique enim accurate perquirebatur, & investigabatur; divina quadam providentia & visione lacu egressus, alium in locum procedit. Post metuens ne illic quoque comprehensus periculum iis crearet qui se recepissent, ex Orientalibus discedens partibus, ad Occidentales concedit.

15. Imperabat tum in Occidente Constans

Con-

* Forte vitiosa lectio.

Constantini frater, qui nuper fratri Constantino successerat, qui cum ita de Imperio statuisset, ut dicitur, exercitus sui seditione ad Aquileiam prope Alsum fluvium finem vitæ accepit. In Europam eum advenisset Athanasius, Julium adiit Romæ Episcopum, itemque Constantem Imperatorem, quibus suas res commemorat. Cum audisset autem de Synodo, quam ad suam ipsorum perniciem, & ad fidei orthodoxæ ruinam, Antiochiæ nullo jure coegerant: & quod Georgius quidam, pravum adversarii, seu diaboli, Γεωργὸν, id est, agricultura, in thronum suum brevi constituendus esset, rem non tulit; sed ubique per Ægyptum litteras misit, Clero, magistratibus, populo, rogans, comminans, admonens, omnes vias litteris terens suis; ut nullatenus Arianica zizania reciperent, seminaque rectæ doctrinæ blasphemiis nullo modo commiscerent. Eusebiani porro graves ad persuadendum, & ad simulandum, ubi viderunt procul abesse qui causam defenderet, effrænata lingua apud Imperatorem criminantes Athanasium, atque perfacilem illum & simplicem Constantium subornantes, ad sententiamque suam pertrahentes, Athanasii licet absentis depositionem decernunt: Gregorium vero quemdam, Arianico plenum furore, Alexandriam intrudunt in Athanasii locum. Ut autem arbitratu suo hæc ita dispensarunt: magna jam cum potestate, suam inferunt doctrinam. Gregorius autem, nondum Alexandriam ingressus, quasi jam Ecclesiæ præsul esset, & thronum occupasset; & quasi jam sibi ea obvenire cerneret, quæ ne per somnum quidem sperasset, litteris propria manu conscriptis decreta ipse confirmabat. Talis enim est impudentia & levitas, in manu semper illa habere se putat quæ expectantur. Eusebius autem, dignus sane impietatis antesignanus, ubi ex sententia sua res constitutæ fuere, legatos mittit ad Julium, Athanasium in epistolis suis vehementer accusans; misit item eas quas contra virum struxerat calumnias & sycophantias, judicem simul & correptorem constituens Julium. At ille: (neque enim talis erat qui commentis & dolis facile circumveniretur; imo potius perspicacissimus, ad hujusmodi res intelligendas ac deprehendendas) cum Eusebii litteras accepisset, ac diligenter & attente perlegisset, intellecta earum futilitate, contrariam ipse tulit sententiam, Athanasium litteris munitum suis remittit Alexandriam, nec parum perstrinxit eos qui deposuissent.

16. Cum autem ille Alexandriam pervenisset, haud modicus tumultus ac tremor invasit eos qui Antiochiæ congregati erant; veritos, ne si Athanasius Ecclesiam occuparet, aditus sibi Alexandriam intercluderetur. Quamobrem ipsum capere (immo potius occidere) quæritabant, in ejusque locum Gregorium intrudere. Quare quam celerrime ipsum Alexandriam deduxerunt. Gregorium vero comitabatur Syrianus Dux, cum sua militum manu, ita jubente Imperatore, ut Athanasio necem, Gregorio Episcopatum conferret. Qua porro via ex media eorum sagena effugere potuerit Athanasius, mox dicemus. Cum jam sol ad occasum vergeret, urbs tota festum celebrabat ac pervigilium agebat. Tum quasi in pugna irruit Dux instructaque acie cinxit Ecclesiam. Hæc

A ubi castra conspexit Athanasius, curis plenus, non quo ipse non caperetur, sed quomodo potius nullum sui causa populo damnum inferretur, præcipit Discono ut orationem incipiat. Orationem porro canticum totius populi quoddam excepit. Hinc exorto magno clamore atque concentu, uti fieri solet, a magno viro jussi sunt per eamdem omnes exire januam. Duci vero & militibus studium erat populi, neque ulli manus conjecerunt. Sed erant omnium oculi in Athanasium intenti, ut quocumque eum in loco viderent interimerent. At ille B in turba populi, quasi eorum unus, per medium tumultum & plebem evadens, sic militum oculos latens effugit. Et sic fugiens Romam remigravit. Gregorius vero occupata jam Ecclesia, adversus sanam fidem arma audacter arripuit. Quod cum non ferret Alexandrinus populus, magnam concitavit seditionem, ac templum Dionysii dictum incendit. Hujusmodi tumultu propter Christum læsus fuit etiam magnus vir S. Paulus Constantinopolitanæ Ecclesiæ tum præsul, thronoque exactus ipse quoque, C Romamque fugiens, Athanasii socius fuit pietatis pariter ac periculorum. Constantem igitur ibi atque Julium convenientes, tum quæ passi essent ipsi, tum quæcumque alia contra veritatem Eusebiani designassent, enarrarunt. Statim ergo Imperator Constans fratri super hac re litteras mittit. Cum autem nihil proficeret, Synodum aliam universam Athanasius atque Paulus postularunt. Depositionem quippe suam, non alia de causa factam ajebant, quam ut secum una sana fides damnaretur.

17. Amborum igitur jussu Imperatorum, universalis rursum & œcumenica Synodus Sar- D dicæ congregatur. Occidentales autem, ut ipse refert Athanasius, coacti sunt Episcopi plus quam trecenti: Orientales vero, ut ait Sabinus, solum septuaginta, inter quos Ischyras Mareoticus recensebatur. Qui igitur ex Asia confluxere, ne ad conspectum quidem Occidentalium se sistere ausi sunt: affirmantes, se numquam colloquium instituturos, nisi Paulum & Athanasium ex Concilio pellerent. Cum autem illi ne audire quidem rem ejusmodi vellent, quam celerrime Eusebiani regressi sunt, & cum Philippopolin pervenissent in Thracia, E utinam in infernum potius, ibi demum peculiarem ineunt conventum: atque consubstantialem (quæ tua fuit patientia Rex Christe!) aperte anathemate condemnant: in Epistolis autem, alterius substantiæ sententiam edunt. Exemplariaque impietatis suæ apud suos ubique promulgant. His compertis ii qui Sardicæ erant, primum quidem desertæ causæ illos jure condemnant. Hinc Athanasii accusatores suis pellunt gradibus. Confirmatoque Nicænæ fidei decreto, ac anathemate percussa τοῦ ἀνομοίου, id est, dissimilis voce, clarius consub- F stantialitatem prædicant: scriptis ea de re libellis, hisce totum pene pervadunt orbem. Quæ cum didicisset Imperator Constans, atque Imperatori Constantio indicasset, rogat ut Paulus & Athanasius suis thronis restituantur. Tum illo tergiversante atque moras trahente: durioribus ille usus litteris, minatur, nisi cedat, vel invitum se cogendum fore ad utrumque Ecclesiæ suæ reddendum. Constantius ergo non ultra rem distulit nec comperendinavit. Sed fratris contentionem veritus, suis statim litteris accivit Athanasium. Illo autem de hujusmodi

accitu

accitu male suspicante: neque enim eum quæ prius gesta fuerant fidenter agere permittebant: secundis Imperator litteris invitavit officiosius ac mitius conscriptis. Cum autem nec illæ suspicionem levarent: ne tum quidem ejus profectum adventumque neglexit Constantius; sed rursum viro scribit, litterisque denuo magnam exhibet clementiam & humanitatem, imo de prius gestis excusationem, se voluisse ajens, sacerdotum aliquos in ejus occursum mittere: sed nullum ad se ejus profectus nuntium venisse. Jam vero cum Epistola se mittere Diaconum Aletan, qui ei suum affectum patefaceret, & de cætero fiduciam habere præciperet.

18. Athanasius his acceptis litteris, quidquid timoris supererat animo ejicit, necnon quidquid malæ spei in futurum esset. Cum eas Constanti ac Julio ostendisset, ingenti eos, & quidquid Romanis suberat, lætitia implet & gaudio. Tum singuli festum celebrabant, ob Athanasii reditum ad thronum suum. Tum Imperator Constans, & Julius Papa, ille militibus & satellitibus, hic clericis laicisque qui in Ægypto & Alexandriæ erant pene omnibus, jussere ut debito cum honore & apparatu reciperetur. Venientem porro placide admodum recipit illum Constantius, ac libentissime Alexandrinorum restituit urbi, clero, populo: mansuete tamen exprobrat, & amice arguit fugam, clandestinumque ex tribunali secessum. Attamen, ait, hanc a te, Athanasi, gratiam postulo, ut unam saltem ex Alexandrinis ecclesiis Arii sequacibus concedas. Ille se libenter concessurum postulatam rem promittit; dum ille unam item Ecclesiam Constantinopoli orthodoxis concederet, in modicum fermentum totius veræ fidei. Cum Imperator petitioni facile annueret, dolor adversarios intolerandus invasit, quod accessus quidam foret Athanasio & iis qui cum eo communicarent Constantinopoli. Constantio autem tum mirabiliore prudentia Athanasius esse videbatur. Ferturque dixisse Imperatorem stupore plenum: haud frustra qui Arianæ sunt hæresis, adversus virum hujusmodi omnes movere machinas. Sic illius prudentiam admiratus, reductionem illi gratissimam adornat: scribitque Alexandrino populo, atque Episcopis & magistratibus per Ægyptum. Itemque Nestorio Augustalio, ac Thebaidis & Libyæ præfectis, ut eum magno honore & reverentia exciperent: ac non solum ipsi thronus, sed etiam omnibus, qui cum eo communicarent proprius gradus & ministerium restitueretur. His ille munitus Epistolis, & quasi resumta fiducia, per Syriam & Palæstinam iter habens Jerosolymam pervenit, atque Maximum Episcopum & Confessorem convenit, didicitque quanta & ipse pro Christo passus esset. Enarrat item vicissim Athanasius quæ contra se ante, quæ pro se nuper acta decretaque essent cum a Synodo tum ab Imperatore. Quibus auditis Maximus, nihil cunctatus, accersit omnes Orientis Episcopos, & una omnes Athanasio communionem & dignitatem reddiderunt.

19. Illo itaque cum tali honore & celebritate jam tertium urbem suam recuperanti, atque ab innumeris pene illis laboribus & calamitatibus paulum respiranti, videbatur reliquum vitæ cum tranquillitate & quiete transigendum fore: at revera tunc maximum illi calamitatum mare intumescebat. Cum enim Constans nuper a Magnentio factioso oppressus & occisus fuisset: grave tum ab Arianis incendebatur bellum. Rursum Athanasio insidiæ, ad Imperatorem calumniæ deferuntur. Et magnum vetusque illi malum aderat Constantius. Rursum decreta, rursum minæ, fugæ, formidines, perquisitio per totum mare perque universam terram. Iterum sator ille zizaniorum Georgius Alexandriam occupans, Palæstinam deprædans, tumultu totum implens orientem, neque ob insaniam impietatemque tolerandus, rursum Acacius, malitia præclarus, & Patrophilus Ario impietatis patri amicus; Jerosolymam concedentes, pulsoque Maximo, Cyrillum constituunt, virum qui tanto impietatis, quanto magnus ille vir pietatis studio tenebatur. Ecqua ratione jam quis digne deploraret illa omnia quæ eo tempore a Georgio Alexandriæ gesta sunt? nisi qua ipse vir beatus in Apologia de fuga sua rem enarravit. Hæc jam nobis memoranda, verum potius ipsi dulcissimæ viri linguæ committenda, quæ illa modeste moderateque, ut mos erat ipsi, recensuit.

20. Quidam, inquit, Alexandriam rursus invadunt, nosque ad necem perquirunt, factaque sunt præsentia pejora prioribus. Milites quippe derepente Ecclesiam obsedere: bellicusque tumultus vice precum exortus est. Hinc in sancta Quadragesima ingressus, qui a Macedonio & Arianis ex Cappadocia missus fuerat Georgius, mala quæ ab illis edoctus fuerat adauxit. Etenim post hebdomadam Paschatis, vidisses Virgines in carcerem conjici, Episcopos a militibus vinctos abduci, orphanorum, viduarumque domos & panes diripi, irruptiones in domos fieri, noctu Christianos dejici, domos obsignari, fratres Clericorum pro fratribus periclitari. Hæc quidem atrocia, sed atrociora deinde consequuta sunt facinora. Etenim hebdomade post sanctam Pentecosten, cum populus, expleto jejunio, ad cœmeterium sancti Petri Episcopi & Martyris orandi causa egressus esset, eo quod omnes a Georgii communione abhorrerent: re comperta sceleratissimus ille, Sebastianum Ducem Manichæum hominem concitat: qui mox cum turma militum, arma, strictos gladios, arcus & tela ferentium, in ipsum Dominicum impetum fecit adversus populum. Et cum paucos invenisset orantes, plurimi namque adveniente hora recesserant, omnium atrocissima commisit facinora. Nam accenso rogo Virgines igni admotas adigebat ut dicerent, se Arianæ esse fidei: ut autem eas vim superare, ignemque nihil curare animadvertit, nudatas iterum ita in faciem cædit, ut post multum temporis vix a suis dignosci possent. Viros autem quadraginta comprehensos insolentiore modo verberavit: nam virgis palmarum recens amputatis quibus adhuc aculei hærebant, sic eorum terga laceravit, ut nonnulli ob infixos aculeos medici opera sæpius eguerint: immo quidam vim plagarum non ferentes exstincti sint. Porro omnes quotquot apprehenderant una cum Virginibus in magnam Oasin relegarunt. Neque initio concesserunt ut defunctorum corpora cognatis traderentur suis; sed ipsa arbitratu suo occultarunt abjeceruntque insepulta: rati sic suam latere posse crudelitatem. Qua in re vecordes il-

li ma-

li magno mentis errore tenebantur. Nam cum defunctorum cognati de suorum quidem confessione gauderent, lugerentque tamen ob subducta corpora, hæc sane causa fuit ut magis magisque vulgarentur eorum impietatis crudelitatisque argumenta. Verum illi mox ex Ægypto & ex Libyis in exsilium miserunt Episcopos, Ammonium, Moin, Gaium, Philonem, Hermen, Paulinum, Psenosirin, Nilammonem, Agathonem, Anagamphum, Marcum, alterum Ammonium & Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum, ac Presbyteros Hieracem & Dioscorum. Quos tanta acerbitate expulerunt, ut illorum quidam in itinere, quidam in exsilii loco interirent. Episcopos vero plus triginta ad perpetuum exsilium condemnarunt: ea enim illis quemadmodum Achabo cura fuit, ut si modo fieri posset, veritatem de medio tollerent.

21. Hæc magna illa Ecclesiæ tuba, ardens veritatis patronus, de malis Alexandriæ admissis, propria voce recenset. Nobis vero reliqua addere in animo est. Constantius ergo mortuo fratre Imperator declaratus, cum solus potestate frueretur, nullusque superesset qui sententiæ ac voluntati suæ impedimento esset, non ultra malignitatem occultavit suam; sed magna cum auctoritate in medium illam protulit: & cum Orientem totum gravissima impietate replevisset, quiescere nec sciebat nec volebat, nisi una Occidentem corrumperet: alioquin putasset exiguum sibi esse Imperium, & id in contumeliam fore gloriæ suæ. Quocirca etiam Occidentales Episcopos, ad communionem cum Arii doctrina diligenter invitabat, monebatque unam sibi securitatis viam esse, si nempe Athanasium condemnarent. Qua de causa Synodum coegit Mediolanum, Italiæ urbem: ac multos, hei mihi! etiam fortes ac generosos viros, alios metu, alios adulatione, necessitate alios, nonnullos fraude subornans, ad suam trajecit, imo potius dejecit voluntatem, & quam ipse foveam miserorum animabus effodit, eam ipsam Eusebius, Dionysius, Rhodanus, Paulinus & Lucifer, placide declinarunt. Athanasii namque condemnationem, rectæ fidei condemnationem, ut vere erat, arbitrati; una fraudem quam citius potuerunt effugere, ac jure eos condemnarunt qui condemnarant. Sed illos quidem Arimino excedere vetat Constantius. Athanasius vero gnarus dolis circumventum Imperatorem, judicesque corruptos esse, jamque instare præfectos qui se comprehenderent, ex divina iterum visione, media nocte episcopali domo egressus ad juvenculam quamdam virginem se proripit, quæ vicesimum circiter agebat annum. Speciosa porro ac jucunda erat virgo illa, cui domicilii cum viris societas, numquam expers foret suspicione. Hæc tam inexpectata re stupefacta, ejus causam sciscitabatur, cui ille rem totam enarravit. Cum, ait, multam ubique de me perquisitionem faciant qui Arianæ communionis sunt, metuens ego ne captus & occisus ab eis, immortalis supplicii causa ipsis essem, fugam cogito ac Deo soli negotia mea commendo, qui mihi hac nocte revelavit, quod apud te solam incolumitatem reperturus sim. Hæc ubi audivit Virgo, omni remota animi suspicione, gaudio plena totas Athanasio portas aperuit, seu potius cordis januam reseravit, ac supinis eum, ut a-

A junt, manibus excepit. Eumque illa per sex annos, quot scilicet Constantius vitam produxit, in recessibus domus occultavit, communes quotidie sales apponens, librosque aliunde acceptos, ipsi ad exercitium & meditationem adferens. Atque ita illius corpori & animæ convivia pie parabat: hanc sermonibus quos panem Angelorum esse credimus, illud vero quotidiana mensa atque convivio, necnon quibuscumque aliis officiosa illa manus hospitem excipere valebat. Propriis item manibus ejus pedes abluebat; imo potius, ipso pedum ejus contactu ma-
B nus sanctificabat suas, & quidquid ipsi opus erat diligenter ac studiose subministrans, quasi illi potius quam sibi & facultates & domus propriæ essent.

22. Tantopere autem Alexandrinorum civitas & populus, ad perquirendum Athanasium tum ubique circumcursabat, atque cum tanta cura; ut quisque vel animæ suæ pretio virum reperire peroptaret. Sed erat ille sine civitate, sine domo, ignotusque nisi soli virgini atque Deo. Ita ut ingens eo tempore tristitia Eccle-
C siam occuparet, videreque erat decorem filiæ Sion flaccescentem in dies & emarcescentem. Paucissimis enim exceptis, alii quidem & re & nomine impietatem veluti artem profitebantur: alii vero solo nomine Christianismum colentes, sed reipsa vel malitia præstantissimos longe superabant, latenter licet, non ut ii qui utpote inimici, caveri facile poterant; sed occulte ac Christianismi sub specie, blasphemam Arii doctrinam confirmare satagebant. Non minima sane hujusmodi impietatis portio Constantius erat: quod inesset illi impe-
D ratoria potestas, quodque nutui illius omnes statim cederent. Jussit ergo ut ad omnes Italiæ episcopos & ad omnes alios ubique terrarum morbus ille pervaderet, & si qui τῷ ἑτερουσίῳ, id est, alterius substantiæ, subscribere recusarent, ii exigerentur Ecclesiis suis, aliique eorum loco in thronos constituerentur. Quando etiam eximius ille inter sanctos, atque magnus Liberius, qui post Julium beati Sylvestri successorem, Romanum occupavit thronum, exsilio damnatus fuit. Felix autem quidam in ejus locum ab hæreticis cooptatus,
E divina statim ultione pœnas dedit, tum oculis miserabiliter privatus, tum pestilenti morbo longo tempore consumtus, admodumque malus male periit, sic divina vindicta contumeliosos insequente. Georgius autem Alexandrinorum furia, ut quis dixerit, de more in urbe sese gerebat, seipso vehementior effectus, ac magno contra sanam doctrinam impetu atque animo utens. Eodem quoque tempore Meletius Antiochenus Episcopus, consubstantialem aperte defendens throno dejicitur, & exsilio mulctatur, quem multa orthodoxorum
F turba sequuta est, quod adversariorum communionem ferre non possent. Euzoius vero, improbæ sane vitæ homo, in Antiochenam sedem ordinatus intruditur, cujus præsul erat Meletius. Eudoxius vero, pravæ doctrinæ homo, Constantinopolitanam invadit ecclesiam. Ita improbitas, ita invidia, ubique Ecclesiam perturbans & confundens, etiam ad rem civilem procedere incepit, ac Julianum in Galliis Cæsarem declarat ab ipso Constantio promotum.

23. Constantius ergo cum Constantinopolim petiisset, Eudoxium, uti prius dictum est con-

constituit episcopum : ac templi Sophiæ dicti, a seque tunc renovati celebrat Encænia, decimo Imperii sui anno, Juliano tertium Consule, decima quinta Februarii. Ille vero pravissimæ sane doctrinæ homo Eudoxius, jam completis Encæniis in thronum conscendens, hanc primam emisit vocem, utinam cum voce animam : Pater non pius, Filius pius. Cum igitur ea de causa tumultus atque seditio ecclesiam occupasset, resumens ille, quasi volens sedare tumultum. Nulla, inquit, vos ob tale dictum perturbatio invadat. Nam Pater quidem non pius est, quod neminem pie colat; Filius vero pius est, quia Patrem pie colit. Inde risus auditoribus ortus; ita ut multi ejus improbantes ineptias ecclesia excesserint. Futurumque erat ut Constantius male exciperetur, & illatæ in Deum contumeliæ condignas lueret pœnas. Deinde namque impius Julianus cupiditate imperii totius occupandi, magnum exercitum in Gallia conscribens, purpuram induit, & Augustus ab exercitu proclamatur. Constantius tum bello detinebatur Persico. Nec modicum ad famam gestorum Juliani commotus : insuperque ab impio Euzoio ad bellum ipsi inferendum concitatus, exercitum adversus patruelem comparat, aperte intestinum concitat bellum. Cum autem Mopsucrenis inter Cappadociam & Ciliciam versaretur, apoplexia correptus, vitam isthic cum imperio amisit, cum annos vixisset quadraginta quinque, post patrem autem viginti quinque.

24. Sed hunc quidem ita divina ultio abstulit. Quomodo autem contumeliosum Georgium invaserit, ac impium, sibi similibus, ut scriptum est, manibus abstulerit, nequaquam prætereundum est. Erat quidam Alexandriæ locus, Mithræ olim Græcorum Deo, ejusque sacrificiis & initiationibus destinatus, tum vero temporis, fimo & putredine plenus, neque ad ullam rem civitati aut populo utilis. Hunc igitur Constantius, utpote omnino vacuum & desertum, Ecclesiæ adtribuit. Georgius porro cum templum isthic excitare vellet, fimum & sordes asportari jubet. Expurgato loco, reperitur adytum quoddam in recessibus terræ, ubi Græcorum mysteria occultabantur. Hæc autem erant calvariæ carnibus nudatæ, virorum & puerorum, quos fama erat Mithræ immolatos fuisse, quando Græci divinationibus ab extis, sectionibus, animarumque præstigiis utebantur. In hæc itaque cum Christiani quidam incidissent, palam ea ut risum populo moverent exposuerunt : atque omnium oculis triumphantium more obtulerunt. Quod Græci non ferentes, atque impio pro diis & sacris suis studio commoti, in Christianos irrupere, hi gladiis, lapidibus illi impetentes; ita ut Christianorum multi cæsi, alii crucifixi, quos scilicet vivos comprehendere potuerunt, alii aliis suppliciis variisque cruciatuum generibus necati fuerint. Impium sane Georgium extemplo Ecclesia extractum, cum camelo cuidam alligassent, & camelus illum vehementer dilaniasset & distraxisset, comportatis lignis multis, omniumque sub conspectu succenso igne, eum una cum camelo combussere. Atque ita uno utique modo, variis tamen de causis, beati quidem illi felici exitu, hic vero miser infelici, vitam cum morte commutarunt. Et hæc quidem illis accidere.

25. Julianus porro omnium Dominus eo pacto constitutus : cum statuisset omnia Constantii abolere acta, decrevit ut ii qui exsularent ab exsilio revocarentur. Quod cum didicisset Athanasius, veritus ne etiam Julianum Ariani abriperent (ignorabat enim adhuc animæ illius impietatem, infidelitatem, malitiam) obscura nocte profectus domo ad quam confugerat, in mediis Alexandrinorum Ecclesia reperitur. Quis porro enarraverit, quæ tum gesta sunt? quam libenter scilicet eum conspexerint; quomodo ad conspectum ejus undique coacti sint, Clerus, civitas, populus : alii ex animo gratias agentes de reditu : alii de tanta mora arguentes, ac damnum ex ejus absentia subortum exprobrantes. Deinde quasi suæ erga illum benevolentiæ satis fidem fecissent, aliasque ex sola boni illius pastoris præsentia fiducia repleti, confirmatis animis quamprimum Arianos urbe pellunt, Athanasioque civitatem ac seipsos tradunt. Illi vero etsi ita turpiter exacti, & ad deserta quædam obscuraque loca occultati, nequaquam tamen destiterunt a furore illo atque insania, sed etiamsi Georgius, uti supra diximus, condignas luisset pœnas, Lucium sibi ejus loco constituunt : & rursus sub illo omnem operam hæresi navant, talem nacti præsulem, nec malitia nec impietate illi inferiorem. Jam impii Juliani mala obiter adtingamus, adjiciamusque ea quibus vir ille magnus adflictus est, cujus scilicet vita, numquam vel tantillum periculis laboribusque vacua fuit. Cum anim impius Julianus imperium occupasset; ac dæmonibus qualis ipse erat, potiusque deorum nominibus, quam diis immolaret, tota quidem Ecclesia Christianorum perturbata fuit, Græcorum vero templa, alia aperta, alia instaurata sunt, imo nova exstructa. Ac rursum nidor ubique & fumus, sacrificia, sectiones animalium : & in ipsa, hei mihi! Constantini urbe, Fortunæ statua & libationes publice, hostiæ & alia hujusmodi; Imperatore curam omnem imperiique potestatem contra pietatem adhibente.

26. Tum etiam Maris Chalcedonis in Bithynia episcopus, Imperatorem adiens palam convitiabatur illi, impium, apostatam, atheum & similia proferens. Erat porro Maris præ senectute laborans cæcitate. Julianus vero contumelias juste illatas injusta depellebat, garrulum eum & cæcum vocans, quem neque Deus Galilæorum sanasset. Ille quasi stimulo concitatus, cum fiducia Imperatori respondit: Gratias ago, inquit, Deo, qui me ad utilitatem meam excæcavit, ne impudentem vultum tuum conspicerem, qui tam proterve in impietatem delapsus es. Hujus libertatis exemplo commoti Jovinianus & Valentinianus, soluta cingula Tyranno projecerunt. Nos, inquiunt, præsto sumus propter Christum vitam ipsam tradere, Imperator itaque, & qui cum eo sentiebant, adversus piam religionem tum conspirabant : & sapientes quidam qui cum illo versabantur, magos, veneficos, & divinatores coegerunt, rogaruntque sententiam, quo pacto Christianos de medio tollerent. Omnium una sententia fuit ut Athanasius occideretur. Sublato namque fundamento, facile fore reliquas fidei partes dissolvere. Rursum itaque judicia, rursum judices qui condemnarent, rursum missus exercitus : tur-

batur

batur populus, Alexandria circumsidetur, Ecclesia deprædatur, Athanasio ad necem perquisito. Sed cum etiam tunc ille per medium illorum evaderet, nullus eum cognovit: imo qui videbant ignorabant eum esse, cujus causa Ecclesiam, hei mihi! tanta militum manus obsederat, cujus item causa vias omnes armis intercluserant. Sic igitur, superna munitus manu Athanasius, inimicorum manibus elapsus, vix ullo prohibente, omni cum fiducia, secessit urbe. Tunc iterum fletus gemitusque occupavit Alexandriam. Ille noctu ad Nilum progressus, conscensa navicula, in Thebaidem rursum adverso flumine concedebat. Instabat autem quidam a tergo Satrapes, a Tyranno jussus eum necare ubicumque illum comprehenderet. Cum autem vectorum quidam qui cum Athanasio erat, procul novisset, conspexissetque insequentem, remiges urgebat. Tum Athanasius ubi paulum substitisset, secum oculis interius quiddam prospiciens, uti solebat, jubet remiges cursum vertere, & navigationem Alexandriam versus dirigere. Illis perturbatis, ut par erat, veritisque ne inciderent in Satrapam; Athanasius jubet confidere, & divinum id opus esse inquiens, persuasit. Tum conversa prora, & nave adversa fronte, recta Alexandriam navigarunt, persequentes eos, res mira! qui persequebantur. Cum autem jam prope Satrapam accessissent, barbari quasi caligine quadam eorum oculis offusa, ac si nihil eorum quæ sub oculis erant vidissent, præternavigabant. Percontatur Athanasius, ut olim Elisæus, quem inquirant: Athanasium respondent: tum ille, paulum vos præcedit, quasi navigando quosdam se insequentes fugiat. Ita decepti illi animis excæcati homines, insequebantur eum quem se in manibus habere non animadvertebant. Ille vero celerrime Alexandriam delatus, statimque urbem ingressus, ingenti illam voluptate replevit: uti solet fieri cum insperato conspicitur quod desideratur. Hinc quieti sese tradens, toto imperantis Juliani tempore degit occultus.

27. Postea Julianus decessorum omnium impietate celeberrimus, quos omnes ostendit malitia sibi longe inferiores, post sexcenta adversus pios certamina, improborum operum invenit finem, nec tamen condignum, quasi in illo tribunali sibi iram & supplicium reconderet: cæterum declaravit ille peccatorum viam non esse plane felicem; præstigiis enim, portentis & magicis incantationibus cum sese dedisset, atque deceptus spe ejus, quod Alexandri fuisset olim, imperii potiundi: ut erat semper vehementi gloriæ cupidine captus, imo ratus se in alio corpore Macedonem esse, illato Persis bello, cum spe initio floruisset, ac putaret se magni quidpiam ac præclari editurum, tum id quod tenebat imperium turpiter amisit, & una vitam. Dolo namque transfugæ cujusdam, onerariæ importandis per fluvium frumentis navigia, & reliquos pro castrorum usu commeatus, in fluvium conjecit: in aridamque & exustam terram egressus est, ubi deerat aqua, tum fame sitique sui afflicti sunt; ita ut maxima pars exercitus interiret. Deinde cum rem omnes indigne ferrent, & maledictis multis ac conviciis eum insectarentur, eques ipse aderat; ut cohortaretur eos qui desponderent animum, defessosque recrearet. Quale tuum opus, o ultio! Sagitta, nescio unde, per medium volans brachium, in dextrum cadit latus. Tum prostratus est miser ille, sive a transfuga illo confossus: sive a suorum aliquo; utrumque enim de illo traditum est: sive etiam, quod plurium fert sententia, divinitus inflicto vulnere. Hunc exitum vitæ invenit post annum imperii unum mensesque octo. Deinde totius exercitus calculo, Joviano Imperium traditur. Qui cum menses duntaxat septem imperasset, cum octavo in Galatia degeret, derepente vitam clausit, somno miscens mortem. Post illum inauguratur Valentinianus, qui cum fratre Valente societatem iniit imperii, Orienteque ipsi tradito, in Occidentem ipse post triginta dies, in Galliasque properavit.

28. Accepto igitur Valens imperio, non thesauros curavit, non de pecuniis sollicitus fuit, non de exercitus ordine disciplinaque; sed omnis illi cura fuit quo pacto Arianorum rem augeret, orthodoxorumque imminueret, ac quibusvis modis perderet. Quod ipsum sibi satis esse æstimabat ad gloriam ac splendorem. Quare brevi, Episcopos, sacerdotes, diaconos, eosque qui monasticam agerent vitam extremis adfecit malis. Tum Meletium pietate incomparabilem hominem, Antiocheno dejecit throno, Athanasium item magnum inter athletas virum comprehendere satagebat. Meletius porro exsilii damnatus est, & una cum eo pulsus totus Ecclesiæ clerus: necnon multi alii præsules, uno verbo, quotquot cum Arii corruptela communicare nollent, ecclesiis exacti, patria pulsi sunt, familiaribus & cognatis privati, calamitatibus item & cruciatibus gravissimis traditi. Cum autem ingens illud Alexandriam illatum bellum fuit, Præfectorumque jussa, curante Eudoxio, ubique missa sunt, tum maximus ille athleta Athanasius persequutionem passus est, moxque capiendus erat, cum clam egressus urbe in paternumque ingressus sepulcrum, quatuor ibi menses transegit, atque ita bruta impetum & furorem vitavit. Tatiano tum Ægypti præside, horrendi Christianos omnes & gravissimi cruciatus exceperunt: ac per eum multi martyrii finem adepti sunt. At condignas statim ille pœnas luit, fortunis una & dignitate privatus, & ad hæc, oculorum morbo excæcatus, valdeque miserabiliter palam mendicans, vita sic functus est: neque mortuo quispiam Alexandrinorum libavit; imo etiam in ejus statuam & imaginem debacchati sunt, ut etiam fuligine faciem ejus inungerent, qua sola ille vere dignus erat. Sed hæc quidem gesta sunt, fraude jam marcescente & efflorescente.

29. Quæ vero Constantinopoli adversus orthodoxos Eudoxius designarit, quæ lingua enarrare, aut solum memorare sustinuerit? Cum tot igitur tantaque mala primo Valentiniani & Valentis Consulatu totum orbem occuparent, jure merito homines supernis etiam castigabantur plagis. Tantus enim fuit terræ motus, quantus numquam fuerit, nec, ut videtur, futurus sit. Quo cum urbes aliæ dirutæ; tum in Creta plus centum ingenti ruina eversæ sunt. Mare item suis egressum limitibus quædam loca ita inundavit, ut fundos permultos prius arabiles, tum navigabiles efficeret,

ceret, rem insolentissimam: aliis in locis tan-
tum discessit, ut medio cursu navigantes in
sicco solo reperti sint. Sed ne ita quidem im-
probi homines, communibus orbis calamita-
tibus, elementorumque mutationibus emenda-
bantur; imo potius ad malitiam ferventiores
postea erant: vehementiusque deinde & atrocius
in Christianos concitabatur bellum. Cum au-
tem Athanasii desiderio, adversus Imperatores
Alexandrinus populus exasperaretur, & jam
ad arma ac seditionem verteretur; re audita
Valens, eorum veritus tumultum & audaciam;
necessitate compulsus est Ecclesiarum regimen
rursum Athanasio tradere. Quod ille non il-
lius gratia agebat; sed quod nullus ex subdi-
tis esset, ut par erat, qui sibi obtemperaret.
Quo factum est, ut ab assiduis illis persequu-
tionibus & bellis, quiesceret Athanasius. Gra-
vis quippe calamitas totum occupabat Orien-
tem, & Christiani mutuo sese sanguine pol-
luebant. Valente porro Antiochiam profecto,
vitam clausit Eudoxius ardens Arii doctrinæ
assertor & patronus, cum annum persequutio-
nis sanæ doctrinæ ageret decimum nonum.
Cujus loco substituunt Arianæ sectæ homines,
Demophilum: qui vero sanæ & orthodoxæ
partis erant, Evagrium, virum vita, sermone
& moribus insignem, quem initiarant sacræ
Eustathii manus, præclari viri, qui olim in
Antiochenum constitutus thronum, postea ex-
silio fuerat damnatus; ac rursum (per Jovia-
num revocatus) tum temporis Constantino-
poli degebat cum orthodoxis, nec ipsi latebat
A ingens illa Valentis immanitas in orthodoxos.
Sed manus illum non parva militum, brevi
post Evagrii ordinationem exsulem Bizyen de-
duxit. Neque Evagrium quiete frui passa est,
sed alium adduxit in ejus locum, ob parem
utriusque fidei enarrandæ libertatem. Valens
porro Antiochiam ubi venisset, consubstantialis
assertores oppugnabat pellebatque, non Eccle-
siis tantum, vel conventibus & communione;
sed etiam gradibus, domibus, urbe ferme tota
exigebat, imo toto Oriente. Ad hæc graviffi-
mi cruciatus ingruebant, atroxque mors ex-
B cipiebat. Vidit isthæc Orontes fluvius, & An-
tiochiæ vici, fora, viæ, suburbia: ille sacerdo-
tum sanguine tincto alveo; hæc cadaveribus
repleta. In tanta igitur tempestate, tam gravi
tam vehementi, præclarus ille & magnus vitæ
secundum Deum instituto & virtute Athana-
sius, post tam diuturnos illos propter Chri-
stum sudores, post illa pro orthodoxa fide
certamina, post celebres fugas & exsilia, &
insignia trophæa permulta, cum successori Pe-
tro futura prænuntiasset, sexto & quadrage-
simo Sacerdotii anno, decimo-octavo die
C mensis Januarii, Gratiano & Probo secundum
Consulibus, vitam clausit, utpote qui jam sat
laborum & ærumnarum percepisset, ideoque athle-
tam agonotheta sursum ad se vocabat; ut eum
ille splendoribus & coronis, arcanorumque bono-
rum retributione, condigne remuneraret. Quæ
faxit Deus ut & nos consequamur; in Christo
Jesu Domino nostro, cui gloria & imperium
nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

Lectus est liber cui titulus:

VITA

SEU CERTAMINA

SANCTI PATRIS NOSTRI

MAGNI ATHANASII

EPISCOPI ALEXANDRINI,

Pari modo conscriptus.

1. ADERAT festum sacerdotis Dei & Mar-
tyris Petri, cujus memoriam veneraba-
tur Alexandria tota. At successor illius sanctus
Alexander post divina mysteria, insigniores e
clero, convivio excepit. Dum pararentur o-
mnia, cernit ex quodam inaspecto loco ad o-
ram maris, pueros simplici animo ludentes,
quorum jocus erat imitatio sacrorum terribi-
liumque mysteriorum: non quod ad contu-
meliam hæc fierent, sed solo spectaculi desi-
derio, ausi sunt ea quæ audere non oportuit.
Tum eadem rituum imitatione Athanasium e-
piscopum constituere, reliquos autem in ca-
techumenos, baptizatos, presbyteros item &
diaconos deputarunt. Stupefactus hisce gestis A-
lexander, pueros ad se duci jubet, cumque com-
perisset, non risus & ludi causa hæc acta fuis-
se; sed, ut ex subsequentibus æstimatur, af-
flatu quodam, atque simplicitate mentis, in a-
D morem Dei excitatæ; quotquot igitur illorum
baptizati fuerant, eos unxit, atque Christi si-
gnaculo initiavit. Athanasium autem parentibus
commendat mandata tradens ut eum disciplinis
erudirent, & cum ad adolescentiam perveniret,
sibi, imo potius Ecclesiæ traderent, quasi scili-
cet alterum a se oblatum Samuelem. Præstant
igitur parentes quod jussum sibi fuerat ab Epi-
scopo, ac tempore id postulante puerum offe-
runt. Quem accipit ille domi, habuitque illum
consiliorum participem, ac pietatis consortem.

2. Cum porro Arii rabies orbem fere labefa-
E ctaret, sub initium ille cum divino Alexandro;
ac postremum per se ipse pro veritate decertavit.
Nam cum Arius post depositionem & anathema,
pietatem simularet quidem; sed illa ad breve
tempus simulatione, stabilire moliretur impie-
tatem; id deprehendit sapiens Athanasius,
Ariumque missum ad Alexandriæ Episcopum
Ale-

Alexandrum a pio Imperatore Constantino, (solet enim sæpe dolus & vafrities etiam sapientes circumvenire) ne reciperetur contendit. Deinde defuncto beato Alexandro, ipse successor designatus ad majora sese instruxit certamina. Quamobrem totus hæreticorum cœtus, eum quasi scopum posuit loquacitatis & calumniarum suarum. Sese itaque adversus illum adornant Eusebius Nicomediensis & socii, conductisque quibusdam Meletianis hæreticis, eorum ministerio crimina confingunt. Quorum primum fuit: quod ex Athanasii avaritia lineam vestem Ægyptii ecclesiæ Alexandrinæ pensitarent. Secundum: quod Imperetori insidiatus, Philumeno cuidam, qui tyrannidem affectasse ferebatur, sese adjunxisset, illique crumenam misisset auri plenam. Tertium: Ischyram spectabat, necnon mensam subversam, & confractum calicem mysticum, Mareotem etiam, & Macarium presbyterum, ejusque violentam latronum instar irruptionem, quæ omnia quasi in scena repræsentabantur.

3. Hæc & similia dramata commenti Eusebius & socii, ad aures ea deferunt Imperatorias, ad iramque concitarunt Imperatorem, accusantes Athanasium, quod Arium Imperetoriis litteris & jussionibus monitum, licet recte sentientem, recipere noluisset. Eodem porro tempore ad Jerosolymorum encænia Episcopi prope omnes convenere. Scripsit Constantinus pius Imperator, ut iterum Synodus celebraretur, in qua examinarentur, quæ ad Athanasii accusationem & ad Arii commendationem dicta essent. Quod si Arium invidia ab Ecclesia disjunxisset, ad pacem illum admitterent; sin dolo ipse usus esset, Alexandriam mitteretur, atque illic accurate disquireretur de illo. Examen autem negotiorum Athanasii & Arii, jussit, ut Jerosolymam profecti Episcopi, paulum a via deflectentes Tyri perficerent. Trigesimus tum absolvebatur Imperii Constantini annus. Sexaginta autem Episcopi Tyri aderant, cogente illos Dionysio consulari, qui cum & provinciæ præfectus, & aliqui magistratuum in Concilio sedebant. Aderat & Athanasius, atque etiam Macarius presbyter Alexandria vinctus catenis ferreis a militari manu abductus. Primum itaque sycophantæ illi accusationem proferunt de linea veste, sed illam accusationem jam ante Nicomediæ Imperatoriis auribus allatam, Apis & Macarius Alexandrini presbyteri, qui tum illuc casu advenerant facile confutarunt. Quapropter sycophantas Imperator litteris suis perstrinxit; Athanasiumque ut se adiret hortatus est. Litteræ porro ad Synodum venerunt Tyriam, ac dolore Eusebium & socios affecere; qui jam in unum multi confluxerant adversus Athanasium: quod Imperator illos graviter culparet, & quod calumnia de linea veste, confutationem ipsis adtulisset.

4. Cum porro ab hujusmodi sycophantia lapsi essent, quæ Ischyram & Macarium spectabant in medium adferunt. Sapiens autem Athanasius, juxta leges agens, apertos recusabat hostes, Eusebium scilicet, & sectatores illius. In primis autem demonstrari volebat an Ischyras vere presbyter esset; quo scilicet liturgiam celebrante, falso accusabant irruisse Macarium, ab Athanasio missum, cum impetu latronum instar violento, atque sacram evertisse mensam, poculum sacrum confregisse, nostros divinæ Scripturæ libros in ignem conjecisse. Hæc duo ex A communi lege opponebat ille & objiciebat. At judices non ad judicandum de calumnia, sed ad firmandam eam toto animo contendebant. Quamobrem eorum quæ juste dicta fuerant rationem habuere nullam. Inducitur ergo accusatio de Macario & Ischyra, eratque sycophantarum animositas intolerabilis, nec suppetebant argumenta quod sane indicium erat impietatis invidiæque illorum. Ut autem mora & arte quadam, pudorem repulsæ tegerent, legatos suæ factionis mittunt in Mareoten, eo scilicet obtentu, quod ibi examen fore oporteret, B ubi facinus admissum fuisset. Ut autem vidit Athanasius eos mitti legatos, quos recusasset ipse, Theogonium scilicet, Marin, Theodorum, Macedonium & Ursacium, contestatus est omnibus, manifestam esse injustitiam: & quod Macarius qui prior accusationem subiisset, in vinculis esset, dum Ischyras accusator illegitimis judicibus adjungeretur. Cum autem Synodus nullam ejus querelæ & contestationis rationem haberet, clam Imperatorem, utpote accitus, adiit. Judices porro in Mareoten missi, altera absente parte, ut i- C psis mendacium & invidia imperabant, commentarios cum edidissent, ad synodum remigrarunt; quæ priusquam illi advenissent, Athanasium desertæ causæ damnarat. Cum advenissent autem depositionem ejus confirmarunt, multis additis contumeliis. Statimque ad consecrationem Ecclesiæ Jerosolymitanæ, qui gestis suis sacerdotium prophanaverant festinanter perrexerunt, Ariumque instantem, libenter Eusebiani admiserunt: qui vero rectæ fidei erant, illum aversati sunt, D statueruntque, ut Alexandriæ, quo in loco crimen illi intentabatur, rationem redderet, quo illum jam advenisse deprehensum est. cum res in tali motu essent adveniunt Imperatoris litteræ: quæ una Athanasium se adire, & ipsos in Imperatoriam se conferre civitatem præcipiebant: quæ res Synodum conjecit in animi anxietatem.

5. Quamobrem maxima illorum pars domum reversi sunt. Eusebius autem Theogonius & socii illic moram trahere decreverunt, illa temporis extractione sese ex angustiis extricare conati. Interea vero alia accusatio, qua E dicebatur Athanasius aurum misisse Philumeno, coram Imperatore confutata fuit in suburbio Nicomediæ cui nomen Psammathia. Mittiturque cum honore Alexandriam Athanasius, Imperatoriis litteris ejus innocentiam populo declarantibus. Aderat item Arius missus ut superius dixi ab Jerosolymitanis Episcopis. Rursumque tumultus in Ægypto obortus est. Hæc autem Imperatori rescripsit Athanasius, qui Imperator Arium revocavit. Hic vero cum Eusebianis iter faciendo Cæsareæ congressus, alias rursus contra Athana- F sium conflavit sycophantias. Ut autem vix sero tandem Eusebiani in Imperatoriam urbem accesserunt, dicebant: se non alias quidem accusationes in examen adducturos: quæ vero Ischyram spectabant se jam disquisiisse, & probe scire ab Athanasio facta esse. Similiterque quod frumenti commeatum quotannis Alexandriam Constantinopolim vehi solitum, ipse prohiberet. Quorum criminum cum reus Athanasius deprehensus esset, clam secedens judicium effugisset. His Imperator commentis persuasus, Athanasium certaminibus

assuetum in exsilium mittit in Gallias ad civitatem Trevirorum, ut illic degeret. Tumultu autem ac tempestate Ægyptum commovente, & hæresi seu quadam peste ecclesiis labefactatis, Imperator Constantinus in quodam Nicomediæ suburbio, cum unum & triginta annos in Imperio consumsisset, hinc translatus est, anno a nativitate sexagesimoquinto. Testamentum autem commisit cuidam presbytero, qui Ariano furore laborabat, jubens ut cognomini sibi Constantino traderet. Quo ipsi patris Imperium loco Occidentalis imperii tradebatur. At miser ille sciscitantibus plurimis, an Imperator testamentum fecisset, non fecisse adfirmabat, nactus mendacii adjutores androgynos Eunuchos. Paulopost autem advenienti ante alios Constantio clam testamentum tradidit Imperatoris, ac in proditionis suæ mercedem, gratiam postulat, paternæ scilicet sanæque fidei proditionem. Eusebiani porro Presbyteri opera perfugium apud Constantium adepti, Eusebium præpositum, ac per eum alios Eunuchos, immo ipsam Imperatricem ad hæreseos trahunt amorem atque patrocinium. Tum Arianæ res firmitatem accepere.

6. Archiepiscopales autem thronos tum hi occupabant, Maximus Jerosolymitanum, Alexander Imperatoriæ urbis, Athanasius vero exsul erat. Arius vero cum Constantinopolim venisset, desiderio infremebat labefactandæ Dei Ecclesiæ. Sed divina ultio rem non ultra toleravit: precibusque sancti Alexandri commota, hæresin Ario privat, qui visceribus effusis exstinctus est. Cum autem post hæc parum conquievissent Ariani, omnia denuo commoverunt, rati magno sibi fore telo Athanasii exsilium ad omnia pro libidine peragenda. Verum divina providentia conatum præoccupavit eorum, Athanasiumque ab exsilio reduxit, litteris munitum Imperatoriis: quibus eum Constans Occidentalium partium Imperator, ceu viatico quodam instructum, remisit Alexandriam. Tum pastorem suum; quotquot sanæ fidei erant, libentissime receperunt. Hæretici autem seditiones excitarunt, ac Eusebio occasionem dederunt, ut Athanasium rursus apud Constantium calumniaretur, atque calumniis suis levissimum hominem ita in iram concitarunt, ut Sanctum iterum exsilio damnaret. Hi mortui cujusdam manu abscissa, eam quasi telum adversus sanctum virum ad calumniam protulere, quam manum dicebant Arsenii esse. Et ab Athanasio abscissam, ajebant esse magicæ artis instrumentum. Decretum porro exsilii nequaquam solutum fuit: sed jussu Imperatoris concilium Tyri cogitur. Mandatumque Imperatorium traditur, ut Archelaus, qui eadem in domo habitabat, ac cum ipsis sentiebat, una cum Phœnices præfecto Eusebianis assiderent, & una examinarent ea quæ adversus Athanasium conficta fuerant. Moram itaque trahebant qui Tyri sedebant, quasi Alexandria venturos accusatores exspectarent, quos oculatos esse sceleris testes, atque Arsenium probe nosse nuntiabant: ut autem ex eventu palam fuit, divina providentia ita dispensante. Erat enim Arsenius Alexandrinæ ecclesiæ lector, qui cum turpis sceleris pœnas daturus esset, ab Athanasio ereptus fuerat & fuga quæsierat sibi salutem. Cumque perfuga ille lateret, hinc calumniandi audacia impiis accessit. Sed commiseratione ductus Arsenius erga liberatorem suum (in illa enim Concilii cunctatione sycophantiæ fama ubique pervagata est) Tyrum concedit; ratus sibi potius moriendum esse, quam sui causa circa tantum virum totum orbem scandalizari; Athanasio autem secreto se sistit, ac consilium ab eo accipit ut ante judicium omnibus lateret, ne quid ipse mali a sycophantis pateretur, & ut conspecta calumniæ confictæ manifesta consutatione, accusationem adversarii desererent.

7. Convocato itaque concilio, primam illi calumniam intentant mulieris de stupro oblato accusantis. Clamabat porro impudens muliercula, sibi noctu ab irrumpente Athanasio vitium oblatum fuisse. Aderat porro illi virginitatis amatori & Timotheus ejus presbyter, unaque consilium ineunt sapientissimum, imo a Deo ipso inspiratum, quo malæ impiorum artes facile confutatæ forent. Cum enim coram muliere adducti essent, qui accusatus fuerat quiete Deum precabatur. Timotheus autem, furiosa illa muliere impudenter agente, & Athanasium, uti edocta fuerat, corruptorem vocante; ille, inquam, presbyter, quasi Athanasius ipse fuisset, Dic mihi, inquit mulier, Egone apud te mansi? aut tu me domi excepisti, an noctu te violavi? Illa, utpote ex publico lupanari mulier, impudente vultu, oculisque ad Timotheum intentis. Tu es, exclamat, qui vim mihi intulisti, meque noctu corrupisti. Et ad judices conversa, calumniis suis horrenda adjecit juramenta, Timotheumque digito ostendens, illumque trahens dicebat: Is est, & non alius, corruptor meus. Judices porro cum satellitibus ridere, Athanasiique prudentiam mirari, quod vel silens, acculationem contra se intentatam in accusatores vertens, impudentissimos esse sycophantas palam fecisset. At illi nequaquam resipuere nec majorem æqui bonique habuere curam. Accusatores igitur, quos ingemere oportebat, & gratiæ loco habere, quod sycophantiæ pœnas non luerent, linguam adornant suam ad calumniam de Arsenii manu, crimenque cædis & veneficii viro adscribunt pietatis propugnatori. Ille voce ac mente imperterritus; quis, inquit, ex vobis Arsenium novit vel dexteram ejus? Respondentibus ex consessu non paucis qui erant cum accusatoribus, se probe nosse Arsenium. Tum Athanasius: quandoquidem, ait, se probe & accurate nosse Arsenium confitentur; adest ille, ingrediatur. Quo ingresso, rursum interrogavit, an illum introductum, nossent esse Arsenium. Cum id negare non possent illi, pertrahit illum propius ad tribunal, jubetque primum ut dexteram erigat manum, deindeque sinistram. Et exclamavit: Ecce Arsenium, viri cives, ecce ambas ejus manus, o admirandi judices. Dicant ergo accusatores, cujus est manus isthæc, & a quo illam resecuerint: quo autem animo ea sint usi, nemini ambiguum; resecuerunt enim ab homine, ut nos interficerent. Sic iterum ille sycophantarum machinas evertit omnes. At judices, cæci atque surdi, tum studio placendi Constantio, tum ex animo ad hæreticos propenso, tribunale relicto, rem gestam silentio

lentio premere moliti ſunt. Diſcedentibus illis, non jam inimici in calumnias, ſed in cædem ſtrenuiſſimi viri erumpunt. Et alii verbis alii vocibus pulſant victorem; alii mortem ab Imperatore illatum iri comminantur. Archelaus porro ſanctum virum, jamjam ab impiis diſcerpendum, cum vix domo deſcendiſſet (tametſi enim ad juſtum judicium non reſpiceret, naturali tamen verecundia tenebatur) cum ſatellitibus eripuit illum, occultamque ut fugam faceret monuit & curavit. Impii autem cum rurſus conſeſſum veniſſent, nefaria crimina a ſe conficta inſonti adſcribunt, cumque in variis libellis mendacia ſua exaraſſent, Conſtantio atque univerſo tranſmittunt orbi.

8. Tumque de alia in aliam regionem fugiebat vir ſanctus, ærumnis confectus, acriter perquiſitus; adeo ut qui ſciret ubinam eſſet, nec indicaret, capitali plecteretur pœna; iis vero qui indicarent ubi degeret, vel caput ejus adferrent, magna proponerentur præmia. Quorum gnarus patientiæ adamas, in fovea aqua carente totos ſex annos patienter latuit. Pridie vero ejus diei qua prodendus locus erat, divina quadam viſione admonitus ſervus Dei, inde aufugit, inque Occidentem contendit: cum jam Conſtans imperium, non modo ſuum, ſed etiam fratris Conſtantini obtineret; nam illum exercitus tyrannidem adfectantem interfecerat. Docet igitur, opitulante Julio Romano, Imperatorem, quas paſſus eſſet conſpirationes ab Arianis, necnon Synodum Antiochiæ ad everſionem fidei convocatam eſſe: qua ratione item Georgium illegitime in eamdem ſedem ordinatum conſtituiſſent; nec illum dumtaxat, ſed prius etiam Gregorium. Euſebius porro cum quæ in animo erant perfeciſſet, ad ſanctum Julium legationem mittit, hoc agens ut Athanaſium ille una damnaret. Ille vero ex Euſebii litteris, Athanaſium non damnandum, ſed potius abſolvendum judicavit; litteriſque munitum ſuis mittit Alexandriam. Quibus litteris eos qui damnaſſent jure merito acriterque culpabat. Sed Ariani furentes, cum magis magiſque Conſtantium corrupiſſent, ordinatum a ſe Gregorium Alexandriam cum militari manu tranſmitti curant (Syrianus copiarum dux erat) eratque exercitus quinque millium hominum. Fugit ergo ſapiens Athanaſius ducem atque milites, ſibi necem inferre peroptantes; iterumque Romam concedit. Impius porro Gregorius Alexandriam occupavit. Populuſque rem non ferendam ratus, Eccleſiam incendit Dionyſii nuncupatam. Romæ igitur una erant exſules venerandus Athanaſius & Paulus, æqualibus ornati certaminibus & palmis.

9. Scripſit autem Conſtans, incitante Julio Pontifice, fratri ſuo Conſtantio, monens ut qui injuſte læſi eſſent ſuis Epiſcopatibus reſtituerentur. Cum autem nihil impetraſſet, rogant eum Athanaſius & ſocii, ut in œcumenica Synodo, cum de rebus ſuis, tum de læſa fide judicaretur. Conſenſu itaque amborum Imperatorum Sardicæ indicitur œcumenica Synodus, undecimo anno a morte Conſtantini Imperatorum patris. Ex Occidente autem Epiſcopi convenere plus trecentis: ex Oriente tantum ſex & ſeptuaginta, quibus annumerabatur Iſchyras ut epiſcopus. Cum igitur Sardicæ conveniſſent omnes, Orientales in conſpectum venire Occidentalium recuſabant, niſi prius Athanaſium & Paulum ex Concilio pellerent. Tum Protogenes Sardicæ epiſcopus, Hoſius Cordubæ, & reliqui epiſcopi, ne audire quidem injuſtam eorum poſtulationem voluerunt, ut ſcilicet viros pro quibus judicandis convenerant, abſque prævio judicio condemnarent & expellerent. Hinc Orientales ſeſe a Sardicenſibus ſegregantes, Philippopoli congregantur: ibique conſubſtantialitatem, non jam clandeſtina ſententia, ſed propalam audaci lingua condemnarunt, diſſimilitudinemque ſubſtantiæ declararunt. Tum impia ſua decreta tranſmiſerunt ubique. Sardicenſes autem primum quidem eos qui abſceſſiſſent desertæ cauſæ condemnarunt: deinde accuſatores Athanaſii ſycophantas eſſe cum deprehendiſſent, dignitate ſua ſpoliarunt, ac tertium jam Nicænæ Synodi decretum confirmant, conſubſtantialitatem promulgant, diſſimilitudinem ſubſtantiæ reprobant. Tum litteras ad univerſas orbis Eccleſias mittunt: compertis vero Occidentis Imperator rebus Sardicæ geſtis, de iis ſtatim fratrem certiorem facit, reſtituique Paulo, Athanaſio & aliis thronos ſuos partim hortatur partim jubet, cumque Athanaſius rurſum Arianorum inſidiis peteretur, ac Romæ degeret, Occidentis Imperator rurſum fratri litteris ſignificavit, ſe ſi ipſe bono animo Athanaſium recipere vellet, ipſiſque Epiſcopalem thronum reſtituere, paratum eſſe ad Athanaſium eo mittendum; ſi nollet, ſe ſuo marte juris ac juſtitiæ vindicem fore.

10. Metuens itaque Conſtantius, litteris ſuis non ſemel, neque bis tantum, ſed uſque tertio, perhumaniter atque blande ad ſe vocat ſtrenuiſſimum Athanaſium. Quem Occidentis Imperator cum multis ſatellitibus mittit. Julius item Pontifex variis eum Epiſtolis quaſi viatico communivit. Advenientem porro Conſtantius in proprium reſtituit thronum, comiter prius increpatum: cum aufugiſti, ait, magnam mihi irrogaſti contumeliam, tametſi te humaniter tractare cogitarem. Verum unam jam mihi conferto gratiam. Ille ſe dixit pro viribus Imperatori facturum ſatis. Tum Conſtantius poſtulat unam ex Alexandrinis Eccleſiis Arianis pro conventibus celebrandis tradi. Nec abnuit Athanaſius, adjecitque, dummodo unam Conſtantius Conſtantinopoli, iis qui ſecum ſentirent Eccleſiam traderet, ubi nulla potiebantur. Quod Conſtantius libenter ac promte promiſit ignarus ſe eos qui ſecum ſentirent ſummo afficere dolore. Cæterum ſummam Athanaſii prudentiam, ingeniique acrimoniam miratus, eum, uti diximus, ſumma cum gloria & honore dimiſit, litteris Auguſtalio jubens, eum cum veneratione tractari, atque omnia quæ vel ipſe Conſtantius, vel ſui adverſus eum promulgaſſent irrita forent; ac clerum illius priſtino reſtitui honori, publicique miniſterii immunitatem recipere. Cum itaque Athanaſius Jeroſolymam perveniſſet, Maximumque Dei Pontificem & Confeſſorem adiiſſet, colloquutus cum eo eſt de rebus Sardicæ geſtis, deque Conſtantii erga ſe affectu, ac Confeſſori auctor fuit cogendæ Synodi. Quæ Synodus admirando viro Athanaſio & communionem & pontificalem dignitatem reſtitui decrevit.

crevit. Scripsit item Alexandrinis omnibusque per Ægyptum & Libyam, res a se Athanasii causa gestas & statutas. Generosus autem athleta, Alexandriam cum venisset. Synodum & ipse convocat Episcoporum Ægypti & Libyæ. Quæ similia omnino decreta tulit, iis quæ Sardicæ & Jerosolymis statuta fuerant. Verum cum Magnentius tyramidem occuparet, ac interfecisset Imperatorem Occidentis, rursum Ariani pulverem movent, Constantium scilicet, adversus generosum Athanasium concitant. Hinc rursum impia decreta, rursum fuga, iterum perquisitio, & investigatio. Interea Georgius thronum invadens Alexandrinum, una cum Acacio & Patrophilo Arianis hominibus, Jerosolymis pulso Confessore Maximo, in ejus locum Cyrillum constituunt. Impius vero Georgius tot tantisque Alexandriam replevit malis, ut commissa a Gentilibus in Christianos facinora, humana viderentur iis comparata. Nuvæ enim plagæ recens excogitatæ corporibus infliguntur, quæ intolerandum adferrent dolorem. Ignis nudis virginibus admotus. Mors vero multos, vitæ & suppliciis eripuit. Tum in exsilio pulsi sunt sacerdotes & Episcopi in Ægypto triginta duo.

11. Constantius vero suscepto fratris imperio, Episcopos Occidentales, cum ad Athanasii condemnationem, tum ad suam hæresin pertrahere satagebat. Quare Synodum in Italiæ civitate Mediolano congregat. Ac quosdam ibi ad suam abduxit voluntatem. Dionysius vero, Eusebins, Rhodanus, Paulinus & Lucifer, qui suam piamque religionem nequaquam contumelia adfecere, neque Athanasium condemnare voluerunt, (sciebant enim Athanasii condemnationem esse fidei condemnationis quasi procemium,) Ariminum mittuntur in exsilium. Cum nosset porro Dei servus Athanasius, hæreticam turmam iterum adversum se acerbius ac crudelius commoveri, clam omnibus qui in urbe erant ad virginem quamdam fugit, ut ad locum nullatenus suspectum non perquireretur. Erat enim speciosissima puella, ut omnea certum putarent virum nullum, nedum Archiepiscopum apud illam diversatum iri. Eratque annos nata viginti. Commemorat autem ipsi veritatis ille magister & custos quæ se spectarent, quod scilicet ad sui cædem sese instruerent hæretici. Et quod omnia quæ extra urbem essent vestigarentur: quodque ex revelatione Dei saluti suæ consulentis ad ipsam venisset. Illa cum ineffabili gaudio virum recipit & per sex annos occultat, donec Constantii mors finem adferret latebris. In omnibus autem alacriter virgo, & cum reverentia sancto viro ministrabat, quod in civitate parvi & magni, amici & persequutores juxta ignorabant. Jussit porro Constantius ut quotquot in Italia Episcopi nollent Arianæ hæresi subscribere, suis exigerentur Ecclesiis, eorumque loco ordinarentur impii homines. Exsulavit tunc etiam Liberius, qui post Julium Romanum occupabat thronum, cujus loco ordinatur Felix, qui confestim divinitus immissa cæcitate pœnas luit, ac deinceps pestilenti morbo sublatus est. Ea ipsa Meletius Antiochiæ Episcopus patitur, ejusque loco hæresis Euzoium constituit; Constantinopoli vero Eudoxium, viros impios dignamque hæresi sua vitam agentes.

12. Eodem tempore Julianum Constantius Cæsarem proclamat, & in Gallias mittit. Novam autem Ecclesiam a se Constantinopoli constructam, ipsi Dei sapientiæ cognominem dedicavit. Tum impius Eudoxius in festo Encæniorum in throno constitutus, primam illam audacem stultissimamque protulit vocem: *Pater impius*, *Filius pius*. Tumultu autem jure inde oborto, malo malum sedare conatus est: nihil id vos, inquit, conturbet, nam Pater impius, quia neminem pie colit; Filius vero pius, quia Patrem pie colit. Hoc furiose dictum in cachinnos & risus tumultum vertit, ita ut multi ab Ecclesia discederent. Porro Julianus in Galliis agens, victoriis contra Barbaros reportatis, a militibus Imperator declaratur. Comperta Constantius ejus inauguratinne, baptizatur, impia Euzoii manu, armaturque contra adversarium. Cumque Mopsucrenem pervenisset, Ciliciæ oppidulum, belli solicitudinibus ita laboravit, ut apoplexia correptus obiret, annum agens a nativitate quadragesimum quintum, Imperii a morte Patris vigesimum quintum. Georgius autem Alexandriæ templum Græcorum dirutum in quo olim Græci Mithræ mysteria agebant, viros sacrificantes, pueros item & mulieres, ut eorum extis divinareut; hoc, inquam, templum emundare aggressus est, ut illic Oratorium excitaret. Dum expurgaretur, multæ reperiuntur calvariæ occisorum, quas Christiani zelo permoti eduxerunt, ut Græcorum mysteria traducerent & risum populo moverent. Hanc Gentiles non ferentes contumeliam, impia ducente ira in Christianos irrumpunt: & alios gladiis, alios fustibus; quosdam lapidibus, ac quovis passim occurrente trucidarunt, nonnullos etiam crucifixere. Georgium autem Ecclesia extractum, cameloque illigatum, cum eo pacto discerpsissent, conjecerunt in ignem.

13. Julianus autem accepto Imperio, Gentilium quidem religionem coluit; quas autem Constantius Dei Pontificibus calamitatea intulerat, noluit approbare. Quare quotquot in exsilio degebant, humaniter revocavit, quo factum ut Athanasius, accepta fiducia domo egrederetur Virginia in qua degebat. Noctu autem in Ecclesia comparuit, Alexandrinusque populus libenter illum, quasi viventem ex mortuis festum agens excepit. Quotquot outem Ariani in urbe residui erant, in Georgii locum Lucium constituerunt. Julianus vero ubique locorum Gentilium mysteria colebat: Constantinopolique palam fortunæ idolo sacrificavit: quo tempore Maris Chalcedonis episcopus manu ductus, (laborabat enim præ senectute oculorum hebetudine) multis apostatam convitiis lacessivit. Ille cæcum improbumque contra nuncupabat, exprobrabatque quod Galilæus Deus non ipsum curaret. Cui Maris: & ideo maximas ago Deo gratias, qui me excæcavit ne impudentem tuum, & impietate obscuratum vultum conspicerem. Tum vero temporis Jovianus & Valentinianus, qui postea imperarunt, soluta cingula sua tyranno projecerunt; habetò tibi, dicentes, cingula & honores; quod si velis pœnas de nobis sumere, libenter tibi, (ajunt, Juliano appropinquantes) corpora nostra offerimus. Apostata vero cum viris fpcum

cum sentientibus deliberat Athanasium de medio tollere, ratus, si Alexandrina civitas illo liberaretur, facile Christianos cives in suem pertrahendos impietatem. Quamobrem iterum sycophantæ, iterum dux, iterum exercitus, iterum Athanasius quæritur & fugit. Furtim itaque ex urbe fugiens conscendit in naviculam, & ad Thebaidem cursum convertit. Satrapes illum e tergo sequutus est, quod ille cum didicisset divina visione, jubetur cursum convertere & retro navigare. Quod cum prohiberent qui cum illo erant, non modo verbis, sed etiam lacrymis monentes, ne se suosque in apertum conjiceret interitum. Confidere jussit homines, nec reformidare, docuitque Deum sibi opitulari. Revertentibus Alexandriam, occurrunt persequutores, rogantnum fugientem Athanasium vidissent. Respondent illi & se vidisse, & si maturarent cito comprehendi posse. Sic itaque errantes illos dimiserunt. Illi autem cito Alexandriam appulerunt. Ac cum brevi tempore latitasset Athanasius, postquam Julianus apostata apud Persas pœnas dedisset, tum ille libere ac confidenter egit, ac Salvatoris sui fidem docuit & prædicavit. Julianus porro in Perside interfectus est; aliis necem ad transfugam Persam referentibus, aliis ad aliquem ex militibus. Quæ vero plurimorum est, & verisimilior opinio, docet eum divinitus illata nece sublatum fuisse. Vitam igitur obiit cum annos vixisset triginta & unum, vigesimo initi Imperii mense, Romanumque imperium totius exercitus calculo excipit Jovianus, cujus paulo ante meminimus. Sed ille cum octo tantum menses imperium tenuisset in Bithynia obiit. Post illum autem Valentinianus, vir, ut decessor illius veritatis propugnetor, Romanique sceptri consortem (quod utinam numquam factum) admittit Valentem fratrem. Cumque mensem unum Constantinopoli degisset, Valenti Orientem, sibique Occidentis imperium reservavit.

14. Cum in Occidentem profectus esset, qui frater ejus erat uterinus; sed minime freter, imo adversarius, fidem quod spectabat, bellum implacabile adversus Ecclesiam, seu adversus orthodoxam fidem concitavit. Ac primo quidem admirandum Meletium a Juliano revocatum, ac proprio throno restitutum, in exsilium ablegavit cum multis aliis Episcopis & ex Clero præcipuis. Deinde etiam Ægyptum perturbat, ac seditiones tumultusque præcedentibus graviores Alexandriam invaserunt. Metuens porro vir Dei, ne in cause ipse esset popularis tumultus, totos quatuor menses in paterno delituit sepulcro. Tatianus autem Præfectus qui cædibus Ægyptum adflixerat, divinitus cædium & impietatis pœnas dedit. Nam dignitate juxta & multis divitiis excidit, ita ut stipem ipse cogeret, & emissis oculis, vita miserrime & turpiter functus est. Cum autem tantis motibus omnia fluctuarent, terræ motus supervenit omnium qui retro fuerant longe maximus, qui multas evertit urbes: totasque decem in Creta urbes solo æquavit. Tum mare proprios excedens terminos, multam continentem reddidit novum mare, multam item terram ante aqua coopertam aratro subjecit. Sed nihil eorum Valentem ad bonam frugem reduxit. Cum porro Alexandrinus populus, desiderio Pastoris sui tumultuaretur, nihilque non ee de causa se facturum minarëtur, se scilicet naves vehendo frumento deputetas, publica item horrea combusturos, nisi Doctorem reciperent suum. His auditis impius Valens, litteris suis Athanasio integram dat libertatem, ut Ecclesias administraret. Cum autem Antiochiam profecturus esset, quia Eudoxius Christi inimicus, postquam novemdecim annis adversus orthodoxos implacabile bellum gessisset, exstinctus fuerat, Nicomediæ substitit. Arianique Demophilum ordinant: qui autem consubstantialitatem propugnarant, Evagrium quemdam, cui beatus Eustathius manus imposuerat. Qui Eustathius cum ante Meletium Antiochenam regeret Ecclesiam, ab Arianis insimulatus fuerat, etque exsilio revocatus ex decreto pii Joviani, Constantinopoli degebat. Impius igitur Valens compertis iis quæ gesta fuerant, Arianorum quidem facta cum gaudio probavit. Ex preconibus autem piæ religionis Eustathium, qui ordinasset, cum militari manu misit Bizyen Thraciæ urbem, Evagrium autem ordinatum in aliud egit exsilium. Et his gestis impius ille, Antiochiam concedit, ubi eadem ipse adversus orthodoxos perpetravit & machinatus est; immo multo pejora: variis enim suppliciorum generibus ipsos interfecit, quod magis autem in promptu erat illi ad homines de medio tollendos, Orontes erat fluvius. Dum itaque tanta confusio, tantus tumultus universum orbem misceret, post tot tanta tamque diuturna pro pia religione certamina, post tot labores, ad communem quem dilexerat Dominum cujus causa passus fuerat, gaudens ethleta migravit præmia consequuturus, cum annos in Episcopatu, imo potius in certaminibus egisset quadraginta.

Verba Photii.

Liber unde hæc excerpsimus negligentiam potius redolet quam diligentiam; maxime autem quod pertinet ad œconomiam orationis & sententiarum in multis capitibus, multa item nova enarrat quæ apud alios non reperiuntur.

VITA
SEU CERTAMINA
SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
OLIM EPISCOPI ALEXANDRINI,

Ex Simeone Metaphraste.

1. MULTI sanctorum cælesti desiderio vulnerati, & splendoribus Christi, certantium remuneratoris, studiose intenti, atque a vera luce illustrati, ad mortem usque pro Euangelii prædicatione, & pro vera religione concertantes, cælesti corona donati fuere, quod invisibilia visibilibus, præsenti vitæ futuram, præsentibus ea quæ in conspectu non erant antetulissent. In primis vero Apostolicæ gratiæ particeps, magnus ille Athanasius, qui inter Episcopos celeberrimæ Alexandriæ veluti margarita conspicuus, fervens spiritu, alatus desiderio cælesti, multis annis contra Imperatores piæ religioni adversantes, necnon contra cœtum hæreticorum in toto orbe dimicans, virtute cælesti victoriam retulit de toto prave sentientium conventu.. Cujus certamina variamque ejus in sacrorum eloquiorum doctrina sapientiam, quæ ex scriptis ab eo relictis, omnibus perspicue nota est, enarrare nemo digne poterit, etiamsi fuerit dicendi peritissimus. Nos vero, quoad feret facultas, gesta ejus recensebimus. Oportet autem primum, pauca de viri a puero institutione enarrare. Nuper igitur sancto Alexandro Alexandriæ Episcopo ad episcopatum promoto, post sancti Petri conventum qui antea martyrio adfectus fuerat, cum ille ad convivium invitasset clerum, exspectaretque donec cogeretur, cum in loco staret inaspecto, vidit pueros Ecclesiasticam juxta normam, ludum quempiam agitantes. Erat enim domus ad mare conversa, ad cujus littus ludebant sacratissimi pueri, quorum episcopus erat Athanasius, & alii convenæ presbyteri & diaconi, qui adducebant ipsi pueros catechumenos, ut baptizaret illos. Quos juxta Ecclesiasticum ritum baptizatos alloqui volebat. Rem itaque miratus Alexander, pueros ad se duci jubet, compertisque iis omnibus quæ gesta fuissent, ex clericorum sententia pueros baptizatos unxit, sigilloque in Domino confirmavit: vocatisque Athanasii parentibus, commendat puerum, litteris institui jubens, & in Domino proficere; adultum vero reddi sibi, seu potius Ecclesiæ, ut Anna, ait, Samuelem obtulit. Cum advenisset ergo tempus, parentes offerunt ipsi Athanasium, statimque Alexander sacerdotale ipsi Ephod imponit; novum Samuelem in Ecclesia promovens, ad ultionem alienigenarum. Etenim multa ab hæresibus passus est certamina; ita ut de illo dixerit Dominus noster: *Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* [Act. 9. 16.] Siquidem in illum conspirarunt, non quadraginta viri, sed totus hæreseos cœtus per universum orbem, Athanasio cum Davide psallente: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*, [Psal. 26. 3.] me scilicet coronam gloriæ consequuturum. Quoniam igitur multa quæ illi acciderunt commemorare constitui, infinita namque in persequutione perpessus est, insignioribus gestis ejus contenti erimus, quæ apud omnes viro familiares nota sunt. Impius itaque Arius minime quiescebat, sed in exsilio cum esset potuit piissimum Imperatorem Constantinum circumvenire; cumque id arte sua effecisset ut arcesseretur ad ipsum Imperatorem, fidemque suam adhibito juramento descriptam exhibuisset, verbo quidem tenus nostræ fidei similem, revera autem, multum ab ea discrepantem, in admirationem cadit Imperator, statimque eum Alexandriam remisit. Cum veniret igitur Alexandriam, sanctus Alexander Alexandrinus Episcopus, eum minime recepit: instigante atque incitante sancto Athanasio, tum Archidiacono: eum namque quasi rem abominandam exsecrabatur, quod iterum vellet hæresim concitare. Ex hoc igitur iterum Ægyptus turbabatur. Tum Eusebius Nicomediensis litteras misit, Imperatoremque ad scribendum concitavit.

2. Athanasius porro, ne reciperentur prohibebat, missisque cum Episcopo Alexandro ad Imperatorem litteris, docuit illum, eos qui semel fidem negassent, & anathemate percussi essent, redeuntes minime esse recipiendos. Tum Imperator, rem indigne ferens, ab Eusebio commotus ad iram, hæc sancto Athanasio scribens minatus est.

Pars Epistolæ Imperatoris ad sanctum Athanasium.

Cum itaque voluntatem meam compertam habeas, omnibus qui in Ecclesiam ingredi voluerint, liberum permittito aditum. Quod si quospiam Ecclesiæ adjungi volentes cohibueris, aditumque illis intercluseris; mittam quamprimum qui te jussu meo deponat, & ex sedibus transferat tuis.

Episcopo item Alexandro paria de Ario scripsit. Et hujusmodi quidem Imperator scripsit ex utili proposito, quod nollet Ecclesiam distrahi.

hi: omnes quippe ad concordiam agere peroptabat. Cum accepisset Alexander ab Imperatore litteras, pauco tempore superstes beato fine vitam clausit. Athanasius vero sacerdotii ministerium excepit. Qualis porro fuerit, prudentia, pietate, Ecclesiæ administratione, sequentia declarabunt. Hæretici porro cum cognoscerent Ecclesiæ illum præesse, primum animo conciderunt. Deinde vero illum uno animo aggressi sunt; quasi, ut ita dicam, memoriam illius de terra tollere curarent, quemadmodum Judæi contra Dominum moliti sunt. Statim namque ille Ecclesiæ præpositus fuit, Eusebius & socii, invisum habentes Athanasium, nequaquam quiescebant, sed tempus nacti opportunum Imperatoris iram consilii sui administram adhibuerunt, omniaqua movere ut eum Episcopatu pellerent, quasi indigne, ut ajebant, talem occupasset dignitatem; ita enim dumtaxat prævalere posse putabant Arianicam doctrinam, si Athanasius tolleretur de medio. Deliberant itaque Eusebius Nicomediensis & socii adversus illum; ac mercede conducunt nonnullos Meletianæ hæreseos, Isionem, Eudæmonem, Callinicum, variasque in Athanasium accusationes comminiscuntur. Ac primo quidem Athanasium cum irrepsisset in Episcopatum, Ægyptiis mandasse, ut lineam vestem Alexandrinæ Ecclesiæ pensitarent. Secundam item struunt calumniam, priori multo graviorem: Athanasium scilicet Imperatoris rebus insidiantem, Philumeno cuidam misisse marsupium auri plenum. Tertiam, Ischyras suscipit, negotium multiplici nece dignum. Cum enim numquam sacerdotium accepisset; nomen sibi presbyteri adtribuens, in vicis Mareotæ ausus est sacerdotis munia obire: interea vero sanctus Athanasius in Mareoten venit; ut parœciam illam visitaret. Ac de Ischyræ gestis certior factus, misit Macarium presbyterum, exploraturum, an ea vere dicerentur. Quare deprehensus Ischyras, isthinc se fuga proripuit Nicomediam, & ad Eusebianos confugit. Qui odio Athanasii, illum quidem recipiunt ut presbyterum, promittuntque Episcopalem illi dignitatem, si velit accusationem in beatum Athanasium suscipere. Ille porro hæc commentus est: Macarius, ajebat, presbyter, missus ab Athanasio, irruptione facta in Ecclesiam nostram, in altare insiliit, sacram subvertit mensam, mysticum confregit calicem: sacros libros combussit.

3. Hæc & talia Eusebiani Imperatorem edocent, iramque illius accendunt in Athanasium: addentes item, illum divinis acceptis litteris, nihil curasse, neque admisisse Arium. Adeo ut Imperator auditis iis contra Athanasium criminationibus, in furorem actus, juberet, ut Synodus iterum cogeretur. Licet enim ille firmum pro pia religione studium foveret; & cum putaret lædi adversarios, utpote justus judex illam denuo tulit molestiam. Cum autem ad Encænia Jerosolymorum omnes ferme convenissent Episcopi, scripto jussit, ut examinarentur accusationes in Athanasium allatæ: similiter monet de Ario, ut accurate expendant, num, quemadmodum ajebat Arius, cum in recta staret fide, invidia separatus & ajectus fuisset. Et si quidem invidia in causa esset, curarent inter utrumque pacem conciliare. Quod si conficta pœnitentia usus esset Arius, Alexandriam concederet, atque isthic de ea causa judicaretur. Episcopos itaque paulum a via deflectentes, jubet Imperator, Tyri coactos; causam Athanasii & Arii expendere, ut e medio sublata omni simultate, pacatius Ecclesiæ dedicationem celebrarent, consecrantes eam Deo. Trigesimus is erat annus Imperii Constantini. Tyri aderant ex variis urbibus Episcopi sexaginta, Dionysio consulari congregante illos. Ducebatur autem Macarius presbyter Alexandria a militari manu, vinctus catenis, simul assidente illius provinciæ præfecto, aliisque compluribus magistratibus. Paulopost accitum Athanasium a Synodo, præsentes sycophantæ, primum de linea veste accusarunt. Sed eam calumniam Apis & Macarius presbyteri Alexandrini, qui Nicomediæ erant, exstinxere Imperatorem docentes falsa illa esse quæ contra Athanasium dicerentur. Quare accusatores Imperator litteris suis perstrinxit, jussitque Athanasium se adire. Statim ergo sub initium disquisitionis, traditis imperialibus litteris, Deo rem ita dispensante, in anxietatem Eusebius & socii redacti sunt. Cum igitur hac in parte excidissent accusatores, ad accusationes contra Macarium vertuntur.

4. Et primum quidem Athanasius ille magnus Eusebium & socios, utpote sibi inimicos, jure recusabat. Hinc postulabat comprobari, num accusator Ischyras presbyter esset. Ita enim accusatione scriptum erat: sed Macarii causa in medium adducta est. Cum autem infirma argumenta essent, intermissa fuit interrogatio, ut quidam in Mareotem concederent, ut ipso in loco ambigua disquirerent. Ut vidit autem Athanasius illos mitti, quos recusaret ipse, Theognium, Marin, Theodorum, Macedonium, Ursacium, exclamavit, dolo fraudeque res peragi, nec æquum esse, in vinculis manere Macarium presbyterum, dum accusator cum inimicis abiret, rem & commentarios altera absente parte edituris. Hæc clamante sancto Athanasio, ac communem Synodum, & Dionysium consulem in testes compellante; ut advertit, nullam eos gestorum rationem habere, illis relictis abscessit, & ad Imperatorem properavit. Qui porro missi in Mareoten fuerant, cum altera absente parte, arbitratu suo rem gessissent, remigrarunt: Synodus vero primum Athanasium desertæ causæ damnavit. Ubi autem accessere quæ in Mareote gesta fuerant; tum Athanasii depositionem decernunt, multis eum conviciis in scriptis suis onerantes. Tum quam celerrime Jerosolymam concessere, ad novæ Jerosolymæ dedicationem. Isthuc porro occurrentem Arium admittunt, qui in Nicæna Synodo, consubstantiali simulate subscripserant; Eusebius videlicet Nicomediensis & socii. Qui vero orthodoxæ fidei erant, Arium aversati statuere, audiendum illum esse in Alexandrina Synodo, quo illum concessisse deprehensum fuerat. Cum hæc ita se haberent, accedunt aliæ litteræ Imperatoris, jubentes Athanasium accedere, ipsosque Constantinopolim quam maturrime se conferre.

Epi-

Epistola Imperatoris. Victor Constantinus Augustus Episcopis Tyri congregatis.

Equidem ignoro quænam sint a vestra Synodo turbulenter ac tumultuose judicata: veritas quippe tumultu ac confusione quadam oppressa videtur a vobis, scilicet ob mutuam vestram contentionem, quam invictam vultis, quæ Deo placent minime spectantibus. Sed erit illud divinæ providentiæ opus, istiusmodi discordiæ mala, manifesto deprehensa dissipare, nobisque palam facere si qua vobis fuerit isthic congregatis veritatis cura, & si judicia vestra citra gratiam ullam vel odium lata fuerint. Quocirca vos omnes quamprimum pietatem nostram convenire volo, rerum a vobis gestarum accurate rationem coram reddituros, &c.

5. Hæ litteræ, homines in Synodo coactos ad angustias redegere. Quamobrem plures domum regressi sunt: Eusebius, vero, Theognis & reliqui, aliquantum ibi cunctati studio extrahebant tempus; litteris autem suis piissimo Imperatori significarunt, invitos se detineri quominus ipsum adirent. Interea autem, aliud profertur crimen de auro ad Philumenum misso. Sanctus Athanasius sistit se in conspectum Imperatoris in Psammathia suburbano Nicomediæ. Quare cunctantibus Eusebianis cum honore illum Alexandriam remisit, scribens Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum eorum Athanasium falso fuisse accusatum. Cum autem advenisset Alexandriam sanctus Athanasius, congregatique essent qui Ario faverent, frequens erat populi concursus, & spes, circa hujus negotii exitum: cum maxime viderent ea quæ a tot Episcopis decreta essent divexari. Cum porro adverteret Athanasius iterum tumultu repleri Alexandriam Ægyptumque totam, non reticuit, sed ad Imperatoris aures retulit. Cum autem Imperator audivisset, Arii sententiam iterum prave detortam fuisse, accitum denuo illum Constantinopolim venire jussit, rationem redditurum de iis quæ commovere aggressus esset. Arius vero cum Alexandria ad comitatum duceretur, congressus Cæsareæ cum Eusebio, Theognio, Mari & reliquis affeclis, cum narrasset ea quæ sese spectarent, plurimisque diebus versatus cum illis, eorum usus consiliis; alias una cum illis in Athanasium consuere calumnias in animum induxit. Tum præmissus ab illis ad Imperatorem Arius, profectus est causam propugnaturus. Eusebiani vero Constantinopolim iterum profecti, ut pacti erant contra Athanasium, omnem lapidem moventes, quod dicitur, ut episcopatu eum pellerent. Acciti namque ab Imperatore, & interrogati ab eo de actis in Synodo; respondent: Non tanta nobis, Imperator, de prioribus Athanasio illatis cura est; quanta de sacra mensa subversa & de mystico poculo confracto; insuperque quod interminatus sit se impediturum frumenti commeatum Alexandria Constantinopolim vehi solitum. Ajebantque hæc Athanasii dicta audivisse, Adamantium, Anubionem, Arbethionem & Petrum Episcopos, a quibus convictus, in omnibus reus deprehensus, judicium subterfugisset Athanasius. Sic igitur circumventus Imperator, atque in iram versus, exsilio mulctat Athanasium, Treviros in Gallias abire jussum. Ajunt autem quidam, id egisse Imperatorem animo pacis Ecclesiasticæ conciliandæ; quandoquidem Athanasius communionem cum Arianis prorsus aversaretur. Tumultu itaque ac seditione non minima concitata, non solum Alexandriæ sed etiam per universam Ægyptum, hominum scilicet lugentium Episcopum suum; rursum quasi ex recessibus emergentes Ariani, totam commovere civitatem, evomentes pestifera illa & exitiosa Arii dogmata, atque pestis instar ingruentes hominibus a se deceptis.

6. Dum autem humanæ cogitationes in hisce rebus incumberent, finem vivendi facit Constantinus in quodam Nicomediæ suburbio, cum annos unum supra triginta Imperium tenuisset, totumque ejus vitæ tempus sexaginta quinque annis absolutum est. Successores filios reliquit, tradito testamento atque in manibus deposito cuidam presbytero cum Ario sentienti, mandans ut Constantino cognomini traderet illud. Multis igitur quærentibus an edidisset testamentum: cunctabatur presbyter, nactus consilii socios Eunuchos sacri cubiculi. Paulopost advenit Constantius, clamque ipsi presbyter testamentum tradit, unam statim ab eo rogans gratiam, ut cum Ario sentiret. Defuncto itaque Imperatore Constantino, Eusebius Nicomediensis & socii, tempus se nactos opportunum rati, Arii hæresin firmare studebant. Quod ex voto cessurum sperabant, dum ab exsilio Athanasius non remigraret. Hæc autem moliebantur opera usi presbyteri illius. Qui testamenti traditi beneficio, sese ingerens in Palatium, Imperatoris præpositum, nomine Eusebium induxit, ut Arii doctrinam tueretur. Hinc alii Eunuchi ad eadem sentienda inducebantur. Quin immo ipsa Imperatoris uxor per Eunuchos ac presbyterum decepta, eidem doctrinæ adjungitur. Nec multum postea ipse Imperator in eamdem sententiam deductus est: ac statim mandat, ut Arii hæresis firmaretur, omnesque Episcopi nostri ajus doctrinam vel inviti cogerentur amplecti. Dum hæc spiritalis tempestas agitaretur præerat Jerosolymitanæ Ecclesiæ Maximus episcopus, Alexandrinæ magnus Athanasius, qui in exsilio agebat; Constantinopolitanæ vero Alexander, ut in quibusdam Athanasii scriptis legimus. Eusebius autem Nicomediensis, socium habens supra dictum presbyterum, operam dat ut Arius Constantinopoli audiatur, ratus facile superatum iri Athanasium, si in peregrina urbe quæstio haberetur, auctoritate scilicet Imperatoris, aliisque eo convenientibus Arianice sentientibus. Sed Arius cum esset instrumentum diaboli & vas ejus paratum, cum cogitaret Dei Ecclesias diripere, condignum retulit facinorum finem. Precibus namque sancti Alexandri episcopi Constantinopolitani, in latrinis Imperatoriæ urbis, viscera ejus avulsa sunt. Sed etiam post Arii mortem, parvo elapso tempore, Eusebius Nicome-

mediensis & socii ejus, Eunuchorum sibi addictorum opera, quotquot rectæ doctrinæ adhærescerent perturbare aggressi sunt; lucrum sibi existimantes sancti Athanasii absentiam, ac studentes suæ sententiæ Episcopum in Alexandrina Ecclesia constituere. Sed Dei A gratia præoccupavit eos, veritati præmium adjudicans. Hæc enim illis cogitantibus, magnus Athanasius ab exsilio regressus est, Imperatoriis munitus litteris ex Occidente scriptis a Constante filio beatæ memoriæ Constantini, ad populum Alexandrinum, hisce verbis.

VICTOR CONSTANTINUS

Catholicæ Ecclesiæ & populo urbis Alexandriæ.

NEc sacræ mentis vestræ notitiam præteriisse arbitror, ideo Athanasium adorandæ legis interpretem, in Gallias ad quoddam tempus missum fuisse, ut ne immanium ejus hostium feritas, quæ in periculum sacri illius capitis imminebat, eorumdemque improborum perversitas ad nefaria sustinenda eum cogeret. Ad eam igitur eludendam, ex faucibus adorientium se virorum est ereptus. Quamobrem sub me degere jussus est, ut in nullo sibi necessario deficeret. Tametsi ejus præclara virtus divinis freta auxiliis, graviores calamitates fert libentissime. Dominus porro noster beatæ memoriæ Constantinus Augustus pater meus, eumdem religiosissimum Episcopum suis sedibus restituere parabat. Quia tameo humana sorte præoccupatus, antequam votum implesset suum ex hac vita migravit, consentaneum existimavi divæ memoriæ Imperatoris propositum hæreditate acceptum exsequi. Porro Athanasius quantæ mihi venerationi fuerit cum ad conspectum venerit vestrum agnoscetis. Nec mirum est si quid ejus gratia fecerim: ad hoc enim desiderii vestri imago & tanti viri dignitas animam meam concitavit atque commovit. Divina vos providentia conservet, fratres dilecti.

7. His confisus litteris Athanasius, Alexandriam venit, eumque libentissime excepit populus Alexandrinus. Quotquot autem isthic Ariani erant, conventicula cogebant adversus illum; unde frequentes ortæ seditiones ansam Eusebianis dedere, virum apud Imperatorem calumniandi: quod nullo Episcoporum conventu id decernente, suo ipse motu remigrans occupasset Ecclesiam: eo usque calumnias illi ferebant. Ac rursum memorati homines Imperatoris aures obtundentes, inconsiderato furore concitant illum, ut exsilium decernat in Athanasium; veriti, ne si patris propositum sequeretur, vellet de fide edoceri, ipsique io periculum venirent. In tantum itaque furorem improbitate sua deducti sunt, ut mortui cujusdam manum nacti, dicerent, eam ab Athanasio ad veneficia fuisse usurpatam: seque nosse cujus esset: affirmabant quippe eam Arsenio cuidam viro, ab Athanasio fuisse abscissam. Qua de causa Imperator, nequaquam decrevit exsilium contra sanctum Athanasium; ut sperabant Ariani, rati se humanius quidpiam postulare, quam si capitis accusationem scriberent, clerici cum essent; sed jussit perquisitionem haberi, qua Athanasio liceret sese defendere. Mandat ergo Archelaum familiarem sibi & domesticum virum, mittitque Tyrum, ut una cum Phœnices præfecto causam cognosceret. Tyri ergo degebat sanctus Athanasius, exspectans illos de veneficio accusatores. Mora autem B & cunctatio fuit, ut causabantur illi, quo Alexandria accedere possent ii, qui flagitii testes oculati fuissent, & ipsum nossent Arsenium: at ut ex consequentibus cogitare licet, id divina providentia factum est. Erat enim Arsenius Alexandrinæ ecclesiæ lector, quem ob turpe facinus pœnas daturum beatus Athanasius, ut liberaret, ad fugam hortatus fuerat. Rati ergo nequaquam compariturum Arsenium, utpote reum; ad fidem auditoribus faciendam, pronuntiato Arsenii nomine, crimen intentabant in Athanasium. Pervenit C ad Arsenium fama, quod ejus causa Athanasius Episcopus, Tyri in suspicionem magiæ veniret, beatumque miseratus virum Arsenius, atque accepti beneficii gratiam referre peroptans, nihilque suum curans periculum, Tyriorum in civitatem venit e fuga reversus; potius esse ducens mori se, quam totum orbem terrarum ob tantum virum offendi. Cum venisset Tyrum, Athanasio clam se sistit; D qui consilium dat illi, ut ne ante judicium sese multis exhiberet; ne quod illi malum inferrent adversarii, neve si per tempus liceret, studerent solvere istam contra sanctum Athanasium accusationem de veneficio. Manet igitur ibi Arsenius, qui uno die accesserat antequam causa diceretur. Insequenti igitur die, sedentes pro tribunali judices, jubeot adduci accusatores & Athanasium. Primam igitur accusationem de adulterio intentant, adducta impudente muliere, quæ apprime callebat calumniandi modum. Dixit illa, E cum pietatis causa Athanasium domi suscepisset, ab ipso noctu irruente vitium sibi oblatum fuisse. Deinceps jubent introduci Athanasium, qui tum stabat ad limen secum habens Timotheum presbyterum, qui una ingressus cum sancto Athanasio, dicit: Ain tu mulier, Egone apud te mansi? Tune me domi suscepisti? an te noctu violavi, uti me accusas? Tum illa, utpote mulier ex publico prostibulo pecunia conducta, petulanter converso vultu, & labello veluti lenocinium extenso, ad Timotheum clamavit: Tu F es qui mihi vim atque vitium obtulisti: Tu ipse es qui noctu me violasti invitam, & castitatem fœdasti meam. Hinc ad judices cum juramento clamat: Hic est corruptor meus: hic, non alius est, qui mei corrumpendę causa ad me venit. Cognita furiosę mulieris insania, judices cum satellitibus ridere, atque mirari sancti Athanasii prudentiam; qui vel silens, accusationem illam esse calumniam comprobarat, confusis adversariis suis. Scenę haud dissimile negotium fuit: nam in Timotheo Athanasius, actum adversariorum, dolo plenum esse monstravit. Athanasius accusatus est, Timotheus insimulatus sese defendit, atque ita

clypeos suos amiserunt adversarii. Fuit enim ipsis mulier quam multa mercede conduxerant, telum perniciosum, conflictum non sustinens, imo præ ignorantia contra suos dimicans. Qua de causa etiam pœnas effugiunt a lege præscriptas: ipsi namque una judices erant & accusatores.

8. Quamobrem suppressa mulieris accusatione, ad veneficii crimen concedunt; & cum se putarent ex secundo crimine priori calumniæ fidem facturos, ipsi sese potius illaqueant, capti sua impietate. Itaque manum proferunt, detestandam rem Magistratibus ostendentes, ajuntque: Viri judices, ecce brachium, quod artificiosis verbis non valet Athanasius declinare. Ipsa te manus silendo accusat, o Athanasi, quam Arsenio abscidisti. De qua defensionem pares oportet, in quem illam usum amputaris. Tum Athanasius ad illos: Quis ex vobis novit Arsenium? Aut quis hanc ejus esse dexteram agnoscit? Et surgentes quidam cum accusatoribus, se Arsenium probe nosse dicebant. Tum Athanasius ad judices: Quandoquidem, ait, se Arsenium nosse confessi sunt, rogo adduci Arsenium: adest namque. Ut autem adductus est Arsenius, adversarios obtuitus beatus Athanasius, ait accusatoribus ac judicibus: Annon hic est Arsenius, de quo mihi crimen offertur? Ecce adest Arsenius omnibus Alexandrinis notus. Et pertracto illo ante tribunal, dexteram ejus manum primo erigit, ac jubens rursum ut sursum aliam elevaret ad consessum exclamavit: Ecce Arsenium, o cives, ecce hominis manus, o mirabiles judices! Rogo perquiratur, cujus sit manus illa quam tenent adversarii, & unde illam resecuerint. Tum nox & caligo eorum oculis offusa est, non modo ob sancti Athanasii purgationem; sed quod suis ipsi accusationibus venefici, & quod grave dictu est, sycophantæ deprehensi essent. In illum sane cœtum quadrat illud (Psal. 7. 16.) quod dicitur: *Lacum aperuit & effodit eum, & incidet in foveam quam fecit*. Sed quoniam judices ideo convenerant, non ut de jure & justitia disquirerent, sed ut Athanasium condemnarent, compressa legum auctoritate, & potestatis ascia. Quamprimum igitur satellitibus tribunal reliquerunt, silentio studentes veritatem oblitterare, ne Imperatorem offenderent. Itaque videre erat discedentibus judicibus seditionem, adversariorum contra sanctum Athanasium, qualem nemo nostro ævo vidisset umquam. Hi quidem verbis, illi manibus eum pulsabant, garrulum appellantes, veneficum, & gravissima quæque mala. Imo & comminabantur, non multo post mortem illi ab Imperatore illatum iri: alii dolo occidendum denuntiabant, effusis in judices contumeliis convitiisque multis: aliqui vero clanculum machinabantur ipsi necem. O violentiam! quare, ajebant, non quievit ut veneficus deprehensus occideretur; sed curavit per manifestissimam refutationem, pietatem comprobari suam, ac compressit accusatores suos? Et cum tanta seditio esset, nihil rem curavit Gallio Præfectus urbis. Clamantibus autem illis, atque pulverem in aerem projicientibus, unaque omnibus vociferantibus: Tolle, tolle Athanasium, non enim convenit illum vivere; Archelaus descendens Athanasium jamjam dilacerandum eripit; erat quippe Præfectus judicii, alioqui mansuetissimus, qui posset eum purgare apud Imperatorem, etiam mortem contemnere paratus; eumque ille occultis meatibus dimittens ex civitate, fugam illi aperuit, auctorque illi fuit ut curaret neminem nosse, quo in terræ loco ille versaretur. Rursum adversarii coacto concilio, deliberant de confingendis adversus sanctum Athanasium commentariis; quibus significabant, omnium criminum Athanasium reum fuisse deprehensum: multaque eorum exempla in totum orbem terrarum emisere. Rem annuntiant autem Constantio. Itaque Athanasio de loco in locum fugere necesse fuit, cum vehementer ubique perquireretur; adeo ut magna iis præmia proponerentur, qui ubicumque inventum illum indicarent. Civitates simul omnes movebantur, & magistratus, aliquando præmia decernentes iis, qui pacis ergo constituti essent; aliquando capitis pœnam in persequutores, nisi Athanasium vivum exhiberent; aut si id non possent, caput ejus adferrent, cum certis evidentibusque indiciis. Postquam ergo sex annos in puteo aquam non habente delituisset; pridie quam locus deprehenderetur ex divina quadam revelatione in alium profugit locum. At metuens ne etiam aliis periculum crearet, qui tum sibi auxilio essent; relictis Orientalibus partibus, in Occidentem se confert, cui imperabat Constans Constantii frater, qui nuper imperium Constantini fratris acceperat, peremti ab exercitu Aquileiæ ad Alsum fluvium.

9. Athanasius ergo profectus ad Julium Romæ Episcopum, commemorat ipsi omnia quæ accidissent: ambo una Imperatori Constanti renuntiant, quæ scelera, quas fraudes in eum machinati essent. Cum itaque Romæ degeret sanctus Athanasius, edidicissetque coactam esse Antiochiæ synodum, ad orthodoxam fidem evertendam, Georgiumque constituendum, qui in ejus locum mittendus esset, rescripsit ad Ægyptios episcopos & ad Clerum ac populum Alexandrinum, ut aversarentur illa ab impio Ario disseminata zizania. Cum itaque persequutio prævaleret, necnon insidiæ adversus sanctum Athanasium conflatæ, cumque ad Occidentales partes se contulisset ille; Eusebiani statuunt magnum Athanasium apud Imperatorem Constantium calumniari: Primum quidem, quod contra canonem egisset a se olim decretum, quia scilicet non communi Episcoporum calculo ordinem episcopatus accepisset. Reversus enim, ajebant, ab exsilio, suopte arbitrio Ecclesiam invasit, atque in ejus ingressu, mota seditione, multi interiere. Imo res quoque Tyri contra Athanasium gestas, in medium adducebant. Hoc itaque modo virum condemnantes, in Alexandrinum episcopatum substituunt ordinantque Gregorium quemdam Arianum: quo peracto fidem immutant, cui ipse Gregorius Arianus, Alexandriam nondum ingressus, subscribit tamquam illius urbis Episcopus. Eusebius porro, cunctis arbitratu suo peractis, legationem misit ad sanctum Julium Romæ Archiepiscopum, missis etiam calumniis adversus sanctum Athanasium conflatis, rogabatque, ut ipse judex foret eorum quæ contra Athanasium gesta essent, lite ad se vocata. Julius ergo, acceptis ab

Euse-

Eusebio litteris, expensisque iis quæ Athanasium A spectarent; cum deprehendisset id negotii nihil nisi calumniam esse; ipsum commendatitiis munitum litteris mittit Alexandriam, sedem illi restituit, nec leviter reprehendit eos qui temere illum deposuissent. Cum igitur Athanasius recuperasset Ecclesiam, & id illis, qui ad Antiochenam Synodum convenerant, delatum esset; Ariani non modice Julii litteris exasperati, mittunt quamprimum Gregorium quem in locum Athanasii ordinarant. Deduxit igitur Alexandriam Gregorium Arii furorem spirantem Syrianus dux, B & cum illo armatus exercitus quinque millium hominum. Accesserunt autem ad illos qui isthic cum Ario sentiebant. Quo pacto autem sanctus Athanasius, inquirentium se manus effugerit, enarrandum. Vespera erat, populusque sequentis synaxeos pervigilium celebrabat. Venit autem, instructisque undique militibus, circumsedit Ecclesiam. Magnus autem Athanasius, iis perspectis, curam habuit, ne quod sui causa populo detrimentum foret, præcipiensque Diacono, ut orationem C indiceret, rursus psalmum canendum curavit. Concentu autem psalmi facto, per unam Ecclesiæ januam omnes exierunt. Quod cum fieret, milites omnes immoti neque pugnantes manebant: sanctus autem Athanasius in medio psallentium præterivit illæsus incolumisque. Hoc modo rursum elapsus Romam fugit. Tumque impius Gregorius Ecclesiæ potitus est. Cæterum populus Alexandrinus rerum gestarum impatiens, Ecclesiam Dionysii nuncupatam incenderunt. Cum tantus Alexandriæ esset tumultus, sanctus Paulus Constantinopolitanus D Episcopus, Ecclesia exactus, partibus relictis Orientalibus, in Occidentem concessit, ubi Constans frater Constantii imperabat, ac cum magnum Athanasium ibi reperisset, Julium adit Archiepiscopum Romanum: omnibusque Julio & Imperatori commemoratis, isthic cum Athanasio degebat. Constans itaque cum comperisset ea quæ Athanasium & Paulum spectarent, missis fratri litteris jubet recipi homines. At cum litteris Imperatoris Constantis, quibus mandabat, ut Paulo Athanasioque suæ sedes restituerentur, nihil E amplius effectum esset; aliam cogi Synodum rogant Athanasius & Paulus, ut in Œcumenica Synodo, cum negotia sua, tum quæ fidem spectarent, finem acciperent, docentes, suam condemnationem ad fidei eversionem conflatam fuisse.

10. Indicitur ergo rursum, ex sententia duorum Imperatorum, Sardicæ Synodus œcumenica, anno a morte patris Augustorum undecimo. Ex Occidentalibus itaque partibus Episcopi plus trecentis coacti sunt, ut ait ipse sanctus Athanasius, ex Orientalibus, autem tantum septuaginta sex, ut Sabinus ait; in quibus annumeratus est Ischyras tamquam Mareotæ episcopus. Igitur cum Sardicæ convenissent, Orientales in conspectu Occidentalium accedere recusarunt, dicentes non aliter se ad colloquendum venturos, nisi Paulum & Athanasium pellerent ex Synodo. Cum autem Protogenes Sardices & Hosius Cordubæ non paterentur abesse sanctos Paulum & Athanasium, statim Orientales abscessere. Cumque Philipoppolin in Thracia pervenissent, peculiare habuerunt Concilium. Ac palam deinde consubstantiale anathemate feriunt; ac dissimilis-substantiæ sententiam Epistolis conscriptam, ubique transmisere. Qui porro Sardicæ erant, primum quidem Synodum illam desertæ causæ damnarunt, deinde vero Athanasii accusatores dignitate sua privarunt. Confirmata vero fidei definitione Nicææ facta, ac dissimilis-substantiæ voce anathemate damnata atque rejecta, consubstantiale explicant evidentius, ac ubique transmittunt litteris suis. Post hæc cum nosset Occidentalium partium Imperator res in Sardicensi Synodo gestas, eas statim fratri Constantio significat, jubetque Paulo & Athanasio sedes restitui suas. Cum porro Athanasius adhuc peteretur insidiis Arianorum, re comperta Imperator, hæc fratri rescribit.

Hic quidem apud me degit Athanasius; sed sciscitatus novi pietatis eum causa persequutionem sustinere. Si quidem promittas illi sedem restituere, ultus eos qui sine causa vexant ipsum, mittam ad te virum; sin abnueris hæc agere; certo scias meipsum isthuc esse venturum, & vel te invito virum propriæ sedi esse restituturum.

Cum nosset igitur Constantius fratris propositum, formidine illius, sanctum Athanasium propriis arcessit litteris, non semel neque bis tantum, sed usque tertio rescribens Athanasio hisce verbis.

INTERPRETATIO EPISTOLÆ I.

Constantius Victor Augustus Athanasio.

Diutius te immanibus maris fluctibus procellisque jactari, nostræ clementiæ humanitas non permisit; te scilicet patriis penatibus nudatum, tuisque spoliatum, in inviis ferarum locis errantem non neglexit indefessa nostra pietas. Nam etsi diu distuli mentis meæ propositum litteris tibi significare, te ultro accessurum, laboribusque tuis remedium rogaturum exspecto; tamen quia fortasse metus impedimento fuit ne propositum exsequerere F tuum, ideo litteras munificentiæ nostræ plenissimas ad tuam constantiam misimus; ut absque metu quamprimum conspectui nostro te præsentem sistere cures, quo voti tui compos effectus, nostramque humanitatem expertus, tuis restituaris. Hac enim de causa Dominum meum & fratrem Constantem, victorem Augustum pro te rogavi, ut tibi veniendi daret facultatem, quo utriusque nostrum nutu patriæ restituaris, hocque gratiæ pignus assequare.

INTERPRETATIO EPISTOLÆ II.

Constantius Victor Augustus Athanasio.

ETsi id in primis superioribus litteris significavimus A, ut absque metu ad nostrum comitatum te conferres; quod summopere cupiamus te ad propria remittere, tamen etiam nunc hasce litteras ad tuam constantiam misimus: quibus adhortamur, ut citra diffidentiam aut metum publica vehicula inscendas, & ad nos properes, ut optatis frui valeas.

INTERPRETATIO EPISTOLÆ III.

Constantius Victor Augustus Athanasio.

CUm Edessæ degeremus, præsentibus tuis B presbyteris, placuit ut misso ad te presbytero, ad nostrum comitatum properares, ut ubi vultum nostrum conspexisses, quamprimum Alexandriam proficisceree: sed quia multum temporis effluxit ex quo litteris nostris acceptis non venisti, eapropter te jam quoque impense hortamur, ut vel nunc saltem quam celerrime nobis te sistas, quo & patriæ restitui, & voti compos effici queas. Ut autem res tibi fusius & plenius enarretur, Alexandrinum diaconum misimus, ex quo tibi edisceres licebit C, & mentis nostræ propositum, & te quæ optas assequi posse.

II. Has epistolas cum accepisset sanctus Athanasius, & monstrasset Imperatori & Episcopo Julio, maxima lætitia Romanam affecit ecclesiam. Confestim autem Imperator cum multis satellitibus, mittit magnum Athanasium ad Constantium fratrem suum. Et beatus Julius Alexandriæ ac universæ Ægypti & Libyæ clericis & populis gratulans de sancto Athanasio litteras misit. Venientem igitur Athanasium excipit Imperator Constantius, Alexandrinæque restituit Ecclesiæ, cum leniter objurgasset virum. Nam in contumeliam, ait, meam, ejusmodi fuga usus es, cum paratus ego essem ad te perhumaniter amplectendum. Ac suggerentibus adversariis dicit Constantius Athanasio: Unam mihi petenti concede gratiam. Tum ille: Libenter, inquit, Imperator, pro facultate optatum præstabo. Imperator autem: Unam, inquit, Alexandrinarum Ecclesiarum Arianis in usum concedito. Reponit ille: Faciam, o Imperator, quod jubes; si tu mihi hic Ecclesiam concedas, ad conventum eorum qui recte in Christum credunt. Constantius id repente promisit: sed hoc pungebat adversarios. Ita igitur Imperator viri prudentiam admiratus, intellexit Arianos cum strenuo viro negotium habere, ac cum magno dimisit honore, litterisque suis jussit Episcopis, clericis & populis ut libenter eum reciperent, itemque populo Alexandrino. Scripsit etiam ad Augustalem, & ad præfectos per Ægyptum. Litteræ porro ad Augustalium, sic habent.

CONSTANTIUS VICTOR

Augustus Nestorio Augustali.

SI quid hactenus ad damnum contumeliamve D eorum qui cum Athanasio episcopo communicaverunt, decretum repertum fuerit, id jam volumus deleri. Placet enim quam immunitatem antehac ejus Clerici habuerunt, ut eadem iterum fruantur. Hoc autem nostrum decretum observari jubemus; ut Athanasio Ecclesiæ suæ restituto, qui cum eo communicant eadem gaudeant immunitate quam semper habuere, & qua ceteri fruuntur Clerici; ut idipsum consequuti gaudeant.

Eadem forma iis qui in Tamnice, Thebaide, & Libya erant rescripsit. Ejusmodi epistolis E munitus sanctus Athanasius, per Syriam profectus, Palæstinam pervenit; cumque pervenisset Jerosolymam, Episcopo Maximo magno & Confessori, qui & ipse multa propter Dominum Jesum Christum passus erat, nota facit acta Sardicensis Synodi; & quod Imperator Constantius eorum judicio adstipulatus esset, curatque Synodum cogi Episcoporum istius regionis. Maximus quippe nihil cunctatus, eum convocasset omnes Orientis Episcopos, & Synodum celebrasset, sancto Athanasio suam restituit communionem & dignitatem. Scripsit & ipsa Synodus Alexandrinis, omnibusque per Ægyptum & Libyam Episcopis Clericis & populis, quæcumque de Athanasio decreta essent. Athanasius autem magnus ita Alexandriam cum pervenisset Ægyptiorum episcoporum Synodos coegit, quæ consimilia decreverunt iis quæ ab Episcopis Sardicæ coactis statuta fuerant, necnon a Maximo in Synodo Jerosolymitana. At cum Magnentius Imperium invasisset, & occidisset Constantem, rursum Arii sectatores dolose adversus Athanasium incitant Constantium. Rursum edicta, rursum minæ, rursum fuga, rursum perquisitio ubique terrarum & marium. Cumque Athanasius Ecclesiam deseruisset, Georgium mittunt, Arianæ sectæ hominem, quemadmodum & ante Gregorium quemdam. Acacius autem & Patrophilus sectatores Arii, sanctum Maximum Jerosolymis cum expulissent, Cyrillum ei substituerunt. Qualia autem Alexandriæ Georgius eodem tempore perpetrarit, ex ipsa beati Athanasii voce qui isthæc passus est, quique præsens tum erat, audi. Nam in Apologetico de fuga sua, hæc ad verbum de actis ibidem ait.

12. *Exemplum Epistolæ Athanasii.*

Nam, inquit, Alexandriam rursus invadunt, nosque ad necem denuo perquirunt, factaque sunt præsentia pejora prioribus. Milites quippe derepente Ecclesiam obsedere: bellicusque tumultus vice precum exortus est. Hinc in sancta Quadragesima ingressus, qui a Macedonio & Arianis missus fuerat, Georgius, mala quæ ab illis edoctus fuerat adauxit. Etenim post hebdomadam Paschatis videre erat Virgines in carcerem conjici, Episcopos a militibus vinctos abduci, orphanorum viduarumque domos diripi, irruptiones in domos fieri, noctu Christianos dejici, domos obsignari, fratres Clericorum pro fratribus periclitari. Hæc quidem atrocia, sed atrociora deinde consequuta sunt facinora. Etenim hebdomade post sanctam Pentecosten, cum populus, expleto jejunio, ad cœmeterium sancti Petri Episcopi & Martyris, orandi causa egressus esset, quod omnes a Georgii communione abhorrerent; re comperta sceleratissimus ille, Sebastianum ducem, Manichæum hominem; concitat: qui cum turma militum, arma, strictos gladios, arcus & tela ferentium, in ipsa Dominica impetum fecit in populum. Et cum paucos invenisset orantes (plurimi namque adveniente hora recesserant) ea admisit facinora, quæ decebat facere viros ab illo edoctos. Nam accenso rogo, Virgines igni admotas adigebat dicere, se Arianæ esse fidei: ut autem eas vim superare, ignemque nihil curare animadvertit, nudatas iterum ita in faciem cædit, ut post multum temporis vix a suis dignosci possent. Viros autem quadraginta comprehensos insolentiore modo verberavit: nam virgis palmarum recens amputatis, quibus adhuc aculei hærebant, sic eorum terga laceravit, ut nonnulli, ob infixos aculeos medici opera sæpius eguerint; imo quidam, vim plagarum non ferentes, exstincti sint. Porro omnes quotquot residui erant una cum Virginibus in magnam relegavit Oasin. Neque initio concessit, ut defunctorum corpora cognatis suis traderentur; sed ea arbitratu suo occultarunt, abjeceruntque insepulta; rati sic suam latere posse crudelitatem. Qua in re vecordes illi magno mentis errore tenebantur. Nam cum defunctorum cognati de suorum quidem confessione gauderent, lugerentque tamen ob subducta corpora; hæc sane causa fuit, ut magis magisque vulgarentur eorum impietatis crudelitatisque argumenta. Verum illi mox ex Ægypto & ex Libyis in exsilium miserunt Episcopos, Ammonium, Muim, Gaium, Philonem, Hermen, Plenium, Psenosirin, Nilammonem, Agathonem, Agamphum, Marcum, alium Ammonium & Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum, ut presbyteros Hieracem, & Dioscorum. Quos tanta acerbitate expulerunt, ut illorum quidam in itinere, quidam in exsilii loco interirent. Episcopos vero plus triginta in fugam verterunt. Ea enim illis, quemadmodum Achabo, cura fuit, ut, si modo fieri posset, veritatem de medio tollerent.

13. Hæc sanctus Athanasius, de iis quæ A Alexandriæ a Georgio gesta fuerant propriis commemorat verbis. Constantius vero cum se jam videret totius orbis Imperatorem esse, in superbiam elatus, Occidentales quoque episcopos conabatur ad Arii hæresin trahere; mandans in primis ut Athanasii damnationem proferrent, idque suggerentibus Orientalibus Episcopis. Propterea enim Synodum coegit in urbe Italiæ Mediolano, multosque in suam traduxit sententiam. At Dionysius, Euse- B bius, Rhodanus, Paulinus & Lucifer, imminente vi superati non sunt. Cum nossent enim ad condemnationem fidei sententiam contra Athanasium fuisse pronuntiatam; dicebant, ad eversionem fidei, non Athanasii gratia eos isthæc moliri; quos ille Arimini detineri jussit. Sanctus autem Athanasius cum sciret Constantium Arianorum tueri sententiam, Arianosque in eum conspirasse, ac conari per calumniam eum accusare; in corrupto tribunali nemini confidebat, non amico, non clerico, non cuiquam alii; sed præfecti satelliti- C bus derepente episcopalem domum invadentibus ac quærentibus eum occidere, sumto sibi Stichario & Birrhio aufugit ad puellam virginem, annorum circiter viginti, forma pulcherrimam, & ob pulchritudinem fugiendam. Illa porro rei insolentia stupefacta est. Ait ergo illi Athanasius: Conquiror ab Arianis & calumniis impetor. Ac ne inconsideratam mihi gloriam conciliem, & in peccatum conjiciam eos qui me pœnas dare vo- D lunt, ad fugam animum appuli. Revelavitque mihi Deus hac nocte dicens: Apud neminem nisi apud illam evadere potes. Tum illa præ gaudio, omni abjecta suspicione, totam se contulit ad Dominum, atque sanctissimum virum sex annos occultavit, usque ad Constantii mortem. Ipsa pedes ejus abluens, ac purgamenta auferens, necessaria omnia subministrans, ac libros mutuata præbebat illi, nec quisquam norat hominum in tota urbe Alexandria, quo loco degeret sanctus Athanasius. Eodem E tempore pulchritudo faciei Ecclesiæ in sordes & tristitiam mutata est. Commixti namque erant Ecclesiarum præsules, ac nomine quidem Christiani, communione autem promiscua, nihil ab hæreticis differebant. Non utique illi usque ad libationem idolorum prævaricabantur; sed specie Christianismi blasphemam Arii doctrinam tueri conabantur. Constantius autem Imperator qui jam antea Arianam sententiam tuebatur, multo magis id tum præstabat, cum penes illum summa rerum esset: quare jussit fidem Arianorum ad Italiæ Ecclesias mit- F ti, jubens expelli ab Ecclesiis eos qui nollent ei subscribere, & alios in eorum vicem subrogari. Ut autem etiam sanctus Liberius post beatum Julium Marci & Sylvestri successorem, Romæ Episcopus, in exsilium pulsus esset; Hæreticorum furor in ejus locum Felicem quemdam constituit Ecclesiæ Romanæ Episcopum. Quem statim divinitus immissa pœna excepit. Nam visu privatus, divinam confitebatur vindictam se impetiisse; hinc vero pestilenti morbo aliquanto post tempore consumtus, periit. Sermo autem Christi

clarior evasit, sancto Liberio pro fide patiente. Georgius autem, uti supra dictum est, Alexandriæ elatus in superbiam; ne in specie quidem sese cohibuit, conversus plane ad crudelitatem, ita ut videretur fascibus & securi imperium obtinere, magis quam sacerdotio præesse. Cum autem sanctus Meletius Episcopus Antiochenus, consubstantialitatem manifeste prædicaret, illum etiam hæretici Ariani circumvenere: quem multa sequebatur turba, adversariorum communione despecta; Euzoium vero loco sancti Meletii in Antiochenum Episcopatum ordinarunt: ac impium Eudoxium Constantinopolitanæ Ecclesiæ præficiunt.

14. Cum porro tantum bellum boni omnis inimicus adversus Ecclesiam accendisset, Constantius Imperator Julianum in Gallia, Cæsarem promulgavit, ac Constantinopolim concedens, Eudoxium Antiochenum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum & sacerdotem declaravit. In eodemque tempore magnam Ecclesiam, cui nomen Σοφία, seu sapientia, dedicavit Coss. Constantio decimum, & Juliano Cæsare tertium, Februarii decimaquinta. Igitur impius Eudoxius cum sederet in throno ipsius in dedicatione, eam primam edidit vocem: Pater impius, Filius pius. Multo hinc exorto tumultu atque seditione: Ne, inquit, hoc dicto meo turbemini. Pater namque impius, quia neminem pie colit; Filius vero pius, quia pie colit Patrem. Hæc cum dixisset Eudoxius, tumultus quidem sedatus est, at risus magnus pro tumultu ecclesiam occupavit: ita ut plurimi, deridentes eum, ecclesia excederent, illeque cum paucis affectis suis remaneret. Et hactenus Eudoxii dictum risui habetur. His argutiis hæresiarchæ, talibusque circa voculas cavillationibus, ecclesiam distraxere. Julianus porro in Galliis contra multos barbaros collatis signis, cum vicisset, Imperator ab eis proclamatus est. Re comperta Constantius, baptizatus ab Euzoio Dei adversario, ad bellum ipsi inferendum profectus est. Cum pervenisset autem ad quamdam Ciliciæ urbem, nomine Mopsucrenem, ex nimia solicitudine apoplexia correptus, interiit, Consulibus Tauro & Florentio, tertia mensis Novembris, cum vixisset viginti quinque post mortem Patris annos, essetque annorum quadraginta quinque. Neque par est hic silentio præterire Græcorum qui Alexandriæ erant furorem & levitatem, neque Georgii perniciem, quæ in magna civitate Alexandria contigit. Hæc porro tumultus causa fuit: locus erat in civitate jamdiu desertus, incultus, sordeque multa refertus, in quo Græci olim Mithræ, in sacrificia, immolabant homines. Eum locum Constantius jam antea, utpote vacuum, Alexandrinæ adjunxerat ecclesiæ. Georgius vero cum vellet in eo oratorium construere, locum jubet emundari, dumque id præstaretur, adytum inventum est valde profundum, in quo Græcorum mysteria occultabantur. Erantque illa hominum & puerorum calvariæ, quos fama erat occisos olim fuisse, quando extis ad vaticinia Græci utebantur, ac divinatoria immolabat sacrificia, animas incantationibus revocantes. Christiani igitur cum talia in Mithræ adyto reperissent, curarunt ut omnibus risum moverent, ostenden-

A tes Græcorum mysteria, educebantque nudas calvarias ut exhiberent populo. Hæc cum viderent Græci Alexandrini, nec ferrent opprobrium facti, ira accenduntur, & quavis re obvia usi pro telo, irruunt in Christianos, eorumque multos omnibus mortis generibus trucidant. Hos enim gladiis, hos lapidibus aut lignis occidere, quosdam in crucem egerunt. Georgium vero ecclesia extractum, cameloque alligatum, cum discerpsissent, una cum camelo combussere.

15. Julianus porro imperio potitus, ut di-
B ctum est, cum curaret omnia Constantii facta abrogare, exsules omnes revocavit. Ut novit illud sanctus Athanasius, honeste vestitus egressus domo Virginis, quam superius memoravi, rursus nocte inventus est in ecclesia: quem Alexandrinus populus libenter excepit, quasi redivivum. Excusationem porro istam amicis attulit: Ea de causa ad vos non confugi; cum ut tute jurare possetis (*me apud vos non latere*) tum propter perquisitionem apud vos faciendam. Ad illam porro confugi, in quam nulla cadere poterat suspicio
C scilicet, ob speciem & juventutem. Alexandrinus vero populus, pulsis ab ecclesiis Arianis, oratoria Athanasio tradidit. Tum Ariani in vulgaribus domibus conventus agentes, in locum Georgii Lucium constituunt sibi ducem. Julianus porro qui idolis delectabatur, iterum ecclesias turbabat, templa Græcorum aperiebat, sacrificia Fortunæ Constantinopolitanæ offerebat palam in Imperatoria, ubi stabat Fortunæ statua. Quo tempore Maris Chalcedonis in Bithynia Episcopus, manu ad-
D ductus, præ senectute namque oculorum hebetudine laborabat, Imperatorem adiens, multa in eum convitia protulit, impium vocans, apostatam, atheum. Ille verbis convitia depellebat, cæcum appellans & oculis captum, ajensque, non posse Galilæum medelam ferre. Tum beatus ille confidenter reponit: Gratias ago Deo, qui me excæcavit, ne tuam impudentem faciem viderem, quæ ita collapsa est in impietatem. Tum porro Jovianus & Valentinianus solutas zonas ad Tyrannum projecere dicentes: Accipe zonas, habeto tibi hono-
E res tuos. Exposita tibi etiam ad libitum sunt corpora nostra. Quorum ille constantiam pertimuit. Tum Imperator, & qui cum illo sentiebant, veluti ex tenebrosis adytis prorepentes, Philosophi & Mathematici magno numero, magi item atque divini, una convenientes consilium dedere, non aliter posse opprimi Christianos, nisi Athanasius tolleretur de medio, quippe qui fundamentum esset Ecclesiæ. Quamobrem rursum motus judicum, rursum exercitus, rursus consilium, populique perturbati sunt dum Athanasium exposcerent. Ille vero
F in tanto ecclesiæ tumultu, piorum opera aufugit. Tum populus mœrore lacrymisque conficiebatur, nocteque prope Nilum eum abeuntem circumstantes sic compellabant. Quo rursum profugis, Pastor bone? Cui nos relinquis, ut navem gubernatore carentem fluctibus, & piratarum navibus circumdatam? Ille vero. Ne flete, ait, filii, autumnalis est nubes iste tumultus, quæ ad tantillum temporis apparet, ac mox evanescet. Brevi ad vos remigrabo, Deo juvante, modico tempore a vobis segregabor. Ut autem conscendit naviculam, ut

per

per Nilum adverso flumine concederet in Thebaidem; qui sententiam contra illum ferebat Satrapes, insequutus est mortem comminans. Ut autem quidam id Athanasio renuntiavit, suadens ut quamprimum solveret, ne comprehenderetur a persequeote, cum paulisper conticuisset ait, divina visione persuasus: Navigationem, o viri, convertamus, Deo ita volente, ut quam primum restituar Alexandrinis. Illis vero prohibentibus, ac tantum non plorantibus, propriumque periculum prospicientibus, ait sanctus Athanasius: Ne ita dolore vos afficiatis, Fratres, credite, plures nobiscum esse quam cum illis, invictumque nostrum auxiliatorem esse. Ita converso cursu retro feruntur nave. Sed occurrerunt sancto Athanasio proditorum quidam viri Græci, qui persequutori persuaserant jamjam se in conspectum sancti Athanasii venturos. Cum jam propius accessissent, oculisque capti esseot, Athanasius, uti ab Elisæo gestum fuit, interrogat quem quærerent: Illis dicentibus, Athanasium: respondet ille: Scio illum paulo ante properasse ut vos anteverteret. Eumque illi prætermittentes eum persequuti sunt, quem habentes coram noo viderunt.

16. Sanctus autem Athanasius cito Alexandriam reductus, summo gaudin replevit ecclesiam. Ubi paulisper occultatus, paulopost cum libertate verbum Dei palam prædicabat. Nam Julianus multa contra Christianos machinatus, dignum interitum consequutus est. Nam cum Persis bellam intulisset & divinatinnibus quibusdam persuasus ac somniis deceptus, quod Alexandri Macedonis urbem capturus esset; aut potius Alexander ipse esset in alio corpore, multos vicos & præsidia Persarum populatus, urbesque quasdam cum cepisset, & Ctesiphontem magnam urbem circumsedisset, supplicesque Persas adesse, atque legatos ad se mittere coegisset, eorum tamen supplicationes non admisit; quod in imminentem a Deo sibi vindictam reservatus esset. Accusabant autem illum Romani, quod oblato sibi lucro, pugnam noo vitaret: attameo contra præsentem hostem ad pugnam se instruxere: rursumque adversarios vertunt in fugam. Sciendum porro Julianum a Persa transfuga deceptum, onerarias naves quæ annonæ per fluvium vehendæ deputatæ erant, cnmbussisse; quæ causa fuit ut exercitus fame laboraret. Nam cum Persa transfuga promisisset illi, intra triduum traditurum se Babylonem, nec tum ulterius annona advecta opus fore: his persuasus ille frumentum cum navigiis & lardum, cum igne consumsisset, necnoo & alia pro exercitus victu comportata in fluvium demersisset; tum esca fallaciæ devnrata, hamo trahebatur credulus, dignamque factorum pœnam luebat. Cum enim ad tertium quartumve diem, imo plures etiam, spiritus erroris circumduceret eum cum exercitu per deserta loca. Ingens erat anxietas animi per totum exercitum, in siccis & aqua carentibus locis, penuria omnium necessariorum circumclusum. Omnibus autem conclamantibus, præsens aderat eques ipse Julianus, atque inermis exercitum confirmabat. Ex occulto autem sagitra in eum volat, & per brachium transiens, in dextrum latus infixa est, quo ex vulnere vitam cum morte commutavit,

A ut incertum esset a quo fuisset occisus: alii enim ajunt a transfuga Persa: alii ab aliquo e suis militibus. Ut autem plurium sermnne fertur, divinitus inflictum vulnus fuit. Ita igitur cum viginti menses Imperio potitus esset Julianus, in quarto suo consulatu quem cum Salustio gerebat vita functus est, mensis Junii vigesimo sexto die, cum vixisset unum & triginta annos.

17. Pnst mortem itaque Juliani, totius exercitus calculo, imperium excipit Jovianus: qui cum octo meoses imperasset * in Dedestanis B Galatiæ & Bithyniæ finibus mortuus est. Post Jnviani mortem, Imperium suscipit Valentinianus ab exercitu proclamatus Augustus. Valentinianus porro Germanum fratrem Valentem imperii socium declarat, qui Valentinianus cum trigiota solum dies Constantinopoli remansisset, & Valenti fratri suo Orientales partes tradidisset, ipse abiit in Occidentam. Sed Valens nullam curam suæ administrationis ad utilitatem agebat, a turba autem hæreticorum evocatus & abductus, in via impietatis illorum abiit. Quæ causa fuit ut orC thodoxæ fidei multos, episcopos, presbyteros, diaconos, monachosque in exsilium ejiceret. Bellumque implacabile concitavit adversus ecclesias nrthndoxæ fidei addictas. Ac primum quidem sanctum Meletium Antiochiæ episcopum exsilin mulctavit, multosque cum illo alios, ut dictum est, episcopos & clericos. Cæteros autem nmnes qui noluere cum hæreticis communicare, ecclesiis expulit, pœnisque ac eruciatibus afflixit. Similiter Alexandriæ & per Ægyptum, nnn vulgaris excitata D est persequutio. Mandatum enim præfectorum, Eudoxii studin & nutu Imperatoris dabatur a Præfecto Alexandrino, qui statim ecclesiam conturbavit. Sanctus autem Athanasius, brutum multitudinis impetum prospiciens & metuens, ne si qua nefaria patrarentur culpa in se transferretur, totos se quatuor menses occultavit in paterno sepulcro. Nam cum illo tempore Præfecturam in Ægypto gereret Tatianus, multi non modo diversis plagis adflicti sunt, sed etiam martyrio affecti, multa illo contra Ecclesiam moE lieote. Quem Tatianum ultio divina pœnis afflixit. Nam una digoitate & divitiis privatus, stipem cogebat ac cæcus ignominiose mortuus est, per omnem urbem fuligine conspersis ejus statuis ad risum & ludibrium omnium intuentium. Nec minus & Eudoxius Constantinopolitanus, contra pie sentientes ausus est. Tantis igitur malis ubique grassantibus, terræ motus ubique terrarum superveniens, multas læsit urbes, Cretæ centum urbes dejecit. Mare autem suos mutavit limites. Quædam eoim loca usque adeo inunF davit, ut quæ trita olim & consita fuerant, jam navigarentur: ab aliis cootra locis ita recessit, ut in sicco essent quæ olim oavigabantur. Quod contigit duobus Imperatoribus Valentiniano & Valente primum Consulibus. His porro gestis, nequaquam cessavit persequutin adversum Christianos. Quoniam autem propter absentiam sancti Athanasii, totus Alexandrinus populus tumultuabatur præ illius desiderio, minatus etiam, se non modo navalia & naves, frumento comportando deputatas, imo etiam omoia publice asservata in-

incensuros, nisi sibi Athanasius restitueretur. A Quo cognito Imperator Valens, litteris significavit ut absque timore Athanasius ecclesias occuparet. Et hæc causa fuit, ut intermissio quædam fieret persequutionis adversus Ecclesiam concitatæ, nisi quod per totum orbem intestinum contra Christianos vigebat bellum. Imperator itaque Valens Constantinopoli Antiochiam profectus est, cumque Nicomediam pervenisset, ibi substitit, ob causam ejusmodi. Eudoxius ille Arianorum episcopus, acer Chri- B sti fidelium persequutor, statim ab egressu Imperatoris, obiit, Valentiniano & Valente tertium Consulibus, cum novemdecim annos orthodoxos persequutus fuisset. Quapropter in ejus locum Ariani Demophilum constituunt. At qui consubstantialitatem tuebantur, rati se temporis opportunitatem nactos esse, fidei suæ episcopum constituunt Evagrium quemdam: quem ordinat beatus ille Eu- C stathius, qui cum olim Antiochenus episcopus fuisset, revocatus fuerat ab exsilio per Jovianum, tumque aderat Constantinopoli, illudque egit, animo confirmandæ fidei consubstantialitatis, & ibi clam ille versabatur. Hæc cum didicisset Imperator, jussit per militarem manum comprehensos ordinantem & ordinatum, alium alio in loco exsulare. Eustathius in urbem Thraciæ Byzam relegatus est, Evagrius vero alium in locum abductus est. His ita gestis Valens venit Antiochiam, ac omnes qui consubstantialitatem sentirent, nec Ariani esse vellent dire vexavit, quos non modo Alexandria, sed omnibus etiam orientalibus urbibus expulit: nec his contentus variis etiam addixit suppliciis: multoque plures quam ante vario mortis genere interficiebat: quorum multos in Orontem præcipitavit. Illa autem spirituali sub Valente tempestate; sanctus Athanasius post tanta ab illo, pro pia religione suscepta certamina, quorum, ut supra dixi, quam plurima prætermisi, insigniora que tantum recensui, cum sex & quadraginta annos in episcopatu consummasset, cum multa successori sibi episcopo Petro mandasset quo pacto hæresibus obsistendum foret, vitam obiit, Gratiano secundum & Probo Consulibus: cælestibusque coronis ac æterno gaudio donatus est, cujus nos etiam participes fore contingat, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.



ATHA-

ATHANASIUS APOSTOLICUS

INTER PATRIARCHAS VICESIMUS.

Sive Vita Athanasii ex Arabico versa, Interprete Viro clarissimo D. Renaudotio.

CUm obiisset piæ memoriæ Pater Alexander, viduata est paucis admodum diebus Ecclesia; congregata enim plebe consilium inierunt, elegeruntque Patrem Athanasium & in solio Euangelico collocaverunt. Scripsit ille Tractatus eximios & orationes multas, vocatusque est in Patriarchatu suo Apostolicus ob rerum gestarum excellentiam, propter quæ Apostolicis erant similes.

Ejus tempore habita est Synodus in Galatia, cui interfuit Basilius Magnus auctor Liturgiæ, ubi deposuerunt tempore Juliani Imperatoris apostatæ. Julianus Patricius huic Synodo præsidebat. Porro cum Julianus Imperator occisus fuisset manu inclyti martyris Mercurii, successor ejus in Imperio Jovianus Patricius fuit, sub quo Ecclesia quietem obtinuit. Athanasius quidem Patriarcha calamitates multas sustinuit, & in exilium ejectus est, maligni laqueis circumventus, adeo ut a sede sua abesse coactus fuerit, malorum quæ perpessus erat multitudine. Itaque in Sahid, seu superiorem Ægyptum profectus, mansit illic per annos multos, simulans se esse operarium, seque mercenarium efficiens, neque manifestans se esse Patriarcham. Imperatores infideles, Valens scilicet & per annos undecim imperium obtinuerunt. Quando autem Deo visum est, ut sedi suæ restitueretur, secundum orationes ejus sanctas & acceptas, perdidit Imperatores illos, morte funesta, ob illa quæ contra orthodoxam fidem perpetraverant. Dominus autem Imperatorem constituit fidelem nomine Theodosium, cujus tempore recreata Ecclesia, tranquillitatem, securitatem & pacem obtinuit. Ita rediit Athanasius ad sedem suam, maxima totius Ægypti lætitia; quod Deus dignatus esset concedere illis reditum pastoris sui. Hic pastor bonus spiritualis obtinuit sedem D. Marci Euangelistæ annis quadraginta septem, mortuusque est septima mensis Baschnes. Is autem Ecclesiam defendens victor fuit adversariorum veritatis, oppugnantium fidem orthodoxam, indutus gloriam a Christo Domino, magnum plebi suæ desiderium sui reliquit, cum privata est pastore tali apostolico.

Quæ de vita ejus habemus hæc fere sunt. Ter coactus est sedem suam deserere oppressus persecutionibus, & tunc illam hæretici obtinuerunt. Ultima ejus absentia undecim annorum fuit. Scripsit interea ab exilio, ad Virgines quæ erant Alexandriæ dicens inter alia. Sponsus vester est Christus invisibilis & immortalis, quandiu autem perseveraveritis in ejus caritate, numquam eritis viduæ. Dicebat etiam scitote me fuisse secretarium Patris mei Alexandri, ipse numquam sive in cella sua sive alibi legebat Euangelium, sedens sed stans, Deusque singularem illi in legendis scripturis gratiam concesserat. Quadam nocte cum stans oraret, & Enangelii lectioni incumberet, venerunt ad eum Moniales, petitaque adeundi licentia, accesserunt, & eum venerantes dixerunt ei: sunt apud nos Virgines quæ sex diebus jejunant, nihil quidquam interea manibus operantes, unde supersit aliquid quod in Solitariorum cibos impendi queat. Rogamus ergo te, Pater, præcipias illis ut laborent & ut jejunio suo modum adhibeant. Tum ille, Scitote sorores meæ me numquam biduo jejunasse, neque in die jejunium solvisse, neque manducasse nisi ex præscripta mensura, neque me ipsum labore afflixisse aut corpus vehementius vexasse: quia optimum est ut jejunium cum moderatione fiat, quod etiam in potu & somno similiter observari debet. Cum enim quisque comederit quantum opus est, firmius in oratione perseverat, ita etiam cum cibo, potu & somno utitur moderate. Dicite illis itaque ut jejunium solvant, cum moderatione cibum capientes, & omnia quantum in se est recte agant.

Atque ne sermonem diutius protrahamus, hac Epistola primum scribit Athanasius de sancto Alexandro patre spirituali suo, cujus oratio mellis instar suavis erat, omnibus qui illum audiebant, multiplicabatque gratiam Christo Domino.

Dicitur autem Arium aliquando ad Alexandrum venisse, petentique ut admitteretur, jussisse responderi in hunc modum. Præcepit mihi pater meus, ut te non susciperem, neque ad me intrares, aut tecum ego sermonem miscerem. Ille quippe pater meus, martyr Christi Domini, vidit illum per somnium, vestemque ejus a se laceratam, præcepitque mihi ut te non susciperem. An ignoras linguam tuam ipsam esse quæ te ab illo alienum fecit per illa quæ de ipso dixisti? Roga ergo Christum Dominum salvatorem, & confitere peccatum tuum, cumque te ille susceperit, præcipiet quoque mihi ut te suscipiam, sicut Petro patri meo ut te non susciperet præcepit, quamvis ab ipso Christo Domino præceptum fuerit, ut ne quisquam credentium in eum aditu Ecclesiæ prohiberetur: sed quando quis peccatum aliquod commisit, separamus eum a communione, ut resipiscat & pœnitentiam agat: postquam vero illum suscepit Christus, nos quoque illum suscipimus. Cum hæc Arius audivisset, iratus magnopere, abiit & collegit magnam hominum multitudinem, proposuitque sententias blasphemas & impios sermones protulit linguæ abscissione dignos; asserebat enim filium Dei creatum esse. Habitum est itaque illius causa Concilium Nicææ, ad quod convenerunt Antistites quatuor sedium, nempe Patriarchæ Romæ, Alexandriæ, Ephesi & Antiochiæ. Consedit pariter cum illis Constantinus Imperator fidelis, cumque absolvissent quæcumque pertinebant ad stabiliendam fidem orthodoxam, jejuniique & Paschæ disciplinam, dixit illis Imperator: Rogo vos ut constituatis urbem Constantinopolin, Patriarchalem, quia est civitas Imperatoris: & simili Hierosolymam honore afficiatis, quia civitas est Imperatoris veri cælestis, illi observata ejus modestia, hoc fecerunt: & Arium impium deposuerunt: cujus anathemati Constantinus Imperator propria manu subscripsit: de eo dicens, quod perdidisset illos quos Christus sanguine suo sancto redemerat. Fugit autem Arius in Africam neque requiem ullam consecutus est tempore Constantini Imperatoris & Alexandri Patriarchæ.

Is porro Alexander Athanasium optime educaverat; erat nempe filius mulieris primariæ & divitis, sed idolorum cultui addictæ, apud quam pupillus relictus fuerat. Cum vero ad justam ætatem pervenisset, volebat illa ut ille uxorem duceret, ille renuebat: itaque dolis eum aggressa, submisit meretricem cum qua rem haberet, ac ita facilius matrimonio animum adjungeret. Ille nihil tale commisit, Deo illum conservante ad res maximas. Immisit ergo mulier puellas formæ eximiæ quæ ornatæ & unguentatæ, ad eum dormientem accederent, & ibi pernoctantes prope ipsum, se illi objicerent. At ille expergefactus il-

las verberatas a se ejecit. Hæc omnia mulier designabat quo illum ad connubium contrahendum compelleret, bonisque & divitiis paternis illi pleno jure cederet, sed nihil perfecit. Accersivit ergo mulier magum quemdam Alexandrinum ex illorum sapientum numero qui Sabæorum philosophiam profitebantur, atque illi quid sibi negotii cum filio intercederet exposuit. Voca me, inquit ille, hodie, ut cum eo panem manducem. Illa gaudens apparato magnifico convivio illum invitavit, simulque comederunt & biberunt. Postridie Philosophus ad eam veniens, Ne, inquit, frustra labores, neque enim poteris filio tuo prævalere quandoquidem Galilæus factus est, & Galilæorum sententiam amplexus, futurumque est ut vir maximus evadat. Quinam inquit mulier, sunt isti Galilæi? Tum ille sodales, inquit, Ecclesiæ qui templa destruxerunt & idola everterunt. His auditis illa apud se dixit, si ego illi molestiam exhibeo, abibit a me & sola manebo: mox surrexit, & adsumto secum Athanasio venit ad Alexandrum cui totam Athanasii filii sui historiam & vitam narravit, simulque cum eo baptizata est. Aliquo tempore interjecto defuncta cum esset, mansit ille apud Alexandrum, qui eum tanquam filium habens, instituit in omni doctrinarum genere, Euangelia memoriter didicit, librosque divinos legit: cumque ætatem provectiorem attigisset, Alexander ordinavit illum Diaconum, & secretarium suum constituit, factusque est tanquam interpres Patris illius, sermonisque ejus administer quandocumque loqui vellet.

Cum vero mortuus esset Constantinus Imperator fidelis in senectute bona; successit illi Constantius ejus filius, qui in recta fide non perseveravit, timore & vitioso hominum pudore victus. Eam occasionem nactus Arius ad Imperatorem se applicuit, ejusque sibi amorem concilians, cor ejus corrupit, & ad sententiam suam inclinavit: adeoque illum decepit, ut Alexandrum Constantinopolin Alexandria venire juberet. Nesciebat Imperator quanta esset Alexandri dignitas, quam ob causam Arium anathemati subjecisset & ab Ecclesia expulisset. Erat Alexander licet annis & senio gravis, sensibus tamen integris: Athanasius erat ejus interpres, & scriba, & ejus nomine verba faciebat per virtutem Spiritus sancti, quia fidei orthodoxæ summam scientiam habebat. Consedit Alexander coram Imperatore; adfuitque Arius, qui multa secundum suam sententiam imprudenter locutus est. Athanasius contra eum disputavit refellens oratione sua quæcumque ab illo dicta fuerant: unde turbatus Arius est, solutusque consessus, & mox alius, inquit, nobis consessus dabitur. Cum porro intelligeret Arius vires se adversum Athanasium habere nullas, data pecunia illis qui januæ regiæ præpositi erant, pepigit cum eis ut in proxima collatione prohiberent ingressu Athanasium. Postridie Imperator cum eos adesse jussisset, intrassetque Alexander, janitores Athanasium ingredi non passi sunt. Imperatore considente, & præsente Alexandro, Arius multis sermonibus disputare cœpit. Alexander ad dextram & sinistram oculos convertens, nec videns Athanasium secretarium suum obticuit. Tum Imperator, Cur, inquit, non loqueris? Respondit Alexander, Quomodo loquerer absque lingua? Intellexit Imperator significare Athanasium, quem statim venire jussit. Illum ut vidit Arius ingressum, protinus egressus consistere non ausus est. Tunc Alexander Imperatori dixit, Scias velim, o Princeps, Arii istius depositionem factam fuisse in Concilio. Neque ego illum deposui solus: sed parens tuus piæ memoriæ Imperator, & omnes qui Concilio intervenerunt, deposuerunt eum. Ipse etiam Imperator sententia anathematis in Arium pronuntiatam sua manu subscripsit; cumque oculis observaveris scripturam Patris tui, ejus manum agnosces. Ita autem dico: an quem deposuit Constantinus Imperator, & totum Concilium, ego absolvam? Hoc si faxim schisma inducerem: nam pater tuus vere scripsit contra eum sententiam anathematis, & ejus depositionem manus suæ subscriptione firmavit in Concilio Nicæno. Hæc cum audiisset Imperator, simulque fratrem metuens, noluit irritum facere mandatum patris sui Imperatoris. Hujus enim rei gratia frater ejus legationem ad eum miserat, ad eum dimovendum.

Itaque Alexandrum dimissum ad sedem suam redire permisit: mansitque Arius excommunicatus & anathemate ligatus, quamvis antea existimasset se & auctoritate principis, & pecuniarum erga ejus domesticos largitione superiorem futurum. Mortuus est deinde Pater Alexander & quietem accepit cum patribus suis, postquam sacerdotibus & plebi moriens præcepisset, ut Athanasium in sede Patriarchali se defuncto collocarent. Illi magnam inde lætitiam perceperunt ob propensam omnium erga illum voluntatem. Postquam vero sedit in sede apostolica, ejecit sequaces Arii ab Ecclesia, productaque anathematis sententia quam Constantinus Imperator, & qui sancto Concilio interfuerant, subscriptionibus suis firmaverant, legit eam in Ecclesia coram frequente populo. Hæc Arius cum audiisset valde iratus & furore incensus, venit ad Imperatorem & dixit ei: Si Alexander Patriarcha Constantinopolitanus me susceperit jussu tuo, causam obtinui. Accersito ad se Imperator dixit: Iste Alexandrinus Patriarcha recusavit Arium suscipere, & mandata mea insuper habuit, scis autem quod te constituerimus Patriarcham & in sede Constantinopolitana collocaverimus. Oportet igitur te alterius exemplo nobis non contradicere, vir enim mitis es: atque adeo ut Arium tecum adsumas eumque suscipias, rogamus. Tum Patriarcha dixit ei, quod Ecclesia Arium non susciperet, sed neque oportere quemquam ab illa suscipi, nisi qui ejusdem cum Ecclesia fidei foret. Hunc vero qui Trinitatem creatam esse constituat, jure merito ab Ecclesia rejectum. Dixit illi Imperator, Non ita est, inquit, sed Trinitatem confitetur. Tum Patriarcha, det, inquit, mihi professionem fidei suæ sua manu subsignatam, ut qualis illa sit certo sciam. Arcessiri jubet Arium Imperator, & hoc divinitus fiebat, ille autem professionem fidei manu sua subsignavit, licet in animo contraria sentiens. Mox Patriarcha petiit ut juraret, nullum sibi in animo dubium circa fidem superesse; quod Arius juravit. Tum Imperator ad Patriarcham. Quid inquit jam suspicionis adversus illum habere potes? Respondit ille: Nempe quod Pater Athanasius Patriarcha Alexandrinus, renovavit Alexandriæ sententiam anathematis adversus Arium firmatam subscriptionibus; tum Patris tui piæ memoriæ Constantini Imperatoris, & Nicæni Concilii legi iterum fecit, ejusque sectatores ab Ecclesia ejecit. Quod si nihil mali acciderit Ario isti ab hac die usque ad proximam diem Dominicam, ego illum suscipiam, & ad communionem cum sacerdotibus admittam. Exivit Arius expectans diem Dominicam: quæ cum advenisset, ingressus est in Ecclesiam indutus veste splendida, unguentisque delibutus, seditque ad portam sanctuarii sacerdotum ordine. Patriarcha autem & qui ei consentiebant, totam hebdomadem perseveraverant jejunantes, & orantes coram Christo Domino, postulantes ut non imputaretur illis peccatum Arii, quia Imperator juraverat ei quod si Dominica die ante horam octavam non susciperet Arium, Ecclesia magnam pecuniæ summam mulctæ nomine pendere cogeretur. Cum igitur convenissent sacerdotes & plebs eo die in Ecclesiam, adessetque Arius, Patriarcha valde mœstus, liturgiæ celebrationem inchoavit: & jam lector cœperat legere cum Ario intestina commota sunt, adeo ut foras in angulum ad exonerandam alvum secesserit:

rit: atque ibi viscera omnia sua ejecit. Cum igitur ille ex conspectu se subtraxisset, quæsiverunt eum nec invenerunt, tandemque postquam diligenter quæsivissent repererunt eum, sedentem, frigidum, artubus solutis, ventre projecto, siccum, & omnia viscera ejus effusa coram eo. Significarunt hæc statim Patriarchæ, qui stupens & silens gratias egit Domino Jesu Christo, & laudavit eum qui Arium judicasset, eumque subitaneo exitio perdidisset, propter perjurium ejus & fidem perniciosam. Imperatori quoque & universæ multitudini manifesta apparuit veritas eorum quæ Petrus Martyr Patriarcha Alexandrinus prædixerat. Itaque Alexander Constantinopolitanus Patriarcha, liturgiam eo die absolvit cum lætitia, laudibus & hymnis: misitque ad Athanasium Patriarcham Alexandrinum qui hæc suo nomine nuntiarent. Nos glorificamus Deum tibique, Frater, notum facimus, Arium morte stupenda extinctum esse: hæresin ejus excisam, sectatores dispersos. Imperatori hęc omnino displicuerunt, propter amicos Arii..... Georgium, & illorum sequaces, qui Ecclesiam Alexandrinam invaserant. Si quidem Georgio dedit Imperator equites ex copiis suis quingentos, quos misit cum illo ut eum Patriarcham Alexandriæ constituerent. Scripsit etiam litteras in omnes provincias, doctrinam Arii in illis publicans, nempe quod Deus creatura esset. Eum tamen nullus suscepit in terra Ægypti: sed communionem accipiebant a sacerdotibus quos Athanasius ordinaverat. Is porro Georgius ingressus est in Ecclesiam Alexandriæ per dolum, aut ut alii dicunt introductus per milites qui cum illo venerant, a quibus occisi sunt ex Christiana plebe plurimi qui cum Athanasio sentiebant, ita ut sanguis inundaret Ecclesiam, & ad genua pertingeret. Vasa etiam sacra prædati sunt, & virginibus quæ erant in Ecclesia vitium obtulerunt. Athanasius latebat interea, & per longum tempus Christiani in speluncis, desertis, & latibulis per universas usque ad Thebaidem Ægypti provincias sacra mysteria percipiebant. Ariani vero, favente Imperatore cui adhærebant, ubique primas obtinuerunt.

Serapion tunc erat Episcopus Tmueos. Is ad Athanasium & universum populum litteras scripsit, monens ut ab Arianis caverent. Elapsis annis sex Athanasius prodiens in publicum, adiit Imperatorem judicans ab illo se morti addicendum, atque adeo martyrii coronam percepturum.

Jussit Imperator ut naviculæ imponeretur, absque pane aut aqua, nautis aut gubernatore, sed ipse solus in eam injiceretur & in mare deduceretur, quod factum est. Fluctus vero, Deo custodiente illum & gubernante, deduxerunt eum, ita ut Alexandriam tertio ipso die perveniret. Clerus & plebs ad eum profecti occurrerunt ipsi cum gaudio, & honorifice exceperunt, usque dum in Ecclesiam ingressus est, ex qua Georgium ejecit & eos qui perversam ejus fidem sequebantur. Eo die Athanasius festum Deo celebravit, omnisque populus per totam Ægyptum in summa lætitia fuit. Post annos septem venit in Ægyptum vir quidam Gregorius nomine, cum duobus militum millibus qui Ecclesiam spoliavit: & Athanasium comprehendit, quem Imperator tradidit impio cuidam viro nomine Salis, idolorum cultori. Illum etiam occidere designavit ut & Liberium Romanum Patriarcham, & Dionysium Antiochenum qui Patres erant orthodoxæ fidei, sed illos Deus ex manibus ejus liberavit, salvosque præstitit: venitque Athanasius cum Liberio Romam, & apud eum mansit, donec mortuus est Constantius, & successit illi filius ejus Constans. Is orthodoxus cum esset statim atque thronum obtinuit, imperavit ut Athanasius in sedem suam restitueretur.

Erat eo tempore Hierosolymorum Patriarcha Cyrillus, per quem miracula magna edita sunt: inter alia apparuit columna ignea super sepulcrum Christi Domini

A Salvatoris nostri, quam Ethnici omnes, & quicumque tunc in urbe aut vicinis locis erant observaverunt: durabatque ab ora tertia usque ad nonam: porro ad eam videndam ingens undique concursus hominum fiebat. Scripsit itaque Cyrillus ad Constantinum Imperatorem litteras, quibus de hoc miraculo significabat. Imperator Athanasium diligebat, qui postea quam sedi suæ restitutus esset, viginti quinque annos in pace & tranquillitate vixit, cum antea annos duos & viginti ex quo eam obtinuerat in exilio, certaminibus & persecutionibus transegisset. Mortuus cum esset Constans, Imperium ejus loco suscepit Julianus apostata Ethnicæ religioni & idolorum cultui addictus: filius sororis Constantini ma-

B gni. Is Julianus statim Gentilium templa aperiri jussit. Antiochiæ permansit, neque enim dignus erat qui domum magni Constantini habitaret. Venit aliquando in templum idolorum, & acceptum Gallum gallinaceum tradidit Idolorum sacerdoti, quem cum diabolo obtulisset, accepit cor victimæ & comedit.

Erat Juliano nepos ex sorore, Julianus quoque appellatus, impius avunculi sui exemplo. Is sacerdotem Theodorum comprehendens occidit, quod cum fecisset, avunculo significavit: qui contra eum magnopere indignatus: Noluissem, inquit, ut illum occidisses, siquidem Christiani gloriari solent cum occiduntur, dicentes se fieri martyres. Verum ego ita apud me constitui, ut

C cum rediero ex Persica expeditione, accipiantur pro quocumque Christiano tres unciæ Naftæ, volens scilicet infundi super Christianos donec idola ejus adorarent existimans eos Naftam ardentem sustinere non posse.

Erat tunc Ecclesia dives, quatuor columnis suffulta, nempe Athanasio Patriarcha, Antonio & Pachomio Monachis Ægyptiis & Basilio Episcopo Cæsareæ in Cappadocia. Is & Liberius Patriarcha Romanus, amici fuerunt Juliani Imperatoris, in eadem cum illo schola instituti. Cum audiissent vero pravas opiniones quas profitebatur, assumtis Episcopis ad eum profecti sunt, qui contemplatus aliquandiu vestitum eorum & bar-

D bam, dixit eis, Quid quæritis? Quærimus, inquit, pastorem bonum qui nos pascat. Tum ille ad Basilium, Ubi, inquit, reliquisti fabri filium, dum huc ad me venisti? Reliqui illum. inquit Basilius, occupatum in compingendo tibi feretro, ut te in illud collocaret: ad quæ Imperator. Nisi, inquit, amicus meus esses, & esset in me voluntatis erga te propensio, hoc momento caput tibi præcidi juberem. Tunc Basilius: Annon, inquit, doctrinæ quondam amore flagrabas, cur igitur sapientiam deseruisti? Respondit Imperator: legi, inquit, quæ ad eam pertinent, memoriæ commendavi & abjeci. Verum, inquit, Basilius neque eam legendo bene didicisti aut memoriæ mandasti, si enim eam cognovisses, aut animo

E complexus esses, numquam abjecisses. Imperator dixit, oportet ut vos detineri in vinculis jubeam, donec ab expeditione Persica redivero, & expectabitis quodcumque deinceps futurum. Dixit ei Basilius: Si proficiscaris, & rediveris, Deus in me locutus non est. Tandem Julianus: Quid, inquit, faciam adversus Galilæum istum mendacem, qui dixit: Destruam templum quod Judæi ædificaverunt, ædificabo scilicet illud regia magnificentia, atque ita unicuique manifesta erit falsitas ejus: dixit enim non amplius ædificandum fore? Postea conjecit in carcerem Basilium & duos qui cum eo venerant, & in Persarum regionem profectus, transivit per Hierosolymam. Ibi cum vidisset templum destructum,

F adeo ut nullus paries in eo superesset ex quo Vespasianus Imperator illud destruxit, Judæosque perdidit & in servitutem adduxit. Julianus vero jussit, ut loco mundato novum ædificium construeretur. Et profectus est, relicto qui operi præesset; ille cœpit eodem in loco ædificium instaurare: nam ruina templi talis erat ut ne quidem relictus esset lapis super lapidem, sicut dicit

Euan-

Euangelium sanctum. Præcepit itaque novum ex integro ædificium excitari, cogitans templum idolorum illud facere. Operarii toto die usque ad noctem ædificabant: postridie cum reverterentur, inveniebant quodcumque ædificaverant, destructum manu alia quam hominis: sed reperiebant parietes integros eversos a fundamentis, & in terram dejectos. Perseveraverunt nihilominus mensibus duobus, neque quidquam ædificare potuerunt. Dixeruntque ad eos Judæi, ignem injicite sepulcris istis in quibus Christiani jacent, & solida erit ædificatio quam molimini. Ignem igitur injecerunt sepulcris, incipientes a duobus, in quibus erant corpora Elisæi Prophetæ & Joannis Baptistæ: sed ignis nullo modo illa absumere potuit, unde majorem in modum obstupefacti sunt: cum per dies multos ignis ardens ad ea non accederet. Fideles porro quidam ad præfectum adeuntes, oblata pecunia, petierunt ut sibi liceret corpora duo ex sepulcris transferre, quod ille concessit. Illi levata sancta corpora miserunt ad Athanasium Patriarcham Alexandrinum. Ille cum ea recepisset, parem inde lætitiam cœpit, ac si illos viveotes esset intuitus: acceptaque corpora in quodam loco deposuit donec ædificandæ illis Ecclesiæ copiam nancisceretur. Quodam die cum Athanasius domi sederet, simulque fideles multi ad audiendum sermonem ejus, in quo vita erat animarum illorum, levavit oculos, vidensque colles duos e regione loci in quo erat, dixit. Tempus jam reperi, quo super illos colles ædificem Ecclesiam Joanni Baptistæ & Elisæo Prophetæ. Theophilus ejus scriba sedebat ad mensam prope illum, cum aliis fidelibus multis, & hæc verba cum audiisset, servavit apud se. Interea Julianum Imperatorem apostatam, cum in Persas profectus esset, tradidit Deus in hostium suorum manus, sanctorum causa quos in vincula conjecerat ante profectionem, & eorum quæ illis comminatus fuerat. Mortis ejus talis ratio fuit. Nocte vidit quosdam milites desuper ex aere in eum irruentes, quorum unus lancea percussit eum in capite, eamque adegit usque in ventrem ejus. Intellexit illum esse aliquem ex martyribus: implevitque manum suam sanguine quem sursum jaciens dixit: Accipe hoc Jesu, nempe locum integrum capis. Ita cum blasphemasset, corruit mortuus, liberavitque Deus populum suum, Romanique ad proprias sedes reversi sunt. Triduo autem ante mortem Juliani, Basilius cum esset in carcere, evigilans a somno dixit duobus qui secum erant: Vidi hac nocte S. Martyrem Mercurium, intrantem in Ecclesiam suam, ibi accepit hastam suam, & dixit, certe non sinam impium hunc blasphemare adversus Deum meum: hæc cum dixisset disparuit ab oculis meis neque amplius illum aspexi. Uterque illorum dixit ad eum: Equidem vidi quoque illud ipsum. Tum inter se dixerunt: Credimus profecto vere, quod res ista fiet. Miserunt igitur ad Ecclesiam Martyris Mercurii, qui inspicerent lanceam ejus quæ illic erat, utrum illic esset aut non: ea non ioventa, certam habuerunt somnii veritatem. Elapso triduo litteræ & nuntii de morte Juliani Antiochiam pervenerunt. Principesque Imperii congregati virum nomine Jovianum ad Imperium evexerunt. Erat ille fidelis, sanctus, timens Deum a juventute sua: & statim atque capessivit Imperium, Patres, e carcere liberare jussit. Ita comprobata est veritas sermonis quem Basilius columna veritatis ad Julianum apostatam habuerat, quod rediturus non esset, æque ac quod Michæas Propheta Achabo impio Israelitarum Regi prædixerat. Deus enim qui facit mirabilia, ipse amborum prophetæ scilicet istius, & sancti illius Patris Deus erat, qui utriusque verba accepta habuit. Jovianus deinde tres illos Patres venire ad se jussos, honore affecit, multaque illis largitus munera eos ad sedes suas dimisit. Orationes quæ io Ecclesiis fieri soleot frequentabat. Dedit quoque ad Athanasium Patriarcham Alexandrinum litteras, in quibus ita eum alloquebatur: O Pater, pastor vere & fidelis Athanasi Martyr Christi, qui Deus est Imperii mei; ipse te foveat & majorem in modum consoletur. Conforta cor tuum & apprehende virgam sacerdotalem & cum ea depelle lupos rapaces a grege spirituali: illos, inquam, quorum ora plena sunt maledictione & amaritudine veneni aspidum, quique animas occidunt. Lectæ sunt illæ litteræ in Ecclesia Alexandrina, misitque eas Athanasius Patriarcha in Provincias Ægypti, ubi lectæ sunt in Ecclesiis ad confirmandos & confortandos fideles. Expulsi atiam fuerunt sectatores Arii, Vincentius, &c......

Postea quidam illorum Jovianum Imperatorem adeuntes, querelas cootra Athanasium detulerunt, quarum ille oullam rationem habuit, perspectam habens illorum malitiam. Jam vero Athanasius senuerat cum multos antea Tractatus & Oratiooes scripsisset. Scripsit inter alia de Melchisedeco: & de Patre Aotonio, cujus vitam descripsit. Præterea quadraginta septem Eortasticas seu Paschales Epistolas, de Cruce, de Christo Domino, quod erga eum diabolus nihil viderit, existimans illum esse purum hominem, & cum ad eum accessit anathema dixit ipsi in faciem Dominus, digito uno qui auriculari proximus est: & eum destruxit quando (apostolos) vicarios suos constituit. Nempe potestatem ejus dissipavit & abolevit infirmamque reddidit: ostenditque nobis se per infirmitatem vicisse potentiam diaboli: eo enim digito qui est ab auriculari secundus, homo nihil agit cum sit digitorum imbecillior: sed neque subito illud adgressus est, sed potestatem ejus inanem reddidit, sicut io Psalmo 67. scriptum est: *Exurgat Deus & disperdat inimicos suos*. Scripsit etiam Athanasius alia multa quæ ad doctrinam Christianam spectant & alia innumera. Ad Basilium quoque litteras semel, iterum scripsit, ad quas ille respondit. Item ad Arsenium de morte Theodori consolatorias, in quibus scripsit inter alia: Utioam quisque nostrum, cum quem Theodorus frater tuus locum consequatur, & navis nostra ad eum in quo receptus est portum perveniat. Scripsit præterea opus, quo demonstrat, malum esse a diabolo, quodque in Deo locum non habeat omnino. De eodem Patre Athanasio Patriarcha dicitur, quod Angelus Domini eum sustulerit dum per longa itinera fugere cogeretur ab impiis Imperatoribus, eumque quo volebat detulerit, sicut olim Habacue Propheta Hierosolymis Babylonem delatus est: & Ezechiel Babylone Hierosolyma: neque enim hoc Deo difficile est. Erat Alexandriæ Idolum nomine *Ravail*: cum vero Athanasii jam febre correpti quies appropinquaret dixit: Si invenio misericordiam apud Christum Dominum meum, procidam coram eo neque faciem meam levabo, donec claudantur fores templi Idoli istius. Testati vero sunt sacerdotes Alexandrini, quod septem diebus elapsis ab ejus obitu, misit Jovianus Imperator fidelis mandata, secundum quæ templum illud occlusum est.

Epistolæ Eortasticæ sive Paschales superius memoratæ, videntur esse eædem quæ illæ ab Hieronymo inter Athanasii Opera recensitæ. Cur autem hic Paschales dicantur, haud facile est conjectare; cum nihil in fragmentis earum quæ supersunt Paschalem solemnitatem spectet.

ELOGIA
A QUIBUSDAM VETERUM ATHANASIO TRIBUTA.

Greg. Naz. Orat. de S. Athan. in Edit. Græco-Latina suorum operum, pag. 373. vel in appendice Encomiorum, quæ posteriori tomo operum D. Athanasii subjecta est.

ΑΘΑΝΑΣΙΟΝ ἐπαινῶν, ἀρετὴν ἐπαινέσομαι. ταὐτὸν γὰρ ἐκεῖνόν τε εἰπεῖν, καὶ ἀρετὴν ἐπαινέσαι· ὅτι πᾶσαν ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν εἶχε τὴν ἀρετήν, ἢ, τό γε ἀληθέστερον εἰπεῖν, ἔχει.

Et paulopost.

Ἀθανάσιος ἡμῖν ἦν παρὼν, ὁ στῦλος τῆς ἐκκλησίας.

Et sub finem.

Ζήσας δὲ οὕτω, καὶ παιδευθεὶς καὶ παιδεύσας, ὥστε ὅρον μὲν ἐπισκοπῆς εἶναι τὸν ἐκείνου βίον καὶ τρόπον, νόμον δὲ ὀρθοδοξίας τὰ ἐκείνου δόγματα, τίνα μισθὸν τῆς εὐσεβείας κομίζεται; *Plena est insignium encomiorum tota illa Oratio.*

Athanasium laudans virtutem laudabo, idem enim est illum dicere, quod virtutem laudibus efferre, quoniam omnes virtutes collectas tenebat, vel, ut verius loquar, tenet.

Athanasius quamdiu nobiscum versatus est, vera Ecclesiæ columna fuit.

Cum autem eum vitæ cursum tenuisset, atque ita institutus fuisset, ipseque alios instituisset, adeo ut vita ipsius morumque integritas Episcoporum norma esset, & ipsius dogmata fidei orthodoxæ leges haberentur, quodnam tandem pietatis suæ bravium reportat?

Basilius magnus in Epist. ad Athanasium, quæ est inter Epistolas Basilii in ordine 48. edit. Paris.

Τίς ἂν τοιαῦτα διαπράξασθαι τῆς σῆς συνέσεως δυνατώτερος; τίς συνιδεῖν τὸ δέον ὀξύτερος; τίς ἐνεργῆσαι τὰ χρήσιμα πρακτικώτερος; τίς πρὸς τὴν κάκωσιν τῶν ἀδελφῶν συμπαθέστερος; τίς τῆς σεμνοτάτης σου πολιᾶς πάσῃ τῇ δύσει αἰδεσιμώτερος; κατάλιπέ τι μνημόσυνον τῷ βίῳ τῆς σῆς ἐπάξιον πολιτείας, τιμιώτατε πάτερ, τοὺς μυρίους ἐκείνους ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἄθλους ἑνὶ τούτῳ κατακόσμησον ἔργῳ.

Quis autem ad ea perficienda prudentia tua valentior est? Quis acutius, quid faciendum sit, expendet? quis ad ea, quæ utilia sunt, agenda efficacior? Quis ad considerandam fratrum necessitatem condolentis affectu magis præditus? Quis universo occidenti honorabili canitie tua venerabilior? Relinque monumentum aliquod ista tuæ conversationis vita dignum, colendissime pater, innumeros illos, quos pro pietate tulisti labores, uno isto opere confirma.

Et in sequenti ad eumdem.

Ὅσον τῶν ἐκκλησιῶν τὰ ἀρρωστήματα ἐπὶ τὸ μεῖζον πρόεισι, τοσοῦτον πάντες ἐπὶ τὴν σὴν ἐπιστρεφόμεθα τελειότητα, μίαν ἑαυτοῖς ὑπολείπεσθαι τῶν δεινῶν παραμυθίαν τὴν σὴν προστασίαν πεπιστευκότες. ὃς καὶ τῇ δυνάμει τῶν προσευχῶν, καὶ τῷ εἰδέναι τὰ βέλτιστα τοῖς πράγμασιν ὑποτίθεσθαι, διασώσασθαι ἡμᾶς ἐκ τοῦ φοβεροῦ χειμῶνος τούτου παρὰ πάντων ὁμοίως τῶν καὶ κατὰ μικρὸν, ἢ ἀκοῇ, ἢ πείρᾳ γνωριζόντων τὴν τελειότητά σου, πιστεύῃ.

Quantum Ecclesiarum languores auctiores evadunt, tantum universi ad tuam convertimur integritatem, unam nobis malorum consolationem in tua tutela relictam esse credentes, qui & precum virtute & scientia rerum gerendarum, qua quid optimum factu sit admonere potes, ex horribili ista tempestate conservare nos ab omnibus, qui aliquantulum integritatem tuam vel auditu vel experientia cognoverunt, crederis.

Item in alia Epistola ad eumdem.

Ὅταν μὲν πρὸς τὰ πράγματα ὑποβλέψωμεν, καὶ τὰς δυσκολίας κατίδωμεν, ὑφ᾽ ὧν πᾶσα ἀγαθοῦ ἐνέργεια, οἷον ὑπό τινος δεσμοῦ ἐμποδιζομένη κατέχεται, εἰς ἀπόγνωσιν ἑαυτῶν ἐρχόμεθα παντελῆ. ὅταν δὲ πάλιν πρὸς τὴν σὴν ἀπίδωμεν σεμνοπρέπειαν, καὶ λογισώμεθα, ὅτι σε ἰατρὸν τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀρρωστημάτων ὁ κύριος ἡμῶν ἐταμιεύσατο, ἀναλαμβάνομεν ἑαυτῶν τοὺς λογισμούς· καὶ ἐκ τοῦ κατὰ τὴν ἀπόγνωσιν πτώματος πρὸς τὴν ἐλπίδα τῶν χρηστοτέρων διανιστάμεθα.

Et paulopost.

Πρὸς ταῦτα τίς ἱκανὸς κυβερνήτης; τίς ἀξιόπιστος διαναστῆσαι τὸν κύριον ἐπιτιμῆσαι τῷ ἀνέμῳ καὶ θαλάσσῃ; τίς ἕτερος, ἢ ὁ ἐκ παιδὸς τοὺς ὑπὲρ εὐσεβείας ἐναθλήσας ἀγῶσιν;

Quando ad res ipsas quidem respicimus, & difficultates expendimus, a quibus omnis boni efficax operatio, quasi quodam retinaculo impedita detinetur, eo relabimur, ut prorsus de nobis ipsis desperemus. Quando vero ad honestam illam gravitatem tuam convertimur ac cogitamus, quod te Ecclesiasticarum infirmitatum Dominus noster medicum constituerit, animos resumimus, & ex desperationis lapsu ad spem rerum meliorum erigimur.

Et ad ista quis sufficiens gubernator? quis tantæ fidei, ut credatur excitaturus Dominum, qui & ventum increpet & mare? quis alius quam qui a puero in pietatis agonibus decertavit?

Rursum in Epistola sequenti.

Quoniam aliorum plurimis hoc satis est, si sibi quisque circumspiciat, at tibi istud haud satisfacit, sed tantam geris omnium Ecclesiarum curam, quantam ejus, quæ tibi peculiariter a Domino concredita est, ita ut nullo non tempore de sacris edisseras, admoneas, scribas, frequenterque mittas aliquos, qui undelibet quid optimum sit, admoneant,

Τῶν ἄλλων τοῖς πλείοσιν ἐξαρκεῖ τὸ καθ' ἑαυτὸν ἕκαστον περισκοπεῖν· σοὶ δὲ οὐχ ἱκανὸν τοῦτο, ἀλλ' ἡ μέριμνά σοι πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν πρόκειται, ὅσον ἐξ ἰδίας παρὰ τοῦ κοινοῦ δεσπότου ἡμῶν ἐμπιστευθείσης ὑπέκειτο, ὅς γε οὐδένα χρόνον διαλείπεις διαλεγόμενος, νουθετῶν, ἐπιστέλλων, ἐκπέμπων πρὸς ἑκάστους τοὺς ὑποθησομένους τὰ βέλτιστα. *Videantur iisdem in Epistolis plura.*

Julius Romanus in Epistola ad Alexandrinos apud Socratem lib. II. Hist. Eccles. cap. 23. Gr. edit. inter alia.

Atque res omnes adversas, quas expertus est, fratres charissimi, sua laude minime carere arbitror. Etenim hoc modo cum vestra, tum ipsius fides apud omnes perspecta explorataque est. Nam si tam gravis casus illum non afflixisset, quis unquam credidisset vel tam stabile judicium in vestris animis insedisse, tantumque charitatis ardorem erga tam egregium Episcopum incensum esse, vel illum tam præclaris virtutibus præditum, ob quas spei, quæ est nobis in cælis reposita, particeps fiet? Quamobrem cum in præsenti tum in futuro sæculo eximium confessionis testimonium est consecutus. Nam multas calamitates variis modis terra marique expertus, omnes Arianæ factionis insidias quasi pedibus conculcavit. Ac sæpenumero invidiæ causa in vitæ periculum per adversarios insidiose conjectus, mortem contemsit ille quidem: sed tamen Dei omnipotentis & Domini nostri Jesu Christi auxilio evasit incolumis. Unde spem animo concepit, se tum hostium insidias devitaturum, tum vobis ad vestrorum animorum solatium tandem restitutum iri, quo ex vestra recte factorum conscientia una vobiscum illustrissima tropæa reportaret, quibus sane ad extremas universæ terræ oras eximie nobilitatus est, certissimaque vitæ præclare anteactæ indicia omnium oculis subjecit, quippe qui non modo fidei suæ professionem & doctrinam cælestem sit libere tutatus, verum etiam judicio certo & quasi immortali vestrum erga ipsum singularem amorem perspicue declaraverit.

Καὶ ἔγωγε, ἀγαπητοί, τὸν γενόμενον κατ' αὐτοῦ πάντα πειρασμὸν οὐκ ἄδοξον ἡγοῦμαι γεγενῆσθαι· καὶ γὰρ καὶ ἡ ὑμετέρα καὶ ἡ αὐτοῦ πίστις ἐγνώσθη παρὰ πᾶσι καὶ δεδοκίμασται. εἰ γὰρ μὴ τοσαῦτα συμβεβήκει, τίς ἂν ἐπίστευσεν, ἢ τῆς ὑμῶν τοσαύτην κρίσιν, καὶ τοσαύτην ἀγάπην περὶ τὸν τηλικοῦτον ἐπίσκοπον ἔχειν· ἢ ἐκεῖνον τοσαύταις ἀρεταῖς περιβεβλῆσθαι, δι' ἃς καὶ τῶν ἐν οὐρανοῖς ἐλπίδων οὐκ ἀλλότριος γένοιτο; ἐπέτυχε τοίνυν εἰσαεί ποτε τρόπῳ, καὶ ἐν τῷ νῦν καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ ὁμολογίας ἐνδόξου μαρτυρίου. διαφόρως γὰρ κατά τε γῆν καὶ κατὰ θάλατταν πολλὰ πειρασθεὶς, τὴν σκαιωρίαν πᾶσαν τῆς Ἀρειανῆς αἱρέσεως κατεπάτησε, καὶ πολλάκις διὰ φθόνον καὶ εἰς κίνδυνον ἐπιβουλευθεὶς κατεφρόνησε θανάτου, φρουρούμενος ὑπὸ τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ, καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐλπίζων ἅμα καὶ τὰς ἐπιβουλὰς ἐκκλίνειν καὶ ἀποκατασταθήσεσθαι πρὸς ὑμετέραν παράκλησιν, φέρων ὑμῖν ἅμα ἐκ τῆς ὑμετέρας συνειδήσεως μείζονα τὰ τρόπαια· ἐν οἷς καὶ ἄχρι τερμάτων πάσης τῆς γῆς ἔνδοξος ἐγνώσθη, δοκιμασθεὶς ἐκ τοῦ βίου, παῤῥησιασάμενος μὲν τῇ προθέσει καὶ τῇ οὐρανίῳ διδασκαλίᾳ, ἀποδειχθεὶς δὲ ἀθανάτῳ κρίσει παρ' ὑμῶν ἀγαπώμενος.

Et paulopost.

Quid autem tanto viro dignum proferri possit, qui tot & tantis periculorum exantlatis laboribus, redditur tandem vobis incolumis, non beneficio nostri tantummodo, verum etiam totius Concilii judicio talis declaratus? Si quidem hoc sibi divinitus concessum esse decrevit, quod nimirum in tanti viri cognitionem venire potuerit.

Τί ἂν τις εἴποι κατ' ἀξίαν τοῦ τοιούτου ἀνδρὸς, ὃς κινδύνους τοσούτων θλίψεων νικήσας, ἀποδίδοται ὑμῖν ἀθῷος, οὐ παρ' ἡμῶν (*sic enim cum Interprete malim legere*) μόνον, ἀλλὰ καὶ παρὰ πάσης τῆς συνόδου ἀποδειχθείς. *Ubi simul etiam sibi ipsi de hoc gratulatur*, ὅτι Θεόθεν καὶ τοῦτο αὐτῷ συγκεχωρῆσθαι συνέτυχε, ὅπως εἰς γνῶσιν τοῦ τηλικούτου ἀνδρὸς ἐλθεῖν δεδύνηται.

Constantinus junior Constantini M. F. Imp. in Epistola ad Alexandrinos.

Ego Episcopum vestrum Athanasium libenti animo complexus sum, & ita cum illo collocutus sum, ut vere Dei hominem esse mihi persuaserim.

Ἐγὼ τὸν ὑμέτερον ἐπίσκοπον Ἀθανάσιον ἀσμένως προσηκάμην, ὅπως τε προσφθεγξάμην, ὡς ἄνθρωπον αὐτὸν Θεοῦ ὄντα πεπεισμένος.

Joviani Imperatoris Epistola, Athanasii laudes continens, extat infra Tom. II.

D. Hieronymus in scriptoribus Ecclesiasticis.

Athanasius Alexandriæ urbis Episcopus multas Arianorum perpessus insidias, ad Constantem Galliarum principem fugit: unde reversus cum litteris, post mortem ejus rursum fugatus usque ad Joviani Imperium la-

Sophronius Interpres Hieronymi.

Ἀθανάσιος Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος πολλὰς παρὰ τῶν Ἀρειανῶν ὑπομείνας ἐπιβουλὰς, πρὸς Κώνσταντα τῶν Γαλλιῶν βασιλέα προσέφυγεν. ὅθεν ἀναζεύξας μετὰ γραμμάτων, καὶ αὖθις μετὰ τὴν αὐτοῦ τελευτὴν διωχθεὶς, ἕως τῆς βασιλείας Ἰοβιανοῦ διέλαθε,

λαοῦ, καὶ ἀναλαβὼν τὴν ἐκκλησίαν, ἐπὶ Οὐάλεντος τελευτᾷ. φέρονται αὐτοῦ κατὰ τῶν ἐθνῶν λόγοι δύο, κατὰ Οὐάλεντος καὶ Οὐρσακίου εἷς, περὶ παρθενίας, περὶ διωγμῶν Ἀρειανῶν πλεῖστοι, περὶ ἐπιγραφῶν ψαλμῶν, καὶ ἱστορία Ἀντωνίου ἀναχωρητοῦ τὸν βίον περιέχουσα, καὶ ἑορταστικαὶ ἐπιστολαί, καὶ πλεῖστα ἄλλα, ἅπερ ἀπαριθμεῖσθαι ὀκνῶ.

fuit, a quo recepta Ecclesia, sub Valente moritur. Feruntur ejus adversus Gentes libri duo, & contra Valentem & Ursacium unus, & de Virginitate, & de persecutionibus Arianorum plurimi, & de Psalmorum titulis, & historia Aotooii Anachoretæ vitam continens, & *ἑορταστικαὶ* epistolæ, & multa alia, quæ numerare longum est.

Ruffinus Ecclesiasticæ Hist. lib. I. cap. XIV.

Igitur apud Alexandriam defuncto Alexandro Athanasius susceperat sedem. Quod vero esset vir acris ingenii, & in Ecclesiasticis negotiis apprime vigilans, satis jam tunc hæreticis innotuerat, cum ad Concilium Nicænum cum Episcopo suo sene Alexandro venerat, cujus suggestionibus hæreticorum ludi ac fallaciæ vigilanter detegebaotur.

Joannes Cassianus lib. VII. de Incarnat. cap. ult.

Athanasius Alexandriæ urbis sacerdos, eximium constantiæ & virtutis exemplum; quem hæreticæ persecutionis procella non contrivit, sed probavit: qui similem semper splendenti speculo vitam habens, prius pene indeptus est martyris meritum, quam confessoris caperet dignitatem.

Vincentius Lirinensis, in Commonitorio contra profanas hæresum novationes, cap. 42.

Sunt ergo hi viri, quorum in illo (*Ephesino I.*) Concilio, vel tanquam judicum, vel tanquam testium scripta recitata sunt. S. Petrus Alexandrinus Episcopus doctor præstantissimus, & Martyr beatissimus, Sanctus Athanasius ejusdem civitatis antistes, magister fidelissimus, & Confessor eminentissimus.

Cyrillus Alexandrinus in Epist. ad Presbyteros, Diacones, & Patres Monachorum, quæ exstat in Actis Synod. Ephes. I. cap. 1.

Καὶ γοῦν ὁ τῆς ἀοιδίμου μνήμης πατὴρ ἡμῶν Ἀθανάσιος τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας κατακοσμήσας τὸν θρόνον ἐφ' ὅλοις ἔτεσι τεσσαράκοντα καὶ ἓξ τὸν ἀριθμόν, καὶ ταῖς τῶν ἀνοσίων αἱρετικῶν εὑρεσιλογίαις ἄμαχόν τινα καὶ ἀποστολικὴν ἀντανίστας σύνεσιν, καὶ οἷον εὐοσμοτάτῳ μύρῳ τοῖς ἰδίοις συγγράμμασι κατευφραίνων τὴν ὑπ' οὐρανόν, ἐπ' ὀρθότητι καὶ ἀκριβείᾳ παρὰ πάντων μαρτυρεῖται.

Enimvero percelebris memoriæ pater Athanasius, qui totos quadraginta sex annos Alexandrinæ Ecclesiæ pontificatum egregia cum laude gessit, loquacibusque impurorum hæreticorum commeotis invicta planeque Apostolica sapientia restitit, quippe scriptis suis veluti fragrantissimo quodam unguento totum hunc orbem mirifice recreavit, & ob dogmatum absolutam integritatem fideique rectitudinem magna apud omnes existimatione & auctoritate fuit.

Et paulopost ibidem.

Ἀξιόχρεως μὲν οὖν ὁ ἀνὴρ καὶ θαρσεῖσθαι πρέπων, ὅς οὐκ ἂν εἴπῃ τι τῶν ὅσα μὴ ἐστι τοῖς ἱεροῖς συμβαίνοντα λόγοις. πῶς γὰρ ἂν ἁμάρτοι τἀληθοῦς ὁ λαμπρὸς οὕτως καὶ διαβόητος, καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, τῇ ἐν Νικαίᾳ φημὶ συναγηγερμένῃ, πρὸς ἁπάντων τεθαυμασμένος, οὔπω μὲν γὰρ τὸν τῆς ἐπισκοπῆς διεῖπε θρόνον· ἐστέλλετο δὲ μᾶλλον ἐν κληρικοῖς, πλὴν ἀγχινοίας ἕνεκα, καὶ τῆς ἄλλης ἐπιεικείας καὶ ἰσχύος ἄγαν καὶ ἀσυγκρίτου φρενός, παρελήφθη μὲν τῷ πίνακι παρὰ τοῦ τῆς μακαρίας μνήμης Ἀλεξάνδρου τοῦ ἐπισκόπου· συνῆν δὲ τῷ πρεσβύτῃ, οἷά περ υἱὸς πατρί, ποδηγῶν εἰς ἕκαστα τῶν χρησίμων, καὶ τὴν ἐφ' ἑκάστῳ τῶν πρακτέων ὁδὸν εὖ μάλα παραδεικνύς.

Sane idoneus est hic vir apprimeque dignus, cui intrepide fidem adjungere, quemque tuto sequi liceat, ut qui nihil quicquam aliquando dixerit, quod a sacris litteris alienum esset. Quo enim pacto illustris ille celebratusque pater qui in sacra illa magnaque Synodo Nicæna in tanta omnium admiratione habitus est, a veritatis tramite aberraret? Nam etsi per id tempus Episcopi munus nondum sustineret, sed inter inferioris ordinis clericos etiamnum degeret, attamen propter præclaram indolem insignemque vitæ probitatem, & incredibilem peneque incomparabilem mentis perspicaciam, a beatæ memoriæ Episcopo Alexandro ad Episcopalis provinciæ consortium adscitus fuit. Versabatur autem cum sene, tanquam filius cum patre, ad quidvis utiliter conficiendum sese ducem præbens, necnon in omnibus, quæ obeunda forent, commodum iter ostendens.

Martianus Imperator in sacra contra Hæreticos Act. ultima Synodi Chalcedonensis, & in L. Quicumque C. de Hæreticis & Manichæis.

Quicumque ergo vel in hac sacra urbe, vel in Alexandrina civitate, vel in omni Ægyptiaca diœcesi, & diversis aliis provinciis Eutychetis profanam perversitatem sequuntur, & ita non credunt, ut tre-

trecenti decem & octo sancti Patres tradiderunt, Catholicam sanctam fidem in Nicæna civitate fundantes: vel ita ut centum quinquaginta alii venerabiles Episcopi, in hac alma urbe convenerunt: & sicut Athanasius & Theophilus, & Cyrillus sanctæ recordationis Episcopi Alexandrinæ civitatis crediderunt, quos etiam Ephesina Synodus (cui beatæ memoriæ Cyrillus præfuit, in qua Nestorii error expulsus est,) universos secuta est quos & nuper venerabilis Chalcedonensis Synodus est secuta, prioribus Conciliis sacerdotum ex omni parte consentiens, nihilque adimens sacro-sancto Symbolo, neque adjiciens, sed Eutychetis funesta dogmata condemnans, sciant se esse hæreticos Apollinaristas, &c.

Synodus Chalcedonensis, quarta Œcumenica, Act. XVI. in relatione ad Imp. Martianum.

Sic Athanasii ad Epictetum amplectimur litteras, sic tanquam propriam Gregorii ad Chelidonium epistolam ubique proferimus.

Theodoretus Cyrensis Episcopus in Dialogo primo τῷ ἀτρέπτῳ.

ORTH. Numquid videtur idoneus esse Athanasius ille, celeberrimum & lucidissimum Alexandrinæ Ecclesiæ lumen? ERA. Omnino. ORTH. Utpote qui variis perturbata motibus veritate doctrinam suam auctoritate propria comprobavit.

Hæc inter cætera, duo illa magna Alexandrinorum Ecclesiæ columina Alexander & Athanasius, ab omnibus numquam satis decantata pericula unanimiter tolerarunt.

ΟΡΘ. Ἀξιόχρεως εἶναί σοι δοκεῖ Ἀθανάσιος ἐκεῖνος, ὁ πολυθρύλητος, ὁ φανότατος τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας φωστήρ; ΕΡΑ. Πάνυ γε. ΟΡΘ. Τοῖς γὰρ τῆς ἀληθείας παθήμασι τὴν διδασκαλίαν ἐκύρωσεν. *Idem in tractatu MS. quod post incarnationem unus sit Christus:* ταύτης τῆς Ἀλεξανδρέων οἱ μεγάλοι φωστῆρες Ἀλέξανδρος καὶ Ἀθανάσιος, καὶ ὁμοφρονοῦντες, οἱ ὑπὲρ πάντων ᾀδόμενοι κινδύνους ὑπέμειναν.

Vigilius Episcopus Tridentinus & Martyr lib. 2. contra Eutychen cap. 4.

Cur formidas duas dicere naturas, quod Athanasius omnium Ecclesiasticorum virorum judicio probatissimus dixit? In qua fidei professione cuncti Græcæ linguæ tractatores, quos superiore libello commemoravi, & omnes Latini sermonis Apostolici viri, id est, Hilarius, Eusebius, Ambrosius, Augustinus, & Hieronymus, cælestibus imbuti doctrinis, simul pariterque consentiunt.

Maxentius Joannes in libello Fidei cap. II.

Has igitur duas naturas Dei Verbi Domini nostri Jesu Christi, hoc est, divinitatis & humanitatis naturaliter sive substantialiter, secundum traditionem sanctorum Patrum, credimus & confitemur unitas, eo quod natura inviolabilis Dei Verbi, naturæ unita est passibili: beatissimo simul atque doctissimo Athanasio dicente: Verbum caro, non caro Verbum factum est, &c.

Justinianus Imperat. in edicto. De Fide cap. IV.

Propter hæc igitur oportebat eos, si factum consilium recte susciperent, non tales blasphemias ei applicare, sed sequi doctores Catholicæ Ecclesiæ, & maxime sanctum Athanasium, qui fuit Alexandriæ Episcopus, & plurimos & magnos labores suscepit pro recta Christianorum fide adversus omnem hæresin, & maxime contra impiissimos Arianos. Ipsis enim Arianis ad decipiendos populos suos errori conjungentibus Dionysium, qui multis annis ante Athanasium fuit Alexandriæ Episcopus dicentibus, quod & ipse Dionysius similia eis sapuit: Athanasius magnus Ecclesiæ doctor multis modis ostendit in scriptis certam fidem Dionysium ab initio prædicasse, nulloque modo participem Arianæ impietatis fuisse.

Constantinus Imp. in Epist. ad Occidentales Act. XVIII. Synodi VI. Œcumenicæ.

Et testis horum irreprehensibilis athleta Dei cultor Pater noster Athanasius.

Καὶ μάρτυς τούτων ἄμεμπτος ἀθλητὴς καὶ θεοσεβὴς ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀθανάσιος.

Damascenus Orat. de Defunctis sub finem.

Vita & moribus admirabilis, & Dei Ecclesiæ fundamentum Athanasius.

Ὁ ἐν βίῳ καὶ λόγῳ περίβλεπτος, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας θεμέλιος Ἀθανάσιος.

Photius in Bibliotheca sua cujus hoc fragmentum optimo illo vetustissimoque Athanasiano Codice, qui est Academiæ Basileensis, præfixum est totidem verbis: illudque jam olim a Petro Nannio, qui eodem codice usus est, sic Latine redditum est.

Photius Archiepiscopus Constantinopolitanus, ad fratrem suum Tarasium, de sermonibus magni inter sanctos Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi.

Hic, inquit, & in sermonibus ubique locutione clarus est, brevis & simplex: acutus tamen & altus, & argumentationibus omni-

Φωτίου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, πρὸς τὸν ἴδιον ἀδελφὸν Ταράσιον, περὶ τῶν λόγων τοῦ ἐν ἁγίοις μεγάλου Ἀθανασίου Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας.

Ἐν οἷς, φησίν, ὅτι σαφὴς μέν ἐστι τὴν φράσιν, ὥσπερ ἐπανταχοῦ τῶν λόγων αὐτοῦ, καὶ ἀπέριττος καὶ ἀφελής· δριμὺς δὲ καὶ βαθύς, καὶ λίαν ἐπι-

ἐπικεχειρημένως ἄγαν· καὶ τὸ γόνιμον δὲ αὐτοῦ ἐν τούτοις πολὺ ὅσον φασὶ θαυμάσιον. λογικαῖς τε (*sic MS, interpres videtur legisse δὲ*) μεθόδοις, οὔ τι γυμνοῖς καὶ μειρακιωδῶς, ὥσπερ οἱ παῖδες καὶ ἀρχιμαθεῖς, ἀλλὰ φιλοσόφως τε καὶ μεγαλοπρεπῶς ἀποκέχρηται. γραφικαῖς τε μαρτυρίαις καὶ ἀποδείξεσιν εἰς τὸ καρτερὸν κατακέχρηνται· καὶ μάλιστά γε ὁ κατὰ Ἑλλήνων, ὅ τε περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Θεοῦ λόγου εἰρημένος, καὶ ὁ κατὰ Ἀρείου πεντάβιβλος, τρόπαιον ὄντα κατὰ πάσης μὲν αἱρέσεως, ἐξαιρέτως δὲ τῆς Ἀρειανῆς. καὶ εἴ τις τὸν θεολόγον Γρηγόριον, καὶ τὸν θεῖον Βασίλειον, ἐκ ταύτης ὥσπερ ἀπὸ πηγῆς ἀρυσαμένους φαίη τῆς βίβλου τοὺς καλοὺς ἐκείνους καὶ διαυγεῖς τῶν οἰκείων λόγων κατὰ τῆς πλάνης ῥεῦσαι ποταμοὺς, οὐκ ἂν οἶμαι σφαλεῖν τοῦ παραδείγματος· πεποίηται δὲ αὐτῷ, φασὶ, καὶ εἰς τὸν Ἐκκλησιαστὴν, καὶ εἰς τὸ ᾆσμα τῶν ᾀσμάτων ὑπομνήματα, ὥσπερ, καὶ εἰς τὸν ψαλτῆρα, καὶ εἰς ἕτερα πολλά. εἰς μὲν τὴν χάριν καὶ τὸ κάλλος, ἰσχυρῶς διαπρέπουσιν οἱ κατὰ Ἀπολιναρίου λόγοι, καὶ τῶν ἐπιστολῶν, ὅσαι τὴν ἀπολογίαν αὐτῷ τῆς φυγῆς περιέχουσιν.

no vehemens, & in his tanta ubertas, ut admirabilis sit. Logicis autem methodis nihil tenuiter, nihil juveniliter, ut pueri & rudes, sed philosophice, sed magnifice utitur. Scripturarum testimoniis ac demonstrationibus ad confirmationem communitus est, & in primis sermo ille contra Gentiles & qui de humanitate Verbi Dei habitus est, quinque in Arium libri, qui revera sunt omnis hæreseos tropæum, sed Arianæ potissimum. Et si quis Theologum Gregorium, & divinum Basilium diceret ex hoc libro tamquam fonte quodam haurientes, orationis suæ pulchros ac perlucidos contra errorem fundere fluvios, non erit, ut arbitror, procul a verisimilitudine. Scripta sunt autem ab eo, & in Ecclesiasten Commentaria, & in Cantica Canticorum, sic & in Psalterium, & in alia multa. Gratia tamen & ornatu vere excellunt, Sermones contra Apollinarium, & Epistolæ, quotquot ejus excusationem continent.

Τοῦ Δοξαπάτρου, *qui manu sua codicem Bas. cujus meminimus, scripsit, ἔπος in Arium de laudibus Athanasii, in limine ejusdem codicis. Editum a Felckmanno qui hæc elogia collegit.*

Ἄρειε, σίγα, τὴν σιγὴν κατεκρίθης,	*Ari, tace, qui silentio damnatus es,*
Ἀθανασίου τοῦ σοφοῦ κεκραγότος.	*Athanasio docto loquente.*
Φλύαρε, παμβδέλυκτε κακίας γέμων,	*Inepte blatero, putide, nequitia scatens,*
Γέρον σοφιστὰ τῶν σατανικῶν δογμάτων,	*Sophista vetule satanicorum dogmatum,*
Κρύφθητι λοιπὸν αἰσχύνης πολλῆς γέμων.	*Delitesce tandem multo pudore confusus,*
Φαίνουσι καὶ γὰρ Ἀθανασίου λόγοι,	*Emicant etenim Athanasii sermones.*
Καὶ πανταχοῦ φθάνουσιν ἀστραπηβόλοι,	*Et ubique volitant fulguris in modum,*
Τοὺς σοὺς φίλους φλέγοντες, ἢ σὴν καρδίαν·	*Tuos amicos urentes vel pectus tuum;*
Ἐξ ἧς ἡ σαπρὰ τῶν δογμάτων, πλάνε,	*Ex qua putredo dogmatum tuorum, o impostor,*
Ἀρχὴν λαβοῦσα τὴν φθορὰν παριστάγει.	*Ortum sortita tibi exitium parat.*
Ἐσφενδονίσθης πνεύματος τῇ σφενδόνῃ	*Tu percussus es spirituali funda:*
Ὄντως ἐπλήγης τοῖς ἰοῖς τοῖς θείοις,	*Vere vulneratus es divinis telis:*
Ὄντως ἐβλήθης ταῖς βολαῖς ταῖς καιρίαις·	*Vere sauciatus es jaculis lethiferis,*
Ἅσπερ κατηκόντισεν ἐνθεαστικῶς	*Quæ jaculata est divinitus inspirata*
Ἡ γλῶττα τοῦ μάκαρος Ἀθανασίου.	*Lingua beati Athanasii.*
Αἴσχιστε καὶ δύσχρηστε τῆς πανουργίας,	*Putide, vane & inutilis malitia,*
Οἴκτιστε καὶ δύστηνε τῆς βδελυρίας,	*Miserrime, infelix tua impudentia:*
Ὄντως δέδωκας ἀξίαν τιμωρίαν,	*Vere dedisti meritas pœnas*
Τῶν σῶν λυθέντων ἐγκάτων. ἀλλ' ἐνδίκως	*Tuorum dissolutione intestinorum, sed merito jure*
Τοιοῦτον ἔσχες καὶ τέλος σοι τοῦ βίου,	*Talem habuisti vitæ tuæ exitum,*
Μέσον κοπρώδων ἐκλιπὼν ψυχὴν τόπων,	*In mediis stercorum animam relinquens locis,*
Ὅποι περ ἦς βαδίζων. ὦ θεία δίκη	*Quo tu secesseras. O divina justitia*
Ἡ πᾶσιν ὤσπερ πάνσοφος ζυγοστάτις.	*Quam omnibus es sapiens statera!*
Ἀλλ' ὦ θεράπων θεῖε τοῦ Θεοῦ θύτα,	*Sed o famule divine Dei sacerdos,*
Ἀθανάσιε, τῶν σοφῶν πηγὴ λόγων,	*Athanasi, sapientum fons orationum,*
Ἔγχεσον ἡμῖν ῥεῖθρον ἀθανασίας,	*Effunde in nos fluxum immortalitatis:*
Τὸν ψυχικὸν δίωκον ἐξ ἡμῶν μόρον.	*Spiritualem expelle a nobis mortem:*
Ἔνσταξον ἡμῖν μικρὸν εἰς σωτηρίαν	*Instilla nobis modicum quid ad salutem,*
Καὶ σύμμαχος φαίνοιο, καὶ σεμνὸς πρόμος.	*Et commilito appareas & promus insignis.*
Ὁρᾷς τὰ δεινὰ συῤῥέουσί μοι πόσα;	*Vides, quantæ in me confluunt molestiæ?*
Ὁρᾷς τὸ ῥεῦμα τῶν ἐναντίων μέγα,	*Vides magnos adversariorum fluctus,*
Τ...όμενον μὲν οὐ μικρῶς καθ' ἡμέραν	*Qui quotidie non leviter insurgunt,*
Ἡμῖν δ' ἀπειλοῦν τὴν ἀπώλειαν τάχα;	*Nobisque perniciem minitantur repentinam?*
Ἔνστηθι μάκαρ, παῦσον αὐτοῦ τὴν ῥύμην	*Insiste beate, & eorum impetum comprime,*
Μὴ δὴ καταιγὶς ποντίσειεν ὑδάτων.	*Ne fluctuum procella nos submergat.*
Οἱ φθονοῦντες δωρεὰν μοι παγίδας,	*Sunt invidi qui mihi laqueos*
Ἀεὶ τιθοῦσιν ἀφανῶς κεκρυμμένας,	*Semper tendunt latenter occultos.*
Κατηγοροῦντες καθ' ἑκάστην μυρία	*Proferentes singulis diebus in me sexcenta*
Διαστρέφειν λέγοντες ἡμᾶς τὰς κρίσεις,	*Pervertere nos dicentes judicia*
Ὅταν τι καινὸν εἰσάγωμεν εἰς μέσον.	*Quando novum aliquid in medium producimus.*
Καὶ τἄλλα μοι πλέκοντες εἰς ἀδικίαν.	*Et alia mihi confingentes ad injustitiam.*
Αἲ αἲ· πολυστένακτον ἄγομεν βίον·	*Hei hei! valde luctuosam ducimus vitam,*
Ἄνωθεν ἐλπίζοντες εὑρεῖν τὴν λύσιν	*Superius sperantes invenire dissolutionem*
Τῶν κακοποιῶν καὶ φθορᾶς σκεμμάτων,	*Malefactorum & interitum molientium.*
Ὅθεν παραμύθιον ἐγγένοιτό μοι,	*Unde solatium adsit mihi*

Miserrimam infeliciter ducenti vitam.
Quot contra nos acuunt ut gladios
Linguas suas, & fraudes confingunt,
Accusantes & conviciis intolerabilibus insectantes?
Sed utinam, o Christe Dei patris Verbum,
Sine principio omnium principium & opifex,
Qui hæc omnia sapientissime composuisti,
Terram, cælum, mare & astrorum lumina,
Montes, saxa, convalles, antra, latices;
Rogo te infirmus & miser famulus,
Ne nos ulla tentatio præcipites deturbet,
Fias custos meæ spiritualis naviculæ,
Conserva eam solam mihi inconcussam,
Cætera vero mea præ hisce, sunt posterioris censuræ
*Quæ non durant, * & vitæ tenus expediunt.*
Dignitas illustris, quæ fastum præbet,
Causa maxime perniciei solet esse.
Divitiæ fluunt, David exclamat valde:
Ne assentiamini cordi vestro, diserte loquens;
Nobilitatem generis pessundatam
Temporum mutationes reddunt instabilem.
Alienum tamen obtinens negotium
Inutile extitit possidentibus.
Mihi ergo hujus vitæ fortuita
Sic judicantur & æstimantur, o Verbum,
Ut ipse nosti judex universi generis.
Alii vero gaudeant in gloria vitæ
Nos videntes in malis sordescentes,
Tantum abstineamus a blasphemia.
Et pie imperantis coronati
Auditum inveniamus inimicorum sermonibus
Aditum claudentem, ut scriptura loquitur.
Δοξαπατρὶς ista cum lamentis scribit,
Cum gemitibus monodiam texens.
Mitte vero novam visionem ex alto, o Verbum,
Pacifico Regi Romanorum
Occulta docentem ipsum in judicio,
Qualiter plura tuorum sapientum judiciorum
Multis præstitere notitiam occultorum
Jamjamque morituris nullo merito
Impertierunt salutem quasi præter spem.
Si enim docere digneris, o Domine,
Abscondita imperantem universæ Romæ,
Ad tuam bonitatem suspicientem,
Ad tuam humanitatem tendentem,
Compatibilem animum gerentem,
Omnino profert tibi sacrificium luculentius,
Proficiendo, crescendo, & augendo
Incrementum divinum & efficax supernæ dominationis.

Οἴκτιστον ἀνύσαι δυστυχῶς βίον·
Πόσοι καθ' ἡμῶν ἀκονῶσιν ὡς ξίφη
Γλώττας ἑαυτῶν, καὶ πλέκουσι τοὺς δόλους,
Κατηγοροῦντες, λοιδοροῦντες αἰσχίστως;
Ἀλλ' εἴθε Χριστὲ τοῦ θεοῦ πατρὸς λόγε,
Ἄναρχε καὶ πάνταρχε, καὶ πανεργάτα,
Ὁ πάντα ταῦτα συντεθεικὼς πανσόφως,
Γῆν, οὐρανὸν, θάλασσαν, ἀστέρων φάη,
Ὄρη, πέτρας, φάραγγας, ἄντρα, καὶ νάπας·
Αἰτῶ σε αὐτὸ λυπρὸς οἰκτρὸς οἰκέτης,
Πειρασμὸς ἡμᾶς μηδαμῶς καταβυθίσῃ,
Φύλαξ γίνου μοι τῆς ψυχικῆς ὁλκάδος,
Τήρησον ἀκλόνητον αὐτήν μοι μόνην,
Τὰ δ' ἄλλα μου πρὸς ταῦτα, δευτέρου λόγου,
Ἃ μὴ μένουσιν, * ἀρκοῦσι τοῦ βίου.
Τὸ λαμπρὸν ἀξίωμα κόμπον παρέχον
Παραίτιον μάλιστα τῆς βλάβης ἔνι.
Ὁ πλοῦτος ἂν ῥεῖ, Δαβὶδ ἐκβοᾷ μέγα,
Μὴ προστίθεσθε καρδίᾳ, τρανῶς λέγων,
Τὴν εὐγένειαν τὴν κάτω τεταμένην,
Χρόνων φοραὶ φθείρουσιν ἀστατουμένην.
Ἀλλότριον τὸ πρᾶγμα τυγχάνει δ' ὅμως,
Ἀσυντελὲς πέφυκε τοῖς κεκτημένοις.
Ἐμοὶ δοκεῖ τὰ αἶνα τοῦ βίου
Οὕτω κρίνονται καὶ λογίζονται, λόγε,
Ὡς οἶδας αὐτὸς ὁ κριτὴς παντὸς γένους.
Ἄλλοι δὲ χαιρέτωσαν ἐν δόξῃ βίου,
Ἡμᾶς ὁρῶντες ἐν κακοῖς τεθραμμένους·
Μόνον φυλαχθείημεν ἐκ βλασφημίας,
Καὶ τοῦ κρατοῦντος εὐσεβῶς στεφηφόρου
Τὴν ἀκοὴν εὕρωμεν τοῖς ἐχθρῶν λόγοις.
Τὴν ἄνοδον κλείουσαν, ὡς γραφὴ λέγει,
Ὁ Δοξαπατρῆς ταῦτα σὺν γόοις γράφει,
Μετὰ στεναγμῶν τὴν μονῳδίαν πλέκων·
Πέμψον δὲ καινὴν ὄψιν ἐξ ὕψους, λόγε,
Τῷ εἰρηνικῷ βασιλεῖ τῶν Αὐσόνων,
Τὰ κρυπτὰ διδάσκουσαν αὐτὸν ἐν κρίσει,
Ὁποῖα πολλὰ τῶν σοφῶν σου κριμάτων
Πολλοῖς παρέσχε γνῶσιν ἀγνοουμένων·
Θνήσκουσι δὲ καὶ μέλλουσιν ἀδικωτάτως
Δέδωκε τὴν λύτρωσιν ὡς παρ' ἐλπίδα.
Εἰ γὰρ διδάσκειν ἀξιοῖς ὁ δεσπότης
Τὰ κρυπτὰ τὸν κρατοῦντα τῆς Ῥώμης ὅλης,
Πρὸς τὴν ἀγαθότητα τὴν σὴν δεδορκότα,
* Καὶ πρὸς τὸ φιλάνθρωπον * ἐντεινόμενον,
Καὶ συμπαθῆ φέροντα καλῶς καρδίαν·
Πάντως προσάγει θυσίαν σοι καλλίω,
Ἀεὶ προκόπτων, ἀναβαίνων, αὐξάνων
Αὔξην θεουργὸν τῆς ἄνω σκηπτουχίας.

IN DUOS CONTRA GENTES

ET DE INCARNATIONE LIBROS

MONITUM.

I. ATHANASII *duos contra Gentes libros commemoravit Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, hoc pacto:* Feruntur ejus adversus Gentes libri duo, &c. *Photius vero loco superius allato, priorem librum contra Gentes nuncupat, posteriorem vero de Incarnatione. Et tamen exploratum est hosce libros qualibet tandem ferantur inscriptione eosdem ipsos esse qui memorantur ab Hieronymo. Nam ex modo ordiendi posterior liber nativa serie cohæret cum priore: & magna pars initio, contra Gentes ac fœdissima confictorum numinum simulacra, conscripta fuit: reliqua vero de Incarnatione; ita ut jure ac merito illum utroque nomine inscribere facultas fuerit. Editi tamen ac codices omnes, postremum de Incarnatione inscribunt.*

II. Quo autem anno isthæc Athanasius emiserit in lucem nusquam fertur. Haud leves tamen conjecturæ sunt quibus proxime ad veri temporis fines deducamur. Nam quod observatu dignissimum, in posteriore, licet ad Christi deitatem commonstrandam multa adferantur, nihil comparet, quod vel Arianam hæresin jam subortam indicet, vel pugnas oleat cum Arianis initas: ac licet idipsum hic contra Judæos comprobandum veniat, quod postea contra Arianos assertum fuit, videlicet deitas Christi, varia prorsus argumenta sunt, diversumque pugnandi genus. Etenim si jam cum Arianis dimicatum fuisset, etiamsi de industria Arii nomen tacere voluisset Athanasius, quod haud veri simile est, aliqua tamen jam initæ pugnæ signa superessent, ut fere fit in hujusmodi rebus. Unde arbitramur ante exortas Arianicas turbas hæc conscripta fuisse anno circiter 318. Sic igitur Christi militiam ingressus Athanasius cum per ætatem vixdum ejusmodi militiæ patiens esset, statim ferocissimos Christianæ fidei hostes profligat, Gentiles nimirum & Judæos. Neque tamen alios veræ fidei adversarios Manichæos nimirum, quorum tum temporis hæresis grassabatur, Marcionitas, Valentinianos cæterosque intactos prætermittit, imo validissime, sicubi res fert, aggreditur: multo sane minus ab Arianis abstinuisset, si jam infesti veram doctrinam adorti fuissent; vehementiore namque impetu, quam aliæ omnes superiorum ætatum hæreses, divinitatem Christi oppugnavit Ariana. Quæ si jam signa adversum canere cœpisset, putasne athletam nostrum pugnam detrectaturum fuisse? Est aliud unde fortasse quædam temporis ratio duci valeat: postquam enim Athanasius gentilium ἀποθέωσιν *exagitavit, his verbis ita prosequitur:* Καὶ μή τοι θαυμάσῃς, μηδὲ μακρὰν πίστεως εἶναι τὸ λεγόμενον νομίσῃς, ὅτι γε καὶ οὐ πολὺ πρότερον, ἢ μέχρι καὶ ἄρτι νῦν ἡ Ῥωμαίων σύγκλητος τοὺς πώποτε αὐτῶν ἐξ ἀρχῆς ἄρξαντας βασιλέας, ἢ πάντας ἢ οὓς ἂν αὐτοὶ βούλωνται καὶ κρίνωσι, δογματίζουσιν ἐν θεοῖς εἶναι, καὶ θρησκεύεσθαι θεοὺς γράφουσι. *id est:* Quod quidem ne mireris, neque procul a fide esse existimes velim, quando non ita pridem, sed fortassis etiam hoc tempore Senatus Romanus, quos ab initio habuit Imperatores, vel omnes, vel saltem quos ipsi placet, & ejusmodi honore dignos censet, inter deos esse decernit, ac tamquam deos coli jubet. *Unde forte quis inferat, tum scriptos fuisse libros hosce, cum Constantinus quidem accessisset ad fidem: nam anno 313. is Christianum cultum amplexus est: neque tamen protinus Romanorum Senatus inveteratam illam & impiam Imperatores consecrandi consuetudinem posuisset: quia non statim ab initio exsecrandos ritus potuit Constantinus antiquare. Hunc porro locum erudito lectori sistendum duximus, non quo putemus validum quoddam hinc erui argumentum, sed ut illius judicio rem permittamus.*

III. Styli porro genus quod spectat, fateare necesse est, vix quidpiam eo in genere tanta concinnitate adornatum fuisse, mirere sane elegantiam, sales, vim argumenti, eruditionem variam, maxime vero in prima Oratione quæ inter primarios tanti viri fetus locum habet. Vides Athanasium, nihil eorum quæ Gentilium theologiam, sive potius ματαιολογίαν *spectant ignorare, inque libris Homeri, Platonis aliorumque scriptorum versatissimum esse, ut decebat eum qui hujusmodi operam susceperis. In Oratione porro de Incarnatione, validis argumentis commonstrat veritatem religionis Christianæ & Incarnationis Jesu Christi. Laudatur Oratio contra Gentes in Synodo Nicæna II. loco inferius allato. De Oratione vero quæ de Incarnatione inscribitur hæc habet Felckmannus.* Titulus hujus Orationis in omnibus nostris exemplaribus est, περὶ ἐνανθρωπήσεως· & sic citatur etiam a Theodoreto Dialog. 3. τῷ ἀπαθεῖ, ubi aliquot ejus loca adducit quæ vide infra. Adrianus I. Papa in epist. ad Constan-

ſtantinum & Irenen Impp. quæ exſtat in Actis Syn. VII. Œcum. ſive Nicæn. II. Act. 2. hanc citans, ſic etiam deſcribit, *De eo quod Dominus carnem humanam aſſumſit*. Locum quem excerpſit vide infra. Photius in Bibliotheca (*loco infra adferendo*) appellat λόγον hunc περὶ ἐνσωματώσεως τοῦ Θεοῦ λόγου. De hos enim, non vero de illo infra, ejuſdem argumenti contra Apollinarium, eum loqui exiſtimo. MSS. codices, quorum quinque habuimus, Baſilienſem nimirum, Anglicanum, Goblerianum, I. & II. hos anonymos & incerti dominii, an λόγος ſermo, aut oratio, ſive liber, vel epiſtola, vel aliud quid hic tractatus ſit non conſentiunt. Baſ. enim vocat λόγον, reliqui omnes tacent ac in incerto relinquunt. Præterea illud Θεοῦ, in inſcriptione non eſt niſi in ſolo II. quo operæ in colligendis litteris uſæ ſunt. *Hæc Felckmannus.*



SAN-



SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

ORATIO CONTRA GENTES.



DEI quidem cultus rerumque omnium veritatis cognitio non tam hominum doctrina indiget, quam ex seipsa haberi potest, quippe quæ quotidie operibus prope clamet, & sese per Christi doctrinam sole clarius commonstret. Quia tamen ea de re doceri desideras, o vir beate: age, pauca de fide Christi pro viribus nostris exponamus. Nam tametsi illam ex divinis litteris tibi ipse comparare potes, ex aliis tamen etiam discere exoptas. Et vero sanctæ ac divinæ scripturæ ipsæ per se satis sunt ad veritatem indicandam. Exstant quoque plurimi ea de re a beatis nostris magistris conscripti libri, quos si quis legerit, Scripturarum interpretationem quodam modo intelliget, & eam quam expetit cognitionem consequi poterit. Verumtamen cum magistrorum libros in manibus nunc non habeamus: necesse est ea quæ ab illis didicimus tibi patefacere & scribere: (loquor autem de nostra in Christum Salvatorem fide,) ut ne quis vel doctrinam qua informamur parvi pendat, vel fidem qua in Christum credimus, nulla ratione innixam esse suspicetur; ut immerito certe sentiunt Gentiles, qui variis calumniis nos vellicant & profusis cachinnis irrident, nihil aliud nobis quam Christi crucem objicientes. Qua quidem in re illorum stupiditatem maxime miserari convenit, quod scilicet dum cruci insultant, ejusdem virtute totum orbem terrarum repleri, & per eam divinæ cognitionis opera omnibus patefacta fuisse non videant. Neque enim, si ipsi sincero attentoque animo ejus divinitatem inspexissent, rem tantam riderent; sed illum potius mundi salvatorem esse agnoscerent, ejusque crucem non perniciem rerum sed medicinam fuisse faterentur. Namque si erecta cruce, universa idololatria eversa est: si hoc signo omnes dæmonum præstigiæ fugantur, solusque Christus adoratur, & per ipsum Pater cognoscitur: si denique hi quidem qui contradicunt, erubescere co- A guntur, ipse vero contradicentium animos quotidie latenter immutat; qui fit (merito enim quis eos ita aggrediatur) ut humanum opus id adhuc opinentur, ac non potius fateantur Dei Verbum & salvatorem mundi illum esse, qui in crucem adscendit? Sane idem istis accidere mihi videtur, ac si quis solem nubibus obscuratum reprehendat, ejusque nihilominus lucem admiretur, quippe qui totum terrarum orbem ab ea illuminatum cernat. Ut enim pulcra lux est, & ipse sol lucis auctor luce pulcrior est: ita cum res sit plane divina universum mundum Dei cognitione repletum esse, necesse est ducem & au- B ctorem tanti operis Deum ipsum & Dei Verbum esse. Itaque pro virili parte de re tam admirabili disseremus, priusque Infidelium inscitiam refellemus, ut falsis confutatis, veritas per seipsam deinceps illucescat, tuque ipse, carissime, certum persuasumque habeas te veritati credidisse, Christumque cognoscendo deceptum non fuisse. Tecum porro, qui Christum amas, de Christo differere maxime convenire arbitror, quando quidem te ejus cognitionem & fidem rebus omnibus pretiosiorem ducere autumo.

Mirabiles crucis Christi effectus ejus divinitatem probant.

Divisio hujus operis in duas partes.

2. Principio quidem malitia non fuit, quoniam ne nunc quidem in sanctis reperitur, nec prorsus in C illis exsistit: sed eam postea homines excogitare atque adversus seipsos effingere cœperunt; unde etiam idolorum commenta effinxere, ea quæ non sunt, perinde ac si essent, animo concipientes. Nempe mundi opifex & omnium moderator Deus, qui universa natura & humana intelligentia longe superior est, ut vere bonus ac summe benignus, per proprium Verbum & salvatorem nostrum Jesum Christum, humanum genus ad propriam imaginem fecit, qua illa secum similitudine hominem ad rerum naturam cognoscendam & contemplandam aptum reddidit. Hinc D propriæ etiam æternitatis cogitationem & cognitionem eidem impertivit, ut videlicet hac conservata similitudine, numquam cogitationem a Deo averteret, neque a sanctorum convictu discederet: sed datam Dei gratiam & propriam ex paterno Verbo vim infusam retinens exsultaret, & cum Deo familiariter viveret, securamque ac vere beatam immortalem vi-

Prima pars, in qua Gentilium errores refutantur. Malitiæ origo undenam fit.

Homo anima munditia Deum Verbum contemplatur.

tam duceret. Nam si ulla re a Dei cognitione impediatur: animæ munditia, Patris imaginem, Deum Verbum, ad cujus quoque imaginem factus est, semper contemplatur, maximaque admiratione afficitur, cum providentiam, qua mundus per ipsum administratur, intelligit. Ita rebus quidem quæ sub sensus cadunt & corporeæ sunt excelsior efficitur, cum his vero vi mentis conjungitur, quæ cælestes ac divinæ sunt solaque intelligentia comprehenduntur. Cum enim corporibus mens humana non adhærescit, neque aliquid ex eorum cupiditate extrinsecus admixtum habet, sed tota ipsa sursum secum est, sicuti initio facta est; tunc ea quæ sensus movent omniaque humana transcendens, in sublime fertur, Verbumque, & in Verbo Verbi Patrem videt, cujus contemplatione delectata, suo erga illum amore & desiderio renovatur: quemadmodum utique primum hominem, qui hebræa lingua Adam dictus est, sacræ scripturæ narrant initio summa cum libertate & fiducia mente Deo adhæsisse, sanctorumque societate & consuetudine potitum fuisse in illa rerum cælestium contemplatione, qua illo in loco fruebatur, quem sanctus Moyses tropo quodam paradisum appellavit. Animæ enim munditia eam ad Deum per seipsam contuendum idoneam reddit, uti ipse Dominus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Primi hominis ante peccatum felicitas.

Matth. 5. 8.

3. Sic ergo Creator, ut dictum est, hominum genus condidit, quos etiam in eo statu perseverare voluit. At illi rebus potioribus neglectis, ignavique & inertes ad illas intelligendas effecti, sese ad ea quæ sibi propiora erant convertere. Hæc autem corpus & sensus corporis erant. Itaque homines, mentem & cogitationem a rebus cælestibus avocaverunt, & seipsos contemplari cœperunt. Seipsos autem contemplando, corporique aliisve rebus, quæ sensus movent, inhærendo, ac velut in propriis decepti, in sui cupiditatem delapsi sunt, propriis rebus rerum divinarum contemplationi antepositis. In his porro commorantes, nolentesque a proximis sibi rebus discedere, suam animam omni cupiditatum genere turbatam & inquinatam, corporis voluptatibus constrinxere, ac vim quam ab initio a Deo acceperant, penitus obliti sunt. Id vero ita se habere vel ex primo homine videre licet, ut ex sacris scripturis discimus. Siquidem quamdiu ille mentem ad Deum & Dei contemplationem applicavit, corporis contemplationem respuit: cum vero serpentis persuasu cogitationem a Deo avertit, seque contemplari cœpit; tunc illi in corporis cupiditatem misere inciderunt, & se nudos esse cognoverunt, quæ ipsis causa fuit erubescendi. Seipsos porro non tam vestibus nudos esse deprehenderunt, quam quod rerum divinarum contemplatione nudi facti sunt, atque animum ad contraria traduxerunt. Desciscentes enim ab illius qui & unus & vere est (Deum intelligo) cognitione & amore, in diversas posthac & singulas corporis cupiditates sese projecere. Deinde, ut fieri solet, cum singularum & multarum rerum cupiditatibus flagrarent, in illas ferri habitu cœperunt, adeo ut eas relinquere etiam reformidarent. Hinc factum est ut timiditates, metus ac libidines in anima orirentur, nihilque illa nisi mortale saperet. Siquidem nolens cupiditates dimittere, mortem corporisque disjunctionem pertimescit. Cum item ea quæ concupiscebat non assequeretur, occidere & injuste agere didicit. Quanam autem ratione ista omnia agat, operæ pretium est pro facultate exponere.

Casus primi hominis causa fuit, quod mentem a Dei contemplatione ad sui contemplationem averterit. Quot inde postea mala profluxerint.

4. Postquam a rerum cælestium contemplatione recessit anima, singulisque corporis facultatibus prave usa, & corporis contemplatione delectata est, ut vidit bonum sibi esse voluptatem, boni nomine, errando abusa est, atque voluptatem ipsum verum bonum esse existimavit, non secus ac si quis mente perculsus, gladium in obvium quemque distringendum postulaverit, idque sapientis esse arbitretur. Amore porro voluptatis irretita, eam varie exercere cœpit. Cum enim ex natura sua sit facile mobilis, tametsi ab his quæ bona sunt sese avertit, moveri tamen non desinit. Movetur itaque jam non secundum virtutem, neque ut Deum videat; sed inania cogitans suas facultates alio transfert, iisque ad explendas suas cupiditates abutitur, ut pote quæ libera facta sit. Ut enim se ad bona convertere, sic ab iisdem se avertere potest. A bono autem aversa, contraria omnino cogitat. Nam a motu plane quiescere non potest, quippe quæ ex natura sua, ut superius dixi, sit mobilissima. Illa ergo propriæ libertatis conscia, videt se membris in utramque partem uti posse, tum ad ea quæ sunt, tum ad ea quæ non sunt. Ea autem sunt, quæ bona sunt: ea vero non sunt, quæ mala sunt. Porro ea esse dico quæ bona sunt, quatenus eorum exemplaria sunt in Deo qui vere est. Ea vero non esse dico quæ mala sunt, quatenus, cum nihil sint, solis hominum commentis conficta sunt. Nam cum corpus habeat oculos ad res creatas videndas, & ad creatorem per aptissimam earumdem rerum compositionem cognoscendum: cum aures habeat ad divina oracula & Dei leges audiendum: cum manus habeat cum ad necessaria peragenda, tum ad eas in precibus extendendas: anima, bonorum contemplatione dimissa, ubi in bis motum exercere desiit, in contraria jam errans moveri cœpit. Deinde suis facultatibus, ut dixi, perspectis, hisque abutens, intellexit se corporis membra posse etiam in contraria movere. Hinc loco contemplationis naturæ, oculos ad cupiditates convertit, se id quoque posse ostendens, atque existimans, dummodo moveatur, se suam dignitatem servare, nec peccare, faciendo quod potest. Verum ignorabat se creatam esse, non ut simpliciter moveretur, sed ut ad ea quæ oportet moveretur, ut hæc vox Apostoli optime monet: *Omnia licent, sed non omnia expediunt.*

Animæ libertas.

Sola ea sunt quæ bona sunt: quæ autem mala sunt, propre non sunt.

1. Cor. 6. 12.

5. At hominum audacia non ad id quod expediebat & decebat, sed ad id quod poterat attendens, contraria agere cœpit: unde & manus in contrarium movens cædes perpetrare jussit: aures ad non obediendum convertit: membra alia ad liberos legitime procreandos data, stupris & adulteriis inservire permisit: linguam nobis ad benedicendum concessam, ad calumniandum maledicendumque & pejerandum adhibuit: manibus ad furandum & similes homines verberandos, odoratu ad varios amatorios odores indagandos, pedum celeritate ad sanguinem effundendum abusa est: ventrem denique ebrietati & inexplebili satietati dedit; quæ quidem omnia, vitia & peccata sunt animæ, quorum nulla alia causa est, quam quod se a rebus præstantioribus avertit. Enimvero idem illi contigisse videtur ac si auriga, qui equos in stadio ascendit, meta quo currendum est neglecta, ab eaque aversus, equum, ut potest, tantum agitare curet, (potest autem ut sibi videtur) hincque modo in obvium quemque impetum faciat, modo in abrupta loca tendat & quocumque equorum pernicitas eum abripuerit, ratus se, dum ita currit, a meta non aberrare, quippe qui solum cursum habeat ante oculos, nec proinde se extra metam ferri animadvertat. Ita sane anima a via quæ ad Deum ducit aversa, & præter id quod decet corporis membra impellens, imo vero ipsa quoque una cum illis a seipsa impulsa, peccat &

ma-

malum sibimet fingit, nec animadvertit se a via aberrasse, & extra veritatis metam vagari, quam beatus Paulus, qui Christum in se ferebat, præ oculis habens, ita loquebatur: *Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Jesu Christi.* Itaque sanctus Apostolus cum ipsum bonum, scopum & finem haberet, nihil unquam mali agebat.

Philip. 3. 14.

Malitiæ nullam esse substantiam contra quosdam Gentiles & hæreticos ostenditur.

6. Nonnulli quidem Gentilium a veri via aberrantes, nec Christum cognoscentes, malitiæ substantiam aliquam esse ac per seipsam existere affirmavere; qua profecto in opinione, duplici ratione peccabant. Vel enim negabant Creatorem rerum omnium effectorem esse; nec enim omnium rerum Dominus foret, si, uti censent, malitia substantiam & naturam per seipsam haberet. Vel rursus, si illum volunt rerum omnium effectorem esse, mali quoque auctorem esse concedant necesse est, quandoquidem juxta illos, malum res aliqua est. Verum id fieri non posse & absurdum esse valde perspicuum est: nam malum ex bono non oritur, neque in ipso, neque per ipsum est; alioquin jam bonum non esset, quod mixtam naturam haberet, vel mali causa existeret. Hæretici quoque qui ex ecclesiastica doctrina exciderunt ac in fide naufragium fecerunt, mali aliquam substantiam esse stulte & ipsi existimant, sibique præter verum Christi Patrem alium Deum effingunt, quem etiam non genitum, mali effectorem & malitiæ auctorem atque naturæ creatæ opificem volunt esse. Verum illi facile refutari possunt cum ex divinis scripturis, tum ex ipsa quæ in hominibus inest intelligentia, qua etiam ista dementer commeoti sunt. Itaque, ut ab auctoritate scripturæ exordiar, Dominus & servator noster Jesus Christus verba Moysis in suo euangelio confirmans, ait: *Dominus Deus unus est.* Et: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ.* Si ergo unus est Deus, & ipse cæli & terræ dominus est, quomodo alius præter ipsum erit? Ubinam vero illorum Deus futurus est, cum omnia quæ cæli & terræ ambitu continentur unus & verus Deus impleat? Quomodo etiam alius opifex earum rerum fuerit, quarum ipse Deus & Pater Christi est dominus, ut suo ipse ore testatur Salvator? Nisi forte ut in parium conditione accidit, boni Dei malum posse esse dominum dixerint. Sed si ita sentiunt, vide in quantam impietatem incidant. Inter illos enim qui paria possunt, neminem qui excellat & fortior sit inveneris. Etenim si nolente altero, alter existit, æqualis certe amborum vis & imbecillitas est; æqualis quidem vis, quia alter alterius voluntatem, existendo, vincit: imbecillitas vero, quia ipsis nolentibus res præter mentem eveniunt; siquidem bonus invito malo, & vicissim malus bono nolente existit.

Marc. 12. 29.
Mat. 11. 25.

7. Aliter etiam eos hoc modo refellere possumus. Si ea quæ apparent, sunt mali opera; quodnam, quæso, est boni opus? nam nihil apparet præter naturam quam Creator condidit. Quodnam porro indicium est bonum existere, cum nulla extent opera quibus cognoscatur? ex operibus enim opifex cognoscitur. Qui vero fieri potest ut ambo sibi invicem sint contrarii? vel quidnam est quod illos dividit, ut simul invicem non sint? Namque simul esse non possunt, cum sese invicem destruant. Alter quoque in altero esse non potest, cum diversæ & dissimilis sint naturæ. Ergo tertium quoddam erit, quod illos dirimat, quodque ipsum sit Deus. At cujusnam, quæso, naturæ tertium istud futurum est? bonine an mali? incertum utique videbitur; nec enim potest amborum naturæ esse. Itaque cum futilem hanc illorum sententiam esse liqueat; necesse est ecclesiasticæ doctrinæ veritatem elucere, scilicet malum nec a Deo nec in Deo esse, neque ab initio fuisse, nec naturam aliquam ejus esse: sed homines, boni contemplatione remota, ea quæ non erant, prout volebant, sibi ipsi excogitare & effingere cœpisse. Quemadmodum enim si quis, sole collucente suisque radiis universum terrarum orbem illustrante, oculos clauserit, & tenebras, quæ tamen nullæ sunt, sibi ipsi finxerit, ac deinde ille mediis velut in tenebris errans incedat, quæ causa illi sit sæpius cadendi atque in aspera & prærupta loca incurrendi, dum interim ipse arbitratur non lucem, sed tenebras esse, quippe qui cum videre putat, oihil prorsus videat: ita humana anima, clausis oculis quibus Deum videre potest, sibi ipsi mala effingit, in quibus dum ipsa movetur, nescit sese nihil agere, cum aliquid agere existimat. quæ enim illa effingit, nullo modo existunt. Nec vero qualis creata est, talis etiam perseveravit: sed qualem contaminavit seipsam, talis & comparet. Namque creata est ut Deum videat, & ab eo illuminetur: ipsa autem pro Deo res caducas & tenebras quæsivit, ut alicubi Spiritus his verbis testatur: *Deus hominem rectum fecit: ipsi autem ratiocinationes multas quæsierunt.* Itaque malitiæ inventio & excogitatio sic hominibus initio exorta & conficta est. Quanam vero ratione etiam ad idolorum insaniam devoluti fuerint, jam dicere necesse est, ut cognoscas idolorum inventionem nullo modo a bono sed a malitia ortum habere. Quod porro principium malum habet, nulla unquam in re bonum judicandum est, cum malum sit totum.

Malum nec a Deo nec in Deo est: sed merum est hominum commentum.

Eccles. 7. 30.

Idololatriæ origo.

8. Malitiam excogitasse non contenta hominum anima, paulatim sese ad deteriora cœpit impellere. Postquam enim varias voluptatum species didicit, & rerum divinarum oblita est, corporeis affectibus delectata, atque ad sola præseotia & vanas quæ de his habentur opiniones attendens, nihil præter aspectabilia existere, solaque temporalia & corporea, bona esse arbitrata est. Sic autem a vero aversa, & se ad imaginem boni Dei factam esse oblita, non amplius Deum verbum, ad cujus similitudinem creata est, sua facultate videt: sed extra seipsam posita, ea quæ non sunt cogitat & effingit. Obstructo quippe corporearum cupiditatum involucris illo quod in ipsa est quasi speculo, per quod unum Patris imaginem contueri poterat, jam non cernit quæ animam intelligere oportet, sed io omnem partem circumfertur, solaque illa videt quæ in sensum cadunt. Hinc sane illa omnibus carnis cupiditatibus plena, falsisque opiniooibus quas de illis imbibit conturbata, demum quem mente oblita est Deum, hunc ipsum in corporeis & sensibilibus rebus commenta est: unde Dei nomine rebus aspectabilibus attributo, sola ea amplectitur & cogitat quæ sibi placent, & ut jucunda suspicit. Prima ergo idololatriæ causa est malitia. Ut enim homines malitiam, quæ nulla res est, sibi ipsis confingere didicerunt, sic & Deos, qui nulli sunt, sibi quoque commenti sunt. Idem profecto est ac si quis in profundum demersus nec lucem nec quæ luce conspiciuntur videret, (quippe cum ejus oculi deorsum aspicerent, & ipse aquarum mole obrueretur:) ille autem idcirco sola ea quæ in profundo sunt sensu percipiens, nihil præter ipsa existere eaque rerum omnium præcipua esse arbitraretur. Ita enim prisci insipientes homines ubi in carnis cupiditates & fallaces illecebras demersi sunt, Deique notitiam & cognitionem oblivione deleverunt, obtusa ratione, vel potius rationis expertes facti res aspectabiles deos esse finxerunt, ipsamque creatam naturam præ Deo honorarunt, ac opera potius quam operum auctorem & opificem Dominum Deum Dei tituln divinisque honoribus decorarunt. Ut vero illi qui secundum superius

exem-

exemplum, in profundum demersi sunt, quanto magis progrediuntur, eo in obscuriora & profundiora loca abripiuntur: ita quoque simile quoddam humano generi accidit. Non enim in simplici hæserunt idololatria, neque unde cœperunt, ibi etiam perstiterunt: sed quo plus temporis in primis suis erroribus consumsere, eo recentiores identidem excogitavere superstitiones. hinc prioribus nondum satiati, rursus sese in alia flagitia ingurgitarunt. Sic illi profecere in rebus turpissimis, suamque impietatem magis magisque auxere. Id sane divina scriptura his verbis testatur: *Cum venerit impius in profundum malorum, contemnit.*

Quomodo homines in Idololatria profecerint.

9. Ut enim mens humana a Deo recessit, homines vanis suis cogitationibus ac ratiocinationibus deorsum vergentes, primum cælo, soli, lunæ, & astris, Dei honorem adscripserunt, illosque non tantum deos, sed etiam rerum aliarum auctores esse censuerunt: postea vero tenebricosis suis cogitationibus deorsum rursus progressi, æthera, aerem, & ea quæ in aere sunt, deos appellavere. Iidem rursus in malis procedentes, elementa quoque & principia compositionis corporum, nempe calidam & frigidam, siccam & humidam naturam deos agnovere. Ut vero qui penitus in profundum ceciderunt, in terra & cœno, terrestrium cochlearum instar, repunt: ita impiissimi mortales, postquam cogitationem a vera Dei notione removerunt, homines hominumque formas, cum viventium tum mortuorum inter deos referre cœperunt. Quin etiam pejora meditati, in lapides & ligna, in reptilia aquatilia & terrena atque in feras & brutas animantes divinum & cæleste Dei nomen trastulerunt, omnesque soli Deo debitos honores illis attribuerunt: verum autem Deum Christi patrem rejecerunt. Utinam vero hic saltem stetisset insanorum mortalium audacia, nec ultra progressi sese graviori impietatis genere contaminassent. Siquidem nonnulli adeo mente conciderunt, & eorum animus fuit obscuratus, ut etiam ea, quæ nullo modo essent, nec inter res creatas existerent, ipsi comminiscerentur & deos facerent. Humanam enim formam cum brutis animantibus permiscentes, naturasque dissimiles simul connectentes, tanquam deos venerari non erubuerunt. Hujusmodi utique sunt dii illi qui apud Ægyptios canis, serpentis & asini caput habent, & apud Libyæ populos Ammon arietis capite insignis. Alii vero corporis partes, ut caput, humeros, manum, pedem seorsim divisas, singulas inter deos collocavere, & divinis honoribus sunt prosecuti, quasi non contenti religione erga totum & integrum corpus adhibita. Alii impietate latius diffusa voluptatem & cupiditatem, quæ ipsorum malitiæ & tantæ impietatis occasio fuit, deos fecere & adoravere, qualis est apud eos Amor & Venus in Papho insula. Alii velut pejora ambitiose æmulati, suos principes, aut etiam illorum liberos vel pro sua erga eos observantia, vel eorumdem tyrannidis metu inter deos numerare ausi sunt. Talis est in Creta celeberrimus apud ipsos Jupiter, in Arcadia Mercurius, apud Indos Dionysius sive Bacchus, & apud Ægyptios Isis, Osiris & Orus. Talis his etiam temporibus Antinous Adriani Romanorum Imperatoris amasius, quem tametsi hominem fuisse & quidem hominem minime gravem & honestum, sed impurissimum non ignorant, eum tamen ob metum imperantis venerantur. Cum enim, Adriano in Ægypti regione diversante, Antinous illius voluptatis minister e vita migrasset, eum Imperator coli jussit: quo utique facto & se adolescentis etiam post ejus mor-

Adrianus Imperator Antinoum inter Deos referri jubet.

A tem amore flagrare est testatus, & justæ reprehensionis argumentum in seipsum præbuit, ac denique insigne adversus universam idololatriam statuit monumentum, quo nempe pateret illam non aliter ab hominibus inventam fuisse quam vana comminiscentium cupiditate: quod & Dei sapientia his verbis declarat: *Initium fornicationis est exquisitio idolorum.* Quod quidem ne mireris, neque procul a fide esse existimes velim, quando non ita pridem, sed fortassis etiam hoc tempore Senatus Romanus quos ab initio habuit Imperatores, vel omnes, vel saltem quos ipsi placet & ejusmodi honore dignos censet, inter deos esse decernit, ac tanquam deos coli jubet. Namque illorum quidem, quibus illi infensi

Sap. 14. 12.

B sunt, naturam agnoscunt, eosque utpote inimicos, homines appellant: at vero quos diligunt & caros habent, eos ob virtutem coli præcipiunt, quasi deos faciendi potestatem ipsi haberent, qui utique homines sunt, & se mortales esse non inficiantur. Hi enim profecto potius qui deos faciunt dii esse censendi sunt, quam quos ipsi faciunt deos. Siquidem res quæ facit ea quæ fit præstantior esse debet; & qui aliquem judicat, ejus qui judicatur dominus sit necesse est: is item qui aliquid donat, omnino id quod habet largitur; quemadmodum certe & omnis Imperator, id quod ipse habet, donat, iisque qui accipiunt potentior & major est. Qua-

C propter si quos ipsi voluerint, deos esse decernunt: eos sane primum deos quoque esse oporteret. Verum hoc inter cetera admiratione dignum videtur, quod ipsi tanquam homines morientes, suum de his, quos deos fecerunt, falsum esse suffragium aperte arguant.

10. Nec vero recens est istiusmodi consuetudo, neque a Romano Senatu initium duxit, sed diu ante ad fingenda idola inventa & instituta est. Illi enim qui a tanto tempore dii apud Græcos celebrantur, Jupiter, Neptunus, Apollo, Vulcanus, Mercurius, & e feminis Juno, Ceres, Pallas, Diana, edictis Thesei, quem Græcorum historiæ præcipue commendant, divinitatem sunt consecuti. Hinc illi qui id sancivere, ut ho-

D mines, mortui lugentur: hi autem quos deos esse statuerunt, tanquam dii adorantur. O incredibilem repugnantiam atque insaniam! Notus ipsis est qui deos illos esse sanxit, & quos ille sanxit, eidem anteponunt! Verum utinam saltem in maribus stetisset eorum idololatria, neque feminis divinum nomen detulissent! Siquidem etiam mulieres, quas neque ad publica concilia admittere tutum est, divinis honoribus colunt & venerantur, quales sunt, quæ, ut supra diximus, Thesei præscripto inter numina sunt relatæ, & apud Ægyptios Isis, Puella & Adolescentula, atque apud alios Venus. Nam aliarum ridicula nomina proferre fas esse non reor. Multi enim non priscis tantum, sed nostris etiam

E temporibus, post amissos quos habebant carissimos, gnatos ac uxores: multæ item mulieres extinctis viris, (quos sane omnes, mortales homines fuisse natura convincit) illos & illas, cogente luctus acerbitate, pictura expresserunt & confictis sacrificiis consecrarunt, quos deinde posteri ob pictum simulacrum & artificis industriam tanquam deos venerati sunt, idque præter omnem naturæ rationem. Quos enim ipsi parentes luxere ut qui dii non essent (namque si deos illos esse persuasum habuissent, minime ut perditos & mortuos deflevissent. Quia vero non tantum

F non esse deos, sed nec existere quidem putabant, idcirco illorum formam imagine exprimebant, ut eorum effigiem præ oculis habentes, dolorem mitigarent quem ex eo quod illi amplius non existerent acceperant) istos nihilominus stultissimi tanquam deos precantur, & veri Dei honore prosequuntur. Certe etiam hodie in Ægypto, Luctus Osiris, Ori, Typhonisque & aliorum interitus celebratur. Dodonæa item æra & Cretæ Corybantes argumento sunt

Jo-

Jovem non fuiſſe Deum, ſed hominem, cumque ex Patre carnivoro procreatum eſſe. Verum præ ceteris per mihi mirum videtur, Platonem magnum illum virum ſapientia apud Græcos adeo celebrem, qui de Dei cognitione plurimum gloriabatur, in Piræum cum Socrate acceſſiſſe, ut Dianam hominis arte effictam adoraret.

Sap. 14. 12.

11. Hæc autem & ſimilia idololatriæ inventa jam olim Scriptura his verbis complexa eſt: *Initium fornicationis eſt exquiſitio idolorum: & adinventio illorum, corruptio vitæ eſt. Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. Vana enim hominum gloria in mundum ingreſſa ſunt, & idcirco brevis illorum finis eſt inventus. Acerbo enim luctu dolens pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum qui tunc tanquam homo mortuus fuerat, nunc tanquam viventem colere cœpit, ſubditiſque ſuis ſacra & cerimonias tradidit. Deinde impia conſuetudo tempore invaleſcens, tanquam lex cuſtodita eſt, & Tyrannorum imperio colebantur ſculpta ſimulacra, quos cum coram honorare homines non poſſent, eo quod procul habitarent, forma quæ longe aberat expreſſa, evidentem imaginem regis quem honorare volebant, fecerunt, ut abſentem tanquam præſentem ſtudio adularentur. Ad religionis autem & venerationis amplificationem, etiam ignaros inſtigavit artificis eximia diligentia. Ille enim volens fortaſſe placere principi, omnem artem & induſtriam ſuam adhibuit, ut ſimilitudinem quam optime exprimeret. Vulgus porro elegantia operis illectum, eum qui paulo ante ut homo colebatur, nunc numen eſſe reputavit; idque vitæ in inſidias factum eſt, quoniam aut miſeriæ aut tyrannidi deſervientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt.* Cum igitur idolorum inventio hoc pacto, teſte Scriptura, ab hominibus initium habuerit & efficta ſit, jam tempus eſt, ut ad ejus confutationem aggrediamur: quod ut præſtemus, non tam extrinſecus colligemus argumenta quam ex his ipſis quæ illi de ſuis numinibus ſentiunt. Si quis enim illorum, quos deos prædicant, ut inde primum exordiar, res geſtas velit perpendere, eos non ſolum non eſſe deos, ſed etiam hominum turpiſſimos fuiſſe reperiet. Quid enim, quæſo turpius quam illi Jovis amores & impudicitiæ quas apud Poetas legere licet? Quid fœdius dici poteſt quam cum eum audis rapere Ganymedem, furtiva adulteria patrare, timere & pavere ne contra ipſius mentem Trojanorum mœnia diruantur? Quid indignius cogitaveris quam cum ipſum vides mortem filii ſui Sarpedonis graviter ferre, eique opitulari velle nec poſſe? Quid, inquam, miſerius poteſt eſſe quam cum cernis ei inſidias ab aliis, qui dicuntur dii, fieri, Minerva nempe, Junone & Neptuno, opemque ferri a Thetide muliere & a centimano Ægeone: cum item voluptate victum mulieribus ſervire vides, illarumque cauſa brutorum animantium, quadrupedum & volucrum formas non ſine ſui periculo induere: cum rurſum eumdem ut patris inſidias fugiat, latebras quærere perſpicis, ac deinde Saturnum ſuum patrem ab illo vinciri & caſtrari? An ergo æquum eſt illum cenſeri deum, qui ea flagitia commiſit, & tantorum ſcelerum reus eſt, quæ neque communes Romanorum leges vel ipſis hominibus facere permittunt?

Indigna falſorum deorum facta deos illos non eſſe luculenter probant.

12. Ut enim præ multitudine pauca ex multis commemorem, quis cognitis flagitiis & ſtupris, quibus Semelem, Ledam, Alcmenam, Dianam, Latonam, Maiam, Europam, Danaen & Antiopam vitiavit, vel quis perſpecta ejus in propriam ſororem impudica audacia, quam nimirum ſimul & ſororem & uxorem habuit, illum non deſpiciat & morte dignum æſtimet? Enimvero non ſtupra tantum commiſit, ſed etiam quos ex ſtupris procreavit liberos, inter deos retulit, divinitatis ſpecie ad ſuam pravitatem tegendam abuſus. Horum ex numero ſunt Bacchus, Hercules, Dioſcuri, Mercurius, Perſeus & Soſpita. Quis implacabili contentione audita, qua dii illi, Græcorum & Trojanorum cauſa, apud Ilium inter ſe pugnabant, eorum imbecillitatem non condemnet, qui nempe mutua inter ſe rixa etiam homines irritaverint? Quis ſi viderit Martem & Venerem a Diomede vulnerari, Junonem vero & Infernum quem vocant Deum Aidoneum ſive Plutonem ab Hercule, Bacchumque a Perſeo, & Minervam ab Arcade, Vulcanum autem e cælo projici eoque caſu claudum fieri; quis, inquam, hæc intueri poſſit quin ſtatim hujuſmodi deorum naturam ſpernat ac vituperet, vehementerque deinceps abhorreat quominus deos illos eſſe dicat, ſed potius cum corruptioni ſubjectos & patibilis naturæ eſſe intellexerit, nihil profecto aliud eos quam homines, atque imbecilles homines eſſe agnoſcet, magiſque illos qui vulnerant, quam qui vulnerantur, jure & merito admirabitur? Quis item Martis cum Venere adulterium & utrique paratas a Vulcano inſidias, alioſque, quos vocant deos ad ſtupri ſpectaculum ab eodem Vulcano accerſitos adventare, & illorum impudicitiam contueri conſpiciens, riſum tenere queat, eoſque non valde aſpernetur? Quis non rideat, ſi Herculem viderit præ ebrietate libidinoſe in Omphalem inſanire? Nam libidinoſa illorum geſta turpiſſimoſque amores, ac eorum imagines auro, argento, ære, ferro, lapidibus & lignis expreſſas, nihil eſt cur accurate reprehendam, cum res ipſæ ex ſeſe execrandæ ſint, & manifeſtam erroris notam habeant. Qua ſane in re, eorum, qui his fallaciis ſeducuntur, maxime miſereri convenit. Hi enim qui adulterum, qui ad ipſorum uxorem auderet accedere, maximo odio proſequerentur, adulterii magiſtros deos facere non verentur: cumque ipſi cum ſororibus commiſceri reformidant, eos qui idipſum faciunt, venerantur: qui iidem pueros corrumpere crimen eſſe fatentur, illos nihilominus colunt qui hujuſce flagitii rei eſſe prædicantur: ac denique ea, quæ leges hominibus prohibent, ſuis, ut appellant, diis non erubeſcunt adſcribere.

Cæcitas hominum qui lapideos & ligneos Deos colunt.

13. Præterea cum lapides & ligna adorant, non attendunt ſe res prorſus ſimiles pedibus conculcare & comburere, quarum partes deos nuncupant, & quæ paulo ante in uſum aſſumebant, hæc eadem ſculpta inſipienter venerari: quæ dum faciunt, non certe advertunt nec omnino cogitant ſe non deos ſed cælatoris artem adorare. Siquidem quamdiu impolitus eſt lapis & materia rudis, tamdiu iſta calcant & ad ſuos ſæpe uſus etiam viliores adhibent. Cum vero fictor artem ſuam in illis exercuerit, & viri vel mulieris forma materiam figurarit, tunc gratias agunt artifici, jamque ut deos colunt quos mercede a cælatore emerunt. Quin etiam fictor, quaſi oblitus quæ ipſe fabricavit, propriis operibus ſupplicat, & quæ paulo ante ſcalpebat & incidebat, hæc eadem, perfecto opere, deos ſalutat. Atqui ſi illa admiratione digna erant, cælatoris ſane artem laudare & admirari, non autem quæ ficta erant fictori præferre decebat. Siquidem non materia artem, ſed ars materiam ornavit & deum fecit. Multo igitur æquius erat ab illis coli artificem quam ea quæ ipſe fecerat, tum quia ipſe diis illis arte factis tempore prior eſt, tum quia, ut voluit, ſic illi effecti ſunt. Nunc vero rejecta æquitate, ſcientiaque & arte poſthabitis, ea adorant quæ ſcientia & arte effecta ſunt: cumque ipſe homo illorum auctor moriatur, ea quæ ab illo facta ſunt, tanquam immor-

talia colunt, quibus utique nisi assiduam curam adhibuerint ex sua certe natura tempore interitura sunt. Qui porro miserandi non sunt vel ea de causa, quod ipsi videntes, res quæ non vident adorent: ipsi audientes, rebus quæ non audiunt supplicent: ipsi denique cum sint homines anima & ratione ex sua natura præditi, illos qui nullo plane modo moventur, sed inanimati sunt, tanquam deos honorent: & quod stupendum est, quos ipsi in sua potestate habent & custodiunt, iis ut dominis serviant? Nec vero putes hæc a me temere vel falso dicta fuisse: nam horum omnium fides etiam oculis obvia & exposita est, volentique licet hujusmodi spectacula cernere.

Psal. 113. 12. vel 115. v. 4. secundum textum Græcum.

14. Gravius autem de his testimonium suppeditat divina Scriptura, quæ id nos jampridem his verbis edocuit: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Oculos habent, & non videbunt: os habent, & non loquentur. Aures habent, & non audient; nares habent, & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo. Similes illis fiant, qui faciunt ea.* Neque vero hic etiam desideratur Prophetæ incusatio, sed illos Spiritus sanctus hoc modo coarguit & refellit: *Erubescent qui Deum fingunt, & quicumque vana sculpunt: & omnes unde facti sunt, aruerunt, & muti ab hominibus congregentur universi, & stent simul, pudore & rubore suffusi; quia faber ferrum acuit, & securi illud elaboravit terebroque concinnavit, ac statuit illud brachio fortitudinis suæ: & esuriet & infirmabitur, neque aquam bibet. Lignum enim elegit faber, quod in mensura statuit, & glutine aptavit, ipsumque fecit tanquam viri formam, & ut pulcritudinem hominis, statuit illud in ædibus, quod ex sylva lignum cecidit, quod plantavit Dominus, & pluvia crevit, ut sit hominibus ad comburendum, & ex eo sumens calefactus est, & comburentes, panes eo coxerunt, reliquum vero in Deos figurarunt, quos & venerati sunt, cujus mediam partem igne combusserant. Media autem ejus parte carnem coxit, & comedit, eaque satiatus est, & calefactus dixit: Dulce mihi est, quod calefactus fuerim, & ignem viderim: reliquam vero partem adoravit dicens: Eripe me, quia Deus meus es tu. Nescierunt sapere, quia obscurati sunt, ne oculis videront, & corde intelligerent: neque secum homo cogitavit in corde suo, vel in anima sua, neque novit prudentia, quia mediam ejus partem igne combussit, & panes in illius carbonibus coxit, assatamque carnem manducavit, & quod reliquum ex eo fuit, in abominandum simulacrum formavit, quod & ipsi adorant. Scitote quia cinis cor eorum est, & errant, & nemo potest eripere animam eorum. Videte, nec dicetis, quia mendacium in dextra mea.*

Isaia 44. v. 10.

Quomodo itaque non ab omnibus impii esse judicandi sunt, quos impietatis aperte condemnat divina Scriptura? vel quomodo infelices & miseri non sunt, qui tam manifeste convincuntur res inanimas præ veritate colere? Quænam vero illis spes superest, quam, quæso, veniam sperare possunt, qui rebus ratione & motu destitutis confidunt, quas loco veri Dei venerari non dubitant?

15. Utinam enim, utinam saltem sine figura deos illis finxisset artifex, ne evidens propriæ stupiditatis argumentum haberent. Simplicium siquidem animos adducere potuissent, ut sensum idolis esse crederent, nisi signa sensuum uti oculos, nares, aures, manus & os immobilia haberent ad sentiendum. Nunc autem habentes non habent, stantes non stant, & sedentes non sedent. Neque enim hæc agendi vim habent, sed ut fictori placuit, ita manent & jacent, nullumque divinitatis indicium exhibent, sed inanima prorsus sunt solaque hominum arte existunt. Utinam quoque hujusmodi falsorum deorum prædicatores & vates, (poetas & historicos dico) deos illos esse satis habuissent scribere, nec eorum gesta litteris mandassent, quæ nempe illos minime esse deos, sed turpem vitam duxisse essent argumento. Namque vel solo divinitatis nomine veritatem surripere aut potius plurimos ab ea avertere potuissent. Jam vero cum Jovis amores & impuritates, cum corruptos ab aliis pueros, cum aliorum, præ sua in feminas libidine, suspiciones & sollicitudines, metus pavoresque ac alia vitia recensent, nihil aliud certe efficiunt quam ut videantur de diis se non solum non loqui, imo nec de probis hominibus, sed de turpibus omnis honestatis alienis commentitia narrare.

Variæ Infidelium rationes, quibus suos deos defendunt, futiles esse ostenditur.

16. At vero hic fortasse impii ad ingenium Poetarum confugient, ac contendent proprium Poetarum esse, ut ea quæ non existunt, comminiscantur & fabulas ad audientium voluptatem excogitent, quam ob causam eos ista de diis finxisse. Verum hancce illorum excusationem omnibus etiam aliis obsoletiorem & futiliorem esse ex his ipsis demonstrare licet, quæ ipsi de diis illis opinantur & prædicant. Si enim quæ poetæ narrant, commentitia & falsa sunt: falsa quoque Jovis, Saturni, Junonis, Martis aliorumque nomina fuerint. Siquidem, ut ipsi fatentur, forte ipsa etiam nomina ficta fuerunt, nec ullus omnino existit Jupiter vel Saturnus vel Mars: sed eos quasi existentes ad auditores decipiendos finxerunt poetæ. Atqui si poetæ res quæ non existant, fingunt, quare deos illos velut existentes colunt? An enim forte responsuri sunt nomina quidem non fingi, sed facta falso illis adscribi? At id etiam ad illorum defensionem nihilo tutius est. Nam si facta commenti sunt, plane & eorum nomina quorum facta esse scripsere, etiam sunt commenti. Vel si in vulgandis nominibus veraces sunt, eos quoque in factis enarrandis veraces esse necesse est. Præterea qui illos deos esse finxere, noverant utique quæ deos agere decet, neque unquam hominum notas diis affinxissent: uti nemo ignis effectum aquæ attribuerit, cum ignis vim comburendi habeat, aquæ autem frigida sit natura. Quapropter si facta digna sunt deorum, dii sane fuerint qui ista egerunt. Sin autem hominum & quidem non honestorum sit adulterari, aliaque quæ supra memoravimus scelera committere: homines proculdubio fuerint, non dii, qui illa patravere. Actus enim naturis congruere debent, ut & effectus auctorem testetur, & ex natura actus possit cognosci. Quemadmodum ergo si quis de aqua & igne disputare, eorumque effectus afferre vellet, nunquam profecto dicere auderet aquam comburere, & ignem refrigerare. Similiter si quis de sole & terra differere aggrederetur, neutiquam certe affirmaret terram illuminare, solem autem herbas & fructus producere: alioquin stupiditatem amentiamque omnem superaret. Ita si deos esse Jovem ceterosque alios certum habuissent illorum scriptores, ac præcipue omnium præstantissimus poeta, hujusmodi actus illis non adscripsissent, quibus eos non deos sed potius homines, homines inquam non sapientes, fuisse manifestum fieret. Vel si mentiti sunt poetæ, tuque illos falsi arguis, quare de Heroum fortitudine falsa dixisse non vis, nec pro fortitudine imbecillitatem, aut pro imbecillitate fortitudinem commentos esse? Nempe debuissent, uti de Jove & Junone commenti sunt, ita etiam Achillem ignaviæ insimulare & Thersitæ vires admirari, Ulyssis imprudentiam & stupiditatem insectari, Nestori insipientiam tribuere, Diomedi & Hectori muliebres actiones, Hecubæ vero fortitudinem

affin-

affingere. Siquidem, ut ipsi volunt, proprium Poetarum erat in omnibus fingere & mentiri. Atqui cum de hominibus quidem scripserunt, veritatem servavere: cum autem de iis, quos deos vocant, sermonem habuerunt, mendaces esse non sunt veriti. Nam id etiam forte aliquis illorum dixerit, falsa Poetas scribere, cum impudica deorum facta narrant: at cum eos laudant, cum Jovem patrem deorum supremumque ac Olympium & in cælis imperantem prædicant, illos nihil comminisci, sed vera dicere. Verum id responsi contra illos esse, non mihi soli, sed cuivis facile est ostendere, iterumque veritas iisdem argumentis, quæ jam supra attulimus, sese adversus eos tuebitur. Facta enim illos fuisse homines palam convincunt; sed laudes quibus eos efferunt, hominum naturam longe superant. Atqui utrumque horum secum pugnat: nam neque proprium est cælestium ista agere, neque qui hæc agunt, deos suspicari quis recte possit.

17. Quid igitur restat, quam ut intelligamus falsas quidem & adulationis ergo fictas fuisse laudes, facta autem vera esse? Idque ita esse ex vulgari more licet cognoscere. Nemo enim qui aliquem laudare aggreditur, ejus vitam vituperat: sed contra, quorum vita turpis est, ad vituperationem quæ inde sequi solet removendam, illos laudibus supra modum extollunt, ut & laudum magnitudine auditores decipiant, & illorum, quos laudant, nequitiam occultent. Itaque quemadmodum qui aliquem laudare instituit, si nullam vel in factis vel in moribus laudis materiam repererit, quippe cum nihil nisi turpe in his occurrat, alio commendandi genere uti cogitur, illique, quem laudat, ea quæ propriis meritis majora sunt attribuit: ita cum egregios illos Poetas deorum suorum turpitudinis puderet, nomen humana natura majus eis affinxere. Verum non intellexerunt se commentis, quæ in mortalium conditionem minime quadrant, humana illorum facta non obscurare vel abscondere, sed potius humanis eorum vitiis aperte demonstrare Dei notiones illis nequaquam congruere. Ego sane arbitror eos contra propriam mentem illorum vitia & facta enarrasse, sed cum incommunica-

Sap. 14. 21.

bile, ut loquitur Scriptura, Dei nomen & honorem, iis, qui non dii sed mortales homines fuere, adscribere studerent, quod magnum & gravissimum fuit flagitium: idcirco inviti illorum vitia compellente veritate exponere coacti sunt, ut ea scriptis exarata, posteris omnibus evidens argumentum essent, illos non esse deos.

18. Quid igitur superstitiosi respondebunt: quo argumento illos deos esse ostendent? Nam ex his, quæ paulo superius diximus, homines eos, & quidem turpes homines, fuisse probatum est. At enim eo forte postremum se vertent, ut, quæ illi vitæ hominum utilia invenere, magnifice jactent, asseverentque eam ob rem deos haberi, quia hominibus fuere utiles. Jupiter enim plastices sive artis

Immerito falsi dii ob inventas a se artes dii habiti sunt.

figlinæ auctor fuisse dicitur: Neptunus, nauticæ: Vulcanus, fabrilis: Minerva, textrinæ: Apollo; musicæ: Diana item venandi artem, vestes sive corporis ornatum Juno, Ceres agriculturam, aliique alias artes invenere, ut apud historicos legitur. Verum hæ & similes artes non illis solis sed communi hominum naturæ erant adscribendæ. Siquidem homines, diligenti naturæ contemplatione & observatione, artes inveniunt: hinc

Artes, naturæ observatione, inveniuntur.

in omnium ore est artem naturæ esse imitationem. Si ergo illi in his artibus, quibus navarunt operam, periti evaserunt, non idcirco dii sed potius homines existimandi sunt. Nec enim artes ab illis sunt profectæ: sed ipsi in artibus naturam imitati sunt. Nam cum homines, uti ex hominis definitione constat, natura sint scientiæ capaces: nil mirum, si illi humano ingenio in suam ipsorum naturam intuentes, ejusque percepta cognitione, artes excogitaverint. Porro si ob inventas artes deos eos merito nuncupandos esse contendant, restat ut & alii artium inventores eodem quo illi jure dii appellentur. Etenim litteras Phœnices invenere: Poesim heroicam, Homerus: Dialecticam, Zeno Eleates: Rhetoricam, Corax Syracusius: apum opera, Aristæus: frumenti sementem, Triptolemus: leges, Lycurgus Spartiates & Solon Atheniensis: litterarum ordinem & numerum mensurasque & pondera, Palamedes. Alii denique alias & varias res hominum vitæ perutiles, ut testantur historici, protulerunt. Igitur si scientia deos facit, atque ideo dii sculpti existunt: necesse omnino est illos quoque, qui postea aliorum artium auctores fuere, inter deos numerari. Vel certe si eos divinis honoribus dignos non judicant, sed homines esse agnoscunt: consequens est, ut nec Jupiter, nec Juno, nec alii, dii appellentur, sed vere homines fuisse credantur, eoque magis, quod probi non fuerint. Certe ipsi etiam idololatræ sculptis deorum simulacris nihil aliud eos quam homines esse declarant.

19. Quam enim, quæso, formam cælatores diis illis affingunt, nisi marium & fœminarum, imo rerum etiam longe viliorum, & quæ natura sua rationis sunt expertes, ut volucrum variarum, quadrupedum cicurum & ferocium, ac reptilium, quæcumque terra & mare ac universa aquarum natura producit? Nimirum cum homines belluarum insanos impetus ac libidines præcipiti lapsu secuti, nihil præter voluptates & carnis cupiditates ob oculos haberent: ut mentem in hisce pecudum vitiis defixam & occupatam tenebant, sic etiam in belluis pro affectuum varietate numen expresserunt, atque tot deos sunt fabricati.

Homines belluarum vitiis dediti illas idcirco deos fecerunt.

Hinc enim quadrupedum, reptilium & avium simulacra apud illos exstant, quemadmodum divinæ & veræ pietatis interpres his verbis docet: *Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & serpentium, propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Postquam enim animam, ut modo memini, voluptatibus belluarum propriis inquinarunt, ad hujuscemodi deos effingendos sunt inducti; hincque factum est ut Deo derelicto, jam veluti traditi, sese in illis flagitiis volutarint, & in rebus quæ rationis expertes sunt, Deum Rationis sive Verbi patrem exprimere ausi fuerint. Sane his de rebus convicti Ethnicorum philosophi & doctores, non eunt inficias hominum & belluarum formas ac figuras esse suos illos deos qui palam sunt expositi. Verum respondent ideo ita esse, ut Deus per has figuras ipsis det responsa atque appareat: nec enim eum, qui oculis videri non potest, aliter posse cognosci quam per hujusmodi simulacra & ceremonias. Alii vero præstantiores philosophi, altiora rati dicere, ajunt hæc facta & expressa fuisse ad divinos Angelos & Potestates invocandum & accersendum, ut per hæc simulacra apparentes, Dei cognitionem ipsos docerent; esseque hominibus instar litterarum, quarum lectione, divinis Angelis per illa advenientibus, Dei scientiam percipere possint. Sic illi inscite nugantur, non ut theologi loquuntur: absit enim ut ista theologorum dicantur. Verum si quis id responsi diligenter velit expendere, facile reperiet non minus falsam istorum opinionem esse, quam quæ supra a nobis refutata sunt.

Rom. 1. 21.

20. Ita

20. Ita enim eos aliquis velim, veritate judice, fidens interroget: Quonam modo Deus per hæc simulacra respondet & cognoscitur? An ob materiam ex qua constant, an ob formam quam habent? si ob materiam: quis ergo formæ usus, & cur, antequam hæc effecta essent, per quamlibet materiam se videndum Deus non præbebat? Frustra quoque templa muris muniunt; lapidemque unum, aut lignum, aut aliquam auri partem in his includunt, cum universa terra hujusmodi rebus sit plena. Si vero imposita forma divini adventus causa est, quis usus materiæ auri aliarumve rerum? cur non potius per ipsa vera animalia, quorum effigies sunt simulacra, Deus appa- B ret? Dignior siquidem de Deo opinio eadem de causa haberetur, si per animalia viventia sive ratione prædita sive rationis expertia appareret, neque in inanimis & immobilibus conspiciendus exspectaretur. Summam enim impietatem adversus seipsos committunt, qui cum vera animalia, quadrupedes, aves & serpentes seu ob feritatem seu ob fœditatem fugiant & abhorreant, horum tamen formas lapidibus, lignis & auro insculptas deos faciant. Convenientius sane erat ipsa viventia quam eorum formas coli. At forte neutrum horum, nempe neque forma, neque materia Dei adventus causa est: sed sola ars cum scientia conjuncta C divinum numen evocat, quippe cum ipsa sit naturæ imitatio. Sed si propter scientiam & artem Deus ad simulacra accedit, quis rursus materiæ usus, cum ars & scientia in hominibus resideant? si enim prorsus propter artem apparet Deus, & idcirco simulacra tanquam dii coluntur: ipsi profecto homines artis auctores multo magis venerandi & colendi erant, quod ratione sint præditi scientiamque & artem io seipsis habeant.

21. Ad alteram autem & sublimiorem eorum responsionem hæc reponenda arbitror: si non ut ipse Deus, sed ut Angeli illic appareant, ista, o Genti- D les, fabricati estis: cur simulacra per quæ Potestates invocatis, iisdem quas invocatis Potestatibus pluris facitis? Vos enim qui Dei cognoscendi gratia has figuras scalpere dicitis, ipsius Dei honorem & nomen his ipsis simulacris imponitis, quod profecto impium & sacrilegum est. Nam vos ipsi qui divinam Potestatem simulacrorum tenuitate longe præstare fatemini, eamque ob causam per illa non audetis ipsum Deum, sed inferiores tantum Potestates invocare: vos, inquam, ipsi, illis prætermissis, cujus præsentiam formidabatis, hujus nomen lapidibus & ligois imposuistis, quæ Deos nomina- E re divinisque honoribus afficere non veremini, cum vere oihil nisi lapides & artificium hominum debeant appellari. Enimvero, si ut mentimini, hæc vobis instar litterarum sunt ad Deum contemplandum: æquum certe non est res significantes his quas significant anteferre. Neque eoim si quis scriptum Imperatoris nomeo ipsi Imperatori prætulerit, id impune facturus est: sed ille quidem morte mulctabitur; scriptum autem nomen nihil utique aliud nisi scribeotis opus erit. Ita, si vobis sana mens esset, tam augustum divinitatis insigne numquam materiæ attribuissetis, neque scalptum simulacrum scalpenti ho- F mini anteponere ausi fuissetis. Tametsi enim instar litterarum Dei præseotiam significant, atque idcirco ut Dei signa divinitate digna judicantur: nihilominus artificem qui illa cælavit & insculpsit, Deum fieri longe erat convenientius, utpote qui illis sit potentior & divinior, cum illa ad ejus arbitrium edita & insculpta fueriot. Si igitur litteræ sunt admiratione dignæ, multo sane magis ipse scriptor propter suam artem & animæ scientiam ast admirandus. Quocirca si ea causa nulla est cur dii existimentur, eos iterum de Idolorum insa- A oia percunctari placet, ut causam hujusmodi illorum figuræ nos tandem docere ne graventur.

22. Nam si idcirco numeo cum humana effigie expressum est, quia homiois formam habet: quare belluarum speciem eidem affingunt? sin autem animalium ratiooisexpertium formam habet: cur figuram animalium ratione præditorum ipsi tribuunt? si vero utrumque simul est, & Deum ex utraque specie compositum hominumque & belluarum formis indutum concipiunt: cur conjuncta disjungunt, belluarumque & hominum formas separant, neque illum semper cum utraque forma cælant, cujusmodi plurima sunt fabula- B rum commeota, ut Scylla, Charybdis, Hippocentaurus, & apud Ægyptios canino capite Anubis? siquidem vel cum duplici tantum natura pingendi erant: vel si formam unicam habent, alia ipsis affingenda non erat. Rursus si marium formas habent, cur fœminarum lineamenta illis attribuunt? si autem fœminarum habent formas, cur marium figuras eis affingunt? si porro utrumque simul sunt, non dividere sed utrumque conjungere oportebat, similesque fingendi erant his, quos hermaphroditos appellant, ut nempe tam stulta superstitio non solum impietatem & infamiam præ se ferret, sed etiam risum spe- C ctatoribus moveret. Quod si demum numen corporeum esse suspicantur, ventremque & manus, pedes, cervicem, pectus aliaque ad generandum necessaria membra habere fingunt & comminiscuotur: vide in quantam impietatem mens illorum ceciderit, ut hæc de Deo cogitent. Inde enim sequitur cetera etiam, quæ corporis propria sunt, hujusmodi numen omnino pati, adeo ut secari, dividi prorsusque corrumpi possit. Certe hæc & alia similia noo propria Dei sunt, sed potius tarrestrium corporum. Deus enim nec corporeus est, nec corrumpi vel mori potest, nullaque re ad ullum usum indiget. Hæc autem & corrumpuntur, D & corporum sunt effigies, hominumque cura & industria, ut supra diximus, opus habent. Hinc non raro cernimus illa ob vetustatem renovari: vel si tempore, pluvia, aut alicujus terrestris animalis injuria labefactata fuerint, iterum effingi. Quare merito stultitiæ sunt condemnandi, qui illos, quorum ipsi effectores sunt, deos esse prædicare audeant: qui quos sua arte curant ne corrumpantur, ab his salutem efflagitare non dubitent: qui quos sua opera egere non ignorant, ab illis suam indigentiam expleri precentur: qui denique quos in parvis ædiculis concludunt, illos cælorum E & terræ universæ dominos appellare non erubescant.

Deus corporeus esse non potest.

23. Verum non ex his tantum illorum impietatem discere possumus, sed etiam ex opinioonum discordia, quas ipsi quoque de idolis habent. Si eoim, ut prędicant & philosophantur, illi vere dii sunt, cuinam quæso, horum sa addicet homo, quosnamve potentiores judicabit, ut vel Deum cum fiducia adoret, vel nihil, ut ajunt, in cognoscendo numine hæsitet? Nec enim iidem apud omnes nominantur dii: sed quot fere sunt gentes, tot etiam dii confinguntur. Quio etiam videre licet unam eamdemque regionem & civitatem cum F seipsa circa idolorum superstitionem dissidere. Hinc Phœoices deos, quos Ægyptii colunt, ignorant: & contra Ægyptii non eadem idola ac Phœnices venerantur. Nec Scythæ Persarum, nec Persæ Syrorum numina admittunt. Pelasgi quoque Thraciæ deos reprobant, & Thraces Thebanorum. Indi cum Arabibus, Arabes cum Æthiopibus, & Æthiopes cum illis de idolis dissentiunt. Syri Cilicum deos non colunt: Cappadoces item alios deos præter istos agnoscunt. Bithyni similiter alios, aliosque Armeni deos sibi finxere. Quid multa? Qui in continenti habitaot alios deos quam hi qui insulas colunt, venerantur;

Variæ & contrariæ infidelium de falsis diis opiniones, eos deos non esse argumento sunt

& vi-

& vicissim, qui in insulis manent, alios, quam qui in A continente, deos admittunt. Denique singulæ civitates & vici, deos vicinorum nesciunt, suosque aliis anteponunt, atque hos solos deos esse arbitrantur. Nam quod ad abominandos Ægyptiorum ritus pertinet, dicere nihil necesse est, cum nmnium nculis pateat diversas ac inter se pugnantes religiones civitatum esse, vicinosque contraria vicinis semper colere studuisse. Hinc crocodilus, quem alii tanquam deum adorant, apud vicinos execrationi est. Leo etiam quem alii ut deum colunt, a finitimis non solum non colitur, sed inventus tanquam fera occiditur. * Piscis item quem alii inter numina referunt, ab aliis idem io cibum capitur. Inde B sane bella, seditiones, crebræque cædium occasiones inter eos exoriuntur: hinc omnes libidines apud illos vigent. Ceterum illud in primis admirationem movere debet, quod cum Pelasgi, ut historici narrant, deorum nomina ab Ægyptiis didicerint, Ægyptiorum deos iidem non agnoscant, sed alios plane venerentur. Tandem, ut summatim dicam, omnium gentium quę stulte idola colunt, multiplex opinio & religio est, neque eadem apud nmnes reperiuntur: quod utique non immerito illis cootigit. Quia enim ab unius Dei cootemplatione recessere, ea causa fuit cur in multa & diversa C præcipites abierint; mentemque in varia distractam ii justissime habent, qui se a vero Patris Verbo, omnium servatore Christo removerunt. Nam quemadmodum qui solem fugiunt & in tenebricosis locis versantur, multas incultas vias circumeunt, præsentesque non vident, & absentes adesse arbitrantur: uno verbo, videntes non vident; ita certe qui se a Deo averterunt atque animo obcæcati sunt, mentem agitatam ac vacillaotem habent, & res quæ nullæ sunt, tamquam qui sunt ebrii & nihil vident, cogitatione fingunt.

In tam diversos & pugnantes de diis errores homines merito lapsi sunt, quia ab unius Dei contemplatione recesserant.

24. Hæc porro non levi sunt argumento nullos vere deos ab illis agnosci. Nam cum per urbes ac D regiones plurimi diversique sint dii, alterque alterius deum tollat & repudiet: efficitur profecto ut nmnes ab omnibus rejiciantur. Etenim qui apud alios putantur dii, deorum quos alii colunt fiunt victimæ, & hostiæ: & vicissim aliorum victimæ, dii aliorum sunt. Ægyptii quippe bovem & Apim qui vitulus est, venerantur: at alii istos Jnvi immolant. Nam quamvis illos ipsos, quos Ægyptii inter deos referunt, noo immolent: tamen cum horum similes sacrificent, eosdem nfferre videntur. Libyæ quoque populi nvem sive arietem, quem Ammonem vocant, deum habent: at E idem ab aliis, ut victima, multis immolatur. Indi Bacchum colunt, quem vinum ænigmatice appellant, quod ipsum aliis alii libant. Alii fluvios & fontes, & maxime Ægyptii, aquam ceteris rebus præferunt deosque agnoscunt. Alii nihilominus, atque ipsi etiam Ægyptii qui hæc colunt, suas aliorumque sordes aquis abluunt, & quod inde reliquum est cum contemptu projiciunt. Denique universa fere Ægyptiorum idolnlatria, aliorum diis fit victima, adeo ut ipsi non parum ab illis derideantur, quod res, quæ dii non sunt, sed quæ apud alios atque etiam apud ipsos piacula F & victimæ habentur, inter deos numerent.

Aliorum dii diis aliorum immolantur.

25. Quio etiam nnnnulli eo impietatis & insaniæ venere, ut ipsos quoque homines, quorum illi dii simulacra & imagines sunt, suis falsis diis immolent & tamquam hostias offerant. Nec advertunt miseri victimas quas jugulant, deorum quos effinxere ac venerantur, & quibus homines immnlant, archetypa sive exemplaria esse. Propemodum enim similia similibus, vel potius præstantiora deterioribus immolanda offerunt. Nam animata inanimis, & ratione prædita, motu & sensu carentibus sacrificant. Siquidem Scythæ, qui Tauri dicuntur, illi, quam ** Virginem appellant, naufragos & quotquot ex Græcia cœperint in sacrificium nfferunt; qua adeo immani impietate in homines sui similes commissa, suorum deorum crudelitatem palam produnt, qui nempe quos providentia ex maris periculis eripuit, hos ipsi jugulant, atque ita providentiæ videntur obsistere, cujus beneficium sua crudelitate occultant & irritum faciunt. Rursus alii ex bello, victoria reportata reversi, captivos in centurias distribuunt, e quibus singulis unum seligunt, totque Marti immnlant, quot ex qualibet centuria delegerint. Verum non soli Scythæ pro innata barbaris feritate, res hujusmodi execrandas peragunt: sed idolnrum & dæmonum propria hæc sunt facinora. Nam Ægyptii etiam similes victimas Junoni quondam immolabant. Phœnices quoque & Cretenses liberorum cædibus Saturnum sibi propitium reddere conabantur. Prisci item Romani Latialem, ut vocant, Jovem humanis hostiis colebant. Denique alii aliter omnesque prorsus polluebant & polluebantur. Ipsi, inquam, propriis polluebantur homicidiis, sua autem templa talium sacrificiorum fumo & suffimentis polluebant. Ex his sine dubio quam plurima mala hominibus sunt exorta. Nam cum suos deos illis rebus oblectari cernerent, eos statim similibus peccatis & flagitiis sunt imitati, rem egregiam se facturos confidentes, si, ut putabant, potiora, sive deorum, exempla sequerentur. Inde nec homicidia, nec liberorum cædes horruere: inde se totos omnibus libidinibus dedere. Siquidem nulla fere est civitas, quæ ob morum similitudinem, quam cum suis diis habere gestit, nmni luxuriæ genere non redundet: nec apud idololatras ullus probus est, nisi cujus libidines testatæ & manifestæ sunt.

Eo infaniæ devenere infideles ut etiam homines diis fuis immolarent.

Flagitiosa falsorum deorum exempla homines ad similia agendum induxere.

26. Sane olim Phœniciæ mulieres in idolorum templis prius prostabant, suique meretricii quæstus primordia diis, qui illic colebautur, consecrabant; suam deam stupris propitiam reddi, benevolamque hoc pacto effici ratæ. Viri quoque propriam ementiti naturam, nec amplius mares se esse patientes, in feminas se converterunt, pergratam & honorificam matri deorum se ita facturos arbitrati. Omnes denique una cum perditissimis vivunt, & secum ipsi pugnant ut pejores quotidie evadant, atque ut dixit sanctus Christi minister Paulus, *Feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes*. Hæc autem & similia agendo, fatentur certe & arguunt deos, quos ipsi colunt, hujusmodi vitam duxisse. scilicet ex Jove puerorum corruptiones atque adulteria, ex Venere meretriciam vitam, ex Rhea luxuriam, ex Marte cædes, ex aliis alia similia didicere, quæ quidem cum leges puniunt, tum probi homines abhorreot. Num igitur dii haberi digni sunt qui ista agant? An noo potius præ morum perversitate ac luxuria bestiis deterinres sunt cen-

Rom. 1. 26.

* Haud ab re erit hic referre quod habet Xenophon Cyri Anabas. lib. 1. scilicet Cyrum venisse ἐπὶ τὸν Χάλον ποταμὸν, ὄντα τὸ εὖρος πλέθρου, πλήρη δ' ἰχθύων μεγάλων καὶ πραέων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον, καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων, οὐδὲ τὰς περιστεράς. id est, Cyrum venisse ad fluvium Chalum, cujus latitudo jugeri est, quique magnis & cicuribus piscibus plenus est, quos Syri deos esse existimabant, nec eis ullam injuriam fieri patiebantur, uti nec columbis.

** Diana hoc nomine indicatur, quam Tauricam quoque vocat Clemens Alexandrinus admonit. ad Gentes. Vide item Euseb. præpar. Euang. lib. 4. c. 16.

censendi? Num qui illos colunt, digni sunt qui homines existimentur? An non potius, ut belluis stupidiores & ut inanimis rebus magis inanimi, miseratione sunt digni? Si enim suæ ipsorum * animæ mentem tantisper considerassent, in hæc toti præcipites non ruissent, nec verum Christi patrem Deum negarent.

Illi refelluntur qui solem, lunam, ceterasque mundi partes deos esse putaverunt.

27. At forte qui inter eos sapientiores videri volunt, & rerum creatarum admiratione tenentur, nostris argumentis multo cum pudore evicti, non ibunt inficias hæc ab omnibus facile confutari & redargui posse: sed tutam & invictam sibi illam esse opinionem autumabunt, qua adducuntur ut mundum mundique partes colant; atque in eo gloriabuntur, quod non lapides, ligna, hominumque & animantium, volatilium reptiliumve seu quadrupedum formas venerentur, sed solem, lunam, cunctumque cælestem mundum, nec non terram & universam aquarum naturam. Imo nec contendere dubitabunt neminem ostendere posse res illas non esse natura deos: cum omnibus manifestum sit, ea neque inanima neque ratione vacua, sed etiam hominum natura superiora esse, eo quod ipsa in cælis, hi in terris habitent. Itaque hæc a nobis discuti & examinari par est. Nec enim dubito quin in his quoque firmissimum contra illos argumentum reperturi simus. Prius vero quam id dispicere & demonstrare ordiamur, satis profecto fuerit ipsam rerum naturam adversus illos propemodum clamare, suumque effectorem & auctorem Deum, sui ac totius universi rectorem Domini nostri Jesu Christi patrem aperte testari: quem injuste admodum rejiciunt falsi sapientes, qui naturam ab ipso conditam adorant & Deum habent: quamvis ipsa quoque adoret & Dominum confiteatur, quem illi ejus causa respuunt. Sane quotquot partes universi admirantur, easque totidem deos esse existimant, ex mutua ipsarum inter se necessaria ope præclare possunt coargui. Id enim illarum dominum & effectorem Verbi patrem, invicto imperio & præscripto, quo ei obediunt, egregie significat & indicat, ut etiam lex divina bis verbis docet: *Cæli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. Nec vero occulta & abstrusa est hujus rei fides, sed admodum clara & perspicua his qui mentis oculum non omnino obcæcatum habent. Si quis enim naturæ partes sigillatim circumspiciat, & singulas seorsum consideret, ut solem solum, vel solam lunam, itemque terram & aerem, nec non calidam ac frigidam, siccamque & humidam naturam; si quis, inquam, mutuam rerum illarum inter se conjunctionem dissolvat, singulasque separatim accipiat & contempletur: nullam omnino sibi ipsi satis esse, sed omnes mutua ope indigere, hocque mutuo auxilio consistere inveniet. Sol enim una cum universo cælo circumfertur eoque continetur, nec unquam extra proprium circulum egreditur. Luna vero aliaque astra quantum ex sole pendeant, palam testantur. Terram quoque sine pluviis fructus nullos edere cernimus. Rursus pluviæ sine nubium subsidio in terram decidere non queunt. Nubes autem sine aere per se consistere nunquam videas. Aer item non a seipso sed ab æthere calorem, & lumen a sole mutuatur. Nec etiam fontes nec fluvii remota terra per seipsos constant. Nec terra se sua vi fulcit, sed aquarum natura sustinetur, atque in medio universi constricta tenetur ac circumsidetur. Mare similiter, quique universam terram extrinsecus undique alluit magnus oceanus, a ventis movetur & fertur quocumque vis illorum impulerit. Ipsi porro venti non per seipsos, sed, ut docent qui hæc tractant, ex ardore & calore orti quem ab æthere aer recipit, in ipso aere consistunt, ac per eum flant ubique. Nam quod ad quatuor elementa pertinet, nempe calidum & frigidum, siccum & humidum, ex quibus corporum natura componitur, quis adeo mente captus est, ut nesciat hæc simul quidem conjuncta consistere, divisa vero & separata jam sese invicem, prout quodque superius fuerit, destruere. Calor enim redundante frigore extinguitur: frigus vicissim vi caloris evanescit. Siccitas rursus humore madesit: & humor siccitate exhauritur.

Psal. 18. 1.

Necessaria est partium mundi inter se conjunctio, nullaque est quæ alterius non indigeat.

28. Qui igitur fieri potest ut res illæ dii fuerint, quæ mutua ope indigent? vel quo pacto aliquid ab eis petere possumus, quæ mutuam ipsæ exigunt operam? Namque si omnium consensu constat Deum nulla re indigere, sed solum sibi satis esse seque ipso plenum esse, omniaque in illo consistere, imo ipsum omnibus dare ut consistant: qua, quæso, ratione solem & lunam aliasque creatæ naturæ partes, quæ tales utique non sunt, sed mutuo auxilio opus habent, deos appellare æquum est? At forte divisa illa & seorsim sumta aliis indigere fatebuntur, quod id omnium oculis pateat: verum omnia simul conjungentes ac velut unum ingens corpus ex his componentes, totum illud Deum esse respondebunt. Toto quippe constituto, nulla amplius re externa illis opus erit, sed totum sibi ad omnia satis erit & sufficiet. Hæc, inquam, effutient falsi sapientes, ut nempe hac etiam ex parte possint redargui. Nam ex hoc responso non minus quam ex his quæ supra dicta sunt, summam eorum impietatem atque inscitiam demonstrare licet. Si enim singulæ partes simul conjunctæ totum efficiunt, totumque ipsum ex singulis partibus componitur; igitur totum ex singulis partibus constat, quæ singulæ, totius partes sunt. Atqui id Dei notionibus maxime est alienum; Deus enim totum, non partes est: neque ex diversis rebus constat; sed ipse constitutionis rerum omnium auctor est. Adverte autem quam impia proferant, qui ita de Deo loquuntur. Enimvero si Deus ex partibus constat, sane sibi ipse dissimilis, atque ex dissimilibus completus videbitur. Nam si sol est, luna non est. Si luna est, terra non est: si terra est, non est mare: denique si singulas mundi partes percurramus, quam hæc illorum ratio absurda & inepta sit, statim patebit. Idem autem ex humani quoque corporis consideratione potest refelli. Ut enim oculus non est auris: nec auris, manus: nec venter, pectus: nec cervix, pes: sed singula illa propriam habent efficientiam, ex quibus diversis unum corpus constituitur, quod usu quidem conjunctas habet partes, sed quæ tunc disjungentur, cum natura, quæ illas copulavit, easdem Dei jussu separabit: Ita (sed ipse Deus dicenti ignoscat) si creatæ naturæ partes in unum corpus coagmentatas, Deum appellant: necessarie sequitur eum in seipso sui esse dissimilem, ut ostensum est, ac præterea dividi, quandoquidem partes ex natura dividuæ sunt.

Deus nulla re indiget, sed solus sibi sufficit est, & seipso plenus.

29. Verum alia quoque ratione, si veritatem consulamus, illorum impietatem haud difficile erit convincere. Nam si Deus incorporeus est, si nec videri nec tangi natura potest: cur ergo Deum corpus esse excogitant, resque, quas oculis videmus & manibus contrectamus, divino cultu prosequuntur? Rursus, si verum est Deum omnipotentem esse, eumque a nulla re superari sed omnia vincere & tan-

quam

* Sic, uti in Græco est, vertimus, quia S. Athanasius, ut complures alii, mentem ab anima distinguebat.

quam Dominum regere: quare qui creatam naturam Deum faciunt, hanc Dei definitionem illi minime convenire non attendunt? namque cum sol subter terram est, quominus ejus lumen videatur, terræ umbra impedit. Lunam autem sol ipse lucis suæ fulgore per diem abscondit. Terræ item fructus non raro grando lædit: ignis vero aqua inundante extinguitur. Hyemem similiter ver propellit: æstas ver transgredi terminos non sinit, & vicissim autumnus æstatem intra proprios limites sistere cogit. Itaque si dii essent, nequaquam se invicem vincerent & absconderent, sed potius semper simul invicem esse, communesque effectus una producere par esset. Oporteret ergo per dies & noctes solem simul & lunam ceteraque sidera par lumen habere, idque omnibus lucere, ac res universas ab illis collustrari. Oporteret æstatem simul & hyemem, ver atque autumnum, absque vicissitudine, una persistere. Oporteret mare cum fontibus commisceri & communem hominibus potum præbere. Oporteret aerem simul tranquillum esse & ventis agitari. Oporteret denique ignem simul & aquam unius ejusdemque usus esse hominibus. Nullum siquidem ex his detrimentum oriretur, si, ut putant, dii essent; qui proinde nihil nocendi causa sed potius nihil nisi quod utile foret agerent. Si vero hæc ob mutuam inter se oppositionem simul jungi non queunt: qui fieri potest ut res illæ, quæ inter se contrariæ sunt & pugnant, nec invicem consistere possunt, dii adhuc nominentur, vel eis divini honores tribuantur? Quæ item discordi inter se sunt natura, quomodo aliis precantibus, pacem præbere concordiæque auctores esse queunt? Merito igitur neque sol, neque luna, neque alia pars naturæ creatæ, ac proinde multo magis neque ex lapide aurove seu ex alia materie conflata simulacra, neque etiam qui poetarum fabulis celebrantur Jupiter, Apollo ceterique similes, dii esse censendi sunt, uti demonstravimus: sed alii ex hujusmodi diis partes sunt naturæ creatæ, alii res sunt inanimæ, alii homines mortales dumtaxat fuere. Unde qui illos colunt & inter Deos collocant, non pietatem, sed summam impietatem profitentur, maximique erroris, quo ab unius & solius veri Dei, Christi scilicet patris cognitione recessere, certissima dant indicia. Quapropter quoniam hæc ita a nobis refutata sunt, ostendimusque infidelium idololatriam omni impietatis genere repleri, neque ad bonum sed ad perniciem humanæ vitæ introductam fuisse: age, ut initio promisimus, repulso errore, viam veritatis jam ineamus, & ducem atque opificem mundi, Patris Verbum contemplemur, ut per ipsum, ejus quoque patrem Deum cognoscamus, intelligantque Gentiles quam procul seipsos a veritate removerint.

Pars altera hujus operis in qua solum Deum, quem Christiana religio colit, verum esse ostenditur.

30. Omnia quidem illa quæ supra refellimus, nihil aliud esse ostensum est quam erroris tenebras vitæ hominum offusas. At via veritatis ad Deum verum tendit: ad quam cognoscendam & certo perspiciendam non aliis quam nobis ipsis opus habemus: neque, ut est ipse Deus supra omnia, ita via, quæ ad illum ducit, foris & procul a nobis est: verum in nobis ipsis est, ejusque initium haud est difficile a nobis reperire, ut & Moyses his verbis docuit: * *Verbum fidei intra cor tuum est.* Quod idem Salvator declaravit & confirmavit dicens: *Regnum Dei intra vos est.* Quia enim intus in nobismet ipsis fidem regnumque Dei habemus, facile possumus universitatis rectorem, Patris salutare Verbum intelligere & contemplari. Nec

Deutero. 30. 14.

Luc. 17. 21.

A vero hic excusatione utantur Gentiles idololatræ, nec quivis alius seipsum perperam decipiat, quasi hujusmodi via caruerit, ac proinde justam impietatis causam habuerit. Siquidem omnes in eam viam sumus ingressi, omnes eam habemus, licet non omnes illam sequi & pergere, sed plerique, externis vitæ voluptatibus allicientibus deserere velint. Si quis vero interrogaverit, quænam tandem illa sit via: unius cujusque animam & animæ mentem esse respondeo. Sola enim mente Deum contemplari & intelligere valemus: nisi forte, quemadmodum Deum esse negant impii, ita animam quoque se habere inficien-
B tur: quod quidem verisimilius quam cetera dixerint. Nec enim mentem habentium est, mentis auctorem & opificem Deum negare. Itaque rudium hominum gratia paucis ostendere necesse est singulis hominibus esse animam ratione præditam, præsertim cum id negent nonnulli hæretici, qui hominem nihil amplius esse arbitrantur quam corporis externam speciem: ut nimirum ea re a nobis demonstrata, ipsi evidentius adversus idola argumentum per seipsos habere possint.

Via per quam veri Dei cognitionem consequi possumus, non procul a nobis, sed in nobis ipsis est, hæc enim uniuscujusque anima & mens animæ est.

C 31. Primum ergo nec parvum indicium est, hominum animam ratione præditam esse, quod a belluis, quæ rationis sunt expertes, differat. Si quidem idcirco belluas animalia irrationalia appellare natura consuevit, quia hominum genus rationale est. Deinde, nec illud etiam ad id probandum levi est momento, quod solus homo res absentes & extra se positas animo & cogitatione comprehendat, quod eadem secum sæpius examinet ac perpendat, idque quod inter ea, quæ cogitat, sibi melius visum fuerit, judicio eligat. Nam belluæ sola præsentia cernunt, & ad ea tantum,
D quæ ante oculos sunt posita, impetu feruntur, etiamsi postea damnum aliquod sequatur. At homo non ita ad ea quæ videt, cum impetu rapitur: sed ratione & cogitatione ea, quæ oculis cernit, dijudicat. Itaque sæpe incitatus, ratione retinetur: & ea, quæ cogitavit, iterum recogitat. Denique quisquis veritatis amator est, hominum mentem aliam omnino esse a corporis sensibus se in seipso sentire fatebitur. Quia ergo mens alia est a sensibus, sensuum ipsa judex est, & quæ illi apprehenderint, ipsa discernit & reminiscitur, quidque melius fuerit, illis commonstrat. Namque oculorum est tantum videre:
E aurium, audire: oris, gustare: narium, olfacere: manuum, tangere; sed quæ videre, audire, tangere, gustare & olfacere conveniat, non sensuum sed animæ ejusque mentis est dijudicare. Manus quidem gladium accipere, & os venenum gustare potest: sed hæc nocere nescit, nisi mens discernat. Ut autem rem aliqua comparatione & imagine illustremus, id nobis simile videtur lyræ apte dispositæ, & musico qui ea cum arte utitur. Nam ut in lyra nervi singuli proprium sonum habent, alius gravem, acutum alius, alius medium, alius acutissimum, alius denique alium, quorum omnium concentus & compositio nisi
F a viro hujus artis perito distingui & discerni non potest; tunc enim suavem harmoniam & gratissimum concentum efficiunt, cum is, qui lyram tenet, nervos pulsat, & singulos apte tangit. Eodem modo, sensibus in corpore instar lyræ dispositis, cum perita mens illis præiverit, tunc discernit & novit anima, quid faciat, quidve agat. Id autem hominum dumtaxat est proprium, ipsaque est animæ facultas ratiocinandi, qua

Humanam animam rationis esse participem, & a corporis sensibus distinctam, variis argumentis probatur.

Mens animæ, ejus est facultas ratiocinandi.

* Hic locus est ex Deuter. 30. 14. ubi legitur ἐγγύς σου ἐστὶ τὸ ῥῆμα σφόδρα ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου. *Juxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo.* Et Rom. 10. 8. ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου, τοῦτ' ἔστι, τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως ὃ κηρύσσομεν. *Prope est Verbum in ore tuo & in corde tuo, hoc est, Verbum fidei quod prædicamus.*

qua utendo differt illa a belluis, & se diversam esse ab exteriore corporis specie manifeste testatur. Hinc homo sæpe jacente in terra corpore, cælestia cogitat & contemplatur. Sæpe item nihil agente, quiescente & dormiente corpore, iotus homo movetur resque extra se positas intuetur, remotas regiones petit & peragrat, amicis notisque occurrit, nec raro per hæc, quid per diem acturus sit prænoscit & præsagit. Quid vero aliud id esse potest, quam anima rationis particeps, qua homo ea quæ supra se sunt cogitat & intelligit?

32. Sed & illud quoque ad penitus coercendam eorum impudentiam, qui animam ratione privant, addere juvat: Qui fit ut cum corpus natura mortale sit, homo de immortalitate cogitet, sæpeque mortem virtutis amore expetat? Qui fit ut, cum corpus per aliquod tantum temporis spatium duret, æterna homo meditetur, atque idcirco præsentia contemnat, & ad bona illa futura tendat desiderio? Certe ipsum corpus nihil tale de seipso, nec res extra se positas potest cogitare. Namque mortale est, nec nisi per aliquod tempus durat. Necesse est autem illud quod cootraria naturæ corporis cogitet, aliud esse a corpore. Quidnam porro illud fuerit, oisi anima rationalis & immortalis? Nec enim foris sed intus ipsa corpori, ut musicus lyræ, quod melius congruerit, sonat. Enimvero quare cum oculus ad videndum natura aptus sit & auris ad audiendum, alia tameo refugiunt, alia eligunt? Quis enim oculum a videndo avertit? vel quis aurem, cui naturalis est audiendi facultas, ab audiendo arcet? Quis gustatum ad gustandum ex natura idoneum sæpe a naturali appetitu refrænat? Quis item manum ex natura ad agendum aptam ab aliquibus rebus tangendis cohibet? Quis odoratum ad odorandum factum ab odorando continet? Quis, inquam, ista omnia contra naturam corporis efficit? Qui fit ut corpus ab eo quod sibi naturale est abhorreat, & alius consilium sequatur atque ad ejusdem nutum regatur? hæc sane omnia nihil aliud probant quam animam rationalem corpori præsidere. Nec enim seipsum corpus potest impellere, sed ab alio agitur & fertur, uti neque equus seipsum regit, sed ab equite regitur & agitatur. Eam ob rem leges boni agendi & mali fugiendi hominibus datæ sunt. At belluæ nec expendere nec discernere mala queunt, utpote quæ ratiocinandi & cogitandi facultatis sint expertes. Itaque ex his quæ supra dicta sunt probatum fuisse arbitror homines anima rationali esse præditos.

Animam rationalem immortalem esse ostenditur.

33. Eamdem vero immortalem quoque fuisse factam necesse est in ecclesiastica schola non ignorari, quo evidentius appareat idola plane esse deturbanda. Id porro facilius & propius, ex corporis cognitione, ejusque & animæ differentia percipere licebit. Enimvero si ut nostra oratione ostendimus, diversa illa est a corpore; cum corpus natura mortale sit, necesse est animam immortalem esse utpote quæ corpori non sit similis. * Præterea, si anima corpus movet, ut ostensum est, nec ipsa ab aliis movetur, sequitur a seipsa moveri animam, atque etiam post corporis interitum eam iterum a seipsa moveri. Nec enim anima moritur, sed ejus discessu corpus moritur. Itaque si ipsa a corpore moveretur, recedente movente, necessario moreretur. Sed si anima movet corpus, ipsam a seipsa moveri prorsus necesse est. Quia ergo ipsa seipsam movet, necessario sequitur eam etiam post corporis mortem vivere. Siquidem animæ motus nihil aliud est quam ejusdem vita: quemadmodum quoque corpus tunc vivere dicimus, cum movetur: & mortuum esse, cum moveri cessat. Id autem ex his, quæ in corpore ipsa agit, clarius perspicitur. Namque si in corpore inclusa ac cum eo colligata, non pro corporis parvitate contrahitur & circumscribitur, sed sæpe in lecto jacente corpore, sine motu, ac veluti mortuo, ipsa propria sua facultate vigilat, naturamque corporis transcendit, & quasi ab eo digressa, quanquam in ipso manens, ea quæ supra terram existunt cogitat & contemplatur: quin etiam sanctos a terreno corpore sejunctos, atque Angelos non raro convenit, & ad illos mentis munditia fidens advolat: an non, quæso, multo magis soluta a corpore, cum placuerit Deo, qui eam colligavit, evidentiorem immortalitatis cognitionem est habitura? Si enim in corpore adhuc vincta, vitam, quæ extra corpus est, vivit: multo magis post mortem corporis vivet, nec vivere desinet Dei beneficio, qui eam per suum Verbum Dominum nostrum Jesum Christum talem utique fecit. Idcirco enim immortalia & æterna cogitat & sapit, quia immortalis est. Namque ut mortalis corporis sensus nihil nisi mortale percipiunt: sic animam res immortales contemplantem & meditantem, immortalem quoque esse & semper vivere necesse est. Siquidem nunquam illam deserunt immortalitatis notiones & cogitationes, sed in ea ad immortalitatis securitatem instar somitis constanter resident. Hinc ergo cootemplatioois Dei ootionem & cogitationem habet, sibique ipsi fit via, neque extrinsecus, sed ex seipsa Dei Verbi cognitioorm & comprehensionem accipit.

Animæ motus, ejus vita est.

34. Itaque quod antea dictum fuit iterum dicimus, illos scilicet, quemadmodum Deum negaverunt, & res inanimas colunt, sic etiam animam rationis participem se non habere existimantes, hanc suæ iosipientiæ pœnam sponte sua luere, ut inter pecudes numerentur. Quare veluti inanimi religionem in rebus inanimis superstitiose constituentes, miseratione profecto digni sunt & ductore opus habent. Si vero animam se habere putant, & de ratiocinandi facultate multum gloriantur, idque jure merito: cur tanquam anima carentes, contra rationem agere non verentur, nec ea quæ sapere oportet sapiunt, sed seipsos Numine etiam præstantiores faciunt? Siquidem ipsi immortali anima, quam nec oculis videre possunt, præditi, Deum io rebus, quæ oculis videntur & caducæ sunt, figurant. Cur item quemadmodum a Deo recesserunt, ita rursus ad eumdem non confugiunt? Namque ut Deum mente deseruere, & res quæ nullæ sunt deos effinxere, sic eadem suæ animæ mente ascendere & se iterum ad Deum possunt convertere. Possunt, inquam, si quas omnium cupiditatum sordes induerint, deponant, & tamdiu abluant, donec quicquid alienum animæ accesserit abjeceriot, eamque solam, qualis creata est, exhibuerint: ut hoc pacto Patris Verbum, ad cujus similitudinem ab initio facti sunt, io illa intueri valeant. Ad imaginem siquidem & similitudinem Dei facta & creata est aoima, ut & divina scriptura indicat, quæ ex persona Dei ita loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Quocirca cum omnes peccati maculas, quibus aspersa fuerit, absterserit, & solam illam similitudinem puram atque integram servaverit, merito

Genes. 1. 26.

* Totum id argumentum ex Platone sumtum est, quo multi post illum usi sunt ad probandum animum esse immortalem. Videsis ipsum Platonem in Phædro, & lib. X. de legibus, ubi animam definit, τὴν δυναμένην αὐτὴν αὑτὴν κινεῖν κίνησιν, id est, *ad quod seipsum movere potest*.

rito in ea perpurgata ac ſplendeſcente, tanquam in ſpeculo, Verbum imaginem Patris contemplabitur; & in Verbo Patrem, cujus & Salvator imago eſt, cogitatione comprehendet. Vel ſi ipſa per ſe anima hæc præſtare jam noo queat, cum ob ea quæ mentem extrinſecus turbant & inquinant, tum quia ipſa quid potius eligendum ſit non videat: certe ex rebus aſpectabilibus Dei cognitionem haurire poteſt, quandoquidem res creatæ, admirabili ordine & concentu quo compoſitæ ſunt, quibuſdam veluti litteris, Dominum & Creatorem indicant & quaſi voce prædicant.

* Deus universi mundi partes ita composuit, ut ex illis facile cognosci possit.

35. Bonus enim & clemens Deus, animarum quas creavit curam gerens, quia ejus naturæ eſt quæ videri & comprehendi nequeat, omnemque creatam ſubſtantiam tranſcendat, atque idcirco futurum erat ut humanum genus illius cognitionem non aſſequeretur, eo quod homo ſit ex nihilo factus, & Deus ſine ullo ſit principio: eam ob rem naturam creatam ſuo Verbo tam apte compoſuit, ut quia ipſe ex ſui natura videri noo poteſt, ſaltem ex operibus ab hominibus cognoſci poſſet. Sæpe enim ex operibus artifex, etiamſi non videatur, cognoſcitur: atque ut de ſtatuario Phidia narrant, ejus nempe opera ex mutua partium inter ſe proportione & diſpoſitione Phidiam licet abſentem ſpectantibus exhibuiſſe; ita ex mundi conſtructione illius effector & opifex Deus intelligendus eſt, tametſi oculis corporis non aſpicitur. Nec enim ſua inviſibili natura abuſus eſt Deus, (nemo id cauſetur) nec ſe hominibus plane ignotum reliquit: verum, ut modo dicebam, ſic naturam creatam compoſuit, ut quamvis ipſe ex natura ſua videri non queat, ex operibus tamen cognoſcatur. Nec vero hæc a me ipſo loquor, ſed a viris theologis didici, inter quos eſt Paulus qui

Rom. 1. 20. ad Romanos ita ſcribit: *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta*

Act. 14. 14. *conſpiciuntur*. Idem quoque Lycaonios his verbis audacter docebat: *Et nos ſimiles ſumus vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum viventem, qui fecit cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis ſunt: qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. Et quidem non ſine teſtimoniis ſemetipſum reliquit, benefaciens: de cælo nobis dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda noſtra*. Ecquis enim cæli ambitum ſoliſque & lunæ curſum, aliorumve ſiderum poſitiones & circumvectiones, contrarias quidem ac diſſimiles, ſed in ipſa diſſimilitudine æqualem ordinem ab omnibus ſimul ſervatum intueri poteſt, quin ſecum cogitet hæc non a ſemetipſis ſed ab alio, nempe ab auctore, adminiſtrari & regi? Quis ſolem die exoriri & lunam nocte apparere, immutabilique lege per æqualem omnino dierum numerum decreſcere & creſcere, atque ex ſideribus alia quidem diſcurrere curſuſque varie immutare, alia vero inerrantia conſtanter moveri aſpiciens, non intelligat illa neceſſario ab opifice aliquo gubernari?

36. Quis contrarias naturas ſecum conjungi & conſonam efficere harmoniam cernens, exempli gratia: quis ignem cum frigida natura coojunctum, & naturam ſiccam cum humida commixtam videns, nec tamen ſibi invicem reſiſtere, ſed unum quaſi ex uno corpus conficere, non inde colligat alium ab his eſſe qui illa ſimul copulavit? Quis hyemem veri, ver æſtati, æſtatem autumno ſuccedere obſervans, eaque quamvis contraria inter ſe ſint natura, (nam aliud refrigerat, aliud urit, aliud alit, aliud corrumpit & deſtruit) tamen omnia A æqualem & ſecurum ſui uſum hominibus præſtare; quis, inquam, hinc non agnoſcat aliquem eſſe his præſtantiorem, qui æqualitatem omnibus præbeat, omniaque adminiſtret, etiamſi ille a nobis non videatur? Quis nubes per aerem ferri, & in nubibus pondus aquarum colligari conſiderans, non illum cogitet qui iſta coojunxit & fieri juſſit? Quis ipſam terram, quæ natura graviſſima eſt, aquis fundatam & immobilem ſuper elementum natura mobile permanere conſpiciens, non intelligat aliquem deum eſſe qui hanc ita conſtituerit & fecerit? Quis annuos terræ fructus, pluvias e cælo delapſas, B omnium fluxiones, fontium ſcaturigines, animalium ex diſſimilibus procreationes, hæcque non ſemper ſed ſtatutis temporibus fieri animadvertens: quis denique in tam diſſimilibus & contrariis rebus æqualem & ſimilem ab iiſdem abſolvi perficique ordinem attendens, non ſtatim percipiat aliquam eſſe vim, quæ ipſa immobilis manens, illa ut ſibi videtur diſponat & regat? Siquidem nunquam illa propter naturarum diſcordiam per ſeipſa conſiſtere vel etiam exiſtere poſſent. Aqua enim natura gravis eſt & deorſum fluit: nubes contra leves & tenues ſurſum feruntur: & tamen nihilominus aquam C graviorem in nubibus ferri videmus. Terra item graviſſima eſt, & aqua levior eſt quam terra: attamen id quod gravius eſt ab eo quod levius eſt fertur, nec demergitur, ſed ſtat terra immobilis. Similiter mas non idem eſt ac femina, ſimul tamen conjunguntur, ut una ſimilis animalis procreatio ab utroque perficiatur. Denique ut uno verbo dicam, frigus calori contrarium eſt, humor ſiccitati; at nihilominus ſimul juncta non inter ſe diſſident, ſed ex concordia unum corpus atque omnium rerum procreationem abſolvunt.

D 37. Non ergo res illæ, quæ inter ſe pugnant & contrariæ ſunt, ſeipſas ſimul copularent, niſi aliquis ſuperior & dominus eas colligaret, cui & ipſa elementa, tanquam ſervi hero, tam prompte parent, cedunt & obtemperant, ut nullum eorum propriam naturam ſpectans alteri adverſetur: ſed ſingula Dominum colligantem agnoſcentia, concordiam erga ſe ſervent, & quantumvis contraria ſint natura, gubernantis voluntate ineant amicitiam. Ceteroquin niſi potentiore imperio ſimul invicem commiſcerentur, quomodo gravia cum levibus, ſicca cum humidis, rotunda cum rectis, E ignis cum frigore, vel mare cum terra, ſol cum luna, aſtra cum cælo, aer cum nubibus ſociari & coire poſſent, cum unumquodque diſſimilem ab alio naturam habeat? Graviſſimam ſiquidem ſeditionem inter illa concitari neceſſe eſſet, alio urente, refrigerante alio, quod grave eſt deorſum, illo quod leve eſt contra ſurſum contendente, ſole illuminante, aere obſcurante. Aſtra ſimiliter inter ſe diſſidereot, quippe quorum alia ſuperius, alia inferius poſita ſint. Nox quoque diei non cederet, ſed profecto cum illo aſſidue pugnaret & certaret. His autem ita ſe habentibus, jam nullus ordo ſed F nihil niſi confuſio in mundo videretur: nihil locum ſuum ſervaret, ſed omnia perturbata forent: nihil conſiſteret, ſed cuncta eſſent inſtabilia. Nullus denique modus vel menſura rerum poſſet eſſe: Vel enim ſingulorum ſeditione & pugna omnia deſtruerentur, vel fortius dumtaxat remaneret; quod ſane non minimam mundo deformitatem afferret. Namque iſtud unum relictum, aliorum utilitatibus deſtitutum, inconcinnam rerum univerſitatem redderet: quemadmodum ſi ſolus pes vel ſola manus ſupereſſet, non ſervaretur corporis integritas. Qualis enim mundus eſſet, ſi vel ſol tantum appareret, vel

sola luna circumferretur, aut sola nox esset, aut dies perpetuo duraret? Qualis esset harmonia, si vel cæli sine stellis vel stellæ sine cælis essent? Quænam vero utilitas, si mare solum esset, vel si sola terra sine aquis aliisve naturæ partibus existeret? Quomodo, quæso, vel homo vel ullum animal in terris nasci posset, elementis inter se dissidentibus, quorum etsi unum superaret, tamen ad corpora constituenda satis esse non posset? Nihil enim vel ex solo calido elemento, vel ex solo frigido, vel ex solo humido aut sicco componi potuisset: sed omnia universe inordinata & incondita essent. Verum neque etiam illud quod dominari videretur, sine aliorum adminiculo posset existere, quippe quod nunc nonnisi hoc pacto existat.

38. Quapropter cum non confusio sed ordo sit in universo: cum nihil in eo incondite & turbide, sed omnia concinne compositeque & quam aptissime cohæreant, necesse est dominum qui illa una congregavit, constrinxit, & conciliavit, mente & cogitatione attingamus. Nam tametsi oculis non conspicitur, ex ordine tamen & concordia rerum contrariarum, earum moderator, rector & imperator intelligi facile potest. Etenim quemadmodum si civitatem ex multis & diversis hominibus, pusillis & magnis, divitibus & pauperibus, senibus & adolescentibus, viris & mulieribus compositam, præclare administrari & regi cerneremus, illosque qui eam componunt, tametsi diversos, concordes tamen inter se esse, neque divites adversus pauperes, neque majores contra minores, aut juniores contra senes pugnare, sed omnes æqualiter pacem habere: si hæc, inquam, videremus, plane intelligeremus principis præsentiam hujus concordiæ causam esse, etiamsi eum oculis non intueremur. Enimvero ubi ordo non est sed confusio, argumento est nullum ibi moderatorem esse: at ordo, ducis & rectoris evidens signum est. Similiter cum in corpore membrorum inter se concordiam observamus, nec oculum auri adversari, nec manum cum pede dissidere, sed singula membra proprium officium absque seditione persolvere, inde concludimus necessario animam in corpore esse quæ illa regat, quamvis illam non videamus: ita ergo ex ordine & harmonia universitatis, Deum mundi gubernatorem cogitemus necesse est, eumque unum non multos esse. Siquidem ipse dispositionis ordo, omniumque partium concors conspiratio noo multos sed unum mundi ducem & moderatorem Verbum esse manifeste ostendit. Nam si plures mundo præessent, ordo ille servari non posset, sed omnia confusione & perturbatione plena esseot, dum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, & adversus alium pugnaret. Namque ut multos deos, nullos deos esse dicebamus: sic multos rectores, nullos rectores esse dicendum est. Cum enim alter alterius imperium everteret, nullus certe esset qui imperaret & dominaretur, nemo qui regeret & gubernaret. Ubi autem nullus rector est, illic necessario nullus ordo est, sed tantum confusio. Contra vero multorum & diversorum unus ordo & coosensus, unius rectoris certum indicium est. Quemadmodum enim si quis lyram ex multis & variis chordis compositam procul audierit, quarum concentum & harmoniam admiretur, quod scilicet non sola gravis, nec sola acuta aut sola media sonum efficiat, sed omnes pari velut contentione inter se consonent: ex his plane intelligit lyram non quidem a seipsa moveri, neque a multis pulsari, sed unum esse musicum qui singularum chordarum sonum ad concordem & perfectum concentum sua arte accommodet, quamvis illum minime videat. Ita cum in universo mundo qoam aptissimus sit ordo, neque superiora adversus inferiora, vel inferiora adversus superiora dissideant, sed unum ordinem omnia efficiant, consequens sane fuerit ut non multos sed unum totius universi imperatorem & moderatorem, qui omnia suo lumine collustret & moveat, esse intelligamus.

Variarum mundi partium ordo & consensus Deum unum esse argumento est.

Multi dii, dii nulli.

39. Nec enim putandum est multos esse naturæ rectores & effectores: sed unum illius opificem credere, germanæ pietatis & veritatis est, idque vel ipsa natura aperte declarat. Siquidem firmissimum illud argumentum est unum universi esse auctorem, quod scilicet non multi sed unus sit muodus. Nam si multi essent dii, multos & diversos mundos esse oporteret. Neque enim decet vel multos unum mundum construere, vel unum a multis ædificari: hinc enim non pauca absurda sequereotur. Primum si unus mundus a multis factus esset, id auctorum imbecillitatem argueret, utpote cum a multis unum opus fuisset confectum: nec leve profecto id esset signum imperfectæ singulorum ad faciendum scientiæ. Enimvero si unus sufficiebat, non multi mutuam inopiam explerent. Atqui in Deo aliquid deesse, non solum dictu impium est, sed omne nefas superat. Quippe nec etiam inter homines perfectum artificem sed imbecillem appellaverimus, qui non solus sed cum multis unum opus absolverit. Quod si singulos mundum universum condere potuisse, sed omnes propter operis communitatem, mutuam operam contulisse dicatur: illud sane perridiculum fuerit, si gloriæ comparandæ causa singuli laboraverint, ne scilicet quis eorum imporens & infirmus haberetur. Inanem enim & vanam gloriam diis adscribere nonnisi perabsurdum videri potest. Deinde, si singuli ad universi creationem idonei erant, quid multis opus fuit, cum unus ad omnia sufficeret? quod quidem præcipue impium & absurdum videbitur, si opus unum fuerit, auctores autem varii & multi; quippe cum ratio naturalis doceat unum & perfectum diversis multum præstare. Id etiam silendum non est, si a multis factus est mundus, diversos & sibi ipsi dissimiles motus habuisse. Nam fieri non potuit quin ad singulos auctores respiciens varios motus habuerit. In illa autem varietate, ut supra dictum est, nullus rursus ordo in mundo servari posset, sed confusa & perturbata omnia forent. Nam nec navis a multis gubernata recto cursu ferri potest, nisi ejus clavum unus gubernator tenuerit: nec lyra a multis pulsata perfectum concentum efficiet, nisi musicus unus eam percusserit. Quare cum una sit creata natura, & mundus unus ac unus illius ordo: unum quoque ejus rectorem & opificem Dominum esse intelligendum est. Siquidem ea etiam de causa ipse opifex universum mundum unum fecit, ut ne multis constructis multi quoque opifices putarentur, sed ut opere uno existente, unus quoque ejus auctor esse crederetur. Nec tamen quia unus est effector, unus quoque est mundus. Nam alios etiam mundos Deus fabricari porerat. Sed quia unus est mundus qui creatus est, ejus quoque fabricatorem unum esse credere necesse est.

Unus mundus unum Deum indicat.

40. Verum quisnam tandem ille est? Id enim in primis declarare & dicere operæ pretium fuerit, ne quis hujus ignoratione seductus, alium esse suspicetur, & in eamdem denuo impietatem, quam supra reprehendimus, delabatur. Arbitror autem neminem hac de re jam ambigere. Etenim si quos poetæ deos esse dicunt, non esse deos nostra oratione probavimus, ostendimusque illos errare qui rem creatam deum faciunt, & universim gentium idololatriam, summam impie-

impietatem esse convicimus: diis illis sublatis, necesse est omnino apud nos tantum piam esse religionem, illumque quem colimus & prædicamus, solum verum Deum esse, qui idem & rerum creatarum dominus & totius naturæ opifex sit. Quis ergo alius ille fuerit quam sanctissimus & rebus omnibus creatis longe excellentior Christi pater, qui tanquam optimus gubernator propria sapientia & proprio Verbo, Domino nostro & servatore Christo, omnia ubique salutariter gubernat, dispensat & facit, prout rectum esse viderit? Rectum est autem illa esse ut facta sunt & fieri conspicimus, quoniam id ita ipse vult, quod sane nemo negaverit. Nam si rerum creatarum motus absque ratione fieret, temereque mundus volveretur, jure merito nulla fides dictis esset adhibenda. Sed si ratione, sapientia & scientia conditus atque omni ornatu instructus est; necesse est ejus auctorem & exornatorem non alium esse quam Verbum seu Rationem Dei. Rationem autem intelligo, non quæ in singulis rebus creatis implicita, insita atque innata est, quam etiam nonnulli seminalem vocare solent, quæ quidem inanimata est, nec cogitandi vel intelligendi vi est prædita, sed externa tantum arte pro inserentis scientia agit. Neque etiam Verbum intelligo, quale est hominum, quod nempe ex syllabis constat, & in aere exprimitur: sed ipsius boni & Dei rerum universarum viventem & efficacem Deum dico qui per se est Verbum, qui idem ab omnibus rebus creatis diversus est, propriumque & solum boni patris est verbum, cujus providentia totus hic mundus, quem & condidit, illuminatur. Ipse enim qui boni patris bonum verbum est, rerum omnium ordinem disposuit, contraria cum contrariis conjunxit, unumque concentum ex his composuit. Idem ipse qui Dei virtus & sapientia est, cælum volvit, terramque suspensam ac nulla re innixam, proprio nutu fundavit & firmavit. Ab illo sol collucens universum orbem illustrat, & luna lumen dimensum habet. Ejus numine aqua in nubibus suspenditur, pluviæ terram irrigant, mare limitibus circumscribitur, terra variis plantis frondescit & viret. Denique si quis infidelis ea quæ diximus in quæstionem vocare voluerit, an omnino sit Verbum seu Ratio Dei, is certe sana mente non esse censendus sit, qui de Dei Verbo seu Ratione audeat dubitare. Verumtamen ex his rebus, quæ aspectabiles sunt, discere ei licet omnia Verbo & Sapientia Dei facta fuisse, nec rem ullam consistere potuisse, nisi Verbo & quidem Verbo divino, ut dictum est, fuisset facta.

41. Hoc autem Verbum, non ut hominum verbum, quemadmodum dixi, ex syllabis constat, sed sui ipsius patris quam simillima est imago. Homines enim quia ex partibus compositi & ex nihilo sunt creati, compositum quoque & dissipabile verbum habent. Deus autem quia vere est, nec compositus est, ejus quoque Verbum vere est, neque compositum est, sed unus & unigenitus Deus est, qui ex patre velut ex bono fonte bonus procedens, omnia ornat, disponit & continet. Causa porro cur Verbum, Verbum, inquam, Dei ad res creatas venerit, admirabilis sane est, eaque clare ostendit res non aliter, quam uti nunc sunt, fieri decuisse. Nempe rerum creatarum natura, utpote ex nihilo facta, fluxa, infirma & mortalis per se est: at universorum Deus natura bonus, imo optimus est, ac proinde benignus & humanus. Bonus enim nemini ullam rem invidet. Quapropter neque etiam ulli quod sit invidet, sed contra, omnes vult esse ut humanitatem exercere possit. Hinc ergo cum res omnes creatas pro sua conditione fluxas videret esse & dissolubiles, ne id accideret, iterumque in nihilum rediret mundus, ille qui suo & æterno Verbo omnia fecit, & rebus creatis naturam dedit, eas suapte natura ferri & agitari sinere noluit, ne forte in nihilum reverterentur: sed ut bonus suo Verbo, quod ipsum quoque Deus est, universam naturam gubernat & sustentat, ut Verbi ductu providentiaque & administratione illuminata, firma consistere & manere possit, quippe quæ Verbi patris, quod vere est, fiat ipsa particeps, & ab eo ut sit adjuvetur, ne scilicet esse desinat, quod utique fieret, nisi a Verbo conservaretur, quod ipsum *est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*: quoniam per ipsum & in ipso consistunt omnia cum ea quæ videntur, tum quæ non videntur, idemque est caput Ecclesiæ, ut in sanctis litteris veritatis ministri docent.

Res creatæ, nisi a Verbo conservarentur, esse desinerent.

Coloss. 1.15.

Ibid. v.18.

42. Hoc ergo omnipotens & sanctissimum Patris Verbum res universas pervadens, ac suas vires ubique explicans, omniaque visibilia & invisibilia illuminans, ea in seipso continet & constringit, ita ut nihil sua potentia vacuum relinquat, sed omnibus & per omnia, singulisque speciatim, & generatim cunctis simul vitam impertiatur & conservet. Hinc naturæ corporeæ principia, quæ sunt calidum & frigidum, humidum & siccum elementum, simul commiscet, nec inter se dissidere sinit, sed unam & consonam harmoniam cogit efficere. Per ipsum ejusque virtutem neque ignis cum frigore pugnat, neque humidum elementum cum sicco: sed res illæ, quæ per seipsas sunt contrariæ, quasi amicæ & cognatæ, una coeundo, rebus aspectabilibus vitam tribuunt, & corporibus causæ sunt existendi. Huic eidem Deo Verbo obtemperantes res terrenæ vitam habent, & cælestes consistunt. Ejusdem imperio mare universum magnusque oceanus propriis terminis suos motus coercet, & terra tota herbis diversisque plantis, ut jam dixi, exornatur. Denique ut non in re manifesta singulis recensendis insistam, nihil est rerum omnium quæ sunt & fiunt, quod non in ipso & per ipsum factum sit & consistat, uti etiam vir Theologus his verbis docet: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Quemadmodum enim musicus lyra ad concentum accommodata, gravibusque cum acutis, & mediis cum aliis arte temperatis, unum efficit concentum: ita quoque Dei sapientia universum mundum veluti lyram tenens, resque aerias cum terrenis & cælestes cum aeriis conjungens, omniaque cum singulis connectens, & suo nutu ac voluntate circumducens, unum mundum unumque mundi ordinem pulcre & concinne admodum efficit, ipsumque interim Dei Verbum apud Patrem manet immobile, dum omnia prout Patri visum fuerit, suæ naturæ constantia movet. Illud enim in ejus divinitate admirabile est, quod uno eodemque nutu omnia simul, nullis temporum intervallis, sed omnia, inquam, simul, recta & globosa, superiora, media & infima, humida, frigida, calida, visibilia & invisibilia circumducat, & pro uniuscujusque natura gubernet & administret. Nam simul eodem illius nutu, rectum recte, & rotundum rotunde fertur; medium, sicuti est, movetur; calidum calescit, siccum arescit; omnia denique pro sua natura illo dante vivunt & consistunt, admirabilemque ac vere divinum concentum per ipsum componunt.

Joan. 1.1.

Res universæ uno & eodem Verbi nutu moventur & administrantur.

43. Ut vero res tanta imagine aliqua intelligi possit,

sit, age: numerosi alicujus chori exemplum adducamus. Itaque quemadmodum in choro ex variis hominibus, pueris, mulieribus, senibus & adolescentibus composito, uno præside moderante, singuli pro sua natura & facultate cantant, vir ut vir, puer ut puer, senex ut senex, adolescens ut adolescens, omnes tamen unum concentum efficiunt: vel quemadmodum nostra anima eodem tempore nostros sensus pro cujusque efficacitate movet, adeo ut præsente re aliqua omnes simul moveantur, oculusque videat, auris audiat, manus tangat, odoratus olfaciat, gustet gustatus, aliaque corporis membra sæpe etiam agant, verbi gratia, pedes ambulent: vel ut tertio exemplo rem illustremus, id maxime simile esse videtur magnæ alicui urbi conditæ, quæ præsente principe & imperatore, qui eam condidit, administretur. Siquidem illo præsente & jubente, atque oculum ad omnia intendente, omnes obtemperant, hi properant ad colendos agros, illi ad aquæductus ad hauriendam aquam festinant: hic ad cibum comparandum progreditur, senatum petit ille, alter in ecclesiam intrat: judex ad judicandum, princeps ad jus dicendum se parat: artifex similiter statim in opus incumbit, nauta ad mare excurrit, faber ad fabricandum, medicus ad curandum, & architectus ad ædificandum se confert: alter in agrum exit, ex agro redit alter: alii circum urbem versantur, alii ex urbe egrediuntur, iterumque in eam revertuntur. Hæc porro omnia unius principis præsentia & imperio geruntur & fiunt. Ita profecto rem quoque se habere in universa rerum natura, licet tenue admodum sit exemplum, altiori tamen intelligentia est percipiendum. Nimirum uno ictu Dei Verbi nutus omnia simul administrantur, adeo ut, quæ rerum singularum propria sunt, ea a singulis fiant, & ab omnibus simul unus ordo perficiatur.

44. Namque nutu & virtute rectoris & moderatoris omnium, divini & paterni Verbi, cælum vertitur, moventur astra, sol lucet, vagatur luna, aer a sole illuminatur, æther calefit, flant venti, stant montes alte elati, mare fluctuat, & quotquot in eo sunt animantes aluntur, terra immobilis manens fert fructus, homo formatur, vivit, ac deinde moritur: uno verbo, omnia animantur & moventur: ignis urit, aqua refrigerat, fontes scaturiunt, inundant flumina, tempora & tempestates succedunt, decidunt imbres, nubes implentur, fit grando, nix & glacies compingitur, aves volant, progrediuntur serpentes, aquatilia natant, mare navigatur, terra seritur & propriis temporibus germina emittit, plantæ & arbores crescunt, quarum aliæ teneræ & recentes sunt, aliæ maturæ: aliæ postquam creverint, senescunt atque deficiunt, dumque aliæ pereunt, aliæ rursus producuntur & e terra erumpunt. Hæc autem omnia & plura alia, quæ præ numero commemorare non valemus, admirabile Dei Verbum, lucem & vitam infundendo, suo nutu movet & gubernat, atque unum mundum efficit. Nec vero invisibiles potestates virtutis suæ expertes dimittit: sed eas quoque, utpote quarum creator sit, inter res universas complectitur, suoque nutu & providentia continet & vita donat: nec quidquam proponi potest quo illud incredibile fiat. Nam ut ejus providentia crescunt corpora & rationalis anima movetur, atque vitam ac vim cogitandi habet, ut facile probatu est, cum rem ipsam oculis intueamur: sic idem Dei Verbum uno & simplici nutu, sua virtute mundum visibilem invisibilesque potestates movet & complectitur, singulisque propriam efficientiam impertitur, ita ut res quidem divinæ modo diviniori moveantur, visibiles vero, eo quo cernimus modo. Ipse autem qui omnium præses, imperator, & constantia est, omnia ad cognitionem & gloriam sui patris promovendam ita agit, ut per ea quæ fiunt opera docere & dicere videatur: *Ex magnitudine & pulcritudine rerum creatarum, convenienter creator conspicitur.*

Verbum Dei invisibiles quoque potestates, quas & creavit, suo nutu ac providentia movet, conservat & regit.

Sap. 13. 5.

45. Ut enim cælum intuendo, ejusque ornatum & astrorum lumen contemplando, Verbum quod illa tam miro ordine disposuit intelligere facile est: ita qui Verbum Dei cognoscit, ejus quoque patrem Deum cognoscat necesse est, ex quo quia oriatur, jure merito sui patris interpres & nuncius appellatur, idque ex his quæ in nobis fiunt licet percipere. Namque si mentem fontem esse intelligimus verbi sive sermonis qui ab homine profluit, sermonemque attendentes, mentem quæ illo significatur, cogitatione cernimus: multo certe majori & infinite præstantiori ratione cum Verbi virtutem intuemur, bonum ejus patrem animo concipere debemus, ut ipse Salvator ait: *Qui videt me, videt & Patrem.* Verum hæc eadem clarius & uberius docent scripturæ divinitus inspiratæ, quibus nos fidentes, ista tibi scribimus. Tu vero si in illarum lectionem incumbes hæc quæ disputamus vera esse poteris perspicere. Siquidem sermo majorum auctoritate confirmatus non potest quin fidem faciat. Itaque jam olim Verbum divinum Judæorum populum adversus idola his verbis præmuniebat: *Non facies tibi idolum, neque ullius rei similitudinem, sive rerum quæ sursum in cælo sunt, sive quæ deorsum in terra.* Causam autem cur rejicienda sint, aliter ita declarat: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient: nares habent & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt: pedes habent & non ambulabunt.* Nec etiam quid de rebus creatis sentire debeamus, nos docere omisit: sed cum illarum pulcritudo optime ipsi perspecta esset, ne aliqui earum speciem admirati, non ut Dei opera, sed ut deos colerent, homines ab hoc errore avertit, dicens: *Neque oculis respiciens & videns solem & lunam & omnem ornatum cæli, deceptus illa adoraveris, quæ dedit Dominus Deus tuus omnibus gentibus, quæ sub cælo sunt.* Dedit porro non ut ipsis dii essent, sed ut gentes Deum omnium opificem rerum illarum effectibus agnoscerent. Judæi enim pleniori doctrina olim imbuti fuere, quippe qui non solum ex rerum creatarum operibus, sed etiam ex divinis scripturis Dei cognitionem haberent. Universim quoque homines ab errore & stulta cogitatione idololatriæ revocans, ait: *Non erunt tibi dii alii præter me.* Non porro quasi alii dii vere essent, illos prohibet colere: sed ne quis vero Deo repudiato, res quæ nullæ sunt deos sibi fingere inciperet, quales scilicet qui apud Poetas & scriptores memorantur, quosque deos non esse a nobis ostensum est. Hæc autem verba, *non erunt tibi dii alii*, illos deos non esse manifeste probant, quatenus nempe rem futuram significant. Quod enim futurum est, tunc sane non existit, cum futurum dicitur.

Joan. 14. 9. — *Exod. 20. 4.* — *Psal. 115. v. 4.* — *Deuter. 4. 19.* — *Exod. 20. 3*

46. Num igitur post sublatam impiam Gentium superstitionem & idolorum cultum, siluit divina doctrina, hominumque genus sine ulla Dei cognitione præceps ferri permisit? Minime certe, sed illos hujusmodi verbis præmonuit: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* Et rursus: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota fortitudine tua.* Et: *Dominum*

Deuter. 6. 4. — *Ibid. v. 5.* — *Ibid. v. 13. ex vers. LXX.*

minum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, illique adhæresces. Quod autem tota divinitus inspirata scriptura Verbi quoque providentia & administratione res plane universas regi testificetur, satis probant hæc quæ a theologis viris subjiciuntur: Psal. 118. 90. *Fundasti terram & permanet: ordinatione tua perseverat dies*. Psal. 146. 7. Et iterum: *Psallite Deo nostro in cithara, qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam: qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum, & qui dat jumentis escam*. Per quem vero alium dat quam per illum per quem omnia facta sunt? Consequens enim est ut per ejus providentiam administrentur, per quem facta fuere. Quis igitur ille est, præter Dei Verbum, de quo & in alio psalmo dicitur: Psal. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Omnia quippe in ipso & per ipsum facta esse asserit & nobis his verbis persuadet Scriptura: Ibid. 9. *Ipse dixit & facta sunt: ipse mandavit & creata sunt*. Quemadmodum etiam Moyses vir in omnibus magnus initio historiæ creationis mundi testatur, qui eadem illa verba hoc modo exponit: Genes. 1. 26. *Et dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem nostram & ad similitudinem*. Absoluta item cæli, terræ rerumque omnium procreatione, eidem dixit Pater: *Fiat cælum, & congregentur aquæ, & appareat arida, & producat terra herbam & omne animal*. Quibus utique verbis Judæos, qui scripturas non legitime serutantur, coarguere quis possit. Cum quo enim, quæso, Deus loquebatur, ut etiam imperando loqueretur? Nam si rebus procreandis imperabat & loquebatur, supervacaneus erat sermo: nondum quippe existebant, sed duntaxat futuræ erant. Nemo autem cum re quæ non est sermonem habet: neque etiam rei quæ nondum facta est imperat & dicit ut fiat. Nam si rebus quæ futuræ erant imperabat Deus, illum oportuerat dicere: fias cælum, fias terra, prodi herba, fias homo. At ita non egit, sed jubet & dicit: *Faciamus hominem, & producatur herba*. quibus perspicue ostenditur Deum cum aliquo sibi proximo hic loqui. Necesse est igitur aliquem cum illo fuisse quicum etiam loquens omnia faceret. Quis ergo ille fuerit nisi ipsius Verbum? eum quo enim Deus videri possit loqui quam cum suo Verbo? Vel quis cum ipso universam creatam naturam faciente aderat, quam ejusdem sapientia, quæ ipsa, ait: Prov. 8. 27. *Quando faciebat cælum & terram, cum eo aderam*. Cæli porro & terræ nomine omnia quæ in cælo & terra facta sunt complectitur. Ceterum ut sapientia & ut Verbum cum illo aderat, Patremque aspiciens, res universas procreabat, componebatque ac convenienti ordine disponebat. Ut potentia item Patris, vim ad existendum & permanendum illis impertiebat, uti ipse Salvator ait: Joan. 5. 19. *Omnia quæcumque video patrem facientem, & ego similiter facio*. Sane per ipsum & in ipso omnia facta fuisse sacri ejus discipuli docent, eumque, Rom. 11. 36. quia bona boni proles ac verus filius sit, Patris potentiam, sapientiam, Verbum & rationem esse, neque communicatione hæc illum esse, aut extrinsecus habere, ut illis contingit qui ipsius fiunt participes & sapientiam per eum accipiunt, quique potentiam & rationem in illo habent, sed illum ipsam per se sapientiam, ipsam per se rationem, ipsam per se potentiam propriam Patris, ipsum per se lumen, ipsam per se veritatem, ipsam per se justitiam, ipsam per se virtutem, nec non characterem sive figuram, splendoremque & imaginem esse. Denique ut breviter dicam, perfectissimus Patris fructus, solusque filius & quam simillima imago est.

47. Quis ergo, quis omnia quæ in Patre sunt enumeraverit, ut ejus Verbi vim & potentiam assequi & percipere queat? Ut enim Patris Verbum & sapientia est, ita quoque se ad res creatas benigne accommodans, fit illis ad patrem cognoscendum & intelligendum ipsa per se sanctimonia, ipsa per se vita, nec non janua, pastor, via, imperator, dux, ac denique servator, vitæ auctor, lux & providentia omnium. Itaque talem bonum & opificem filium ex seipso habens Pater, illum rebus creatis occultum esse noluit, sed eum quotidie per res omnes, quæ per ipsum consistunt & vivunt, cunctis patefacit. In ipso autem & per ipsum se quoque ipse ostendit, sicuti Salvator testatur: *Ego in patre, & pater in me*, Joan. 14. 10. adeo ut necesse sit Verbum in genitore, & genitum cum Patre perpetuo permanere. Quæ cum ita sint, nihilque extra ipsum exsistat, sed cælum & terra atque omnia quæ his continentur ex illo pendeant: nihilominus stulti homines ejus cognitione & cultu repudiatis, ea, quæ non existebant, iis quæ existebant prætulerunt, & loco Dei vere existentis, res quæ nullo modo erant deos fecerunt, *Servieruntque creaturæ potius quam creatori*: Rom. 1. 25. quod certe stultum admodum & impium fuit. Idem enim est ac si quis opus non opificem dignum admiratione putaret, & ædificia civitatis alicujus admiratus, architectum sperneret: vel si quis musicum aliquod instrumentum laudandum existimans, ejus contemneret artificem. Insani profecto & valde cæci! Qui enim prorsus ædificium, vel navem, aut lyram possent cognoscere, nisi faber navem, & architectus domos ædificasset, & lyram musicus construxisset? Ut ergo ille, qui ita sentiret, dementissimus haberetur: sic mihi sana mente esse non videntur, qui Deum ignorant, nec ejus Verbum, servatorem omnium, Dominum nostrum Jesum Christum colunt, per quem omnia Pater administrat ac continet, & rebus universis providet: in quem quandoquidem tu fidem habes & pius es, o Christi amator, gaude & certo spera tuæ pietatis & fidei fructum, fore immortalitatem & regnum cælorum, si modo anima, ut ejus leges præscribunt, adornata fuerit. Ut enim illorum qui secundum ejus præcepta vivunt, merces est vita æterna: ita qui contrariam semitam elegerint nec viam virtutis fuerint secuti, probrum ingens & inevitabile periculum in die judicii subituri sunt, quia etiamsi veritatis viam non ignoraverint; his tamen quæ noverant contraria egere.

SANCTI PATRIS NOSTRI

A T H A N A S I I

ALEXANDRIÆ ARCHIEPISCOPI

O R A T I O

De humana natura a Verbo assumta, & de ejus per corpus ad nos adventu.

1. QUANDOQUIDEM superiori Oratione, licet pauca ex multis delibantes, satis tamen abunde de Gentium in idolis colendis errore & superstitione diximus, quæque prima idolorum origo fuerit, & quonam modo homines propriis vitiis impulsi eorum cultum excogitaverint: quoniam item, Dei gratia, nonnulla de Verbi Patris divinitate & ejus in res omnes providentia & potentia indicavimus, ostendimusque bonum Patrem omnia per illum administrare, omniaque ab ipso moveri, & in ipso vitam habere; age, o vir beate & vere Christi amans: jam deinceps, ut piæ nostræ fidei ordo postulat, dicere pergamus de humana natura quam Verbum assumsit, ac de divino ejusdem ad nos adventu, quem Judæi quidem calumniis insectantur & Gentiles irrident, nos vero veneramur, quo scilicet etiam ex externa Verbi humilitate tua in eum pietas crescat. Nam quo magis apud infideles irridetur, eo majus suæ divinitatis testimonium exhibet. Quæ enim homines, quasi quæ fieri non possint, minime comprehendunt, hæc ipse Dei filius posse esse ostendit: quæ illi ut indecora irrident, hæc ipse suæ bonitati consentanea effecit: denique quæ illi, philosophando, tanquam humana ludibrio habent, hæc ipse sua virtute & potentia divina esse demonstrat, ut etiam idolorum speciem & pompam sua, ut putant, humilitate & abjectione per crucem evertat, & irrisores atque incredulos ab errore occulte abducat, suamque divinitatem & potentiam cogat agnoscere. Verum ad ista exponenda, operæ pretium fuerit ea quæ supra diximus memoria repetere, ut & causam cur tale ac tantum Patris Verbum in corpore apparuerit, possis cognoscere, nec arbitreris naturæ conditione Salvatorem corpus habuisse, sed eum qui ex propria natura expers est corporis, & Verbum est, Patris sui clementia & bonitate exigente, nostræ salutis causa, nobis in humano corpore apparuisse. Porro convenit nos his de rebus disserentes, prius de mundi creatione, ejusque opifice Deo dicere, ut hac ratione, ejus renovationem a Verbo, a quo idem initio conditus est, factam fuisse, digne queat intelligi. Siquidem nihil contrarium videbitur, si per quem naturam creavit Pater, eamdem in ipso sanaverit.

Divisio in duas partes.

2. De mundi fabrica & rerum omnium creatione multi varie disputavere, ac singuli, prout sibi placuit, rem definiere. Siquidem alii sponte & fortuito omnia facta fuisse ajunt, ut Epicurei, qui etiam nullam rerum providentiam esse false & adversus seipsos contendunt, quod profecto contra apertam & evidentem veritatem affirmant. Nam si ut volunt, omnia sua sponte sine providentia exorta essent: omnia temere fieri, & similia, non dissimilia esse debuissent: omnia enim ut in uno corpore vel solem vel lunam esse necesse fuisset: & in hominibus totum debuisset esse vel manus vel oculus vel pes. Atqui hæc ita non se habent: namque videmus aliud quidem solem esse, aliud vero lunam, & aliud terram: similiter in humanis corporibus, aliud pes est, aliud manus, aliud caput. Hic autem ordo & rerum dispositio certum argumentum est ista non sua sponte facta fuisse, sed aliquam causam illis præfuisse: ex qua Deum, qui omnia fecit & in suo quidque ordine collocavit, licet intelligere. Alii, inter quos etiam magnus apud Gentiles * Plato numeratur, asseverant Deum omnia fecisse ex materia prius existente & non facta: neque enim Deum aliquid facere potuisse, nisi prius materia extitisset: quemadmodum opus est ut lignum, quo faber utitur, prius existat, ut ex eo aliquid facere possit. Verum qui ita philosophantur, non vident se imbecillitatem Deo adscribere. Si enim ipse non est materiæ effector, sed res ex subjecta materia facit, imbecillis sane est, cum nihil sine materia fabricari queat: quemadmodum utique fabri imbecillitatem indicat, nihil eum sine ligno posse facere. Siquidem, ut illi sentiunt, nisi materia fuisset, nihil effecisset Deus. Quod si ita est, qui effector & creator dici queat, qui ex alia re nempe ex materia habuit hoc ipsum quod faceret? Certe si ita se res habet, faber tantum secundum illos erit Deus, non vero ut creator rebus dabit ut sint, si nimirum in subjecta materia agat, nec ipse sit materiæ auctor. Nam, ut uno verbo dicam, creator dici non potest, nisi materiam creet, ex qua res creatæ factæ sunt. Hæretici autem alium sibi fingunt rerum opificem præter Patrem Domini nostri Jesu Christi: sed illi summam cæcitatem vel in his ipsis quæ loquuntur ostendunt. Cum enim Dominus ad Judæos dicat: *Non legistis quia qui ab initio creavit, masculum & feminam fecit eos, & dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una:* & deinde Creatorem indicans: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet:* quomodo illi creationem Patri externam inducere audent? Quod si secundum Joannem qui omnia plane complectitur nihilque excipit, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* quis, quæso, alius creator esse possit præter Christi patrem?

Pars prima, in qua de mundi creatione disseritur.

Refellitur Epicureorum sententia, qui mundum fortuito factum fuisse & nullam providentiam esse frotabant.

Platonis & aliorum, qui Deum ex materia prius existente mundum condidisse putabant, error refutatur.

Marcionitæ & Manichæi aliique hæretici redarguuntur, qui alium rerum Creatorem præter Patrem D. N. Jesu Christi agnoscunt.

Mat. 19. 4.

Joan. 1. 3.

3. En ergo quæ illi quidem effutiunt: at divina doctrina & Christi fides procul has illorum ineptias tanquam detestandam impietatem rejicit. Novit enim res non fortuito factas esse, quia providentia gubernantur: neque ex materia prius existente, quia Deus imbecillis non est: sed

Deum

* Ita docet Plato in utroque Timæo, sed clarius initio Timæi Locri.

Deum omnia, neutiquam prius existentia ex nihilo per Verbum fecisse ut essent, uti per Moysem ait:

Genes. 1.

In principio fecit Deus cælum & terram: & in utilissimo Pastoris libro:

Lib. 2. *mandato* 1.

Primum omnium crede unum Deum esse, qui omnia creavit & perfecit, eaque quæ non erant ut essent fecit.

Hebr. 11. 3.

Idem etiam Paulus his verbis declarat: *Fide intelligimus perfecta esse sæcula Verbo Dei, * ut res quæ cernuntur non ex rebus apparentibus fierent.* Scilicet Deus bonus est, vel potius fons ipse est bonitatis: bonus autem nulli invidet: quapropter nulli rei quominus sit invidens, omnia per proprium Verbum Dominum nostrum Jesum Christum ex nihilo fecit, e quibus cum hominum genus præ ceteris omnibus, quæ in terra existunt, miseraretur, cerneretque illos ex propriæ naturæ conditione non sibi satis esse ad semper permanendum, aliquid amplius illis donavit, nec simpliciter, ut omnes brutas & terrestres animantes, homines creavit, sed eos ad suam imaginem fecit propriique Verbi virtutis participes reddidit, ut quasdam velut umbras Verbi habentes, & rationales facti, in beatitudine perseverare, veramque & sanctorum vere vitam in paradiso vivere possent. Præterea cum videret hominum voluntatem in utramque partem posse inflecti, datam eis gratiam lege & loco providentissime præmunivit. Siquidem illis in suum paradisum introductis legem dedit, ut si gratiam concessam conservarent & boni permanerent, præter promissam in cælis immortalitatem, vita mœroris, doloris & solicitudinis vacua in paradiso fruerentur. Sin vero datam legem transgressi, mali fierent, certo scirent se mortis corruptionem secundum naturam subituros, nec jam amplius in paradiso victuros, sed extra illum morientes, in morte & corruptione permansuros. Id porro testatur quoque divina scriptura, quæ ex Dei persona sic loquitur:

Genes. 2. 16.

Ex omni ligno paradisi comedes: de ligno autem scientiæ boni & mali, non comedetis ex illo. quacumque autem die comederitis, morte moriemini. Quid aliud, quæso, his verbis, *morte moriemini*, significatur, quam illos non tantum morituros esse, sed etiam in mortis corruptione permansuros?

Pars secunda, in qua de hominis renovatione a divino Verbo facta agitur.

4. Miraris fortasse, quid tandem nos, cum de humana natura a Verbo assumta dicere instituerimus, nunc de prima hominum origine disputemus? Atqui id a fine nostræ orationis minime alienum est. Quia enim sermonem habemus de Salvatoris nostri ad nos adventu, necesse est etiam de hominum primordiis loqui, quo plane perspicias nostram causam ejus adventus fuisse occasionem, nostroque peccato Verbi benignitatem excitatam fuisse, ut ad nos accederet & inter homines Dominus appareret. Nos enim causa sumus cur corpus assumserit, nostramque ob salutem in humano corpore nasci & apparere benignissime voluit. Hoc igitur modo Deus hominem fecit, atque immortalem manere voluit. At homines neglecta ac rejecta Dei contemplatione, sibi ipsis malitiam excogitaverunt, uti superiore oratione dictum est, atque ita in denunciatam mortis damnationem misere inciderunt. Nec vero post hæc quales creati sunt, permansere; sed suis cogitationibus in dies magis corrupti, in mortis ditionem & potestatem sunt redacti. Nam præcepti transgressio illos ad propriæ naturæ conditionem revocavit; ut quemadmodum cum non essent, facti sunt, sic in eo quod sunt, corruptionem, labente tempore, paterentur, idque meritissimo. Namque si Verbi præsentia & beneficentia vocati sunt ut essent, qui ex naturæ A conditione aliquando non erant; consequens fuit, ut homines Dei contemplatione nudati & ad res quæ nullo modo existunt conversi, (siquidem mala non existunt, bona vero existunt, utpote quæ a Deo existente facta sint) beneficio quoque semper existendi spoliarentur: hoc est, ut dissoluti, in morte & corruptione manerent. Homo enim ex sua natura mortalis est, quippe qui ex nihilo factus sit. Attamen propter suam cum illo qui est similitudinem, si eam constanti ejus contemplatione conservasset, naturalem corruptionem retudisset mansissetque incorruptus, sicuti sapientia ait: *Observatio legum, confirmatio est* B *incorruptionis.*

Sap. 6. 19.

Factus autem incorruptus, jam ut Deus vixisset, quod quidem divina scriptura alicubi his verbis significat: *Ego dixi, dii estis, & filii Altissimi omnes: vos autem sicut homines morimini, & sicut unus de principibus caditis.*

Psal. 81. 6.

5. Nam Deus non solum nos ex nihilo fecit, sed etiam divini Verbi gratia secundum Deum vivere concessit. At homines ab æternis rebus aversi & ad res corruptioni subjectas consilio diaboli conversi, sibi ipsis corruptionis mortis auctores facti sunt: qui, ut dixi, ex natura quidem mortales erant, sed gratia, qua Verbi erant participes, naturæ conditionem C haud dubie effugissent, si boni utique permansissent. Siquidem propter Verbum, quod cum illis fuisset, ad eos naturalis corruptio non accessisset, ut & sapientia his verbis testatur: *Deus creavit hominem ut incorruptus esset, & imaginem propriæ æternitatis: invidia autem diaboli mors introivit in mundum.*

Sap. 2. 23.

Quo quidem facto homines mori cœperunt, deincepsque contra illos viguit corruptio, quæ eo majores vires quam ipsa etiam naturæ conditio in universum genus habuit, quod Numinis comminationem ob violatam legem antea contra homines ac- D ceperat. Neque enim illi in peccatis intra certos terminos constitere, sed paulatim progredientes, omnem modum transcendere. Initio quidem facti malitiæ inventores, mortem & corruptionem adversus seipsos provocaverunt: deinde vero in injustitiam delapsi, omnemque iniquitatem prætergressi, nullo in malo stantes sed novis nova omnia addentes, insatiabiles ad peccandum facti sunt. Hinc ubique stupra & furta erant: cædibus & rapinis plenus erat universus terrarum orbis, nullaque lex corruptelas & injustitiam cohibebat: sed omnia mala privatim & publice cun- E cti committebant. Civitates adversus civitates bella gerebant: gentes contra gentes insurgebant: totus denique orbis pugnis & seditionibus discindebatur, dum singuli in patrandis flagitiis contenderent. Nec vero illa etiam quæ contra naturam sunt scelera procul ab his erant: sed, ut dixit Christi testis Apostolus:

Rom. 1. 26.

Feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in F *semetipsis recipientes.*

6. Eam ob rem morte magis magisque invalescente, & corruptione contra homines persistente, peribat hominum genus, ipseque homo rationis particeps & ad imaginem factus interibat, ac opus a Deo constructum destruebatur. Jam enim, ut supra docui, mors vi legis contra nos maxime valebat, nec vitari poterat lex illa quippe quæ a Deo prævaricationis causa fuerat imposita. Quæ res sane absurda simul & indecora fuit. Nam absurdum erat Deum loquentem mentiri, si nempe Deo hominem si mandatum

Deum dedecebat a homines ob peccatum negligere ac perire sine-

* Ita habet textus Græcus: at in Vulgata sic legitur, *ut ex invisibilibus visibilia fierent.*

re: & legem quam de morte ob peccatum incurrenda tulerat, irritam esse permittere.

datum violaret mori statuente, violato mandato non moreretur, sed irritus fieret ejus sermo. Siquidem verax Deus non fuisset, si illo nos morituros dicente, homo non moreretur. Alia autem ex parte indecorum erat res rationis compotes, & Verbi Dei semel factas participes interire rursusque in nihilum corruptione reverti. Divina enim bonitate indignum prorsus erat res a Deo factas, ob fraudem, qua homines diabolus circumvenit, destrui. In primis vero dedecebat, Dei artem in hominibus vel propter illorum incuriam vel propter dæmonum dolum deleri. Itaque hominibus pereuntibus talibusque operibus in exitium labentibus, quid Deum, qui bonus est, facere oportebat? An sinere ut corruptio adversus illos valeret & mors eis dominaretur? At quid profuisset illos ab initio factos esse? Satius enim erat eos omnino non fieri, quam factos negligi & interire. Siquidem hujusmodi negligentia infirmitatis Dei non bonitatis majus fuisset argumentum; si nimirum opus quod fecerat destrui permisisset, quam si hominem ab initio penitus non fecisset. Si enim non fecisset, nullus esset qui de infirmitate cogitaret: at postquam illum fecit & ut esset creavit, opus perire præsertim in ipsius auctoris conspectu res fuisset perabsurda. Itaque par Deo non erat sinere homines in corruptionem labi, quia id indecorum & indignum divinæ bonitatis erat.

7. Verum quemadmodum ita rem esse decebat: sic rursus e contrario, Deo quoque conveniebat in lege quam de morte tulerat veracem videri. Absurdum enim fuisset Deum veritatis patrem, nostræ utilitatis & conservationis causa mendacem videri. Quid igitur hac in re fieri oportuit, vel quid hic agere Deus debuit? Legis perfractæ pœnitentiam ab hominibus exigere? Id enim Deo dignum esse non immerito quis dixerit, ut quemadmodum ex transgressione corruptioni subjecti fuerunt, sic ex pœnitentia incorrupti iterum fierent. Atqui neque pœnitentia id quod Deo decorum est servabat, quandoquidem si mortem homines effugissent, Deus non verax nihilominus mansisset. Neque etiam pœnitentia naturæ conditionem solvit: sed tantum a peccatis coercet. Unde si solum fuisset peccatum, nec corruptio subsecuta fuisset, recte hic locum habuisset pœnitentia. Sed ubi præeunte transgressione, homines in corruptionem naturæ debitam incurrerunt, & divinæ similitudinis gratia spoliati sunt, quid aliud, quæso, fieri oportuit?

Solum Dei Verbum hominum genus peccatis corruptum reficere & reparare potuit.

vel cujusnam opera ad hujusmodi gratiam & instaurationem præstandam necessaria fuit, nisi Dei Verbi, a quo omnia ex nihilo initio facta sunt? Ipsius siquidem erat id, quod corruptum erat, incorruptum iterum reddere & pro omnibus id quod Patrem decebat servare. Cum enim Patris sit Verbum, & omnibus longe antecellat, solus quoque ipse idcirco universa instaurare poterat: solus idoneus fuit qui pro omnibus pateretur, & pro cunctis apud Patrem intercederet.

8. Itaque hujus rei gratia incorporeum & corruptionis ac materiæ expers Dei Verbum, in nostram regionem advenit, quamquam antea non procul aberat: nulla enim pars mundi illo unquam vacua fuit, sed una cum suo Patre existens omnia ubique implebat. Venit vero sua erga nos benignitate, & quatenus sese palam nobis exhibuit. Nempe cum hominum genus interire, & mortem contra illos corruptione dominari cerneret: cum Dei comminatione & sententia in transgressionem lata, nostri corruptionem corroborari videret, absurdumque esse legem solvi antequam impleretur: cum item attenderet

A non decere ea deleri quorum ipse opifex esset: cumque aliunde conspiceret hominum malitiam supra modum crescere, illamque paulatim contra seipsos adeo auxisse, ut jam amplius tolerari non posset: eum denique omnes homines mortis reos esse videret, nostri ipse generis & infirmitatis misertus, nostraque motus corruptione, nec mortem in nobis dominari ferens, ne scilicet quod factum fuerat periret, suique Patris in homine formando opus vanum fieret, sibi ipsi corpus accepit, idque nostri non dissimile. Nec enim esse tantum in corpore, vel solum apparere voluit. Nam si tantum apparere voluisset,

B potuisset sane aliud præstantius corpus assumere. Verum nostrum corpus accepit, idque non quoquomodo: sed ex inviolata & incorrupta ac viri experte Virgine purum vereque nullius viri conjunctione inquinatum accepit. Nam cum ipse potens & rerum omnium sit effector, sibi in virgine templum, corpus scilicet, extruxit, illudque tanquam instrumentum sibi proprium fecit, in quo se notum faceret & habitaret: sic ergo simili corpore e nostris accepto, quia omnes mortis corruptioni subjecti erant, illud pro omnibus morti traditum Patri summa cum

C benignitate obtulit, cum ut omnibus in ipso morientibus lex de corruptione contra homines lata solveretur, utpote quæ in Dominico corpore suam vim complevisset, nec proinde locum amplius adversus similes homines haberet; tum ut homines in corruptionem reversos, iterum incorruptos redderet, atque a morte ad vitam revocaret, corpore quod sibi assumserat & resurrectionis gratia mortem ab eis, non secus ac stipula ab igne consumitur, penitus amovens.

9. Nam cum Verbum intelligeret non posse ali-

D ter hominum corruptionem solvi, nisi omnino morerentur: cum item fieri non poterat ut Verbum, utpote immortale & Patris filius, moreretur: idcirco corpus quod mori posset sibi assumsit, ut illud Verbi omnium præsidis factum particeps, morti pro omnibus satis esset, atque propter Verbum in se habitans, incorruptum permaneret, ac denique in posterum corruptio resurrectionis gratia ab omnibus discederet. Hinc corpus quod sibi ipse accepit, velut hostiam & victimam omni purum macula morti offerendo, mortem statim ab omnibus similibus, suo pro aliis oblato, propulsavit. Sic enim Dei Verbum

E superius omnibus existens, suum templum & corporeum instrumentum pro omnibus, uti decebat, devovendo & offerendo, id quod debebatur in morte solvit, atque ita omnibus per simile corpus conjunctus incorruptus Dei filius, omnes resurrectionis promissione incorruptos jure & merito reddidit. Ipsa siquidem mortis corruptio nullam jam vim adversus homines habet ob Verbum quod in illis per unum corpus habitat. Nempe quemadmodum si magnus aliquis imperator in insignem aliquam urbem ingressus, in una ejus domo maneret, id maximo honori illi civitati esset, nec eam

F tunc vel hostis vel latro auderet divexare: sed potius ob imperatorem in una ejus domo commorantem diligentissime custodiretur: ita quoque idem in omnium moderatore licet observare. Nam ubi ille in nostram regionem introivit, & sibi domicilium in uno corpore ex nostris elegit, mox omnes hostium adversus homines insidiæ finem habuere, & mortis corruptio, cujus vires adversus illos tantæ antea erant, penitus evanuit. Periisset enim hominum genus, nisi omnium Dominus & servator Dei filius mortem consumturus advenisset.

10. Ce-

10. Ceterum vere magnum hoc opus divinæ bonitati in primis congruebat. Namque si imperator domum sive urbem a se ædificatam, ac deinde civium incuria a latronibus impugnatam nequaquam deserit, sed ut proprium opus defendit & tuetur, neque ad civium inertiam sed ad id quod sibi decorum est respicit: multo magis optimi Patris Deus Verbum in corruptionem abeuntem hominum naturam non dereliquit: sed mortem, io quam illi incurrerant, proprio oblato corpore, delevit, illorumque negligentiam sua doctrina emendavit, & omnia, quæ hominum erant, sua virtute ac poteotia instauravit. Hæc autem theologorum Salvatoris discipulorum auctoritate confirmare poterit quisquis illorum scripta legerit, ubi ajunt: *Charitas enim Christi urget nos, æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est, ut nos non amplius nobis vivamus, sed ei qui pro nobis mortuus est & e mortuis resurrexit, domino nostro Jesu Christo.* Et rursum: *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Postea idem rationem affert cur non oportuerit alium, quam Deum Verbum, hominem fieri: *Decebat enim eum*, inquit, *propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Quibus quidem verbis significat non alterius fuisse, homines ab exorta corruptione revocare, quam Dei Verbi, a quo ab initio creati erant. Quod autem idcirco ipsum Verbum sibi corpus accepit, ut victima pro similibus corporibus fieret, iidem quoque hoc modo declarant: *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Siquidem proprium corpus immolando, legi adversum nos latæ finem imposuit, & vitæ principium, spe resurgendi data, nobis innovavit. Quia enim mors ex hominibus vires in homines acceperat, hinc per Deum Verbum hominem factum, mortis solutio & vitæ resurrectio facta est, uti vir Christo plenus ait: *Quoniam enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Nam sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Et cetera quæ sequuntur. Non enim jam ut damnandi morimur: sed tanquam a mortuis excitandi communem omnium resurrectionem expectamus, quam nimirum propriis temporibus ejus auctor & largitor Deus exhibiturus est. Itaque hæc prima est causa, cur Salvator homo factus est. Præterea eum convenienter admodum ad nos advenisse, ex his quoque licet percipere:

2. Cor. 5. 14.

Heb. 2. 9.

Ib. v. 10.

Ib. v. 14.

1. Cor. 15. 21.

Tanta est humanæ naturæ infirmitas, ut ex seipsa nec Creatorem cognoscere, nec de Deo cogitare queat.

11. Deus, qui rerum omnium Dominus est, cum hominum genus per proprium Verbum creavit, ejus naturæ imbecillitate perspecta, quæ scilicet tanta est ut ex seipsa nec Creatorem cognoscere nec de Deo cogitare possit, quod ille quidem non factus, hæc autem ex nihilo sit facta: ille corporis expers sit, homines vero corporei sint creati: ac denique quod valde multa rebus creatis desint ad Creatoris cognitionem assequendam; idcirco humani generis ille, utpote bonus, misertus, sui cognitione vacuos eos noluit dimittere, ut ne frustra existerent. Quid enim utilitatis rebus factis posset esse, si suum opificem ignorareot? Vel quomodo homines rationis essent participes, si Patris Rationem sive Verbum in quo facti sunt nescirent? Certe nulla in re differrent a brutis animantibus, si nihil præter terrena cognoscereot. Et vero quid Deus illos creavisset, si ab illis noluisset cognosci? Quapropter cum bonus sit, ne id fieret, propriæ imaginis Domini nostri Jesu Christi illos participes reddidit, & ad suam imaginem ac similitudinem fecit, ut hujusmodi gratiæ ope imaginem, Patris videlicet Verbum, animo concipientes, Patris cognitionem per ipsum assequi possent, & Creatorem cognoscendo, felicem ac vere beatam vitam viverent. Verum insani rursus homines hanc etiam sibi impertitam gratiam parvi pendentes, ita sese a Deo averterunt & animam inquinaverunt, ut non solum Dei notionem oblivione deleverint, sed etiam alia pro aliis sibi effinxerint. Nempe simulacra pro veritate sibi formavere, & ea quæ nihil erant Deo qui vere est prætulere, potiusque creaturæ quam Creatori servierunt. Sed quod nequissimum est, etiam ad ligna, ad lapides, & ad omnem materiam atque ad homines Dei honorem traduxerunt, hisque plura, uti supra dictum est, patravere. Siquidem tanta illorum fuit impietas, ut etiam dæmones venerari, & deos appellare, atque illorum parere cupiditati ac libidini non dubitaverint. Namque illis, quemadmodum diximus, & bellùas & homines, ut eos colerent, immolabant, seque in dies, iisdem stimulantibus, fortioribus vinculis astringebant. Hinc ergo artes magicæ apud eos edocebantur, & oracula variis in locis edita miseros homines decipiebant, cunctique sibi & nascendi & existendi causas astra & cetera corpora cælestia esse arbitrabantur, nihilque præter ea, quæ videbaot, cogitabant. In summa, omnia impietate & nequitia erant plena, solusque Deus & ejus Verbum ignorabatur, quamvis seipsum hominibus minime occultaverit, nec simplicem sui cognitionem illis impertiverit, sed variis multisque modis eam eis explicaverit.

Gratia, qua homo ad Dei imaginem factus est, illi ad Deum cognoscendum satis erat.

12. Sufficiebat equidem gratia, qua ad imaginem Dei facti sumus, ad Deum Verbum & Patrem per ipsum Verbum cognoscendum. Verum Deus, cui hominum infirmitas optime erat perspecta, illorum negligentiæ providit, ut nempe si Deum per seipsos cognoscere negligerent, possent ex naturæ operibus Creatorem non ignorare. Quia vero hominum malitia in pejus sensim prolabitur, huic quoque illorum infirmitati prospexit, cum legem & prophetas iisdem notos misit, ut si in cælum suspicere & rerum omnium effectorem agnoscere gravarentur, doceri a proximis possent. Homines enim id, quod melius & præstantius est, ex hominibus propius possunt ediscere. Licebat ergo oculis ad cæli immensitatem erectis, & creatarum rerum ordine & concentu perspecto, ejus ducem & moderatorem, Patris Verbum intelligere, quod sua in res omnes providentia Patrem omnibus indicat, atque idcirco omnia movet, ut Deum omnes per ipsum agnoscant. Si autem id illis erat molestum, saltem sanctos viros audire, ac per eos rerum omnium creatorem Deum, Christi patrem discere poterant, ut & idolorum cultum summa impietate plenum esse. Licebat quoque, lege cognita, omnem coercere nequitiam, rectamque ac honestam vitam ducere. Neque enim propter Judæos solos lex data fuit, aut prophetæ missi sunt: ad Judæos quidem mittebantur, & a Judæis vexabantur: sed totius orbis erant veluti sacrum magisterium cum ad Dei cognitionem docendam, tum ad animam recte instituendam. Quamvis ergo tanta Dei fuerit benignitas & humanitas: attamen homines præsentibus vo-

luptatibus dæmonumque præstigiis ac fallaciis victi, oculos ad veritatem cognoscendam non aperueruot, sed seipsos in plura ac majora vitia & scelera ingurgitarunt, ut jam rationis participes non viderentur, sed ex moribus rationis esse expertes censerentur.

Non propter solos Judæos, sed aliarum etiam gentium gratia lex olim data est & Prophetæ missi sunt.

13. Sic igitur hominibus ad belluarum sortem redactis, & dæmonica fraude ubique instar umbræ incumbente & veri Dei cognitionem obscurante, quid Deum agere oportebat? Remne tam nefandam silere, sinereque homines a dæmonibus decipi, nec Deum agnoscere? Sed quid profuisset hominem ad Dei imaginem ab initio factum fuisse? Vel enim ille rationis eapers, ut brutæ animantes, creandus erat, vel certe factus rationis particeps belluarum vitam vivere non debuit, Quid item illi prorsus profuisset Dei notionem ab initio accepisse? Si enim nunc indignus est qui eam accipiat, certe neque illi ab initio dari oportuit. Quæ porro inde utilitas Deo creatori, quæ gloria redundaret, si homines quos creavit, eum non colerent, sed alios sui effectores esse arbitrarentur? Ita enim videretur Deus noo sibi sed aliis homines creasse. Insuper, Imperator, tametsi bomo, oppida a se constructa in aliorum ditionem & servitutem venire, neque ad alios deficere sinit: sed cives litteris monet, sæpe etiam per amicos illis scribit, ipseque, si exigit necessitas, eos convenit, ut sua præsentia flectat, ea tantum de causa ne aliis serviant, vel irritum opus suum fiat. An non ergo multo magis Deus rerum, quarum creator est, miserebitur, ne a se aberrent, & rebus quæ nullæ sunt serviant, cum præsertim hujusmodi error illis exitii & interitus sit causa? sane perire non decebat res imaginis Dei semel factas participes. Quid igitur Deum agere conveniebat? Quid aliud fieri oportuit, quam illam similitudinem, qua ad Dei imaginem facti sunt, renovari, ut Deum per illam denuo possent homines cognoscere? Qui vero istud fieret, nisi ipsa Dei imago Salvator noster Jesus Christus advenisset? Namque per homines id fieri non poterat, quandoquidem ipsi quoque ad imaginem Dei facti sunt: neque etiam per Angelos, oeque enim ipsi imagines sunt. Quapropter Dei Verbum per seipsum advenit, quo, ut imago Patris, hominem ad imaginem factum reficere posset. Præterea, id quoque fieri non potuisset, nisi morte & corruptione deletis; unde valde congruenter mortale corpus accepit, ut & mors in ipso deleri. & homines ad imaginem facti refici possent. Nemo igitur alius ad id negotii fuit idoneus, nisi sola imago Patris.

Homo refici non potuit, nisi renovata similitudine qua ad Dei imaginem factus est, quod ab alio fieri non potuit, nisi a solo Dei filio, qui est imago Patris.

14. Nam quemadmodum siqua alicujus effigies in tabula aliqua depicta, injectis sordibus fuerit deleta, necesse est eum, cujus illa est effigies, iterum adesse, ut ejus imago in eadem materia possit restitui. Ipsa enim materia propter expressam in se imaginem non projicitur, sed deleta effigies io ea renovatur. Ita sanctissimus Patris filius, qui Patris imago est, ad nos advenit, ut hominem ad sui similitudinem factum reficeret, & tanquam perditum, concessa peccatorum venia, recuperaret, uti ipse in Euangeliis ait: *Veni ut quod perierat invenirem & salvum facerem*. Unde etiam ad Judæos dixit: *Nisi quis renatus fuerit*. Quibus verbis non procreationem ex mulieribus significabat, ut illi quidem suspicabantur; sed animam, quatenus ad imaginem Dei renascitur & reficitur, denotabat. Itaque idololatria & impietate universum terrarum orbem occupante, & Dei cognitione ubique latente, cujus, amabo, erat hominibus Patris cognitionem impartire? Hominisne? Verum non humanæ potentiæ erat universum terrarum orbem peragrare, nec tantum spatii percurrere hominum natura ferebat: nec vero illi ea auctoritate fuissent, ut sibi hac de re fides haberetur, nec denique dæmonum fallaciis & præstigiis per seipsos resistere valebant. Omnium enim animis dæmonica fraude ac idolorum vanitate circumventis & conturbatis, qui fieri poterat, ut hominis animam & hominum mentem cogerent sententiam mutare, cum ab illis ne videri quidem possent? Quod vero non videt quis, quomodo ex sententia deducere potest? Sed forte dixerit aliquis res creatas id præstare potuisse. Verum si potuissent, non tanta profecto mala evenissent. Existebant siquidem res creatæ: at homines nihilominus io eodem circa Deum errore volutabaotur. Cujus ergo alius opus fuit, quam Dei Verbi quod animam & mentem intuetur, omniaque in natura movet, & per illa Patrem notum facit. Ejus enim certe erat, qui propria providentia & rerum universarum dispositione Patris cognitionem docet, eamdem doctrinam renovare. Quomodo igitur id fieri potuisset? Responderit forte aliquis, per eadem potuisse fieri, ita ut scilicet ex creatæ naturæ operibus Pater iterum cognosceretur. Atqui id minime securum erat. Non, inquam, securum erat: idipsum enim prius neglexerant homines; nec jam amplius sursum, sed deorsum defiaos habebant oculos: unde congruenter hominibus prodesse volens, ut homo advenit, sibique simile corpus accepit & ea rebus inferioribus, hoc est, per corporis opera, ut qui Deum ex sua imperio & providentia in res universas intelligere noluerant, saltem ex operibus per corpus editis, Dei Verbum in corpore existens, ac per ipsum, Patrem agnoscerent.

Luc. 19, 10.
Joan. 3. 5.

15. Namque ut optimus magister, qui discipulorum curam habet, illos, quos difficiliora præcepta adjuvare nequeunt, facilioribus erudire non gravatur: ita sane se quoque Verbum gessit, ut & Paulus docet: *Nam*, inquit, *quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*. Quia eoim homines Dei contemplatione repudiata, ac velut in profundo demersi, depressisque in terram oculis, in natura & rebus quæ sentiuntur Deum conquirebant, mortalesque homines nec non dæmones sibi deos effingebant: idcirco humanissimus & communis omnium servator, Dei Verbum sibi corpus accepit, & tanquam homo inter homines versatus est, omniumque hominum sensus assumsit, ut qui in rebus corporeis Deum esse putabant, ex his, quæ Dominus, corporis ministerio, agebat, agnoscerent veritatem, & Patrem per eumdem ipsum intelligerent. Hinc illi, qui & homines erant & humana omnia cogitabant, quocumque converterent sensus, seipsos ibi suscipi & veritatem undique edoceri cernebant. Sive enim creatam naturam admirarentur: eam ipsam Christum Dominum confiteri videbaot. Sive illorum menti digni viderentur homines quos Deos existimarent: sane si Salvatoris opera vellent cum aliorum factis conferre, ex his perspicuum esset solum eum inter omnes homines Filium Dei esse, cum nihil apud illos sit his simile, quæ a Deo Verbo facta fuerunt. Sin autem dæmonibus addicti erant: cum illos a Domino pelli cernerent, solum illum Dei Verbum esse & dæmones deos non esse agnoscere facile poteraot. Sin porro superstitiosus mortuorum cultus illorum animos occupasset, ut & heroas, & quos Poetæ celebraot deos venerarentur: certe ubi Christum resurrexisse viderent, illos mendaces esse, solumque Dominum verum Patris

Ver-

Verbum & mortis Dominum esse fateri coge-rentur. Idcirco igitur natus est, & homo visus est, mortuus est & resurrexit, suisque propriis factis omnie hominum, qui unquam floruerunt, gesta obscuravit, ut quacumque ex parte praeoccupati fuissent homines, inde illos reduceret, & verum sui patrem doceret, uti ipse ait: *Veni* (Luc. 19. 10.) *salvum facere & invenire quod perierat.*

16. Postea enim quam ad res corporeas delapsa est mens hominum, eo se demisit Verbum, ut corpore indutum appareret, quo nempe, ut homo, ad se traduceret homines, illorumque sensus ad se converteret; atque ut iidem homines eum tanquam hominem intuentes, ex his quae ageret operibus crederent ipsum non tantum hominem esse, sed etiam Deum & Dei veri Verbum ac sapientiam. Idipsum sane Paulus (Eph. 3. 17.) voluit his verbis indicare: *In caritate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, & longitudo, & sublimitas & profundum: scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Cum enim Verbum ubique sese explicaverit: sursum & deorsum, in profundum & in latum: sursum quidem, rerum creatione; deorsum vero, humana natura essumte; in profundum autem cum in inferos descendit; in latum denique quatenus universum mundum suo adventu illustravit; omnia profecto Dei cognitione repleta sunt. Eam utique ob rem neque statim atque edvenit, victimam pro omnibus obtulit, corpus morti tradendo, ac illud deinde excitando e mortuis; ita enim potius se nobis occultasset: verum se per illud videndum exhibuit, quatenus in eo permansit, ac ejusmodi opera egit, & signa edidit, quae illum non hominem, sed Deum Verbum esse certissimo essent indicio. Duo enim ista, humana natura suscepta, Salvator benigne praestitit, nempe & mortem a nobis depulit ac nos renovavit: & ipse, qui ex sui natura nec apparere nec videri poterat, per opera apparuit, palamque ostendit se Verbum Patris, mundi ducem & moderatorem esse.

17. Nec enim in corpore circumclusus erat Dei filius, nec sic in corpore erat, ut alibi non esset, aut ita illud movebat, ut res universae ejus efficientia & providentia vacuae manerent: sed quod valde admirabile est, ut Verbum, a nulla omnino re continebatur, sed omnia potius ipse continebat. (Deus secundum substantiam extra universum mundum &c.) Ut enim ipse in omnibus creatis rebus existens, extra universum mundum secundum substantiam, & in omnibus rebus est sua potentia, omniaque edministrat, ac suam providentiam erga omnia in omnibus expandit, singulisque & omnibus simul vitam tribuit; omnia denique continens a nullo continetur, sed in solo suo Patre totus per omnia existit. Sic etiam in humano corpore existens, eique vitam tribuens, rebus quoque universis causa vivendi erat, ac proinde in omnibus rebus aderat, & extra res omnes erat: cumque ex his quae corporis ministerio agebat notus fieret, ex natura quoque effectibus nequaquam latitabat. Itaque animae quidem proprium munus est ea quae extra proprium corpus sunt cogitatione contemplari, non tamen agere extra proprium corpus, vel quae ab illo remota sunt, sua praesentia movere. Nullus siquidem homo res remotas cogitando movet & transfert: neque qui domi sedens caelestia animo considerat, solem idcirco movet, aut caelum volvit: sed illa quidem moveri & facta esse cernit, non tamen ea ipse potest efficere. At non simili modo Dei Verbum in homine erat. Nec enim corpore constringebatur, sed illud potius continebat, ita ut & in illo, & in omnibus, & extra res omnes esset, atque in solo Patre re-

A quiesceret. Hinc, quod quidem per quam mirum erat, ut homo ipse agebat, & ut Verbum vitam omnibus dabat, atque ut Filius una cum Patre erat. Unde neque Virgine pariente ipse patiebatur, neque corpore, in quo erat, inquinabatur, sed potius corpus sanctum efficiebat. Neque enim cum in omnibus existit, omnium fit particeps, sed potius omnia ejus beneficio vivunt & nutriuntur. Nam si sol, quem ille fecit & nos contuemur, dum in caelo volvitur, terrestria corpora attingendo non maculatur, nec tenebris obscuratur, sed potius cuncta ipse illuminat & purgat: multo magis sanctissimum B Dei Verbum, solis effector & dominus, cum se in corpore cognoscendum praebebat, inde non inquinabatur: sed potius ipse corruptionis expers, corpori mortali vitam & munditiam conferebat, *qui peccatum*, inquit, *non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* (1. Petr. 2. 22.)

18. Cum igitur illum manducasse, bibisse & natum esse docent qui haec tractant Theologi, observa quod corpus quidem ut corpus nascebatur & congruentibus nutriebatur alimentis: ipse vero qui corpori conjunctus erat Deus Verbum, omnium gubernator, per ea, quae in corpore agebat, C non hominem, sed Deum Verbum se esse aperte indicabat. (Ipsum Dei Verbum natum & passum esse, comedisse ac bibisse dicitur, quia corpus quod assumsit, ipsius, non alterius, sed ipsius, nec fictum sed verum fuit.) Ista nihilominus de eo dicuntur, quia corpus comedens, nascens & patiens non alterius, sed Domini erat, qui quandoquidem homo factus fuerat, haec quoque de illo tanquam de homine decebat dici, ut verum non autem fictum sive phantasticum corpus habere videretur. Verum quemadmodum ex his corpus eum habere constabat, sic ex operibus quae corpore agebat, se filium Dei esse manifeste ostendebat. Unde & ad Judaeos qui credere renuebant ita ipse clamabat: *Si non facio* (Ioan. 10. 37.) D *opera patris mei, non credite mihi: sin autem facio, & si mihi non credatis, operibus meis credite, ut cognoscatis & sciatis quia Pater in me est & ego in Patre.* Ut enim, quatenus invisibilis est, ex naturae effectibus cognoscitur: ita homo factus & in corpore delitescens, operibus ostendebat eum, qui ille faciebat, non hominem, sed Dei virtutem & Verbum esse. Nam illum daemonibus imperare eosque fugare, non humanum sane sed divinum opus est. Ecquis vero morbos, quibus humanum genus obnoxium est, ab illo sanari cernens, hominem eum non Deum putaE verit? Leprosos enim mundos reddebat, claudis restituebat gressum, surdorum aures aperiebat, visum tribuebat caecis: denique omnes morbos & aegritudines ab hominibus abigebat, ex quibus ejus divinitatem perspicere cuivis profecto erat facile. Ecquis enim illum ea quae natura in ortu negaverat reddere, & ejus, qui caecus natus fuerat, oculos aperire videns, non cogitet ei subdi hominis procreationem, ejusque auctorem illum esse? Nam dubitari non potest quin ille originis hominum sit Dominus qui id, quo homo in ortu caruit, eidem restituit. Hinc cum initio ad nos advenit, ex virgiF ne sibi ipsi corpus formavit, ut omnibus non parvum suae divinitatis argumentum exhiberet, ut scilicet inde pateret, eum, qui corpus illud formaverat, aliorum quoque corporum opificem esse. Nam quis corpus sine viro ex virgine sole prodire attendens non intelligat eum, qui in illo apparet, aliorum etiam corporum effectorem & Dominum esse? Quis aquarum naturam mutatem atque in vinum conversam considerans, non credat hujusce rei auctorem, omnium quoque aquarum esse creatorem? Hinc ergo etiam, ut Dominus, in mare ascendit ibique velut in terra ambulavit, ut hoc facto

sui

sui in res omnes dominatus indicium daret. Cum similiter paucis ex rebus tantam multitudinem aluit, & ex inopia tantam ipse copiam suppeditavit, ut ex quinque panibus quinque millia hominum satiarentur, & tot reliquiæ superessent, nihil profecto aliud docere nos voluit, quam se rerum universarum providentiæ Dominum esse.

19. Hæc autem omnia facere, Salvatori maxime conveniens videbatur, ut quoniam homines providentiam, qua ipse universa administrat, ignoraverant, nec ejus divinitatem per res creatas intellexerant, saltem ex his, quæ per corpus agebat, oculos erigerent, ac per ipsum ad Patris cognitionem pervenirent, suam in res omnes providentiam ex rebus singularibus, ut dixi, percipientes. Quis enim ejus adversus dæmones potestatem, ipsosque dæmones suum illum esse Dominum fateri videns, adhuc dubitabit, an ipse sit Dei filius & sapientia & virtus? Neque vero ipsas res creatas silere permisit, sed, quod singulari admiratione dignum est, etiam in morte, vel potius in ipso de morte erecto trophæo (crucem intelligo) universus mundus eum illum, qui in corpore comparebat & patiebatur, non purum hominem, sed Dei filium & servatorem omnium esse palam prædicabat. Cum enim se sol ab indigno illo spectaculo averteret, cum terra quateretur, montes disrumperentur, & omnes paverent: quid hæc aliud indicabant quam Christum, qui cruci affixus erat, vere Deum esse, universamque naturam illi esse subjectam & suo timore Dominum præsentem testari? Sic itaque ex operibus sese Deus Verbum hominibus notum effecit. Jam vero consequens videtur ut finem ejus cursus & vitæ, quam in corpore egit, qualisque fuerit ejus corporis interitus referamus & scribamus, præsertim cum id fidei nostræ sit caput, & in omnium hominum ore circumferatur, quo nimirum perspicias, ex his quoque nihilominus probari Christum, Deum & Dei filium esse.

20. Itaque quænam corporei ejus adventus causa fuerit, quoad fieri potuit, ex parte & quantum valuimus capere, supra exposuimus. Scilicet nullius alius erat id quod corruptum fuerat incorruptum reddere, quam solius Salvatoris qui idem ab initio omnia ex nihilo fecerat: nec alius erat similitudinem imaginis ad quam homines facti sunt, restituere, nisi imaginis Patris: alius item non erat mortale immortalitate donare, nisi Domini nostri Jesu Christi qui scilicet ipsa est vita: denique alius non erat Patris cognitione homines informare & idolorum cultum evertere præterquam Verbi quod & omnia administrat, & solus verus unigenitus est Patris filius. Quia vero quod ab omnibus debebatur solvi oportebat: nam omnes, ut jam dixi, mori debebant, quæ præcipua ejus adventus causa fuit: idcirco ille, postquam suam divinitatem operibus comprobavit, sacrificium pro omnibus tunc obtulit, cum pro omnibus suum templum morti tradidit, ut omnes a veteri transgressione liberos ac immunes redderet, seque morte fortiorem ostenderet, primitias resurrectionis omnium suum corpus incorruptum exhibens. Nec vero mireris si sæpe eadem repetamus. Nam cum de benigna Dei erga nos voluntate loquimur, idcirco idem verbis multis interpretamur, ne aliquid videamur omisisse, nobisque detur crimini quasi minus quam par erat de re tanta dixerimus. Præstat siquidem eadem sæpius cum vituperationis periculo repetere, quam aliquid eorum quæ litteris mandari debent prætermittere. Itaque corpus quod & ipsum commune cum omnibus naturam habe-

A bat, (nam humanum corpus erat) tametsi novo miraculo ex sola virgine procreatum est, tamen, quia mortale erat, uti alia corpora mortuum est. Quia vero Verbum illud idem sibi assumserat, non secundum propriam naturam corruptum est, sed ob Verbum in se habitans, corruptionis immune est factum. Quocirca duo in re eadem miracula contigerunt; ut scilicet mors omnium in Dominico corpore impleretur, & ut mors ac corruptio propter Verbi conjunctionem destruerentur. Namque morte opus erat, & pro omnibus mors erat obeunda, ut quod omnes debebant solveretur. Quapropter, ut dixi, cum Verbum mori non posset, (nam immortale erat) corpus quod posset mori sibi accepit, quo illud ut proprium pro omnibus offerret; & ut idem ipse, pro omnibus patiendo, ob suum in corpus ingressum, ejus qui imperium mortis habebat, nempe diaboli, irritos conatus redderet, eosque liberaret qui mortis formidine per totam vitam obnoxii erant servituti.

Hebr. 2. 14.

21. Certe postquam communis omnium servator pro nobis mortuus est, nos qui in Christo fideles sumus non jam ut olim ex legis comminatione mortem subimus: (siquidem finem accepit hujusmodi damnatio.) Sed corruptione desinente & evanescente in resurrectionis gratia, jam nunc pro mortali corporis conditione tantummodo tempore illo dissolvimur, quod unicuique Deus definivit, ut præstantiorem resurrectionem consequi possimus. Siquidem instar seminum, quæ terræ mandantur, nequaquam perimus cum dissolvimur, sed velut sati morte per gratiam Christi destructa, resurgemus. Hinc ergo beatus quoque Paulus sponsor resurrectionis omnibus factus ait: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc induerit incorruptionem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: absorpta est mors in victoria: ubi est, mors, stimulus tuus? ubi tua, inferne, victoria?* Sed dixerit aliquis: Si igitur necesse erat illum pro omnibus corpus suum morti tradere, cur non ut homo illud privatim deposuit, sed cruci affixus est? Magis enim eum decebat corpus cum honore deponere, quam hujusmodi mortem cum ignominia pati. Verum hic, quæso, considera an non hæc objectio mere sit humana? Quod autem a Salvatore factum est, vere divinum est ejusque divinitate multis de causis dignum. Primo, mors, qua homines intereunt, illis ex eorum naturæ infirmitate advenit: siquidem idcirco temporè dispereunt, quod diu persistere non queant. Hinc in morbos incidunt, factique infirmi moriuntur. At Dominus non infirmus, sed Dei virtus, & Dei Verbum ipsaque vita est. Si ergo privatim & consueto more corpus in lecto deposuisset, id illi ex naturæ infirmitate accidisse, nihilque amplius aliis hominibus habuisse putaretur. Quia vero & vita & Verbum Dei erat, & mortem pro omnibus suscipi necesse erat: ea de causa quatenus vita & virtus est, in seipso corpus roborabat. Quatenus vero mors subeunda erat, non a seipso sed ab aliis sacrificium perficiendi cepit occasionem. Neque enim par erat Dominum, qui aliorum morbos curabat, morbo ipsum corripi. Nec etiam infirmari debuit corpus, in quo aliorum sanabat infirmitates. Quare igitur non mortem ut morbum impedivit? Quia nempe propter mortem corpus habuit, nec eam illum a se arcere decuit, ne id resurrectioni esset impedimentum. Similiter morbum morti præire indecorum erat, ne istud illius qui in corpore erat infirmitati adscriberetur. An non ergo esurivit? Ita sane est: pro corporis proprietate esurivit: at illud propter Dominum, ad quem pertinebat, fame non interiit,

Qua-

Post Salvatoris mortem qui in Christo fideles sunt, non jam ut olim ex legis comminatione moriuntur.

1. Cor. 15. 53.

Christum morbo interire non decuit.

Quapropter tametsi mortuus est ut pretium pro omnibus solveret, tamen corruptionem non vidit, sed integer resurrexit, quia non alius cujusquam sed ipsius vitæ corpus erat.

Christus non debuit Judæorum mortem sibi inferentium insidias vitare, nec corpus ex morte eximere.

22. At, dixerit aliquis, Judæorum certe insidias vitare debebat, ut scilicet suum corpus penitus immortale servaret. Verum is, qui hæc objicit, audiat id Domino indecorum fuisse. Ut enim non decebat Dei Verbum, quod ipsum vita erat, mortem suo corpori per se inferre: ita nec conveniebat ab aliis illatam fugere, sed illam potius destruendam persequi. Unde valde congruenter neque per seipsum corpus deposuit, neque rursus, insidiantes Judæos fugit. Id porro non signum erat infirmitatis Verbi, sed potius & servatorem & vitam esse indicio erat, quod & mortem ad ejusdem exitium exspectari, & eam oblatam pro omnium salute conficere & explere festinarit. Præterea non ut suæ sed ut hominum morti finem imponeret venit Salvator. Quocirca non propria morte, quam nullam habuit, utpote qui vita ipse erat, corpus deposuit, sed illatam ab hominibus suscepit, ut eam ad suum corpus accedentem penitus interimeret. Insuper, hæc etiam quæ sequuntur probant, dominicum corpus convenienti admodum ratione talem mortem subiisse. Maximæ enim curæ erat Domino de corporis resurrectione quam erat effecturus. Id quippe insigne de morte trophæum fuit, eam omnibus videndam exhibere, omnesque certiores facere a se deletam fuisse corruptionem, & immortalitatem corporibus esse restitutam, cujus veluti pignus nec non futuræ omnium resurrectionis signum, suum corpus incorruptum conservavit. Quod si corpus morbo affectum fuisset, & Verbum in omnium conspectu ab eo discessisset, indecorum profecto fuisset eum, qui aliorum morbos curaverat, proprium instrumentum morbis attritum negligere. Qui enim aliorum infirmitates depulisse crederetur, si in eo proprium templum infirmum fuisset? Vel enim aliis irrisionis ansam dedisset, tanquam qui morbum non posset repellere: vel si potuisset nec id fecisset, erga alios quoque inhumanus haberetur.

23. Si porro absque morbo vel dolore, privatim, seorsumque & in angulo aliquo, vel in solitudine, aut domi, sive ubivis corpus abdidisset, ac post hæc iterum subito comparens seipsum ex mortuis resurrexisse asseverasset, fabulas narrare omnibus certe visus fuisset, multoque magis nulla ipsi de resurrectione loquenti fides fuisset habita, quando nemo prorsus ejus mortis testis adfuisset. Atqui resurrectioni mors præire debet, cum morte non præeunte nulla sequatur resurrectio. Unde si occultus fuisset corporis interitus, sane quia mors latuisset, neque coram testibus obita fuisset, occulta quoque ac sine testibus fuisset ejus resurrectio. Verum enimvero quam ob causam mortem occulte voluisset obire, qui postquam resurrexit, suam resurrectionem palam prædicavit? Vel cur ille qui dæmones coram omnibus expulit, & cæco nato visum restituit, aquamque in vinum mutavit, ut per hæc se Verbum Dei esse fidem faceret, id quod mortale erat non in omnium conspectu incorruptum exhibuisset, quo ipse vita esse crederetur? Quomodo vero ejus discipuli de resurrectione libere loqui ausi fuissent, qui illum prius mortuum fuisse affirmare non possent? Aut quomodo illis eum prius mortuum esse, deinde resurrexisse dicentibus creditum fuisset, nisi eos ipsos, apud quos fidenter loquebantur, ejus mortis testes habuissent? Etenim si morte & resurrectione coram omnibus peractis, Pharisæi credere non solum noluerunt, sed etiam illos, qui resurrectionem viderant, eam negare coegerunt; profecto si occulte hæc acta fuissent, quot, quæso, causas non credendi excogitassent? Quomodo porro mortis interitus aut victoria de eadem reportata nota fuisset, nisi illam in omnium conspectu provocatam, mortuam & sui corporis incorruptione exinanitam ostendisset?

Mors Christi occulta esse non debuit.

24. Ceterum ea, quæ ab aliis forte objici possent, necesse est quoque nostra defensione anteoccupare. Id ergo forte quis proposuerit: Si in omnium conspectu ac coram testibus eum mori oportuit, ut scilicet prædicatio resurrectionis fidem habere posset, saltem honorificam mortem sibi eligere debuit, ut vel crucis ignominiam effugeret. Atqui si id fecisset, suspicioni locum adversus seipsum dedisset, quasi qui non qualibet morte esset fortior, sed illa duntaxat quam elegisset: ac proinde non minor fuisset occasio fidem resurrectioni derogandi. Unde non ex seipso, sed ex insidiis corpus mori voluit, ut nimirum quam illi mortem Salvatori inferrent, eam ipse destrueret. Ac veluti generosus pugil prudentia & fortitudine æque insignis, non ipse sibi adversarios eligit, ne cui timiditatis erga aliquos suspicionem moveat: sed id spectatorum, maximeque si illos adversarios patiatur, arbitrio permittit, ut prostrato ac devicto quemcumque illi objecerint, omnibus fortior habeatur; ita quoque omnium vita, Dominus & Salvator noster Christus non per se mortem corporis delegit, ne aliam reformidare videretur, sed ab aliis & præcipue ab hostibus injectam, quam asperam illi & ignominiosam fugiendamque arbitrabantur, ipse in cruce subire non renuit, ut morte dissoluta, ipse quidem vita esse crederetur, & mortis imperium funditus everteretur. Mirum ergo quiddam & inexpectatum accidit, ut quam illi ignominiosam mortem inferre putabant, ea adversus ipsam mortem trophæum esset. Hinc neque Joannis mortem capitis amputatione passus est, neque sicuti Esaias sectus est, ut & in morte corpus sine divisione integrum servaret, & nulla causa his suppeteret qui Ecclesiam vellent discindere.

Christus non honorificam mortem eligere, nec crucis ignominiam refugere debuit.

25. Et hæc quidem ad externos qui sibi ipsis argumenta solent accumulare: si quis vero ex nostris non contendendi sed discendi studio quærat, cur non aliam quam crucis mortem toleraverit: audiat etiam iste, idcirco hoc mortis genus Dominum pertulisse, quia nulla alia nobis conducebat. Nam si ideo venit ut maledictionem, in quam incideramus, portaret: quomodo aliter factus fuisset maledictio, nisi maledictionis mortem suscepisset? Ea autem crux est: nam scriptum est: *maledictus qui pendet in ligno*. Deinde, si mors Domini pretium est omnium, ejusque morte medius paries maceriæ solvitur, ac fit vocatio gentium: quomodo nos convocasset, nisi fuisset crucifixus? siquidem in sola cruce extensis manibus mori quis potest. Quocirca id mortis genus Dominum pati & manus extendere decuit, ut altera veterem populum, altera gentes attraheret, ac utrosque in seipso conjungeret. Id quippe & ipse dixit significans qua morte omnes esset redempturus: *Cum exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum*. Præterea, si diabolus nostri generis hostis, e cælo delapsus, circa hunc infimum aerem vagatur, ubi aliis dæmonibus utpote in contumacia sui similibus imperans, eorum opera homines præstigiis seducit, & his qui sursum tendunt obstare nititur; qua de re Apostolus: *Secundum principem potestatis aeris spiri-*

Idcirco crucis mortem Dominus pertulit, quia nulla alia nobis conducebat.

Galat. 3. 3.

Mors Christi pretium est omnium.

Eph. 2. 14.

Joan. 12. 32

Diabolus circa infimum aerem vagatur, ibique aliis dæmonibus imperat.

Ephes. 2. 2.

spiritus qui nunc operatur in filiis contumaciæ: si insuper venit Dominus ut diabolum prosternat, aerem purget, ac nobis viam in cælum *per velamen, id est, carnem suam*, ut ait Apostolus, aperiat: denique si id morte faciendum fuit, quanam, amabo, alia morte hæc potuissent peragi, nisi ea quam in aere in cruce pertulit Dominus? Solus enim ille in aere moritur qui in cruce vitam ponit. Quapropter hujusmodi mortem convenienter subiit Dominus. Hoc enim modo sursum elatus, aerem a diabolicis omnibusque dæmonum insidiis purgavit, uti his verbis testatus est: *Videbam satanam sicut fulgur cadentem*. Iter autem ad cælum nobis instauravit dicens: *Attollite portas, Principes, vestras, & elevamini, portæ æternales*. Nec enim Verbum opus habuit ut januæ reserarentur, cum sit Dominus omnium; nec quicquam ex rebus creatis Creatori clausum erat: sed nos ipsi, quos proprio suo corpore sursum efferebat, opus bis habebamus. Nam quemadmodum corpus pro omnibus morti tradidit: sic etiam per idem illud, iter in cælum aperuit.

Hebr. 10. 20. Luc. 10. 18. Psal. 23. 7.

26. Recte ergo & convenienter admodum mortem pro nobis in cruce toleravit: cujus quidem rei causa omni ex parte rectæ rationi valde est consentanea, cui nempe sit evidens ac perspicuum salutem omnium non potuisse aliter quam per crucem restitui. Namque ne sic quidem ille vel in cruce ignotus esse passus est, sed imo creatam naturam Creatoris præsentiam mirum in modum voluit testificari. Templum quoque suum nempe corpus non diu exanime jacere sivit, sed cum illud mortis congressu mortuum ostendisset, tertia die statim a mortuis excitavit, corporis incorruptionem & indolentiam, veluti trophæa & palmas, morte victa reportans. Poterat quidem statim post mortem corpus exsuscitare & vivum iterum ostendere. Verum id non sine magna providentia facere noluit Salvator. Siquidem inde potuisset aliquis suspicari illud nequaquam mortuum esse, vel non omnino a morte tactum fuisse, si illico resurrexisset. Fortassis etiam si eodem temporis spatio mors & resurrectio evenissent, incorruptionis decus incertum & ignotum fuisset. Quocirca, ut corpus mortuum fuisse constaret, media una die passum est Verbum, & corpus tertia die omnibus incorruptum ostendit. Itaque ut corpus vere mortuum fuisse manifestum esset, illud tertia die exsuscitavit. Ne autem id incredibile videretur, aliudque eum habere corpus putarent homines, si nimirum non nisi post multum temporis, cum jam penitus fuisset corruptum, illud vitæ reddidisset: (nec enim defuissent qui propter longiorem moram fidem non adhiberent, & quæ acta essent obliviscerentur.) idcirco non amplius quam tres dies expectavit, neque illos qui se de resurrectione dicentem audierant in longius distulit: sed cum ejus verbis illorum aures adhuc personarent: cum eum adhuc attentis expectarent oculis, & animo essent suspensi: cum adhuc in terra viverent & iisdem in locis versarentur qui illum occiderant & mortis dominici corporis testes erant: ipse Dei Filius corpus, quod trium dierum spatio mortuum fuerat, immortale & incorruptum exhibuit, palamque factum est non imbecillitate naturæ Verbi inhabitantis mortuum esse corpus, sed ut mors virtute Salvatoris in ipso destrueretur.

Non diutius vel brevius quam triduum corpus Christi mortuum jacere debuit.

27. Mortem enim dissolutam esse & cruce devictam, nec eam amplius vim ullam habere, sed vere mortuam esse, non tenue argumentum sed certissimum indicium est, quod ab omnibus Christi discipulis illa contemnatur, omnesque eidem insultent, nec jam ab illis timeatur, sed signo crucis & fide Christi tamquam mortua conculcetur. Olim siquidem ante divinum Salvatoris adventum, ipsis etiam sanctis mors erat terribilis, cunctique eos qui moriebantur tamquam pereuntes deflebant. Jam autem postquam Salvator corpus suum a mortuis excitavit, mors non amplius terribilis est, sed omnes, qui Christo credunt, eam tamquam quæ nihil sit calcant, potiusque mori eligunt quam fidem Christi negare. Nimirum certo sciunt se moriendo non perire, sed vivere & incorruptos per resurrectionem fieri. Ille autem qui nobis antea morte improbe insultabat diabolus, solutis mortis doloribus, solus vere mortuus mansit; cujus quidem rei signum est, quod homines antequam Christo credant mortem ut terribilem intueantur & refugiant: postea vero quam ad illius fidem & doctrinam transierint, adeo fortiter mortem spernunt, ut & mira alacritate ad eam properent & testes fiant resurrectionis quam Salvator contra illam produxit. Hinc ipsi etiam infantes mori festinant, seseque contra mortem non viri tantum sed & mulieres exercent. Ita scilicet infirma facta est ut & mulieres, quas prius deceperat, nunc illi velut mortuæ & dissolutæ illudant. Quemadmodum enim si tyrannus aliquis a vero rege superatus, manibus ac pedibus vinciatur, nemo jam illac transierit, quin eum irrideat, verberet ac distrahat, ejus furorem & sævitiam ob victoriam a rege de illo reportatam non amplius extimescens: ita devicta morte & a Salvatore in cruce velut in cippo pedibus manibusque ligatis exposita, omnes, qui in Christo transeunt, eam intrepide calcant, & Christo dantes testimonium, mortem derident & acriter objurgant ea quæ supra scripta sunt dicentes: *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi tuus, inferne, stimulus?*

Mors quæ etiam sanctis antiquis terribilis videbatur, a Christi discipulis, utpote a Christo victa & prostrata contemnitur ac calcatur.

Act. 2. 24. 1. Cor. 15. 55. Osee 13. 14.

28. Num igitur tenue & exile istud est mortis imbecillitatis indicium? Num leve est victoriæ de ea a Salvatore reportatæ argumentum, quod Christiani pueri & puellæ præsentem vitam despiciant, & mortem meditentur? Homo quidem ex natura mortem corporisque dissolutionem reformidat: unde id summopere admirandum est, quod qui crucis fidem induit, ea quæ sunt secundum naturam respuat, nec mortem propter Christum pertimescat. Nimirum quemadmodum si quis, cum ignis vim naturalem comburendi habeat, aliquid esse diceret quod flammam ejus non metueret, sed potius ejus argueret infirmitatem, quale scilicet de Indorum * amianto retur: cui ista asseveranti si quis credere nolens, rem ipsam per se vellet experiri, is amiantum induens, eumque igni objiciens, ita profecto ipsius ignis contra amiantum imbecillitatem exploratam per se ipse haberet: vel quemadmodum si quis vinctum tyrannum videndi desiderio teneretur, necesse est se in regionem & imperium victoris conferat, illicque eum, qui aliis formidandus erat, factum inbecillum intuetur. Ita si quis post res tantas, post tot in Christo effectos martyres, post quotidie irrisam mortem ab insignioribus Christi athletis; si quis, inquam, post hæc omnia non credat, adhucque dubitet utrum mors destructa sit & finem habuerit: recte quidem aget si rem tantam admi-

* Amiantus, teste Plinio Natur. Histor. lib. 36. lapis est alumini similis. Ex eo telas texi ait Diosc. lib. 5. c. 915. quæ in ignem injectæ ardent quidem, non autem comburuntur, sed splendidiores evadunt.

admiretur. Veruntamen ne difficilis fiat ad credendum, nec impudens sit in rebus adeo evidentibus; sed ut ille qui amiantum accepit, eum ab igne non comburi cognoscit, ut item ille qui vinctum tyrannum videre cupit, in victoris imperium transit: ita si quis de morte victa dubitet, Christi fidem accipiat, & ad ejus scholam transeat, tuncque mortis imbecillitatem, ac de ea reportatam victoriam videbit. Siquidem multi qui prius credere renuerant ac nos irriserant, postquam crediderunt, adeo fortiter mortem contemsere, ut etiam ipsi martyres Christi fierent.

29. Porro si signo crucis & Christi fide mors conculcatur: judice veritate, concludendum est neminem alium præter ipsum Christum esse, qui palmas & triumphos de morte retulerit eamque debilitaverit: si item mors, quæ antea multum valebat, & hanc nb causam terribilis erat, jam post Salvatoris adventum & ejus corporis mortem ac resurrectionem contemnitur; sane inde manifestum fuerit mortem ab ipso Christo, qui in crucem ascendit, deletam & devictam esse. Namque non secus ac post noctem oriente snle totumque terrarum orbem suis radiis illuminante, nemini dubium est, quin sol, qui suam lucem ubique diffundit, ipse etiam sit qui tenebras repulerit & cuncta illustrarit: ita cum mors contemni & calcari cœperit ex quo Salvator corpore indutus ad nos salutariter advenit ac in cruce mortuus est; inde sane evidens est ipsum Salvatorem, qui in corpore apparuit, mortem destruxisse, quotidieque in suis discipulis trophæa de illa excitare. Si quis enim viderit homines natura imbecilles ad mortem fidenter convolare, nec ejus corruptinnem formidare, aut descensum ad inferos refugere, sed alacri animo illam provncare; nec tormenta timere, sed potius Christi amore mortem præsenti vitæ præferre: si quis item spectator fuerit virorum, mulierum tenerorumque puerorum qui, sua in Christum pietate impulsi, ad mnrtem concurrunt & properant; quis ita stolidus, vel incredulus aut mente obcæcatus fuerit, ut non intelligat & cogitet Christum, cui testes esse merentur homines, singulis victoriam adversus mortem tribuere & concedere, illamque in omnibus, qui ejus fidem habent, & crucis signum gerunt, infirmare? Enimvero qui serpentem proteri cernit, maxime si ejus feritatem antea non ignoraverit, nihil jam dubitat quin ille mortuus penitusque extinctus sit, nisi forte is mente captus fuerit, nec sanos corporis habuerit sensus. Quis enim leonem pueris ludibrio esse videns ignoret vel illum mortuum esse, vel saltem vim suam nmnem amisisse? Itaque quemadmodum hæc vera esse ipsis etiam oculis patet: sic, quandoquidem mors a Christi fidelibus irridetur & contemnitur, nemo jam credere refugiat, nemo jam dubitet quin mors a Christo destructa ejusque corruptio dissnluta & deleta fuerit.

30. Itaque mortem a Christn esse extinctam, & crucem dominicam trophæi instar adversus illam fuisse collocatam non levi argumento sunt ea, quæ diximus. Quod autem immortalis corporis resurrectio a communi omnium servatore Christn, qui vera vita est, effecta fuerit, res ipsæ multo evidentius quam verba probant his scilicet qui sanum habent mentie oculum. Si enim, ut ostendimus, mors destructa est, eamque omnes propter Christum conculcant: multo magis ipse illam proprio corpore primus conculcavit & destruxit. Morte porro ab illo interemta quid restabat nisi ut corpus resurgeret, & trophæum adversus mortem fieret? Quomodo enim mors destructa esse videretur, nisi dominicum corpus resurrexisset? Si cui autem hæc ad ejus resurrectionem prnbandam satis non fuerint, saltem ex his quæ oculis obvia sunt fidem dictis habeat. Nam si mortuus nihil prorsus agere potest, sed ejus memoria usque ad sepulcrum dumtaxat viget, ac deinceps desinit: si vero soli viventes agunt, snlique apud homines aliquid possunt efficere; videat certe qui velit & ex his quæ viderit veritatem seipso judice fateatur. Cum enim tot & tanta Salvator in hominibus efficiat; cum tot undique Græcis & Barbaris occulte quotidie persuadeat ut suam fidem amplectantur, & suæ doctrinæ nmnes obediant: num adhuc dubitabit aliquis utrum a Salvatore facta sit resurrectio & vivat Christus, imo vero ipse sit vita? An ergo mortui est mentes hominum ita compungere, ut patriis legibus repudiatis, Christi doctrinam sequantur? Aut si nihil agit (nam id mortui proprium est) quomodo ipse agentes & viventes ab agendo coercet, ita ut adulter jam non adulteret, homicida non interficiat, injustus neminem fraudet, & ex impio pius quis evadat? Qui fieri potest, si non resurrexit, sed mortuus est, ut dæmones, quos deos false appellant & venerantur infideles, ipse expellat, persequatur & profliget? Ubi enim Christus Christique fides nominatur, inde nmnis idololatria exturbatur, omnes statim dæmonum fraudes ac fallaciæ patefiunt, nullusque dæmon vel ipsum solum nomen ferre potest, sed eo vel audito mox aufugit & abit. Hoc profecto mortui non opus est, sed viventis maximeque Dei. Præterea ridiculum fuerit viventes putare dæmnnes quns ille pellit, & idola quæ destruit, eum vero mnrtuum dicere qui illos pellit, & sua virtute efficit ut ne appareant quidem, quem etiam ipsi omnes fatentur esse Filium Dei.

Christus occulte hominum mentes movet.

31. Grave autem in eos, qui de resurrectinne dubitant, istud fuerit argumentum, si nempe Christum, quem mortuum ipsi putant, universi dæmones ac dii, quos colunt, non persequantur, sed potius ipse Christus omnes illos mortuos esse convincat. Si enim verum sit mortuum nihil agere, tot autem & tanta quotidie agat Christus, qui nempe homines ad pietatem attrahit, qui illis ut virtutem sectentur persuadet, qui eos immortalitatem docet, & rerum cælestium desiderio inflammat, qui sui patris cognitionem iisdem impertit, vimque contra mortem infundit, qui denique singulis seipsum patefacit & impiam idolorum evertit superstitinnem: cum contra nihil simile efficere possint infidelium dii & dæmones, sed potius Christi præsentia mortui fiant, eorumque præstigiæ irritæ reddantur: siquidem signo crucis omnis ars magica deficit, incantamenta omnia evanescunt, idola deseruntur & relinquuntur, sedaturque insana & turpis voluptas, ac quilibet jam e terris in cælum suspicit; quis, quæso, mortuus dicendus est? Christus ne qui res tantas efficit? Atqui non proprium est mortui agere. An non potius is qui nihil prorsus agit, sed velut inanimus jacet, quod jam dæmonibus & idolis utpote mortuis convenit. At Filius Dei vivus & efficax quotidie agit & omnium salutem efficit: contra vero mortem magis in dies infirmari, idolaque & dæmnnes magis ac magis mortuos fieri ita clarum est, ut nemo jam amplius de Christi corporis resurrectione dubitare possit. Si quis autem adhuc fuerit qui Domini corpus resurrexisse credere renuat, is sane Dei Verbi & Sapientiæ vim

Signi crucis effectus.

vim ignorare videtur. Si enim vere corpus accepit, illudque convenienti ratione sibi proprium reddidit, ut nostra oratione exposuimus: quid, quæso, de illo Dominum facere oportebat, vel quis corporis finis esse debuit, postquam semel ad illud accessit Verbum? Nec enim poterat non mori, cum mortale esset & pro omnibus morti offerretur, quæ quidem causa fuit cur sibi illud Salvator aptaverit: mortuum quoque manere non potuit, quia vitæ templum factum fuerat. Quapropter mortuum quidem est, ut mortale: revixit vero, quia vitam in se continebat, cujus sane resurrectionis indicia ipsa sunt opera.

32. Quod si ideo resurrexisse non creditur, quia non videtur; quid aliud superest quam ut ea quæ naturæ propria sunt negent hujusmodi homines? Siquidem Dei proprium est, non quidem videri, sed ex operibus cognosci, uti supra diximus. Itaque si desunt opera, recte ei non apparenti credere recusant. Sin autem ipsa clamant opera & rem manifeste probant; cur ultro tam claram resurrectionis vitam negant? Etsi enim mente sint obcæcati, externis tamen sensibus invictam Christi potentiam & divinitatem licet illis aspicere. Ut enim cæcus tametsi solem non videt, attamen calore quem producit percepto, solem super terram esse intelligit: ita qui contradicunt, quamvis nondum credant, quippe qui adhuc circa veritatem cæci sint, aliorum saltem qui credunt fortitudine cognita, Christi divinitatem & factam ab illo resurrectionem negare non debent. Nam si Christus mortuus jaceret, certe dæmones non fugaret, nec idola exspoliaret; nec enim mortuo obtemperarent dæmones. Sed si ejus nomine prolato palam fugantur: mortuum illum non permanere certissimum hoc indicium fuerit, præsertim cum dæmones qui ea, quæ ab homine non videntur, ipsi vident, cognoscere facile possent, an vere Christus mortuus jaceret, nec proinde illi morem gererent. Nunc autem illum ipsum, cui impii non credunt, vident dæmones Deum esse, eamque ob causam fugiunt ac coram eo procidunt, eadem quæ olim, cum in corpore esset, dicentes [Luc. 4. 34.]: *Novimus te quis sis, tu es Sanctus Dei.* Et [Marc. 5. 7.], *Sine, quid tibi & nobis, Fili Dei? Obsecro te, ne me torqueas.* Fatentibus itaque dæmonibus, factisque quotidie testantibus, nullus jam veritati impudenter resistat, sed omnes pro certo habeant Salvatorem corpus suum exsuscitasse, & verum esse filium Dei, ex quo videlicet tanquam ex patre proprium Verbum, sapientia & virtus existit, qui postea salutis omnium causa corpore assumto, Patris cognitione mundum universum illustravit, mortem destruxit, atque omnibus, resurrectionis promissione, ut incorrupti essent donavit, cujus primitias proprium corpus e mortuis excitavit, quod & trophæum de morte & ejus corruptione, signo crucis, exhibuit.

33. Cum porro res ita se habeant, manifestumque sit corpus Domini resurrexisse & mortem a Salvatore fuisse devictam, age, Judæorum quoque infidelitatem & Gentium cachinnos retundamus. [Judæi & Gentiles refellantur.] Hic enim pariter Judæi non credunt & Gentiles rident, qui & crucis ac Dei Verbi hominis facti dedecus, ut ipsis quidem videtur, vehementius insectantur. Verum utrisque mea oratione occurrere nihil gravabor, maxime cum adversus illos evidentia suppetunt argumenta. Siquidem Judæi non credentes habent unde convincantur, scripturas nimirum sacras, quas & ipsi legunt. Namque libri Deo afflante scripti hæc passim variis in locis docent, uti ipsis verbis liquet. Prophetæ quidem jam olim Virginis & prolis ex ea nasciture miraculum his verbis prædixere [Matth. 1. 23. Esa. 7. 14.]: *Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.* Similiter Moyses vir vere magnus, quem & ipsi veracem credunt, quod dictum erat de humana natura a Salvatore assumenda, tanquam rem magni momenti expendit, ejusque cognitam veritatem ita litteris consignavit [Num. 24. 17.]: *Orietur stella ex Jacob, & homo ex Israel & percutiet duces Moab.* Et rursus [Ibid. v. 5.]: *Quam pulcræ tuæ domus, Jacob, tabernacula tua, Israel! Ut valles umbrosæ, & ut horti juxta fluvios, & ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri secus aquas. Egredietur homo ex semine ejus, & dominabitur in multis gentibus.* Et iterum Esaias: *Antequam sciat puer vocare patrem vel matrem, auferet fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum* [Esa. 8. 4.]. Quod ergo homo futurus sit, his prænunciatur: quod autem is qui venit Dominus sit omnium, sequentia præmonstrant verba: *Ecce Dominus sedet in nube levi, & veniet in Ægyptum, & concutientur simulacra Ægypti* [Ib. 19. 1.]. Nam & inde illum Pater revocat dicens: *Ex Ægypto vocavi filium meum* [Osee 11. 1.].

34. Neque etiam mors ejus fuit silentio prætermissa, sed valde aperte in divinis scripturis indicata est. Namque & causam mortis, quod scilicet non propter seipsum sed pro omnium immortalitate & salute eam sustinuerit, & Judæorum insidias nec non injurias quibus eum affecere, narrare non reformidarunt, ut videlicet nemo his non auditis erraret: sic ergo ajunt [Esa. 53. 3.]: *Homo qui in vulnere est, & scit ferre infirmitatem, quia aversus est vultus ejus, despectus est, nec reputatus est: ipse fert peccata nostra, & pro nobis dolore afficitur, & nos putavimus eum esse in labore, & in vulnere, & in afflictione. Ipse vulneratus est propter peccata nostra, & languidus factus est propter iniquitates nostras: disciplina pacis nostræ super eum. Cicatrice ejus nos sanati sumus.* Admirare Verbi erga homines amorem, qui ignominia, nostri gratia, affectus est, ut nobis gloriam compararet. *Omnes enim*, inquit, *quasi oves erravimus, homo in via sua erravit: & Dominus tradidit ipsum peccatis nostris, & ipse quia affligitur non aperit os suum* [Ibid. v. 6.]. *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce: sic non aperit os suum; in ejus humilitate judicium ejus sublatum est* [Act. 8. 32.]. Deinde, ne quis eum vulgarem hominem, ex his quæ patitur, suspicetur, hominum opiniones præoccupat, ejusque potentiam ac naturæ differentiam his verbis Scriptura explicat: *Generationem ejus quis enarrabit? quia tollitur e terra vita ejus, ab iniquitatibus populi ductus est in mortem: & dabo malos pro sepultura ejus & divites pro morte ipsius, quia iniquitatem non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus: & Dominus vult mundare eum a plaga* [Esa. 53. 8.].

35. Sed forte auditis de ejus morte vaticinationibus, cupis quoque discere quænam crucem præsignificaverint? neque enim id omissum est, sed clarissime a viris sanctis est expressum. Nam primus id Moyses magna voce prænunciavit dicens [Deut. 28. 65.]: *Videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros, nec credideritis.* Alii quoque qui Moysem secuti sunt Prophetæ idem ita testificantur: *Ego vero quasi agnus innocens qui immolandus ducitur, non cognovi* [Jerem. 11. 19.]. *Super me cogitaverunt malam cogitationem, dicentes: Venite & injiciamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium.* Et rursus [Psal. 21. 17.]: *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Mors porro in aere & in ligno tolerata, non alia certe fuerit quam ipsa

crux;

crux, nullaque in morte pedes & manus perforantur, nisi in sola cruce. Quia vero Salvatoris adventu omnes ubique gentes Deum cognoscere cœperint, neque etiam id sine signo reliquerunt, sed luculenta hac de re mentio fit in sacris litteris. *Erit enim*, inquit, *radix Jesse, & qui exurgit regere gentes: in eum gentes sperabunt*. Et hæc quidem pauca ad eorum quæ facta sunt confirmationem sint dicta. Omnis autem Scriptura plena est testimoniis quibus Judæorum infidelitas confutatur. Quis enim unquam justorum sanctorumque Prophetarum & Patriarcharum, qui in divinis litteris commendantur, ex sola virgine ortus est? vel quæ mulier sine viro hominem generare potuit? An non Abel ex Adam natus est, Enoch ex Jared, Noe ex Lamech, Abraham ex Tharra, Jacob ex Isaac? An non Judas ex Jacob, Moyses & Aaron ex Amram, Samuel ex Elcana? An non David ex Jesse, Salomon ex David, Ezechias ex Achaz, Josias ex Amos, Esaias ex Amos, Jeremias ex Helcia, Ezechiel ex Buzi genitus est? An non singuli sui ortus auctorem patrem habuere? Quis ergo ex sola virgine natus est? Namque hujus rei signum magnæ curæ fuit Prophetæ. Cujus item partui sidus in cælis præcucurrit, & natum mundo indicavit? Nam Moysis ortum parentes celaverunt. David autem ne vicinis quidem notus erat, quippe quem nec magnus Samuel cognosceret, sed sciscitabatur an alius esset filius Jesse? Abraham vero grandis tantum factus proximis agnitus est. At Christi nascentis non homo testis fuit, sed stella quæ in cælo unde & ipse descenderat apparuit.

Esa. 11. 10. Rom. 15. 12.

Nemini Prophetarum vel Patriarcharum ea, quæ de Christo Scripturæ prædixerunt, convenire possunt, sed soli Christo.

36. Quis unquam regum, antequam patrem vel matrem appellare possent, regnavit & palmas de hostibus retulit? An non David triginta annos natus, & Salomon adolescens factus regnaverunt? An non Joas septimo ætatis anno, & posterior item Josias circa septimum annum imperium susceperunt? Atqui qui ista erant ætate, patrem utique vel matrem vocare valebant. Quis itaque ille qui fere antequam nasceretur regnavit & hostes expoliavit? Quis talis rex extitit in Israel & in Juda in quo omnes gentes spem suam collocarint & pacem habuerint? Inquirant & dicant Judæi. An non potius ipsis undique gentes adversabantur? Nam quamdiu stetit Jerusalem, fuit illis cum ea bellum implacabile, cunctique adversus Israelitas pugnabant, quippe quos Assyrii premerent, Ægyptii persequerentur, Babylonii incursionibus vexarent: & quod mirum est, vicinos Syros hostes quoque habuere. An non enim David bellum adversus Moabitas gessit, & Syros profligavit? An non Josias sibi a proximis cavebat, & Ezechias arrogantiam Sennacherib formidabat? An non contra Moysem Amalec duxit exercitum, eique Amorrhæi resistebant? An non cives Jericho cum Jesu filio Nave dimicabant? Denique nulla erant inter gentes & Israel amicitiæ fœdera. Quis itaque ille sit in quo gentes spem ponant, disquirere operæ pretium fuerit. Nam esse aliquem necesse est, quandoquidem fieri non potest ut Propheta mentitus sit. Quis item sanctorum Prophetarum & veterum Patriarcharum in cruce pro omnium salute obiit? Vel quis pro omnium sanitate vulneratus & occisus est? Quis justorum aut regum in Ægyptum descendit, ejusque adventu Ægyptiorum idola corruerunt? Abraham quidem illuc descendit: at nihilominus idololatria ibidem viguit. Illic & Moyses natus est: sed eadem quæ antea permansit errantium superstitio.

4. Reg. 11. & 22.

37. Quis inter eos, quos Scriptura commemorat, manibus & pedibus perfossus vel in ligno suspensus atque in cruce pro omnium salute mortuus est? Namque Abraham in cubili obiit: similiter Isaac & Jacob pedibus in lecto extentis mortui sunt. Moyses & Aaron in monte, David domi nullas populorum insidias passus interiit; licet enim a Saule ad necem conquisitus fuerit, tamen sine damno evasit. Sectus est quidem Esaias, at in ligno non fuit suspensus. Jeremias contumeliis affectus est, sed non condemnatus periit. Ezechiel passus est, at non pro populo, sed quia adversa populo eventura prædicebat. Præterea hi, qui ista patiebantur, homines erant, quales sunt omnes naturæ similitudine. Quem vero Scripturæ pro omnibus passurum prænuntiant, non simpliciter homo, sed omnium vita dicitur, etiamsi secundum naturam hominibus similis fuerit. *Videbitis enim*, inquit, *vitam vestram pendentem ante oculos vestros*. Et, *Generationem ejus quis enarrabit?* Siquidem omnium Sanctorum generationem si quis didicerit, eam ab origine repetere, & unde quisque ortus sit enarrare facile poterit. At ejus qui vita est generationem narrari non posse divina declarant oracula. Quis igitur ille est, de quo hæc loquuntur divinæ Scripturæ? Quis tantus ille est, ut & Prophetæ de illo tanta prænuntiaverint? Certe nullus alius in Scripturis reperitur præter communem omnium servatorem Dei Verbum, dominum nostrum Jesum Christum. Hic enim ille est, qui ex virgine prodiit, & homo in terris visus est, & cujus corporea generatio enarrari nequit: siquidem nemo est, qui ejus patrem secundum carnem indicare possit, cum ejus corpus non ex viro sed ex sola sit virgine. Quemadmodum ergo Davidis & Moysis omniumque Patriarcharum patres numerari possunt: ita nemo est qui corpoream Salvatoris ex viro generationem narrare queat. Hic ille est qui sui corporis ortum stella commonstrari voluit. Decebat enim Verbum e cælo descendens, e cælo quoque indicari: decebat naturæ regem prodeuntem, palam ab universa natura agnosci. In Judæa nascebatur, & Persæ eum adoraturi veniebant. Hic ille est qui, priusquam in corpore appareret, victoriam de adversantibus dæmonibus reportavit ac de idololatria triumphavit. Hinc ergo omnes undique gentes patrium morem & idolorum impietatem detestati, suam jam spem in Christo collocant, seque ei adsciscunt, uti vel oculis licet aspicere. Neque enim unquam alias Ægyptiorum impietas dissoluta est, nisi cum Dominus omnium velut in nube vectus, corpore illuc ivit, idolorumque errorem evertit, & omnes ad seipsum, & per seipsum ad Patrem convertit. Hic ille est, qui sole, natura, atque his ipsis, qui eum interfecere, testibus, crucifixus est: cujus morte salus omnibus exorta est, & omnis natura liberata est. Hic ille est omnium vita, qui & tanquam ovis pro omnium salute, suum corpus pro aliis morti tradidit, licet nolint credere Judæi.

Deuteron. 28. 66. Esa. 53. 8.

38. Enimvero si hæc ad faciendam fidem satis esse non arbitrantur, saltem ex aliis, quæ ipsi habent, oraculis id sibi persuaderi velint. De quo enim dicunt Prophetæ: *Palam apparui his qui me non quærebant: inventus sum a non interrogantibus me. Dixi, Ecce sum, genti quæ non invocavit nomen meum: expandi manus meas ad populum non obedientem & contradicentem.* Quis, quæso, ille est qui palam apparuit? dixerit quis ad Judæos. Nam si Prophetam volunt esse, dicant quandonam abscondebatur ut postea appareret? Qualis vero ille est Propheta qui ex occulto manifestus

Esa. 65. 1.

factus eſt, & manus in cruce extendit? Nullus certe juſtorum, ſed ſolum fuit Dei Verbum, quod cum ex ſua natura expers eſſet corporis, propter nos corpore apparuit, & pro omnibus pati voluit. Verum ſi neque id illis ſatis fuerit, ex aliis ſaltem convincantur, qui tam evidens argumentum ob oculos habent, ubi nempe dicit Scriptura: *Roboramini manus remiſſæ & genua diſſoluta: conſolamini, qui puſillo animo eſtis: roboramini, non timete: Ecce Deus noſter judicium retribuit: ipſe veniet & ſalvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum audient, Tunc ſaliet, ſicut cervus, claudus, & expedita erit lingua balborum.* Quid ergo illi de hujuſmodi teſtimonio poſſunt dicere, aut quomodo vel oculos contra erigere auſint? Siquidem Prophetia Dei adventum prænunciat, cujus adventus tempus ſigna declarant. Nempe divino illo adventu cæcos videre, claudos ambulare, ſurdos audire, & balborum linguam expediri docent. Quando igitur hujuſmodi ſigna in Iſrael viſa ſunt? vel ubi tale quid in Judæa factum ſit, nobis dicant. Leproſus quidem Naaman mundus factus eſt, ſed ſurdus non audivit, nec claudus ambulavit. Mortuum excitavit Helias & Eliſæus, ſed non vidit cæcus natus. Magnum quidem revera eſt, mortuum excitare: ſed non tale fuit miraculum, quale Salvator edidit. Nam ſi de leproſo & viduæ defuncto filio non tacuit Scriptura, ſi utique accidiſſet ut & claudus ambularet & cæcus videret, hæc quoque commemorare non omiſiſſet. Quia vero de his ſilent ſacri codices, non prius facta fuiſſe manifeſtum inde eſt. Quando itaque hæc evenerunt, niſi cum ipſum Dei Verbum in corpore apparuit? Quando porro apparuit, niſi cum claudi ambulavere, balbi clare locuti ſunt, ſurdi audierunt, cæci nati viderunt? Ideo enim his tunc conſpectis Judæi, ut qui ea nunquam alias facta audiviſſent, ajebant: *A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Niſi eſſet hic a Deo, non poſſet facere quidquam.*

Eſa. 35. 3. *Joan. 9. 32.*

Refutantur Judæi, qui ea, quæ de Chriſto ventura paſſim in Scripturis prædicta ſunt ei quidem convenire fatentur, ſed illa nondum advenisse uti neque ipſum Chriſtum contendunt.

Dan. 9. 24.

39. Verum forte ipſi rebus tam apertis repugnare non valentes, iſta quidem ſcripta eſſe non ibunt inficias, ſed ea ſe expectare, nondumque adveniſſe Deum Verbum reſpondebunt. Id ipſum enim perperam illi dictitant, nec eos pudet rebus adeo manifeſtis impudentes adverſari. Verum hic etiam potiſſimum confutabuntur, non a nobis quidem, ſed a ſapientiſſimo Daniele, qui & præſens tempus & divinum Salvatoris adventum his verbis præſignificavit: *Septuaginta hebdomades contractæ ſunt ſuper populum tuum & ſuper urbem ſanctam, ut conſummetur peccatum, & obſignentur peccata, & deleantur iniquitates, & remittantur injuſtitiæ, & adducatur juſtitia ſempiterna, & obſignetur viſio & Propheta, & ungatur Sanctus Sanctorum, & cognoſces & intelliges ab exitu ſermonis ut reſpondeatur & ædificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum ducem.* Equidem in aliis forſitan teſtimoniis, ſaltem effugia reperire, & ea quæ ſcripta ſunt in futurum tempus differre poſſint. Quid autem ad hæc dicere vel opponere habent, ubi nempe & Chriſtus ſignificatus, & is, qui ungitur, non homo ſimpliciter, ſed Sanctus Sanctorum eſſe declaratur, & uſque ad ejus adventum ſtat Jeruſalem, ac poſtea deſinit Propheta & viſio in Iſrael. Olim quidem David, Salomon, & Ezechias uncti ſunt, ſed tamen & Jeruſalem & locus ſtetit, Prophetæque vaticinati ſunt, ſcilicet Gad, Aſaph, Nathan, & poſt illos Eſaias, Oſee, Amos & alii. Præterea, ii qui uncti fuerunt, homines quidem ſancti vocati ſunt, non vero Sancti Sanctorum. Quod ſi captivitatem objiciant, & propter eam, Jeruſalem non ſtetiſſe contendant, quid de Prophetis dixerint? Etenim poſtquam olim populus Babylonem deductus eſt, illic Daniel & Jeremias aderant, vaticinabanturque Ezechiel, Aggæus, & Zacharias.

40. Nugantur ergo Judæi cum præſens tempus differunt. Quando enim Propheta vel viſio ab Iſrael defecit, niſi cum Sanctus Sanctorum Chriſtus advenit? Magnum ſiquidem ſignum & indicium eſt Dei Verbi adventus, quod nec jam ſtet Jeruſalem, nec Propheta exurgat, nec illis viſio appareat, idque admodum convenienter. Poſtquam enim is, qui ſignificabatur, advenit, quid adhuc ſignorum opus eſſet? Similiter præſente veritate, quid prodeſſet umbra? Namque idcirco vaticinabantur, uſque dum veniret ille, qui ipſa juſtitia eſt & omnium peccata redimit. Unde tamdiu ſtetit Jeruſalem, ut illic veritatis figuras præmeditarentur. Quapropter præſente Sancto Sanctorum, congruenter viſio & prophetia obſignatæ ſunt, ac finem habuit Jeroſolymorum regnum. Tamdiu enim reges apud illos uncti ſunt, quoad Sanctus Sanctorum ungeretur. Jacob quoque uſque ad ipſum permanſurum eſſe Judæorum regnum his verbis prænunciat: *Non deficiet princeps ex Juda, & dux ex femoribus ejus, donec venerint quæ repoſita ſunt ei, & ipſe eſt expectatio Gentium.* Hinc & ipſe Salvator clamabat: *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem prophetaverunt.* Quocirca ſi nunc apud Judæos vel rex vel propheta vel viſio ſit, recte Chriſtum veniſſe negant. Sed ſi neque regem neque viſionem habent, ſed & omnis prophetia jam obſignata eſt, captaque eſt urbs & templum: quid adeo impii ſunt & tam grave peccatum committunt, ut facta quidem videant, Chriſtum vero qui hæc ipſa fecit negare audeant? Quid cum ipſos etiam Gentiles relictis idolis ſpem ſuam per Chriſtum in Deo Iſrael ponere aſpiciant, ipſi nihilominus Chriſtum ex radice Jeſſe ſecundum carnem natum ac modo regnantem repudiare non verentur? Namque ſi alium Deum Gentes colerent, nec ipſum Deum Abraham, Iſaac, Jacob & Moyſis confiterentur, juſtam ſane de Dei adventu dubitandi occaſionem haberent. Si vero illum ipſum Gentes colunt, qui Moyſi legem & Abrahæ promiſſiones dedit, & cujus Verbum Judæi indigniſſime tractaverunt: quare non agnoſcunt, vel potius cur ultro negligunt videre Dominum, quem Scripturæ prædixerunt, orbi terrarum illuxiſſe, & corpore indutum appruiſſe, quemadmodum ait Scriptura: *Dominus Deus apparuit nobis.* Et, *Miſit Verbum ſuum & ſanavit eos.* Et rurſus, *Non legatus, non angelus, ſed ipſe Dominus ſalvos illos fecit.* Certe ſimile illi agere mihi videntur, ac ſi quis mente perculſus terram a ſole illuminatam aſpiciens, ſolem a quo illuminata eſt negaverit. Ecquid enim amplius ei quem illi expectant faciendum reſtat? An ut Gentes vocet? ſed jam vocatæ ſunt. An ut Prophetam, regem & viſionem auferat? Sed hoc item jam factum eſt. An ut idolorum impietatem convincat? Convicta & proſcripta eſt. An ut mortem deſtruat? Deſtructa eſt. Quid ergo non factum eſt quod Chriſtum facere oportuit, vel quid tandem ſupereſt, quod nondum impletum fuit, ut modo gaudeant Judæi, & cauſam non credendi habeant? Profecto ſi, quemadmodum utique videmus, nec regem nec prophetam jam habent, ſi nec Jeruſalem, nec ſacrificium, nec viſio apud illos manet, ſed omnis terra Dei cognitione repleta eſt, & Gentes impietate rejecta, jam ad Deum Abraham per Verbum, qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, confugiunt: certe vel impudentiſſimis perſpicuum inde fuerit, Chriſtum veniſſe, eumque omnes omnino ſua luce illuſtraſſe, & vera ac divina de ſuo pa-

Geneſ. 49. 10. *Matth. 11. 13.* *Pſal. 117. 27.* *Pſal. 117. 20.* *Eſa. 63. 9.*

Nihil eorum quæ a Chriſto facienda prædixit Scriptura implendum reſtat.

tre

tre doctrina informasse. Ex his itaque pluribusque aliis, quæ ex divinis litteris licet excerpere, Judæos non inepte possumus confutare.

41. Jam quod Gentiles spectat, satis mirari non queo, quod ea quæ minime ridenda sunt rideant, ipsique interim in sua turpitudine obcæcati perseverent, quam scilicet se in lignis & lapidibus constituere nequaquam attendunt. Verum quandoquidem firmæ nobis non desunt rationes quibus nostræ doctrinæ veritatem tueamur, age, si placet, illos quoque aptis argumentis refellamus, maxime vero ex his ipsis quæ nosmetipsi conspicimus. Quid enim aliud absurdum & ridiculum apud nos reperiunt, quam quod Verbum in corpore apparuisse dicimus? Atqui hoc ipsum non absurde factum fuisse ipsi etiam consentient, si modo veritatis amatores esse volent. Enimvero si Verbum Dei esse plane inficiantur, inscite nugantur, dum de his quæ nesciunt rident. Sed si Verbum Dei esse concedunt, ipsumque universi rectorem esse, & in illo Patrem mundum creasse, omnia denique ejus providentia illuminari, vivere & esse, ac ejus imperio subjici, ita ut ex providentiæ effectibus & ipsum Verbum cognoscatur, & per Verbum Pater: vide, quæso, an non potius ipsi risum adversus seipsos imprudenter concitent? Mundum, magnum quoddam corpus esse docent Gentiles philosophi, nec hic a vero aberrant. Mundum enim ejusque partes sensibus subjici videmus. Si igitur in mundo, qui corpus est, Dei Verbum est, si in omnibus & singulis rebus existit; quid incredibile vel quid absurdum videtur, si ipsum quoque in homine esse asserimus? Nam si Verbum in corpore existere generatim absurdum est: absurdum quoque fuerit ipsum in universo mundo existere omniaque sua providentia illustrare & movere; siquidem corpus est rerum universitas. Sin autem Verbum in mundo existere & in universo notum fieri maxime convenit: nec etiam inconveniens erit ipsum in humano corpore apparere, illudque ab eo illuminari & vim agendi habere: pars enim universi est hominum genus. Unde si partem, ejus instrumentum ad divinitatis patefactionem fieri dedecet, certe perabsurdum similiter fuerit ipsum per universum mundum cognosci.

Præcipuia Gentilium adversus Christianam Religionem argumentis fit satis.

Non magis absurdum videri debet Verbum divinum humanam naturam assumpsisse, quam ipsam in rebus omnibus existere.

42. Ut enim insulsus ille non immerito haberetur qui, cum totum corpus ab homine moveatur & illuminetur, absurdum esse diceret in pedis digito virtutem hominis existere, quia scilicet cum concedit ipsum in toto corpore esse & agere, eum tamen in parte esse non vult: ita qui fatetur & credit Dei Verbum in universo esse totumque mundum ab eo illuminari & moveri, huic sane absurdum videri non debet, si unum corpus humanum ab eodem moveatur & illuminetur. Quod si quia factum & ex nihilo creatum fuit humanum genus, idcirco nos ab eo quod decorum est recedere existimant, cum Salvatorem in humano corpore apparuisse dicimus: eum quoque pari ratione ex mundo excludere debent, quippe qui, ut esset, ex nihilo per Verbum factus sit. Sed si quamvis mundus factus est, Verbum in eo esse non est absurdum: nec ergo etiam absurdum est ipsum in homine esse. Quicquid enim de toto mundo cogitaverint, necesse est idem de parte intelligere: siquidem homo, ut antea dixi, pars est totius mundi. Nullo igitur modo dedecet Verbum in homine esse, cunctaque ab illo & in illo illuminari, moveri & vivere, sicuti ipsorum quoque scriptores testantur: *In ipso vivimus, & movemur, & sumus.* Quid itaque risu dignum dicimus, si Verbum corpore, in quo est, tamquam instrumento ad sui patefactionem usum fuerit. Nisi enim in illo fuisset, eo utique uti non potuisset. Porro si supra concessum est Verbum in universo &

Act. 17.28.

A singulis ejus partibus esse: quid incredibile videtur, si in quibus existit, in his se videndum præbeat? Quemadmodum enim ille idem qui propria virtute in singulis & omnibus rebus est, cunctaque splendide administrat, si solis aut lunæ, cæli vel terræ, aquarum aut ignis ministerio uti vellet, ad vocem edendam ac se & suum patrem notum faciendum, nemo cum absurde & inepte egisse dicere auderet, quippe cum universa jam ipse antea contineret, & cum omnibus ac in ipsa illa parte existeret, seque occulte ostenderet. Ita sine dubio absurdum videri non debet, si ille qui res universas gubernat & vita donat,
B per homines, se notum facere cupiens, humano corpore velut instrumento usus sit, quo nobis & veritatem patefaceret, & Patris cognitionem impertiret. Humana siquidem natura pars est totius universi. Unde quemadmodum mens humana, quæ in toto homine est, aliqua parte corporis, lingua videlicet, tamquam sui signo utitur, nec tamen mentis naturam idcirco imminui quispiam dixerit: ita si Verbum in omnibus rebus existens humano instrumento usum est, indecorum nemini debet videri. Alioquin si, uti jam dixi, ipsum corpore velut instrumento uti non decuit, nec
C etiam in toto universo idem ipsum esse decuit.

43. Quod si inquirant, cur igitur non per alias pulcriores mundi partes apparuerit, nec splendidiori instrumento, verbi gratia, sole, luna, astris, igne vel æthere, sed homine tantum usum fuerit? discant illi Dominum non venisse ut se ostentaret, sed ut nos infirmos simul & ignaros curaret & doceret. Ostentantis enim fuisset, solummodo apparere, & spectantes stupore percellere: at sanantis & docentis erat, non tantum advenire, sed indigentium commodo prospicere, atque ut illi ferre possent apparere; ne si modus ipse laborantium necessitatem excederet, illos potius perturbaret, atque ita Numinis adventus ipsis fie-
D ret inutilis. Nulla profecto alia rerum creatarum præter solum hominem circa Dei cognitionem errabat. Siquidem non sol, non luna, non cælum, non astra, non aqua, non æther suum ordinem perturbarunt, sed suum opificem ac imperatorem Verbum agnoscentes, manent uti initio factæ sunt. Soli autem homines bonum aversati, ea postmodum, quæ non sunt, pro veritate sunt commenti, ac Dei cultum & notionem dæmonibus & hominibus in lapideis simulacris attribuerunt. Hinc cum tantam perversitatem negligere divinæ bonitatis indignum esset: cum item eum omnia in universo administrantem ac
E regentem homines non potuissent cognoscere, merito idcirco partem universi, corpus videlicet humanum tamquam instrumentum sibi ipsi assumit, illudque ingreditur, ut, quoniam eum in toto universo agnoscere non poterant, saltem in parte residentem non ignorarent, & qui vim ejus invisibilem non poterant conspicere, saltem ex similitudine eum intelligere & contemplari possent. Cum enim sint homines, hinc per simile corpus ac divina quæ per eum eduntur opera, citius & propius ejus patrem possunt cognoscere, si scilicet perpendere voluerint non hominis sed Dei esse opera quæ ab illo fiunt. Quod
F si absurdum esse putant ex iis corporis operibus Verbum notum fieri: certe absurdum quoque fuerit ipsum ex his quæ in universo agit cognosci. Et vero quemadmodum in rebus creatis existens, nihil earum fit particeps, sed potius res cunctas suæ virtutis participes efficit: ita etiam corpore non secus ac organo utens, nulla in re ejus efficitur particeps, sed illud potius sanctum reddit. Si enim Plato, quem tantopere admirantur Gentiles, ait: *Mundi auctorem, tum eum male agitatum & in periculo locum dissimilitudinis*

Verbum in homine solo, non in alia aliqua splendidiore mundi parte apparere debuit.

nis subeundi constitutum cerneret, animæ gubernaculis insidentem succurrere, omniaque errata emendare: quid incredibile apud nos dicitur, si errante humana natura, ei insederit Verbum & homo apparuerit, ut vexatam ac periclitantem, sua gubernatione & booitate servaret?

Non solo nutu Deus hominum genus debuit reparare: sed ad id præstandum, Verbum divinum carnem assumere & mori oportuit.

44. Verum fortasse pudore victi his tandem assentieotur. At reponent Deum homines erudire & servare cupientem solo outu id debuisse agere, non autem ejus Verbum sibi corpus assumere, quemadmodum utique olim factum est, cum res ex nihilo sunt productæ. Quibus non inepte responderi potest, olim quidem, quando nulla omnino res existeret, solo nutu ac voluntate opus fuisse ad mundum condendum. Postquam vero factus est homo, exegitque necessitas ut non ea quæ non erant, sed quæ facta erant, curarentur: consentaneum erat medicum & servatorem ad res jam factas accedere ut ea quæ erant curaret. Atqui factus erat homo: quapropter humano instrumeoto corpore nimirum uti debuit. Alioqui si non ita fieri oportuit, quonam modo, quæso, Verbum instrumento uti volens, se gerere debuit? Vel unde illud accipere conveniebat, nisi ex his quæ jam facta erant ejusque divinitate per simile corpus indigebat. Nec enim ea, quæ non erant, egebant salute, ut & tantum jubere satis esse posset: sed homo jam factus corrumpebatur ac peribat; quapropter convenienter admodum Verbum humano usum est instrumento, ac se ipsum in omnia expandit. Deinde illud quoque sciendum est quod orta corruptio non extra corpus erat, sed ei penitus inhæserat: unde necesse quoque fuit vitam ipsi pro corruptione iohærere, ut quemadmodum mors in corpore producta fuerat, ita & vita in eodem produceretur. Itaque si mors extra corpus fuisset, extra ipsum quoque vita esse debuisset. Sed si mors in corpore inhærebat, eoque idcirco fortior erat: profecto necesse quoque fuit vitam corpori inhærere, ut corpus vita loco mortis indutum, corruptionem abjiceret. Cæteroqui si Verbum extra corpus & non in ipso corpore esse voluisset: mors quidem valde naturaliter ab eo fuisset victa, quippe quæ vitæ resistere non queat: at nihilominus exorta corruptio in corpore permansisset. Quocirca valde congruenter corpus induit Salvator, ut corpus vitæ inhærens non amplius in morte tamquam mortale permaneret: sed ut immortalitatem veluti induens, postmodum resurgens immortale perstaret. Semel enim indutum corruptione, resurgere nunquam potuisset, nisi similiter vitam induisset. Præterea mors per seipsam non nisi in corpore apparere potest: unde idciroo corpus induit, ut mortem quam in corpore invenerat deleret. Enimvero quonam pacto perspicuum fuisset Dominum vitam esse, nisi quod mortale erat vita donasset? Scilicet quemadmodum si quis a stipula, quæ ab igne pro natura sua consumitur, ignem removerit, minime quidem illa comburitur, sed tamen sempet stipula manet, vimque igois extimescit, a quo nempe naturaliter absumitur. Sed si quis plurimo amianto, qui igni resistere dicitur, stipulam munierit, illa hujusmodi præsidio secura nihil amplius ab igne timendum habet: idem sane de corpore & de morte licet dicere. Nimirum si mors solo jussu a corpore fuisset prohibita, nihilominus mortale & corruptioni obnoxium pro natura corporum mansisset; quod ne accideret, incorporeum Dei Verbum induit, atque ita nec mortem nec corruptionem deinceps metuet, quippe cum vitam indumentum habeat, & corruptio in eo evanescat.

45. Valde igitur convenienter Dei Verbum corpus assumsit & humano usum est instrumento, ut & cor- A pori vitam impertiret, & quemadmodum in mundo ex operibus cognoscitur, ita etiam in homine ageret & seipsum ubique patefaceret, nihilque sua divinitate & cognitione vacuum relinqueret. Hic enim eadem quæ supra tractavi repeto, scilicet Salvatorem ita egisse, ut quemadmodum omnia ubique præsens implet, ita quoque omnia sui cognitione repleret, uti divina Scriptura testatur: *Repleta est universa terra cognitione Domini*. Sive enim in cælum suspicere quis velit, ejus ornatum & pulcritudinem intuetur. Sin autem cælum contemplari non queat, dummodo oculos ad homines convertat, ex operi- B bus infinitam ejus præ hominibus potentiam agnoscet, solumque illum inter homines Deum Verbum esse fatebitur. Quod si a dæmonibus delusus, eorum vim admiretur, eos ab illo pelli videt, ac proinde illorum esse dominum noo difficiliter credit. Si vero in aquarum naturam immersus, eas deum esse existimet, ut Ægyptii qui aquam venerantur; eam ab illo mutatam cernens, Dominum aquarum creatorem esse statim concludit. Quin etiam si ad ipsos usque inferos pervenerit, & heroas, qui illuc descenderunt, totidem veluti deos esse attooitus arbitretur; illum resurrexisse & mortem de- C bellasse aspiciens, non dubitat quin solus Christus inter illos verus Dominus & Deus habendus sit. Siquidem omnes mundi partes attigit Dominus, nec non ab omni errore eripuit, & coarguit, uti Paulus ait: *Exspoliatis principatibus ac potestatibus, triumphavit in cruce*; ne quis deinceps posset decipi, sed ubique verum Dei Verbum inveniret. Ita enim homo undique constrictus, & ubique, hoc est, in cælis, in inferis, in homine atque in terris explicatam cernens Verbi divinitatem, non amplius in cognoscendo Deo decipitur, sed solum Verbum adorat, & D per Verbum cognitionem Patris præclare assequitur. His igitur consentaneis rationibus Gentiles oon male refellemus, quas si sufficere non putant ut pudore ipsi afficiantur: saltem ex his, quæ in omnium conspectu apparent, vera ea esse quæ diximus persuasum habeant.

Esai. 11. 9.

Coloss. 2. 15.

46. Enimvero quandonam homines idolorum superstitionem deserere cœperunt, nisi a quo verus Deus Dei Verbum homo factum est? Quandonam Græcorum & totius orbis oracula cessavere & evanuere, nisi postquam Salvator se in terris patefecit? Quandonam poetarum dii & heroes, homines E tantum esse deprehendi ac contemni cœperunt, nisi ubi Dominus trophæum de morte confecit, & corpus quod acceperat a mortuis excitans, incorruptum servavit? Quandonam fraus & furor dæmonum cœpit despici, nisi cum Verbum, Dei virtus, omnium nec non illorum Dominus, hominum infirmitatem miseratus, in terra apparuit? Quandonam ars & scholæ magicæ conculcatæ sunt, nisi post divinum Verbi apud homines adventum? Denique quandonam Gentilium sapientia stulta facta est, nisi cum vera Dei sapientia seipsam in terris notam reddidit? Olim siquidem homines per F totum terrarum orbem ac per omnes regiones idolorum superstitione illigati errabant, nullosque alios deos præter idola agnoscebant: nunc vero per universam terram vano idolorum cultu relicto, ad Christum confugiunt, quem & Deum venerantes, per eum ad Patris quem noo noverant cognitionem perveniunt. Quodque in primis mirum est, cum variæ & prope infinitæ sint religiones, propriumque idolum singulæ regiones habeant, nec possit is, quem Deum appellant, proximum transgredi locum, ut vicinos ad se colendum alliciat, quippe qui vix intra proprios fines

cola-

colatur: (nemo enim vicini Deum colebat, sed proprium singuli servabant idolum; quod & omnium esse Dominum existimabant.) solus Christus & unus & ubique idem apud omnes adoratur, atque ita quod idolorum infirmitas efficere nequiverat ut saltem proximos accolas ad se adduceret; Christus id ipse effecit, qui non vicinis tantum sed universo plane orbi persuasit ut se unum ac eumdem Dominum, & per ipsum, Deum suum patrem colerent.

47. Et vero olim quidem omnia dolis oraculorum plena erant, falsaque hominum opinione, Delphorum, Dodonæ, Bœotiæ, Lyciæ, Libyæ, Ægypti & Cabirorum oracula, nec non Pythiæ omnibus admirationi erant: nunc autem ex quo Christus ubique prædicari cœpit, penitus defecit illorum insania, nec ullus amplius inter eos vates reperitur. Olim dæmones variis spectris hominum mentes decipiebant, fontibusque & fluviis, lignis aut lapidibus insidentes, stultos mortales præstigiis percellebant: jam vero post divinum Verbi adventum, evanuerunt hujusmodi fallaciæ. Siquidem solo crucis signo adhibito omnes illæ dæmonum fraudes repelluntur. Olim cæci homines, Jovem, Saturnum, Apollinem & heroas apud poetas adeo celebratos deos esse arbitrabantur, eosque miserando errore colebant: at ubi Salvator inter homines apparuit, illos mortales homines esse amotis involucris manifeste patuit, & solus Christus ex cunctis hominibus Deus verus, Dei Deus Verbum agnitus est. Quid vero de arte magica, quam illi tantopere demirantur, dicemus? Nempe illa quidem ante Verbi adventum, apud Ægyptios, Chaldæos & Indos maxime valebat & vigebat, spectatesque miro afficiebat stupore: verum veritatis præsentia & Verbi adventu ipsa quoque convicta ac prorsus destructa est. Quod autem ad Gentilem sapientiam & philosophorum magniloquentiam attinet, neminem esse reor, qui nos hac de re verba facere expectet, quippe cum ante omnium oculos res ipsa admiranda sane obversetur, quod cum Gentilium sapientes tot scriptis voluminibus nec paucos saltem ex vicinis regionibus adducere potuerint, ut suam de immortalitate doctrinam amplecterentur ac virtutem sequerentur, solus Christus, humili ac vulgari sermone, nec disertis hominibus usus, per universum terrarum orbem plurimis hominum cœtibus persuasit, ut morte contemta, immortalia saperent, & rebus caducis neglectis sola æterna bona suspicerent, ac denique ut terrenam gloriam nihili ducentes, ad solam cælestem aspirarent.

48. Hæc autem, quæ dicimus, non in solis verbis consistunt, sed ipsa etiam experientia præclarum veritati dat testimonium. Accedat itaque quisquis voluerit, ac virtutis insignia in Christi virginibus nec non in adolescentibus qui castimoniam profitentur, immortalitatisque fidem in tanto Christi martyrum choro contempletur. Veniat & quisquis ea quæ diximus experiri cupit, atque in mediis ipsis dæmonum præstigiis & oraculorum fallaciis ac magiæ prodigiis, signo crucis, quæ apud ipsos ludibrio est, utatur, solumque Christum nominet: mox videbit quam cito per ipsum fugentur dæmones, cessent oracula, ars omnis magica veneficiaque evanescant. Quis itaque quantusque ille est Christus qui suo nomine ac sua præsentia omnia ubiquaque obscurat & delet, solusque ceteris omnibus fortior est, atque universum orbem sua doctrina replet? Respondeant Gentiles qui tam effrenate impudentissimeque rident. Enimvero, si homo ille est: qui fieri potest ut unus homo omnium quos ipsi colunt deorum potentiam superet, nihilque prorsus illos esse sua propria virtute convincat? Quod

Signo crucis & Christi nomine fugantur dæmones, cessant oracula, omnesque præstigiæ evanescant.

Christus nec purus homo, nec magus fuit.

A si magum eum esse dicant: qui fit ut a mago ars omnis magica destruatur & non potius confirmetur? Namque si dumtaxat homines magos vicisset, vel uno tantum fuisset superior, non immerito suspicarentur eum arte quadam præstantiori aliorum fuisse victorem. Si vero de universa plane arte magica ejusque nomine crux Christi triumphavit: perspicuum sane inde fuerit Salvatorem magum non fuisse, utpote quem dæmones, quos alii magi invocant, tamquam Dominum fugiunt. Quis itaque ille sit dicant Gentiles, quibus nulla alia cura videtur esse, quam ut cachinnentur. An dæmonem eum, atque idcirco aliis valentiorem fuisse contendent? Sed si id dixerint, risum haud dubie concitabunt, prioribusque rationibus poterunt confutari. Qui enim fieri potest ut ille sit dæmon, qui ipse dæmones expellit? Namque si aliquos tantum dæmones abigeret, recte eum in principe dæmoniorum ceteris inferioribus fortiorem fuisse arbitrarentur, quod & eidem olim Judæi contumeliose exprobrabant. Verum si omnis dæmonum furor ejus nomine retunditur ac repellitur: nemo certe non videt hic illos etiam errare, nec Dominum nostrum & Salvatorem Christum aliquam, ut putant, dæmonicam virtutem esse? Quocirca si Salvator nec merus homo, nec magus, nec aliquis dæmon est, sed tamen & poetarum commenta & dæmonum fallacias, ac Gentilium sapientiam sua divinitate evertit & obscuravit: an non evidens est atque inter omnes constare debet, vere illum Dei filium, & Verbum, sapientiamque ac virtutem Patris esse. Hinc enim non humana sed supra hominum conditionem ejus sunt opera, vereque Dei illa esse liquet cum ex rebus ipsis, tum si cum factis hominum comparentur.

Christus dæmon non fuit.

Cum Christus nec purus homo, nec magus, nec dæmon dici possit, illum Dei filium esse necesse est.

49. Quis enim omnium unquam hominum corpus ex sola virgine sibi ipsi composuit? Quis ex hominibus tales unquam sanavit morbos, quales communis omnium Dominus? Quis naturæ defectum explevit, & cæco nato visum restituit? Æsculapius quidem inter deos ab illis relatus est, quod medicinam exercuerit, herbasque ægris corporibus perutiles invenerit; nec enim eas ipse ex terra formaverat, sed naturali scientia tantum repererat. Verum quid istud si cum Salvatoris facto conferatur, qui nempe non vulnus curaverit, sed naturam formaverit, & corpus restituerit? Herculem quoque tamquam deum Gentiles adorant, quia cum paribus hominibus pugnaverit & feras dolo occiderit, sed quid hæc si ea cum Verbi miraculis compares, cujus scilicet virtus morbos, dæmones, ipsamque mortem ab hominibus repulit? Dionysius item sive Bacchus apud eos colitur, quia hominibus factus est ebrietatis magister: cum interim omnium revera servator & Dominus ab iisdem derideatur. Verum hæc ita sint per me licet. Quid autem habent quod aliis ejus divinitatis miraculis opponant? Quonam homine moriente sol obscuratus est & concussa est terra? Certe ad hoc usque tempus moriuntur homines olimque mortui sunt: quibusnam igitur tale quid unquam contigit prodigium? Vel, ut ea quæ corpore egit prætermittam, solaque illa quæ ejus corporis resurrectionem secuta sunt commemorem: cujusnam omnium qui hactenus fuerunt hominum doctrina una eademque per totum terrarum orbem tantum valuit, ut ejus cultus in omnem regionem pervolaverit? Vel quare si secundum illos Christus homo est, & non Deus Verbum, a diis quos colunt non impeditur quominus ejus religio in eamdem regionem quam occupant perveniat: sed potius ipsum Ver-

Nihil simile his, quæ a Christo facta sunt, ulli unquam homines egerunt: ac proinde non homo tantum sed etiam Deus existimandus est.

Verbum suo adventu ac doctrina, illorum cultum antiquat, & fallacias dispellit?

50. Multi quidem ante Christum terræ reges & tyranni extitere: multi apud Chaldæos, Ægyptios & Indos sapientes & magi commemorantur: quis ergo illorum, non post mortem dico, sed etiam in vita tantum potuit, ut universam terram sua doctrina impleret, tantamque hominum multitudinem ab idolorum superstitione revocaret, quantam Salvator noster ab idolis ad seipsum convertit? Gentiles philosophi plurimos libros multa cum eloquentia & arte conscripsere: verum quid simile his quæ crux Christi peregit effecerunt? Illorum quidem sophismata, quamdiu vixerunt, valuerunt: imo dum etiam viverent, id quod illis auctoritatem conciliare videbatur, mutuas inter eos concertationes suscitavit, ipsisque inter se digladiandi fuit occasio. At Dei Verbum, quod sane per quam mirum est, humiliori stylo utens, vel acutissimos sophistas obscuravit, cunctosque ad seipsum alliciens, illorum doctrinam evertit, & suas ecclesias complevit. Illud quoque admiratione dignum est, quod mortem ut homo perferens, vanam sapientum de idolis magniloquentiam dejecerit. Nam cujusunquam mors dæmones fugavit? Cujus unquam alius quam Christi mortem reformidarunt dæmones? Ubi enim Christi nomen profertur, inde quivis dæmon expellitur. Quis vero pravas hominum affectiones ita abscidit, ut impudici pudicitiam sectentur, gladios abjiciant homicidæ, & timidi forti sint animo? Denique, quis fecit ut barbaræ & diversæ nationes furore deposito pacem amplecterentur, nisi Christi fides & crucis signum? Quis alius homines ita certos de immortalitate reddidit, ut Christi crux ejusque corporis resurrectio? Nam etsi Gentiles omnia sunt commenti, tamen idolorum resurrectionem fingere non potuerunt, quippe qui ne cogitaverint quidem, utrum corpus post mortem possit denuo existere. Sed in eo mihi maxime approbandi videntur; hoc enim sibi ita persuadentes, suæ quidem idololatriæ imbecillitatem arguerunt, hanc autem potestatem Christo concesserunt, quo Dei filius apud omnes notus fieri posset.

Christus primus virginitatem docuit, ut etiam pueri nondum legitimam adepti ætatem, virtutem illam profiterentur.

51. Quis igitur hominum post mortem vel etiam per vitam virginitatem docuit, ac non potius hanc virtutem acquiri ab hominibus non posse? At Salvator noster omniumque imperator Christus in illa suadenda virtute tantum pondus habuit, ut etiam pueri legitimam ætatem nondum adepti, virginitatem, quæ quidem supra legem est, profiteri non vereantur? Quis unquam homo tantum terræ spatium peragrare potuit, ut ad Scythas usque & Æthiopas, Persas, Armenios, Gothos, & qui ultra oceanum commorari dicuntur, nec non qui ultra Hyrcaniam habitant perveniret: vel etiam ut ad Ægyptios & Chaldæos adiret, homines magicæ arti deditos, ac ultra modum superstitiosos agrestesque moribus, ut apud eos de virtute & pudicitia amplectenda, nec non de abjiciendis idolis dissereret, sicuti fecit omnium Dominus, Dei virtus, Dominus noster Jesus Christus, qui non solum per suos discipulos prædicavit, sed etiam ipse interiori suasione eorum animos induxit ut morum immanitate abjecta, patrios deos non amplius colerent, sed seipsum agnoscerent, & Patrem per eum venerarentur. Siquidem olim idololatræ Gentiles & Barbari bellum inter se gerebant, & crudeles etiam in propinquos erant. Hinc propter implacabiles quasi in se invicem exercebant inimicitias, nemini, nisi armata gladiis manu, nec per terram nec per mare iter facere licebat: totamque adeo vitam in armis transigebant, ac illis pro baculo & omni adminiculo ensis solus erat. Qui tametsi, ut dixi, idolis serviebant, & victimas dæmonibus immolabant, nihil tamen illis superstitiosus dæmonum cultus contulit ad mores tam agrestes exuendos. At postquam Christi doctrinam susceperunt, tunc utique, quod revera valde admirandum est, mente compuncti, cædium sævitiam reliquerunt, nec jam bella amplius amant: sed nihil illis cordi est nisi perpetua pax & amicitia.

Christus externo discipulorum ministerio ad suam doctrinam barbaris hominibus prædicandum usus, ipse in illis interius agit, quo eam amplectantur.

Solus Christus barbaras gentes innata ferocitate exuit, & pace as mutua inter se caritate conjunxit.

52. Quis igitur tantarum rerum auctor est, vel quis pacem inter illos, qui se invicem odio prosequebantur, conciliavit, nisi dilectus Patris filius, communis omnium servator, Jesus Christus, qui sua erga nos caritate omnia pro nobis sustinuit? Et vero hujusmodi pacem, quam nobis allaturus erat, olim divinæ Scripturæ his verbis prædixerant: *Concident gladios suos in aratra, & lanceas suas in falces, nec gens in gentem gladium accipiet, nec bellum gerere amplius discent.* (*Esai.* 2. 4.) Nec vero istud incredibile est, quandoquidem nunc quoque Barbari, quibus innata est morum ferocitas, dum idolis adhuc immolant, mutuo in se invicem furore exardescunt, nec ullam horam sine ense esse patiuntur: at ubi Christi doctrinam audierint, statim a bello ad agriculturam se convertunt, nec jam manus gladiis armant, sed eas ad precandum extendunt. Denique inter se quidem pugnare desinunt, sed contra diabolum & dæmones armantur, quos & pudicitia virtuteque animæ debellant. Id certe divinitatis Salvatoris non minimum est argumentum, illos ab eo didicisse quod apud idola doceri non potuerant: itidemque certissimum idem est dæmonum & idolorum imbecillitatis vilitatisque indicium. Siquidem dæmones suæ infirmitatis non ignari, olim idcirco homines ad bella inter se exercenda inflammabant, ne si adversus invicem congredi cessarent, bellum dæmonibus indicerent. Enimvero Christi discipuli, qui inter se nihil contentionis habent, contra dæmones morum integritate & bonis actibus pugnant, quos & animose insequuntur, eorumque ducem diabolum vilipendunt, adeo ut in adolescentia casti ac pudici sint, in tentationibus patientes, in laboribus fortes, in tolerandis injuriis mites, in bonorum direptionibus tranquilli. Quin etiam, quod singulari admiratione dignum est, mortem contemnunt, & Christi martyres fiunt.

53. Ne autem unum, quod in primis insigne est divinitatis Salvatoris indicium, prætermittam: quis unquam vel homo tantum, vel magus, vel tyrannus, vel rex per se ipsum cum tanta gentium multitudine congredi potuit, atque contra universam idololatriam, contra omnium dæmonum exercitum, contra omnem magicam artem, contra totam Gentilium sapientiam, quorum tanta adhuc auctoritas & pondus erat, ut omnes in admirationem raperent; quis, inquam, contra omnes illos contendere & uno eodemque impetu resistere potuit, sicuti Dominus noster, verum Dei Verbum, qui occulte singulorum errores convincens, omnes homines ab omnibus abduxit, ita ut qui prius idola adorabant, ea jam conculcent: & qui magicas præstigias admirabantur, scriptos de illa arte libros comburant: ac denique ipsi sapientes & philosophi Evangeliorum interpretationes omnibus anteponant. Namque quos antea adorabant, ab his discedunt: Christum vero quem crucifixum deridebant, adorant & Deum esse confitentur. Insuper iidem illi, ut appellant, dii, signo crucis fugantur: at crucifixus Salvator, & Deus & Dei filius ubique terrarum prædicatur. Denique dii, quos Gentiles colunt, ut turpes ab iisdem

iisdem reprehenduntur: qui autem se in Christi disciplinam tradidere, castiorem illis vitam ducunt. Itaque si hæc & similia humana sint: ostendat qui voluerit & probet homines superioris ætatis eadem fecisse. Sin autem non hominum sed Dei & videntur & revera sunt opera: quid adeo impii sunt infideles, ut illorum auctorem Dominum non agnoscant? Idem enim prorsus est ac si quis ex mundi operibus Deum ejus opificem non cognosceret. Etenim si ex virtute, qua omnia regit, ejus divinitatem agnoscerent, profecto non ignorarent ea, quæ Christus per corpus efficit, non humana, sed Dei Verbi omnium servatoris esse. Quod si cognovissent, quemadmodum Paulus ait, *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*.

1. Cor. 2. 8.

Ut ex mundi operibus Deus cognoscitur: ita Christus ex his, quæ corporis ministerio efficit, Deus esse intelligendus est.

54. Quemadmodum igitur si quis Deum, qui ex natura invisibilis est, nec ullo modo videri potest, intueri velit, eum ex operibus intelligit & comprehendit: ita qui Christum mente non videt, saltem ex his quæ per corpus agit eum intelligat, expendatque utrum illa humana sint, an Dei opera: eaque, si quidem humana sint, irrideat per me licet: si vero non humana sed Dei sint, assentiatur igitur, nec quæ ridenda non sunt ridere audeat: sed potius admiretur, quod per rem adeo vilem res divinæ nobis patefactæ fuerint, & per mortem immortalitas ad omnes pervenerit, ac denique per Verbum hominem factum, rerum omnium providentia ejusque administrator & auctor Dei Verbum cognitum sit. Ipse siquidem homo factus est, ut nos dii efficeremur: ipse seipsum per corpus videndum exhibuit, ut nos invisibilis Patris cognitionem acciperemus: ipse injurias sibi ab hominibus illatas sustinuit, ut nos immortalitatis heredes institueremur. Nam ille quidem nihil lædebatur, quippe qui nec pati aliquid nec corrumpi posset, sed ipsum Verbum & Deus esset: at male affectos homines, propter quos & ista perferebat, in sua, ut ita dicam, impassibilitate custodiebat & conservabat. Demum tot & tanta sunt, quæ Salvator, humana natura assumta, præclare gessit, ut si quis ea enarrare vellet, idem profecto ageret ac si quis maris immensitatem contuens, ejus fluctus vellet numerare. Ut enim omnes maris fluctus oculis non possunt comprehendi, quod novi sibi semper succedentes sensum ejus qui illos numerare conaretur fugiant: ita qui omnia quæ Christus in corpore fecit percipere contenderet, ne cogitatione quidem ea posset complecti, cum plura mentem ejus præterirent quam quæ intellexisse arbitraretur. Satius est igitur non de omnibus velle dicere quorum ne pars quidem digne potest exprimi. Quapropter unius adhuc meminisse tibique cuncta cetera admiranda relinquere contentus ero. Siquidem omnia pari admiratione digna sunt, & quocumque quis se converterit, Verbi divinitatem ibi perspiciens non potest quin obstupescat.

Post Salvatoris adventum non crevit amplius idololatria, sed cœpit decrescere.

55. Istud igitur post ea quæ exposuimus te discere convenit, atque ut caput omnium quæ hactenus dicta sunt habere, ac vehementer mirari, quod post Salvatoris adventum non amplius creverit idololatria: sed quæ erat, imminui cœperit ac paulatim deficiat. Nullos item amplius progressus habet Gentilium sapientia: sed potius, quæ antea erat, sensim evanescit. Neminem quoque jam dæmones præstigiis, oraculis aut incantamentis decipiunt: sed vel id solum tentantes & aggredientes, signo crucis confunduntur. Et, ut summatim dicam, attende quomodo Salvatoris quidem doctrina per totum terrarum orbem diffundatur: contra autem, universa idololatria & quicquid Christi fidei adversatur, quotidie decrescat debiliteturque & cadat. Quæ cum vides, Salvatorem omnium Dominum & potentissimum Dei Verbum adora: eos autem quos ille deficere & evanescere cogit sperne ac rejice. Ut enim sole præsente, nulla amplius vis est tenebris, sed si quæ superfuerint expelluntur: ita divino Dei Verbi adventu vim nullam retinent idolorum tenebræ, sed omnes omnino totius orbis terrarum partes ejus doctrina illuminantur. Quemadmodum item si in illis regionibus, ubi rex se palam videndum non præbet, sed domi occultus manet, quidam turbulenti ejus absentia abutentes, seipsos reges esse prædicent, singulique mentito habitu simpliciores, quasi veri reges essent, circumveniant: accidit quidem ut regis nomine subditi in errorem inducantur, cum regem esse audiunt, quem tamen non vident, maxime quia in ejus aulam non licer ingredi. Verum ubi rex verus prodierit ac comparuerit, statim perturbati illi improbi, ejus præsentia facile internoscuntur & convincuntur; unde quotquot deceperant, vero rege conspecto, eos absque mora deserunt. Sic olim dæmones divinis honoribus usurpatis miseros homines deludebant: at ubi Dei Verbum in corpora apparuit, & suum patrem notum nobis fecit, tunc dæmonum quidem fallaciæ evanescere & desinere cœperunt, homines autem verum Patris Deum Verbum intuentes, idola relinquunt, ac verum Deum agnoscunt. Id porro certo indicio est Christum Deum Verbum & Dei virtutem esse. Cum enim cessent quæ humana sunt, & Christi verbum constanter perseveret, nemo non videt ea quæ finem habent temporalia esse, eum autem qui perpetuo permanet Deum Deique filium verum unigenitum Verbum esse.

56. Hæc quidem quæ paucis tractavimus, quantum ad Christianæ fidei nec non divini Verbi apud nos adventus elementa & formam exprimendam satis esse videtur, tibi o vir Christi amans, ultro offerimus. Tu vero occasione inde accepta, si in studium sacrarum litterarum sincere & diligenter incumbere voles, accuratius & clarius, quam vera sint ea quæ exposuimus, intelliges. Illæ enim theologorum hominum ministerio a Deo prolatæ & scriptæ sunt: quas cum a magistris divino spiritu afflatis & divinitatis Christi martyribus effectis didicerimus, easdem tuæ sedulitati peramanter tradimus. Secundum quoque & gloriosum vereque divinum ejus ad nos adventum ex iisdem perdiscere poteris cum scilicet non in vili forma, sed in propria gloria, non in humili statu, sed in sua majestate, nec iterum passurus, sed suæ crucis fructum, resurrectionem nempe & incorruptionem, omnibus redditurus veniet. Veniet, inquam, non ut rursus judicetur sed ut omnes judicet, prout quisque per corpus egerit, sive bona, sive mala; ac bonis quidem regnum cælorum 2. Cor. 5. 10.
concedetur: mali vero in ignem æternum & tenebras exteriores projicientur. Id nos ipse dominus his verbis docet: *Dico vobis, amodo vi-* Matth. 26. 64.
debitis filium hominis sedentem a dextris virtutis & venientem in nubibus cæli, in gloria Patris. Quocirca salutare profecto est Verbum, quod nos in illam diem præmunit, ita monens: *Estote* Matth. 24. 42.
parati & vigilate, quia qua nescitis hora venit. Nam, ut ait beatus Paulus: *Omnes nos sisti* 2. Cor. 5. 10.
oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque juxta ea quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum.

57. Verumtamen præter studium & veram cognitionem Scripturarum, vitæ quoque integritas & munditia animæ nec non Christiana virtus necessaria est, ut per eam mens incedens, ea, quæ expetit, assequi, & Dei Verbum, quantum humanæ

Qui Sanctorum doctorum scripta intelligere cupit, eos vitæ sanctitate imitari debet.

næ naturæ licet, comprehendere queat. Siquidem nemo sanctorum verba sine pura mente & illorum vitæ imitatione intelligere potest. Nam quemadmodum qui solis lucem videre cupit, oculum abstergeat & expurget ac seipsum quodammodo soli similem reddat necesse est, ut oculus lux ita effectus, solis lucem videre possit: vel quemadmodum si quis urbem vel regionem aliquam intueri velit, se in ipsum locum spectandi causa confert: ita qui theologorum mentem & sensum percipere exoptat, animam vitæ sanctitate prius abluere & purgare, atque ad ipsos sanctos morum similitudine debet accedere, ut vitæ instituto cum illis veluti consociatus, ea quæ ipsis Deus pa- A tefecit intelligat, ac deinceps illis junctus, peccatoribus impendens periculum & paratum in die judicii ignem effugiat, & quæ sanctis in regno cælorum destinata sunt præmia recipiat, quæ quidem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparata sunt his qui virtutem sectantur, ac Deum & Patrem diligunt, in Christo Jesu Domino nostro per quem & quocum ipsi Patri una cum ipso Filio in Spiritu sancto sit honor, potestas & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

1. Cor. 2. 7.

Finis libri de humana natura a Verbo assumta.

A D M O N I T I O

IN SEQUENTEM FIDEI EXPOSITIONEM.

Cum incertum sit tempus quo sequentem fidei expositionem ediderit S. Athanasius, eam aptiore loco non putamus posse collocari, quam in fronte operum quæ S. Doctor adversus Arianos conscripsit. Hæc autem duplicis sunt generis: in aliis enim fidem catholicam adversus Arianam impietatem strenue propugnat invictus Verbi defensor: in aliis vero varios gravissimosque recenset casus, quos ipse pro ejusdem fidei defensione, Arianis auctoribus, constanter pertulit; ac proinde valde consentaneum videtur illam fidem primum exponi, pro cujus causa his perfunctus est laboribus quos ipse enarrat, & pleraque quæ deinceps sequuntur opera composuit. Quid hæc expositio contineat, ipse docet titulus: nempe brevis est explicatio fidei catholicæ adversus Arianos, quam quidem Facundus Hermianensis lib. XI. pro defensione trium capitul. c. 2. Symboli expositionem appellat, quæ forte tunc fuit hujus operis inscriptio. Quin is verus sit S. Athanasii fetus nulla sane est dubitandi ratio; neque porro id probare ullo modo opus fuerit: siquidem ipse stylus, ipsa doctrina magnum Athanasium satis per se indicat. Nec enim ex eo quod hic tantum humanam Christi naturam dominicum hominem *appellet S. Pater, hanc expositionem ejus non esse licet suspicari, ut nonnullis quidem visum est: quin potius idem, contrarium validissime probat, cum veteres quidam scriptores hæc ipsa verba vere S. Athanasii esse aperte testentur, ut paucis referre operæ pretium videtur. Rufinus apologia pro Origene inter opera S. Hieronymi editionis Parisiensis anni 1643. tom. IX. p. 131. meminit libelli S. Athanasii, ubi hæ voces* dominicus homo *exstabant; quem quidem locum abrasisse ac deinde rescripsisse idem objicit S. Hieronymo, qui hanc a se depellendo calumniam, minime negat id ita scriptum exstitisse in illo S. Athanasii libello. Verum an iste libellus sit hæc fidei expositio, an vero alia major ex qua aliquot fragmenta affert Theodoretus dialogo 3. ubi eædem voces habentur, certo affirmari non potest: nisi forte fusior illa fidei expositio, quam Theodoretus* majorem de fide orationem *appellat, libellus dici non posse, aliquibus videatur. Ut ut sit, inde tamen perspicuum est hanc fidei expositionem minime ob illas voces Athanasio esse abjudicandam, cum teste Rufino eum his aliquando fuisse usum constet. Ceterum major illa de fide oratio, de qua Theodoretus, nihil aliud videtur esse, quam fusior & prolixior explicatio hujusce expositionis, nec major inscribi, nisi quia alia etiam, nempe hæc, exstabat, quæ brevior & contractior esset, quod ut clarius pateat, haud ab re fuerit locum ipsum afferre, ubi Christus, ut homo,* dominicus homo *dicitur. En igitur verba* ἐν τῷ περὶ πίστεως λόγῳ τῷ μείζονι, *ut appellat Theodoretus:* ἐγένετο Λάζαρον ἀσθενήσαντα ἀποθανεῖν· ὁ δὲ κυριακὸς ἄνθρωπος οὐκ ἀσθενήσας, οὐδὲ ἄκων ἀπέθανεν, ἀλλ' ἀφ' ἑαυτοῦ ἦλθεν ἐπὶ τὴν τοῦ θανάτου οἰκονομίαν, στερεούμενος ὑπὸ τοῦ ἐν αὐτῷ οἰκήσαντος θεοῦ λόγου τοῦ εἰπόντος· „ οὐδεὶς αἴρει τὴν ψυχήν μου ἀπ' ἐμοῦ, ἀπ' „ ἐμαυτοῦ αὐτὴν τίθημι· ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτήν, καὶ πάλιν ἐξουσίαν ἔχω λαβεῖν αὐτήν. *„ Id est, Accidit ut Lazarus morbo confectus moreretur: at* dominicus homo *non vi morbi nec invitus est mortuus, sed sua sponte venit ad mortis dispensationem, corroboratus a Deo Verbo in ipso manente, qui dixit:* „ Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam: potestatem habeo ponendi eam, & rur„sus potestatem habeo sumendi eam. *„ Hæc ibi, quæ nonnisi paulo major est explicatio eorum quæ in sequenti expositione numero 1. leguntur. Ex hac quoque fidei expositione excerpsisse videtur Augustinus hæc quæ lib. 2. de Sermone Domini in monte habet c. 6. n. 20. „ Nulli licebit ignorare Dei „ regnum cum ejus unigenitus non solum intelligibiliter sed etiam visibiliter* in homine dominico *de „ cælo venerit judicaturus vivos & mortuos. „ Hæc enim postrema verba,* in homine dominico judicaturus vivos & mortuos *habentur in eadem expositione num. 1. quibus vocibus se usum esse ait Augustinus, quia eas legerat apud catholicos auctores: sic enim scribit lib. 1. Retract. c. 19. n. 8. „ Hoc „ quidem ut dicerem, apud quosdam legi tractatores catholicos divinorum eloquiorum. Deinde addit: „ sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem: postea quippe vidi non esse dicendum, quamvis non„nulla possit ratione defendi. Ratio autem cur hæc verba reprehendat, hanc ipse ibidem affert: Non „ video utrum recte dicatur* homo dominicus *qui est mediator Dei & hominum homo Christus Je„sus, cum sit utique Dominus. Dominicus autem homo quis in ejus sancta familia non potest dici? „ Denique Facundus Hermianensis libro XI. pro defensione trium capitulorum c. 2. tria loca ex hac fidei expositione S. Athanasii profert, inter quæ unus locus est, ubi hæ ipsæ voces* homo dominicus *leguntur. Verba ipsa infra ad propria loca in notis afferemus. Ex his igitur evidens est nullo modo posse in dubium revocari, utrum S. Athanasius sit auctor hujus expositionis fidei. Nec vero hæc locutio in Athanasio culpanda est, quam nempe ipse, ac post eum Epiphanius in Ancorato §. 95. & Cassianus Collat. XI. c. 13. & de incarnatione lib. V. c. 5. & lib. VI. c. 22. forteque alii catholice usurparunt: unde ipse Augustinus, qui eam redarguit, ut vidimus, nonnulla tamen posse ratione de-*

fendi

sendi fatetur. Hi scilicet quos modo memoravimus, per hominem dominicum *nihil aliud intelligunt, quam humanam Christi naturam, quemadmodum certe cum iidem & alii e Patribus* hominem *a Verbo assumtum tam crebro dicunt, humanam tantum naturam indicant, non distinctam personam. Hinc Cassianus in his ipsis locis, ubi Nestorium duas in Christo personas inducentem refellit, iisdem illis vocibus uti minime refugit.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

EXPOSITIO FIDEI.

1. CREDIMUS in unum non-genitum Deum,
Patrem omnipotentem, omnium effecto-
rem visibilium & invisibilium, qui a se ipso habet ut
sit: & in unum unigenitum Verbum, Sapientiam,
Filium, ex Patre sine initio & ab æternitate geni-
tum, Verbum vero non prolatum vel internum, *
non aliquid ex perfecto effluens, aut ex impatibili
natura sectum vel projectum, sed Filium per se
perfectum, viventem & agentem, veram Patris i-
maginem, honore & gloria parem: hæc est enim, in-
Joan. 5. 23. quit, voluntas Patris, *Ut quemadmodum Patrem ho-
norant, ita & Filium honorent.* Deum verum ex
1. Joan. 5. 20. Deo vero; uti dicit Joannes in Catholicis episto-
lis, *Et sumus in vero, in Filio ejus Jesu Christo.
Hic est verus Deus & vita æterna:* omnipotentem
ex omnipotente; omnibus enim, quibus imperat
& dominatur Pater, imperat & dominatur simi-
liter Filius, qui totus ex toto & similis Patri
Joan. 14. 9. existit, ut ipse ait Dominus, *Qui me videt, vi-
det Patrem.* Genitus autem est modo inexplica-
Esa. 53. 8. bili & qui comprehendi nequeat. Nam *generatio-
nem ejus quis enarrabit?* quod idem est ac si diceretur,
Dei Filius, hominem a se assumti voluntati liberum reliquit ut pro nobis pateretur. nullus. ** Qui idem cum in fine sæculorum ex Patris
sinu descendisset, ex inviolata Virgine Maria nostrum
assumsit hominem, Jesum Christum, cujus propriæ
voluntati reliquit, ut pro nobis pateretur, quemad-
Joan. 10. 18. modum ipse ait Dominus: *Nemo tollit animam meam
a me: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem
habeo iterum sumendi eam.* In quo homine crucifixus
& mortuus pro nobis, resurrexit a mortuis, & in cælos
Prov. 8. 22. assumtus est. *** Idem principium viarum nobis crea-
tus, cum in terra versaretur, nobis ex tenebris lumen
exhibuit, salutem ex errore, vitam ex mortuis, nec
non ingressum in paradisum, ex quo Adam ejectus
fuerat, & in quem idem rursus per latronem ingres-
Luc. 23. 43. sus est, quemadmodum ait Dominus, *Hodie mecum
eris in paradiso,* in quem etiam introivit ipse. Pau-

A lus. Ascensum quoque in cælum nobis paravit, quo
præcursor pro nobis intravit Dominicus homo, in
quo vivos & mortuos est judicaturus.
2. Credimus similiter in Spiritum Sanctum, qui 1. Cor. 2. 10.
omnia scrutatur etiam profunda Dei. Dogmatis au-
tem omnibus quæ his contraria fuerint, anathema
dicimus. Neque enim Filio-patrem agnoscimus, qui
unius sit substantiæ, non vero consubstantialis, ut
volunt Sabelliani, qui hoc pacto Filium penitus
tollunt. Neque etiam patibile corpus, quod pro-
pter totius mundi salutem gestavit, attribuimus
Patri: neque tres hypostases per seipsas divisas,
B ut in hominibus pro natura corporum accidit, fas Tres hypostases sanctissimæ Trinitatis non divisæ sed distinctæ sunt.
est in Deo cogitare, ne, ut gentes, deorum mul-
titudinem inducamus; sed sicut fluvius, qui ex fonte
genitus, ab eodem non separatur, quamvis duæ sint
illorum figuræ duove nomina. Siquidem neque Pa-
ter est Filius, neque Filius est Pater; nam Pater, Fi-
lii Pater est, & Filius, Patris est Filius. Ut enim
fons non est fluvius, neque fluvius est fons, sed uter-
que una & eadem est aqua, quæ ex fonte permanat
in fluvium; sic divinitas ex Patre in Filium absque
fluxione & divisione diffunditur. Hinc dicit Do-
minus: *Ex Patre exivi & venio.* Apud Patrem au- Joann. 16. 28.
C tem semper is est, qui est in sinu Patris: nec um-
quam sinus Patris Filii divinitate est exinanitus.
Namque ait: *Ego eram apud eum componens.* Nec Prov. 8. 30.
vero sentimus creatum aut factum, aut ex nihilo
esse rerum omnium creatorem Deum, Dei Filium,
ex existente existentem, ex solo solum, **** cui ab
æternitate ex Patre par gloria & virtus simul inge-
nita est: nam qui videt Filium, videt & Patrem. Joan. 14. 9.
Nempe omnia per Filium creata sunt: at non i-
pse res est creata, uti his verbis docet Paulus: *Quia* Coloss. 1. 16.
in ipso creata sunt omnia, & ipse est ante omnia.
D Non autem dicit eum ante omnia creatum esse,
sed esse ante omnia. Hoc igitur verbum, creatum

* Hæc in Eusebianos dicta esse videntur, qui fidei Nicænæ ob vocem ὁμοούσιον subscribere renuebant. ἐπεὶ γάρ, ut scribit Socrates histor. Eccles. lib. 1. c. 8. ἔφασκον ὁμοούσιον εἶναι ὃ ἔκ τινός ἐστιν ἢ κατὰ μερισμὸν ἢ κατὰ ῥεῦσιν ἢ κατὰ προβολήν· κατὰ προβολὴν μὲν ὡς ἐκ ῥιζῶν βλάστημα, κατὰ δὲ ῥεῦσιν ὡς οἱ πατρικοὶ παῖδες, κατὰ μερισμὸν δὲ ὡς βώλου χρυσίδες δύο ἢ τρεῖς· κατ' οὐδὲν δὲ τούτων ἐστὶν ὁ υἱός, διὰ τοῦτο οὐ συγκατατίθεσθαι τῇ πίστει ἔλεγον. Id est, *Nam quoniam consubstantiale illud esse aiebant quod ex alio est vel partitione, vel fluxu, vel projectu: projectu quidem ut ex radicibus germina: fluxu ut ex parentibus liberi: partitione vero ut ex auri massa duæ vel tres phialæ: nullo porro horum modo Filium Dei esse, idcirco in eam fidem se consentire non posse asseverabant.* Notandum tamen auctores medii & infimæ ætatis voce προβολὴ uti ad significandam processionem Spiritus sancti, ipsumque Joannem Damascenum, Patrem appellare προβολέα τοῦ ἁγίου πνεύματος, ut videre est lib. 1. Orthod. fid. c. 9. & 13.

** Hæc refert Facundus Hermianensis lib. XI. pro defensione trium capitulor. cap. 2. his verbis: *Dicit itaque idem beatus Athanasius in expositionem symboli: Qui in fine sæculorum descendens ex sinu Patris, ex immaculata Virgine Maria nostrum adsumpsit hominem Jesum Christum, quem pro nobis passioni tradidit.*

*** Hæc quoque habet Facundus eodem loco his verbis: *Principium viarum conditus nobis est in terra, quæ* (forte, in qua) *nobis ostendit de tenebris lumen, salutem ex errore, vitam ex mortuis, introitum ad paradisum, de quo exclusus est Adam, in quem iterum intravit per latronem, sicut dixit Dominus, hodie mecum eris in paradiso, quo & Paulus intravit, ascensum in cœlum quo præcursor pro nobis ingressus est dominicus homo, in quo judicaturus est vivos & mortuos.*

**** Nannius sic hunc locum reddit: *cui ut ab æterno ex Patre genito par gloria & potestas.* An forte ᾧ pro ὡς legerit? Nos ita vertimus quasi ᾧ legendum esset: nam ex particula ὡς nullus rectus sensus, ut nobis quidem videtur, elici potest. Nostram autem conjecturam non parum confirmant quæ subjiciuntur verba, ὁ γὰρ ἑωρακὼς τὸν υἱόν, &c. *Nam qui videt Filium, videt & Patrem.* Inde enim clarum est hic significari, Filio ex Patre similem adeo gloriam & virtutem esse ab æternitate genitam, ut qui viderit Filium, viderit simul & Patrem.

esse, de omnibus quidem dicitur: sed esse ante omnia soli utique Filio congruit.

3. Ille itaque fetus est natura perfectus ex perfecto, ante omnes colles genitus, hoc est, ante omnem naturam ratione & intelligentia prędita quemadmodum alibi Paulus eum vocat *primogenitum omnis creaturæ*. (Coloss. 1. 15.) Verum cum primogenitum dixit, illum non creatum esse, sed fetum esse Patris significavit. Siquidem alienum est ab ejus divinitate, rem creatam ipsum dici. Omnia enim a Patre per Filium creata sunt: solus autem Filius ab æternitate ex Patre genitus est, unde Deus Verbum primogenitus est omnis creaturæ, immutabilis ex immutabili. Itaque corpus quod quidem propter nos assumsit, res creata est, de quo dicit Jeremias juxta Septuaginta Interpretum editionem: (Jerem. 31. 22.) * *Dominus creavit nobis in plantationem salutem novam, in qua salute homines circumibunt*. Interprete autem Aquila: *Creavit Dominus novum in femina*. Creata porro nobis in plantationem salus nova & non antiqua, nobis & non ante nos, ** Jesus est, qui, quatenus Salvator, factus est homo, quæ quidem vox, *Jesus*, aliquando salus, aliquando salvator redditur. Est autem ex Salvatore salus, ut ex lumine illuminatio. Itaque nova ex Salvatore creata salus, ut loquitur Jeremias, nobis salutem novam creavit, Vel, ut vertit Aquila, *Creavit Dominus novum in femina*, id est, in Maria. Nihil enim novum in femina creatum est, nisi dominicum corpus, quod Maria virgo absque concubitu peperit, ut ex persona Jesu in Proverbiis legitur: (Prov. 8. 22.) *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*. Non dicit, ante opera creavit me, ne quis id ad divinitatem Filii referret.

4. Utrumque ergo illud de re creata dictum, de Jesu secundum corpus scriptum est. Siquidem principium viarum creatus est dominicus homo, quem nobis nostræ salutis procurandæ causa exhibuit. Nam per ipsum habemus accessum ad Patrem: (Ephes. 2. 18.) ipse enim est via quæ nos ad Patrem ducit. Via autem corporeum quiddam est quod oculis cernitur, estque ipse dominicus homo. Omnia ergo creavit Verbum Dei, quod ipsum non creatum est, sed genitum. Namque nulla res creata aliquid æquale vel simile sibi ipsi potest creare: sed Patris est generare, & artificis creare. Itaque res facta & creata est corpus, quod propter nos gestavit Dominus, *quod genitum nobis est*, (1. Cor 1. 30.) ut ait Paulus, *a Deo sapientia & sanctificatio & justitia & redemptio*; quamvis ante nos atque rem quamlibet creatam & fuerit & sit Verbum, Patris sapientia. (Similia habentur in epistola de sententia Dionysii.) Sanctus autem Spiritus qui a Patre procedit, semper est in manibus Patris mittentis, & ferentis Filii, per quem scilicet omnia replevit. Pater igitur qui ex seipso esse, ut ita loquar, continet, Filium, uti diximus, genuit, non creavit, non secus ac fluvium ex fonte, germen ex radice, & splendorem ex luce, quæ individua esse, natura ipsa agnoscit. Per ipsum autem sit Patri gloria, potestas & majestas ante omnia sæcula, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

* Hic porro locus sic in Hebræo legitur:
בָּרָא יְהוָה חֲדָשָׁה בָּאָרֶץ נְקֵבָה תְּסוֹבֵב גָּבֶר:
id est, *Creavit Deus novum in terra, femina circumdabit virum*.
** יְשׁוּעָה unde nomen Jesus a Verbo יָשַׁע, proprie quidem est salus: at nomen proprium inde deductum recte *Salvator* vertitur. Hinc Hieronymus lib. 1. commentarior. in Matth. *Jesus Hebræo sermone Salvator dicitur*. Hunc locum Facundus Hermian. loco supra laudato his verbis refert: *Ea vero salus quæ nobis condita est ad plantationem nostram, nova est & non vetus, nobis & non eis, qui ante nos. Jesus qui juxta Salvatorem factus est homo, qui interpretatur pastor, salus, interdum etiam Salvator*. Hæc ibi perperam e Græco reddita.

A D M O N I T I O

IN SEQUENTEM TRACTATUM.

IN Tractatu sequenti pravam Eusebii Eusebianorumque interpretationem in hæc Christi Domini verba, Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, *refellit sanctus Athanasius. Illi enim ex his verbis Filium Dei nec æternum nec ex Patre esse concludebant: sed falsam hæreticorum commentationem esse ostendit sanctus Doctor, nec hæc verba posse intelligi, nisi de Verbi divini incarnatione, in qua scilicet humanum genus peccato primi parentis sauciatum & corruptum, illi ut medico, ut vitæ; ut luci, ut rationi sanandum traditum est, ut nimirum quemadmodum omnia per ipsum facta fuerant, sic in ipso instaurarentur ac reficerentur. Postea ejusdem Verbi cum Patre unitatem probat ex his verbis Joannis* 16. 15. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: *inde enim sequi omnia, quæ sunt in Patre, esse quoque in Filio: ac proinde cum æternus sit Pater, æternum quoque esse Filium: & ut de Patre non potest dici, fuit aliquando tempus cum non esset, vel ex nihilo, ita nec hæc de Filio fas esse suspicari. Addit Dominum caute dixisse*, quæcumque habet Pater, *ne videlicet ipse, Pater esse crederetur, atque adeo his etiam verbis Sabellii errorem manifeste everti. Postremo aliud Arianorum commentum dissolvit Athanasius. Illi nempe ut suam hæresim stabilirent, fingebant Cherubim & Seraphim ter vocem* Sanctus *diverse proferre, prima scilicet vice, magna voce, ut Dominum indicarent; secunda minus clara, ut subjectionem aliquam significarent; denique tertia vice, voce summissa, ut inferiorem adhuc ordinem denotarent. Verum hanc interpretationem commentitiam esse convincit sanctus Doctor, docetque trina illa vocis* Sanctus *iteratione tres perfectas Sanctissimæ Trinitatis hypostases significari, una autem vocis* Dominus *pronuntiatione unam ejusdem designari substantiam. Porro hæc eadem loca*, Omnia mihi tradita sunt a Patre, &, omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, *eodem sensu iisdemque fere verbis explicat Oratione tertia, alias quarta, contra Arianos.*

De tempore quo scriptus sit iste Tractatus, hoc unum certum habemus ante obitum Eusebii Nicomediensis, id est ante annum CCCXLIII. *fuisse compositum: siquidem eo adhuc vivente esse editum constat ex ipso exordio. An item integer sit, forte possit quis in dubium vocare ex his primis verbis*, ἐ τῶν ὁ [illegible] &c. *quæ nimirum, alia quædam jam præmissa videntur supponere. Præterea prima tantum pars loci propositi hic explicatur, nihilque omnino dicitur de alia ejusdem parte, quamvis totus locus in titulo veluti explicandus proponatur. Verum adhæc responderi potest ipsum ex Euangelio Matthæi locum, quem exponendum suscipit sanctus Athanasius, instar exordii esse, ac proinde eum recte exordiri ut hic habetur: deinde integrum licet in titulo locum retulerit, quia nempe totum id erat capitulum, non inde tamen sequi totum quoque debuisse explicare. Hinc ipse in exordio solam primam partem sibi contra Arianos explicandam assumit.*

IN

Matth. 11. 22.

I N I L L U D:

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, & nemo novit quis sit Filius, nisi Pater, & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

1. ID quoque non intelligentes Arii hæresis sectatores Eusebius ejusque gregales, impie io Dominum agunt. Siquidem illi hac voce *omnia* rerum creatarum dominatum comprehendentes, ad hunc modum argumentantur: Si omnia ei tradita sunt: fuit ergo aliquando tempus, cum illa non habuerit. Quod si aliquando non habuit, nnn est ex Patre. Nam si ex Patre esset, illa profecto semper habuisset, quippe qui esset ex Patre, nec proinde ea accipere illi fuisset necesse. Verum inde etiam facilius eorum insipientiam coovincere licebit. Nec enim rerum creatarum sive factarum dominatum & principatum denotat vox illa, sed quemdam dispensationis sensum includit. B Si enim cum verba illa protulit, omnia tunc ei sunt tradita: manifestum est Verbi inutilem fuisse creationem, antequam ea acciperet. Quod si ita est: qui verum potest esse, quod de illo dicitur: *Omnia in ipso constant?* Coloss. 1. 17. si vero tunc cum fiebant res creatæ, omnes illi traditas fuisse dicatur: id sane non necesse fuit: siquidem omnia per ipsum facta sunt; ac proinde supervacaneum fuit illa Domino tradi, quorum ipse erat opifex. Nam vere rerum, quæ fiebant, dominus erat cum eas ipse faceret. Quod si illas postquam factæ sunt traditas ei esse contendant; vide quam id sit absurdum. C Si enim illi traditæ sunt, eoque accipiente recessit Pater: periculum sane est ne in quorumdam fabulas incidamus, ut scilicet putemus Patrem postquam omnia Verbo tradidit, ab iisdem ipsum discessisse. Vel si habente Filio, habet quoque Pater: non dicendum erat, *Tradita sunt*: sed quod Filium socium assumsit, uti Paulus Silvanum. Verum hoc etiam magis absurdum est, nec enim ulla re indiget Deus, nec inopiæ causa Filium socium sibi & adjutorem adjunxit: sed quia Pater Verbi est, omnia per ipsum facit; neque illi res creatas tradit, sed per ipsum & in ipso rebus creatis providet, ita ut nec passerculus sine Patre cadat super terram, nec fœnum sine Deo vestiatur, D & Patre operante Filius quoque usque modo operetur. Vaoa itaque & futilis est impiorum interpretatio. Nec eoim verba de quibus agitur, perinde ut ipsi explicant, debent intelligi, sed humanam Verbi dispensationem significant.

Pater per Verbum & in Verbo rebus omnibus providet.

Matth. 10. 29. Ibid. 6. 30. Joan. 5. 17.

2. Postea enim quam peccavit & cecidit homo, eoque cadente omnia sunt perturbata, mors ab Adam usque ad Moysem iovaluit, Rom. 5. 14. maledicta est terra, inferi aperti sunt, elausus est paradisus, cæli infensi nobis sunt facti, ac denique corruptus est homo & jumentis similis effectus est, Psal. 48. 13. quæ quidem diabolo causa fuit, cur nobis deinceps insultaret. E Tunc ergo benignus Deus hominem ad sui imaginem creatum perire nolens dixit: *Quem mittam, & quis ibit?* Esa. 6. 8. Cunctis autem tacentibus dixit Filius: *Ecce ego, mitte me*. Tum Pater, *vade*, dicens, hominem Filio tradidit, ut scilicet ipse caro fieret, & assumtam carnem, totam penitus renovaret. Illi, inquam, homo traditus est tamquam medico, ut morsum quem ipsi serpens inflixerat, curaret: tamquam vitæ, ut mortuum excitaret: tamquam luci, ut ejus tenebras illuminaret: tamquam rationi, ut ejusdem rationem restitueret. F Ut igitur cuncta ei sunt tradita & factus est homo, omnia statim emendata & perfecta sunt. Terra pro maledictione benedictionem accepit, latroni reseratus est paradisus, inferi tremuerunt, & his A qui mortui erant excitatis, aperta sunt menumenta: denique portæ cæli elevatæ sunt, Psal. 23. 7. ut ille qui est ex Edom adveniret. Esai. 63. 1. Certe ipse Salvator explicans quonam modo omnia sibi tradita fuerint, mox, ut apud Matthæum legitur, subjecit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos:* Matth. 11. 28. mihi enim traditi estis, ut labore defessos reficiam, & mortuos revocem ad vitam. Cui & illud concinit quod habet Joannes: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus*. Joan. 3. 35. Dedit enim ut quemadmodum omnia per ipsum facta sunt, sic in ipso omnia B possent instaurari. Siquidem non idcirco omnia ei tradita sunt, ut ex paupere dives fieret, neque omnia accepit, ut potestatem quam non habebat acciperet, absit: sed potius ut omnia, tamquam Salvator, instauraret. Nempe decebat creationis quidem exordium *per ipsum* fieri, ut res exsisterent: Joan. 1. 3. earum autem instaurationem, *in ipso*; Ephes. 1. 10. quæ sane verba inter se differunt. Nam initio quidem omnia per ipsum facta sunt ut essent: postea vero, ubi omnia defecerunt, Verbum caro factum est, quam scilicet induit, ut in ipso omnia reficerentur. C Siquidem ipse patiendo, nos recreavit, esuriendo nutrivit, & ad inferos descendendo, sursum extulit. Tunc ergo cum omnia fierent, jubentis fiebant imperio, ut hæc verba indicant, *producant*, *fiat*. Genes. 1. At in rerum instauratione omnia ei tradi decuit, ut ipse homo fieret, & omnia in eo renovarentur. homo enim quatenus in illo erat, vivificabatur. Nam Verbum ideo se homioi conjunxit, ut nihil amplius contra hominem valeret maledictio. Hinc oui Psalmo septuagesimo primo, Deo pro humano genere supplicant, hæc ajunt: *Deus judicium tuum regi da*, Psal. 71. ut & D judicium mortis contra nos prolatum Filio detur, & ipse pro nobis moriens, illud in seipso deleat. Hoc enim ipse significans, in octogesimo septimo Psalmo ait: *Super me confirmatus est furor tuus*. Psal. 87. 8. Siquidem ipse furorem portavit, quo Deus in nos inflammatus erat, ut & in Psalmo centesimo trigesimo septimo dicit: *Dominus retribuet pro me*. Psal. 137. 8.

3. Itaque eo sensu omnia Salvatori tradita esse licet intelligere, quæ si rursus explicare opus sit, vere ea quæ non habebat, ipsi sunt tradita. Nec enim antea homo erat, sed homo ipse factus est, ot hominem salvum faceret. E Nec in principio Verbum in carne erat, sed postea caro factum est, in qua Dei in nos ioimicitias, juxta Apostolum reconciliavit, Ephes. 2. 15. & legem mandatorum decretis evacuavit, ut duos conderet in unum novum hominem, faciens pacem, & ambos Patri in uno corpore reconciliaret. Quæ igitur Pater habet, hæc quoque ad Filium pertinent, ut ipse apud Joannem testatur: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt:* Joan. 16. 15. quæ quidem apposite admodum sunt dicta. Namque cum factus est quod antea non erat, tunc illi quidem omnia sunt tradita: cum autem suam cum Patre unitatem indicat, non obscure sed aperte ait: *Omnia quæcumque habet* F *Pater, mea sunt*. Quæ quam accurate sint dicta paulum perpendere nec non admirari operæ pretium fuerit. Non enim dixit: *Omnia quæcumque habet Pater*, mihi dedit, ne videretur ea aliquando

Homo renovandus Filio traditus est ut medico, ut vitæ, ut luci, ut rationi.

do non habuisse: sed *mea sunt*. Nam ut illa sunt in potestate Patris, ita & in Filii. Quid autem habeat Pater, necesse est rursus perquirere. Nam si bis verbis rerum creationem significat: nihil ergo habuit ante creationem, & quicquid habet, accepit a creatione. Verum absit ut ita intelligamus. Siquidem ut ante creationem ipse existit, ita & quæcumque habet, ante creationem habet, quæ eadem Filii quoque esse credimus. Si enim in Patre est Filius: omnia igitur quæcumque habet Pater, Filii quoque sunt. Certe hoc dictum pervicaciam & improbitatem evertit hæreticorum, quorum nempe hæc sunt verba: „Si omnia Filio tradita sunt: igitur „Pater, eorum, quæ Filio tradidit, potestate cessit, „quippe qui Filium in sui locum constituerit. [*Joan. 5. 22.*] *Ete-* „*nim neminem Pater judicat, sed omne judicium dedit* [*Psalm. 62. 12.*] „*Filio*.„ Verum obstruantur ora loquentium iniqua. Nec enim omnium dominatu spoliatus est Pater, quia omne judicium dedit Filio: neque quod dictum est omnia Filio tradita esse a Patre, ipsum idcirco non omnibus præsidere putandum est. Obstruantur, inquam, illorum ora, qui unigenitum Dei filium, qui quidem ex natura individuus est, audent dividere: quamquam insani verbis tantum dividant. Nimirum impii non intelligunt lucem solis a sole nunquam posse separari, sed semper naturaliter in sole esse. Liceat enim tenui vulgarium rerum imagine id quod intelligimus exprimere, quandoquidem nimiæ temeritatis esset naturam, quam nemo cogitatione potest comprehendere, curiosius perscrutari.

4. Quemadmodum ergo lux solis, quæ universum orbem illuminat, sine sole lucere intelligi non potest ab his nempe qui sana sunt mente, quia lux solis, ejusdem naturæ unita est: ac proinde si lux ipsa diceret: Accepi a sole ut omnia illuminarem, meoque calore augerem & roborarem: nemo adeo stultus esset ut solem a natura quæ ex ipso exoritur, quæ nimirum lux ipsa est, his verbis separari arbitraretur: ita similiter divinam Verbi substantiam suo patri ex natura unitam esse vera pietas jubet intelligere, uti ex hoc ipso loco quem modo tractamus clarissimum est. Siquidem hæc Salvatoris verba, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, eum cum Patre semper esse significant. Nam hæ quidem voces, *quæcumque habet*, Patris dominatum ostendunt: istæ vero, *mea sunt*, individuam utriusque unionem indicant. Necesse est igitur nos intelligere æternitatem & immortalitatem in Patre esse: esse, inquam, non tamquam aliena, sed in ipso & in Filio velut in fonte residere. Cum ergo de Filio cogitare volueris, disce prius quænam sint in Patre, eaque in Filio etiam esse credere ne dubites. Itaque si Pater res est creata vel facta: hæc quoque Filio adscribe. Si item de Patre licet dicere, fuit aliquando tempus cum non esset, vel est ex nihilo: id etiam de Filio dicatur. Sin autem hæc in Patre esse absque impietate dici non potest, ea quoque Filio affingere impium sane fuerit. [*Matth. 10. 40.*] Quæ enim Patris sunt, hæc & ad [*Joan. 24. 9.*] Filium pertinent. Nam qui Filium honorat, Patrem qui eum misit honorat: & qui Filium recipit, Patrem cum eodem recipit. Siquidem qui videt Filium, videt & Patrem. Quocirca ut Pater non est res creata, ita nec Filius; atque ut de illo dici nequit, fuit aliquando, cum non esset, vel est ex nihilo; sic nec ea de Filio dicere convenit. Sed potius ut in Patre est æternitas & immortalitas, ut idem semper est, nec res est creata; sic eadem de Filio sentire necesse [*Joan. 5. 26.*] est. Nam, uti scriptum est: *Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*. Porro verbo, *dedit*, usus est Christus, ut dantem Patrem ostenderet. Ut autem in Patre est vita, ita & in Filio vitam esse dixit, quo individuam utriusque naturam & æternitatem indicaret. Hinc enim caute dixit, *Omnia quæcumque habet Pater*, ut hic Patrem nominans, idem ipse non esse Pater crederetur. Namque non dixit, Ego sum Pater, sed, *Quæcumque habet Pater*.

5. Equidem ipse unigenitus Dei filius, o Ariani, pater quoque a Patre appelletur, sed non eo sensu quem vos errantes forte suspicamini: at pater futuri sæculi dicitur. Necesse est enim vestras omnes falsas suspiciones præcidere. En igitur prophetæ verba: *Genitus* [*Esai. 9. 6.*] *est nobis filius & datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus, & vocatur nomen ejus, magni consilii angelus, Deus fortis, potestatem habens, pater futuri sæculi*. Pater ergo futuri sæculi est unigenitus Dei filius ut & Deus fortis & summa potestate præditus: atque dilucide ostensum est omnia quæcumque Pater habet Filii quoque esse, & quemadmodum Pater vitam impertit, ita & Filium quibus voluerit vitam tribuere, Nam, ut Scriptura præmonet, *Mortui au-* [*Joan. 5. 25.*] *dient vocem Filii & vivent*. Una quoque Patris & Filii est voluntas ac sententia, quia unam & individuam habent naturam. Frustra igitur seipsos excruciant Ariani, dum hæc nostri servatoris verba minime intelligunt, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Siquidem ex his quoque penitus evertitur insanus Sabellii error, & invicte coarguitur hodiernorum Judæorum insipientia. Hinc enim vitam in semetipso habens Unigenitus, quemadmodum Pater habet, solus novit quis sit Pater, utpote cum ipse sit in Patre, & Patrem habeat in seipso. Namque imago est, atque adeo omnia quæ Patris sunt, in ipso quoque sunt sicut in imagine. Etenim sigillum est eamdem formam referens, & Patrem in seipso repræsentans, Verbum vivens & verum, virtus, sapientia, sanctificatio & redemtio nostra. *In ipso enim vi-* [*Act. 17. 28.*] *vimus, & movemur, & sumus*. Et, *Nemo cognoscit quis* [*Matth. 11. 27.*] *sit Pater, nisi Filius; & quis sit Filius, nisi Pater*.

6. Quid igitur impii his de rebus, quas scrutari nefas est, effutire non verentur; illi, inquam, qui & homines sunt, nec vel ipsam rerum terrestrium naturam possunt evolvere? Imo, quæ vel ipsos spectant, ipsi explicent nobis, num videlicet suam ipsorum naturam percipere queant? Temerarii certe illi nimiumque confidentes, qui divinæ majestatis gloriam absque ullo tremore scrutantur, in quam angeli cum natura [*1. Petr. 1. 12.*] tum ordine ipsis adeo superiores desiderant prospicere. Quid enim Deo propinquius quam Cherubim & Seraphim? & tamen non audent aspicere vel pedibus stare, imo non nuda sed obtecta veluti facie divinas laudes labiis nunquam deficientibus celebrant, nihil aliud quam divinæ & inexplicabilis naturæ gloriam triplici sanctitatis titulo prædicantes. Nec vero ullus e sanctis prophetis, qui hujusmodi visione maxime sunt digni habiti, nobis renunciavit illos magna voce usos esse cum *sanctus* prima vice proferrent; minus clara, secunda vice; summissa denique, tertia vice: deindeque prima sanctitate Dominum significari, secunda subjectionem indicari, tertia demum inferiorem designari ordinem. Verum apage hominum Deo invisorum insaniam: Nam laudanda colendaque & adoranda Trinitas, una & individua est, nec ullam figuram habet, sed absque confusione conjungitur, quemadmodum ejusdem unitas distinguitur absque divisione. Nimirum veneranda illa animalia, trina ista *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* iteratione tres perfectas denotant hypostases; quemadmodum cum semel vocem *Dominus* proferunt, unam indicant substantiam. Qui ergo unigenitum Dei filium minorem faciunt, hi ipsum Deum suis blasphemiis lacessunt, quippe qui pra-

[Angeli trina vocis *Sanctus* iteratione tres perfectas in Deo hypostases significant: una autem vocis *Dominus* pronunciatione, unam ejus indicant substantiam.]

prave de ejus perfectione sentiant, eumque imperfectum arguant: seipsos autem gravissimi profecto supplicii reos constituunt. Quisquis enim blasphemiam in quamlibet hypostasim audebit proferre, is veniam neque in hoc sæculo neque in futuro poterit obtinere. Verum potest Deus oculos cordis ipsorum aperire ad solem justitiæ perspiciendum, ut illo cognito, eumdem, quem olim repudiabant, constanti animi pietate nobiscum laudent, quoniam ipsius est imperium, Patris videlicet & Filii & Spiritus sancti, nunc & in sæcula. Amen.

IN ENCYCLICAM AD EPISCOPOS EPISTOLAM

MONITUM.

I. *Post Tractatum in illud:* Omnia mihi tradita sunt a Patre *&c. opportune subsequitur Encyclica ad Episcopos Epistola, anno* CCCXLI. *conscripta, quæ gravissimarum causa disceptationum hactenus extitit. Nonnulli enim vitium in editis jure suspicati, Gregorium semper pro Georgio qui passim illic occurrebat, Pistum semel pro Gregorio substituendum putarunt: alii veterem pro virili vindicarunt lectionem. Nos vero perantiqui Regii codicis ope egregium hoc Athanasii opus suæ integritati reddidisse, ac una huic tantæ quæstioni finem imposuisse putamus. Verum ut intelligatur quid operæ in hac Epistola instauranda contulerimus, res est altius repetenda.*

II. *Postquam ex Galliis reversus fuerat Athanasius, Constantii Imperatoris auctoritate freti Eusebiani, Pistum Alexandriæ Arianorum Episcopum constituerunt. Sed rei indignitate commoti cum ipse Athanasius, tum alii Ægyptii præsules, Eusebianorum audaciam ubique pervulgarunt, deque tanta injuria apud omnes Episcopos conquesti sunt. Eusebiani vero cum comperissent male ubique audire Pisti ordinationem, eumque velut intrusum communi omnium calculo damnari, coacta Antiochiæ Synodo anno* CCCXLI. *Gregorium item Arianum Pisto subrogant, Philagriique Ducis præsidio fultum Alexandriam mittunt: in cujus ingressu illa commissa sunt flagitia quæ per totam hanc Epistolam recensentur. Athanasius enim cum sese ex urbe exque tanto tumultu proripuisset, de rebus Alexandriæ gestis Epistolam scripsit, non ad omnes Orthodoxos, ut veteres ferunt editiones, sed ad universos orbis Episcopos. Neque vero hic unus error amanuensium vitio irrepsit, nam omnes tam editi quam manuscripti, unico regio excepto, Gregorii loco Georgium semper habent, errore scilicet ex nominum similitudine orto: omnes item editi & quidam manuscripti, Pisti loco Gregorium habent. quæ res densissimas huic historiæ tenebras offudit. At genuinam esse codicis Regii lectionem hacque Epistola Gregorii, non vero Georgii, intrusionem enarrari, certum habemus. 1. Namque Regius codex ceteris præstat cum antiquitate tum fide, quod alibi passim observatur. 2. Præter Regium, Anglicanus codex numero 6. Pistum, non Gregorium habet, quo item modo legisse Nannium infra dicemus. At si hoc loco Pistus legatur, consentiunt omnes Gregorium alias ubique legendum esse: nam eodem numero Pistus decessor dicitur ejus ad quem hæc historia pertinet, Pistum autem apud Arianos Gregorii decessorem habitum fuisse nemo ignorat. 3. Episcopus de quo hic agitur, Philagrio Ægypti præfecto opitulante, Alexandrinam sedem invasisse dicitur: quod recte quidem Gregorio convenit, at non item Georgio, qui Cataphronii Ægypti præfecti ope Alexandrinam occupavit sedem. 4. Episcopus de quo hæc agit Epistola ideo ordinatus est quod ejus decessorem omnes Ecclesiæ Præsules damnassent, & Episcopatu abdicassent. At qui, quæso, hoc ad Georgium referas, qui septem tantum annos post Gregorii decessoris sui obitum ab Arianis ordinatus est? 5. Athanasius calamitates ab Eusebianis sibi illatas recensens, de solo in Gallias exilio mentionem facit, cur vero tacuisset illud gravius longiusque exilium quo ante Georgii intrusionem octo circiter annos, iisdem Eusebianis auctoribus afflictus est? 6. Inter ea quæ a Julio Romano Pontifice de Gregorii Alexandriam ingressu infra in Apologia narrantur num. 30. & ea quæ in præsenti Epistola recenset Athanasius, tanta intercedit similitudo, ut vel hinc Gregorii intrusionem hoc loco enarrari nemo eat inficias. Ecce Julii verba:* καθὼς οἱ ἐπίσκοποι ἔγραψαν, ἡ ἐκκλησία ἐμπρησμὸν ὑπέμεινε, παρθένοι ἐγυμνώθησαν, μονάζοντες κατεπατήθησαν, πρεσβύτεροι καὶ πολλοὶ τοῦ λαοῦ ᾐκίσθησαν. Prout Episcopi scripsere, incendium passa est Ecclesia, virgines denudatæ, monachi conculcati, presbyteri & ex populo multi plagis lacerati. *His quam simillima in hac Epistola num. 3. leguntur:* ἡ μὲν ἐκκλησία, καὶ τὸ ἅγιον βαπτιστήριον πυρπολεῖται..... παρθένοι ἅγιαι καὶ ἀμίαντοι ἐγυμνοῦντο..... μονάζοντες κατεπατοῦντο καὶ ἀπέθνησκον. Ecclesia & sacrum baptisterium incenduntur..... sanctæ & immaculatæ virgines nudabantur..... monachi conculcati expirabant. *Et num. 4.* πρεσβύτεροι καὶ λαϊκοὶ ᾐκίζοντο, presbyteri & laici plagis lacerabantur. *Utrinque vides Ecclesiam incensam, utrinque virginum denudationes, monachos conculcatos, presbyteros & laicos plagis laniatos, ut nihil ambigas eumdem ingressum utrobique narrari. Nec tamen diffiteor in ingressu Georgii quædam his similia gesta esse: at de incensa Ecclesia, vel de monachis conculcatis nihil in illius intrusione legitur. Demum Episcopus, de quo hic agitur, ab Eusebio & sociis ejus missus est, qui Eusebius cum quatuordecim annis ante Georgii intrusionem vita functus sit, quomodo potuit Georgium illo mittere? Illud autem* οἱ περὶ Εὐσέβιον, *quod passim in hac Epistola occurrit, semper Eusebium significat, nonnumquam solum, sed sæpius cum sectatoribus suis. Neque enim sequaces Eusebii jam defuncti, usquam apud Athanasium,* οἱ περὶ Εὐσέβιον *vocantur: sed* κοινωνοὶ τῶν περὶ Εὐσέβιον, Eusebii socii, *ut infra in Apologia, vel* κληρονόμοι τῆς ἀσεβείας τοῦ Εὐσεβίου, hæredes impietatis Eusebii, *sæpe in Epist. ad Solitarios. Sed quid plura? Si cui rem alioqui sat exploratam ultra indagare placuerit, is conferat historiam ingressus Georgii Alexandriam cum hac Epistola, easque in plurimis aliis præcipuisque rebus inter se discrepare comperiet. Hæc de germano hujus Epistolæ contextu dicta sint.*

III. *At quædam disquirenda superessent. An scilicet, a tota Synodo Antiochena missus sit Gregorius, an solum ab Eusebianis post solutam Synodum illic remanentibus, quod in libro de Synodis commodius expendemus. Num Athanasius post suum ex Galliis reditum bis Alexandria Romam petierit, & an duplex Synodus a Julio Romano pro causa Athanasii sit celebrata, quod utrumque in sequenti Monito ad Apologiam disquirendum veniet.*

EPISTOLA ENCYCLICA

BEATI ATHANASII

EPISCOPI ALEXANDRIÆ.

Ad omnes ubique Comministros, Dominos dilectos, Athanasius in Domino salutem.

Scripta anno CCCXLI.

1. USQUE adeo atrocia & intoleranda sunt quæ sustinuimus mala, ut pro rei gravitate enarrari nequeant. Ut autem rerum in nos gestarum indignitas citius dignoscatur, operæ pretium duxi historiam ex Scripturis petitam recitare. Vir olim Levita, commissi in uxorem sceleris injuriam passus, exsecrandi facinoris atrocitatem secum perpendens, (Hebræa quippe & ex tribu Juda mulier erat,) tantique flagitii gravitate perculsus; divina Judicum scriptura narrante uxorem in frusta concisam misit ad omnes tribus Israel, ut non sibi peculiarem, sed omnibus communem injuriam reputarent: & ut si vicem suam dolerent, se ulciscerentur; sin negligerent, quasi ipsi tanti criminis auctores essent pudore suffunderentur. Nuntii igitur rem gestam enarrarunt. Illi vero iis auditis atque perspectis, dicebant nunquam talia facta esse, ex qua die filii Israel ex Ægypto ascenderant. Universæ igitur tribus Israel concitatæ sunt: omnesque quasi singulis illata fuisset injuria, adversus tanti flagitii auctores in unum coierunt. Ac demum scelesti illi bello devicti, & ab omnibus exsecrationi sunt habiti: etenim qui convenerant non cognationem, sed facinoris indignitatem præ oculis habuere. Scitis historiam, fratres, & quæ ea de re in Scripturis accurate recensentur: pluribus enim eam prosequi non juvat, apud eos maxime quibus res probe nota est: cum necessitate compellar ea quæ nunc gesta sunt, illis multo graviora, vestræ pietati significare. Ideo enim hujus historiæ memini, ut ea quæ tunc gesta sunt præsentibus comparantes, & scientes, hæc illis crudeliora esse, magis indignemini, quam illi tunc adversus scelestos illos indignati sunt. Etenim adversus nos perpetrata facinora, ipsam persequutionum acerbitatem longe excedunt; ita ut exigua videatur Levitæ calamitas iis collata quæ nunc adversus Ecclesiam commissa sunt: vel potius ejusmodi illa sunt, ut numquam aliquid simile auditum, nec quisquam istiusmodi mala expertus sit. Tunc enim mulier una contumeliis affecta, unicus item Levita læsus, nunc autem universæ Ecclesiæ injuria illata est, & sacerdotalis ordo contumeliis est affectus: quodque gravius videatur, pietas ab impietate persequutionem patitur. Et tunc quidem singulæ tribus singula unius mulieris frusta cernentes exhorruere: nunc autem universæ Ecclesiæ membra discerpta conspiciuntur. Legati certe tum ad vos, tum ad alios missi, quibus contumeliis injuriisque sint affecti, renunciant. Concitemini igitur & vos, obsecro, quasi non nos tantum, sed & vos injuria affecti essetis: & quisque, quasi ipse læsus opem ferat, ne brevi Ecclesiastici canones & Ecclesiæ fides pessum eant. Utrumque enim periclitatur, nisi vestra opera Deus facinora illa cito corrigat, & Ecclesia vindicetur. Non enim nunc primum canones & statuta Ecclesiæ data sunt, sed a Patribus nobis recte firmiterque sunt tradita: neque nunc fides incœpit, sed a Domino per discipulos ad nos usque pervenit. Ne igitur ea quæ ab antiquis hactenus servata sunt in Ecclesiis, istis jam diebus pessum abeant, neve de iis quæ nobis concredita sunt rationes repetantur; incitemini, Fratres, utpote dispensatores mysteriorum Dei, dum illa ab aliis diripi cernitis. Plura a tabellariis ediscetis, festinavi tamen paucis ea significare, quo plane vobis constaret nunquam talia adversus Ecclesiam perpetrata esse, ex qua die Salvator in cælum assumtus discipulis præcepit, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*

Judit. c. 19. — Matth. 28. 19.

Gregorius Philagrii ope Alexandrinam sedem invadit.

2. Quæ igitur scelera adversum nos & adversus Ecclesiam commissa sunt, sic se habent. Cum nos de more in pace conveniremus, populique in conventibus lætarentur, ac vitæ instituto secundum Deum proficerent: comministris quoque nostris per Ægyptum, Thebaidem & Libyam, caritatem & pacem inter se ac nobiscum servantibus; derepente præfectus Ægypti literas publice profert, sub formam edicti, quibus declarabat Gregorium quemdam ex Cappadocia mihi successorem ex comitatu inductum esse. Quibus auditis consternati sunt omnes: novum quippe illud erat, & hactenus inauditum. Populi autem eo frequentius in Ecclesias conveniebant, quod secum reputarent nec se, nec Episcopum, aut Presbyterum, aut alium quempiam, de nobis unquam conquestum esse, solosque Arianos cernerent cum illo, quem etiam Arianum & Arianis ab Eusebio sociisque ejus missum agnoscebant. Scitis autem, Fratres, semper Eusebianos impiæ Ariomanitarum hæresis patronos, ipsique communione junctos fuisse, eorumque opera nobis semper insidiatos, nostri etiam in Gallias exilii auctores fuisse. Hæc causa fuit ut populi jure indignati, ingenti clamore obtestarentur cum alios judices, tum universam urbem: quod nulla accusatione ab Ecclesiasticis facta; sed hæreticis Arianis illud contra nos molientibus, res adeo nova & iniqua adversus Ecclesiam perpetraretur. Si qua enim adversum nos criminatio vim haberet, oportuit nec Arianum, nec Arianæ sententiæ hominem ordinari, sed secundum Ecclesiasticos canones, & secundum verba Pauli, *Congregatis* populis, *& spiritu* ordinantium, *cum virtute Domini nostri Jesu Christi*, omnia juxta Ecclesiasticas leges disquiri ac peragi, præsentibus populis & clericis qui illum postularent. Nec decuit eum ex alia regione ab Arianis adductum, Episcopi nomen quasi mercatum apud eos qui eum nec peterent, nec vellent, & rem gestam prorsus ignorarent, sæcularium judicum patrocinio ac vi sese intrudere. Illud enim vera Ecclesiasticorum canonum abrogatio est, Ethnicosque ad blasphemandum inducit & ad suspicandum: quod non secundum divinam legem, sed nundinatione & patrocinio ordinationes fiant.

1. Cor. 5. 4.

3. Admiranda igitur illa Gregorii ordinatio, ab Aria-

Arianis facta est, & hoc ejus fuit exordium. Ingressus autem ejus Alexandriam, quot facinorum quantorumque malorum causa fuerit, ex litteris nostris, & ab iis qui ad vos iter instituent, quærere & ediscere licebit. Populis ægre ferentibus, & ob rei novitatem in Ecclesias convenientibus ut ne Ariana impietas Ecclesiæ fidei commisceretur, Philagrius qui jam olim Ecclesiam ejusque virgines injuriis affecerat, & qui nunc Ægypti præfectus est, ipseque ex religione transfuga, ejusdem patriæ ac Gregorius, homo nequaquam spectatis moribus, sed patronum habens Eusebium, quocirca adversus Ecclesiam navat operam: ille, inquam, cum pollicitationibus, quas postmodum implevit, Ethnicos, Judæos, & alios petulantes viros sibi conciliasset, eosdem prius concitatos consertim cum gladiis & fustibus contra populos in Ecclesias immittit. Quid autem hinc evenerit haud facile dictu est, neque enim pro facti gravitate enarrari potest, nec absque lacrymis & fletibus, vel minimam eorum partem recensere quis valeat. Quænam enim apud antiquos talis tragœdia? Aut quid ejusmodi in persequutione & bello umquam commissum est? Siquidem Ecclesia & sacrum baptisterium incenduntur. Statim autem luctus, ejulatus & planctus per totam urbem, civibus hæc facinora indigne ferentibus, & clamore adversus Ducem edito, vim sibi illatam obtestantibus. Virgines enim sanctæ & incontaminatæ nudari, ac nefaria pati: si resisterent, periclitari: Monachi conculcati expirare: alii discis impeti: alii gladiis fustibusque interfici: alii vulnerari, & vapulare. In sacram autem mensam quanta impietas iniquitasque commissa! aves strobilosque sacrificabant, idola quidem sua laudibus efferentes; Dominum autem & Salvatorem nostrum Jesum Christum, Filium Dei viventis, in ipsis Ecclesiis, maledictis insectantes. Divinos Scripturarum libros, quos in Ecclesia invenerunt, combussere. In sacrum autem baptisterium, proh facinus! dominicidæ Judæi, & athei ethnici temere ingressi, res adeo turpes perpetrarunt, ac seipsos nudantes tam obscœna protulere verba, ut ea pudeat referre. Imo quidam impii viri persequutionum acerbitatem imitati, virgines & continentes mulieres, manibus pertractas raptatasque, cogebant blasphemare & Dominum abnegare: quas id facere recusantes cædebant pedibusque calcabant.

Quænam flagitia adversus Ecclesiam, virgines, presbyteros & laicos gesta sint.

4. Ad hæc mirabilis ille ac præclarus Gregorii Ariani ingressus, qui hujusmodi malis gaudebat, ut pro hac iniqua victoria, Ethnicis, Judæis, iisque qui hæc flagitia contra nos commiserant, quasi præmium tribueret ac mercedem, Ecclesiam in prædam ipsis tradidit. Porro concessa hac inique ac petulanter agendi libertate, quæ dehinc gesta sunt, bello sunt pejora, & latrocinio crudeliora; ita ut alii obvia quæque diriperent: alii quorumdam deposita dividerent: magnam vini copiam illic repertam aut ebiberent, aut effunderent, aut asportarent: oleum reconditum auferrent: januas & cancellos quasi spolia singuli raperent: candelabra ad parietem statim reponerent: Ecclesiæ cereos idolis accenderent. Demum direptio & mors Ecclesiam occuparat: nec quidquam impios Arianos pudebat horum facinorum. Quin etiam his graviora & crudeliora addiderunt: presbyteri enim & laici plagis lacerari, virgines detracto maforte, ad tribunal ducis pertrahi, & in carcerem conjici: illi proscribi, flagellisque cædi: panes ministrorum ac virginum interverti. Hæc autem in ipsa sancta quadragesima circa festum Paschæ gesta sunt, quo tempore fratres quidem jejunabant; præclarus autem ille Gregorius A Caiphæ mores imitatus, cum Pilato duce adversus pios Christi cultores debacchabatur. Certe in Parasceve in unam Ecclesiarum cum Duce & cum Ethnicis viris ingressus, ut populos violentum ejus introitum aversari animadvertit: auctorem se crudelissimo Duci præbuit ut in hora una triginta quatuor tum virgines tum conjugatæ, sive nobiles viri flagris publice cæderentur, & carceri manciparentur: inter quas virginem aliquam lectionis studiosam, & adhuc psalterium præ manibus tenentem, publice flagellari jussit: ejusque liber raptus a carnificibus, virgo autem ipsa in B carcerem reclusa est.

Ecclesia, Ethnicis & Judæis diripienda traditur.

Nova Gregorii immanitas.

5. His peractis nondum quieverunt: sed consilium iniere ut in alia Ecclesia, ubi maxime illis diebus ego degere consueveram, eadem quæ prius egerant perpetrarent: ideoque furorem suum ad hanc quoque Ecclesiam extendere studuerunt, ut me illic quasi venatu captum interficerent. quod sane mihi accidisset, nisi Christi gratia opem tulisset, ut vix effugerem & saltem hæc pauca dictare liceret. Cum enim eos ingenti furore correptos animadverterem, cavens ne Ecclesia læderetur, & C ne virgines quæ illic erant indigna paterentur, neu cædes iterum perpetrarentur, ac rursum populi contumelia afficerentur, me populis subduxi, memor Salvatoris dicentis: *Si vos persequuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam.* Noveram enim ex iis malis quæ in alia Ecclesia commiserant, nihil sceleris eos in istam Ecclesiam omissuros: ubi ne ipsam quidem dominicam sanctæ festivitatis ulla in reverentia habuerant, sed & illius Ecclesiæ homines in carcerem truserant. Et quo tempore Dominus universos ex mortis vinculis liberavit, Gregorius cum suis velut bello in Salvatorem suscepto, Ducia patrocinio freti, diem illam libertatis, Christi servis in luctum verterunt. Nam ethnici qui- D dem qui hanc diem perhorrent lætabantur: Gregorius vero, Eusebianorum fortasse jussa complens, vinculorum acerbitate Christianos ad luctum compulit. Hoc igitur violentiæ impetu Dux ecclesias occupavit, occupatas Gregorio & Ariomanitis tradidit. Et qui ob impietatem a nobis ejecti fuerant, Ecclesiarum invasione gloriantur. Populus autem Dei & Catholicæ Ecclesiæ Clerici, aut hæreticorum Arianorum impietati communicare coguntur, aut Ecclesiarum introitu arcentur. Imo & naucleris, & aliis qui in mari navigabant, non modicam vim & necessitatem intulit Gregorius, dum opera Ducis E alios excruciat, flagrisque cædit, alios vinculis constringit, & in carcerem conjicit; ut ejus iniquitati non contradicerent, imo literas a se acciperent. Verum ne his quidem contentus, quo se nostro sanguine satiaret, crudelissimo facinorum socio Duci auctor fuit, ut quasi populi suffragio, acta adversum me odiosis verbis concepta piissimo Imperatori Constantio scriberet, unde non solum effugere non liceret, sed sexcentæ mortes exspectandæ essent. Porro qui acta conscripsit transfuga est ex christianis, qui idola turpiter adorat: qui autem subscripsere sunt ethnici & idolorum æditui, ac cum ipsis Ariani. Et F ne multus sim in scribendo, persequutio isthic adest, imo qualis numquam adversus Ecclesiam exstitit. Nam in superiori quidem persequutione, saltem qui effugerat, orare, & qui latitabat, baptizari poterat: nunc autem ingens illa crudelitas etiam Babyloniorum impietatem est æmulata. Ut enim illi Danielem, sic præclarus Gregorius eos qui domi orant ad Ducem defert: & ministros cum ingenti contumelia observat, ita ut ex hac violentia multi nondum baptizari periclitentur. Plurimi vero quod dum ægrotant

Athanasius Arianorum furori se subducit.

Matth. 10. 23.

Ecclesiæ Alexandrinæ, Gregorio & Arianis traduntur.

tant a nullo invisantur (quod illi haud sine lacrymis tolerarint) ejusmodi calamitatem ipso morbo acerbiorem existimant. Dum enim Ecclesiæ ministri persequutionem patiuntur, populi qui hæreticorum Arianorum impietatem exsecrantur, malunt ita ægrotare ac periclitari, quam ut Arianorum manus capiti suo imponatur.

6. Arianus igitur est Gregorius & Arianis missus: nam illis solis exceptis, nemo illum postulavit. Quapropter quasi mercenarius & extraneus, gravia & acerba in Catholicæ Ecclesiæ populos, utpote sibi non proprios, Ducis opera perpetrat. Cum enim jam pridem Pistum Arianis Episcopum constituissent Eusebius cum sequacibus: ubi de illo nos scripsissemus, vos omnes Catholicæ Ecclesiæ Episcopi, illum ob impietatem jure anathemate damnastis, & abdicastis. Qua de causa jam Gregorium ipsimet Arianis miserunt. Deinde ne nobis rursum adversus ipsos scribentibus, denuo illi pudore suffunderentur, externa vi contra nos usi sunt, ut cum Ecclesias occupaverint Arianismi suspicionem effugisse videantur. Verum hic quoque spe falsi sunt, nemo enim Ecclesiasticorum cum illis versatur, nisi soli hæretici, quique ob crimina ejecti sunt, & quotquot metu Ducis simulatione utuntur. hæc est Eusebianorum scena: hæc Eusebiani cum jam pridem moliti essent ac faciendum constituissent, nunc per calumnias efficere valuerunt, quibus nos apud Imperatorem criminati sunt. Sed ne ita quidem quiescunt, sed etiamnum nos interficere quærunt, nostsque nostris sese terribiles exhibent; ita ut omnes se in fugam vertant, & ab illis mortem exspectent. Sed non ideo vos eorum malitiam reformidare oportet, sed potius ulcisci, resque novas quas adversum nos moliti sunt indigne ferre. Si enim uno membro patiente, reliqua membra condolescunt; & si juxta beatum Apostolum, flere oportet cum flentibus; cum tanta Ecclesia lædatur, unusquisque, ac si ipse læsus, facinus illud ulciscatur. Communis enim est Salvator quem illi maledictis incessunt, & omnium sunt canones qui ab illis violantur. Si vobis in Ecclesia sedentibus, & populis absque ulla querendi causa congregatis, aliquis derepente decretum proferens, alicujus vestrum successor accederet, nonne illud indigne ferretis? nonne rogaretis qui vos ulciscerentur? Quocirca æquum est vos indignari, ne si hæc taceantur paulatim per singulas Ecclesias hujusmodi malum propagetur, & tandem gymnasium nostrum in emporium forumve convertatur.

Pistus ab Eusebianis ordinatus, ab aliis episcopis depositus fuerat.

7. Porro quæ ad Ariomanitas spectant nostis, fratres, (sæpe enim eorum impietatem & singuli privatim & publice omnes condemnastis.) Nec ignoratis, ut supra dixi, Eusebium ejusque socios ejusdem esse hæreseos, cujus gratia nobis iterum insidias struxere. Quæ vero nunc illorum causa, imo illis auctoribus gesta sunt, bellis sane acerbiora vobis significavi; ut, secundum historiam initio enarratam, studio iniquitatis ulciscendæ instructi, talium in Ecclesiam scelerum auctores deponatis. Si enim anno præterito fratres nostri qui Romæ sunt, his nondum actis, sed propter alia quæ prius contigerant, synodum cogendam esse scripserunt, ut illa scelera ulciscerentur: quam reformidantes Eusebius & socii, Ecclesiam conturbare præverterunt, nosque interficere voluerunt, ut pro libidine deinceps agere liceret, nec haberent qui se redargueret; quanto magis hæc tanta scelera indigne ferre illosque damnare debetis, cum maxime ista superioribus addiderint? Obsecro ne hæc tam gravia negligatis, neve inclytam Alexandrinorum Ecclesiam, ab hæreticis conculcari sinatis. Siquidem populi ac ministri, jure merito seorsim degunt, ob Præfecti formidinem taciti quidem, Ariomanitarum tamen impietatem execrantes. Si igitur aut ipse Gregorius, aut alius quispiam illius causa ad vos scripserit, ne recipiatis, fratres, ejus literas. Sed ipsas lacerate, tabellariosque pudore suffundite, utpote impietatis & malitiæ ministros. Sed etiamsi sub pacifica forma scribere ausit, ne sic quoque recipiatis: metu enim Ducis eas deferunt qui ad vitandam ejus violentiam ipsas susceperunt. Quoniam autem verisimile est Eusebianos vobis in ejus gratiam scripturos, ideo præmonere vos studui, ut Deum imitati sine ulla personarum acceptione, homines ab illis missos expellatis. Hoc enim tempore Ariomanitarum causa, persequutiones, virginum stupra, cædes, Ecclesiarum populationes, incendium, blasphemias in ipsis Ecclesiis ab Ethnicis & Judæis fieri curarunt. Neque enim impius ille & furiosus Gregorius se Arianum esse inficias ire poterit, cum is qui literis ejus subscribit, argumentum in contrarium præbeat. Ammon enim iste qui subscribit jamdiu a beatæ memoriæ Alexandro ante me Episcopo, ob multa scelera & ob impietatem, ab Ecclesia ejectus est. Horum igitur omnium causa, & nobis quæso rescribite, & impios condemnate. Ut ministri quidem qui istic degunt populique, vestram & orthodoxam doctrinam vestrumque erga malitiam odium cernentes, de vestra gaudeant concordi in Christum fide; illi autem ejusmodi scelerum in Ecclesiam auctores, vestris literis ad meliorem frugem revocati, vel sero tandem resipiscant. Salutate eam, quæ apud vos est, fraternitatem. Fratres omnes qui mecum sunt vos salutant. Dominus vos incolumes, nostrique memores conservet, Domini vere desideratissimi.

Eusebius cum sociis Arianæ hæreseos sectatores erant.

IN APOLOGIAM CONTRA ARIANOS

ADMONITIO.

I. *Apologia contra Arianos, quæ quod pleraque complectatur monumenta, collectio monumentorum a nonnullis recentioribus vocatur, in omnibus cum editis tum manuscriptis Apologia secunda inscribitur, quia nimirum post Apologiam de fuga collocatur; tametsi eam ante alias Athanasii Apologias conscriptam fuisse certum est. Siquidem Apologiam ad Constantinum, & Apologiam de fuga ad annum* CCCLVI. *pertinere suo loco dicturi sumus. At Apologia contra Arianos non diu post Athanasii ex secundo exilio reditum, qui anno* CCCXLIX. *contigit, scribi potuit. Ex compluribus enim hujus Apologiæ locis, ac ex ipso potissimum initio, liquet editam fuisse antequam Ursacius & Valens, qui ab Arianis partibus resilierant & suam adversus Athanasium Sycophantiam confessi fuerant, in impietatem reciderent, & adversus Athanasium Arianis denuo sese jungerent, quod ut tardius anno* CCCLII. *contigisse alias demonstrabitur. Huc accedit ipsius Athanasii testimonium num. 59. hujus Apologiæ, ubi de postremo suo agens exilio ait* ἃ νῦν πέπονθα, quæ jam passus sum, *quo indicat se paulopost reditum suum hanc Apologiam conscripsisse. Nihilque nostræ sententiæ officiunt quæ de Libe-*

rii &

rii & Hosii exsilia sub finem leguntur, ea quippe diu post conscriptam Apologiam addita fuisse ibidem probaturi sumus.

II. Hujus scribendæ hæc causa fuit. Athanasius ex Sardicensis Synodi decreto, ac Imperatorum Constantis & Constantii jussu patriæ & Ecclesiæ suæ restitutus, cum comperisset illas tamdiu jactatas toties que confutatas criminationes, de Arsenii nece, de calice fracto, deque mensa subversa &c. rursum ab Arianis pervulgari, qui etiam niterentur hæc ipsa denuo in judicium vocare, Apologiam edidit, ubi varia monumenta & epistolas hac de re conscriptas in unum collegit; ratus nihil æque ad sui purgationem conducere, ac si ex ipsis rerum gestarum actis causæ suæ sinceritas eluceret. Horum monumentorum duæ sunt partes præpostero ordine ab ipso Athanasio digestæ. Prima complectitur Epistolas Synodicas aliasque de causa Athanasii conscriptas, ab anno CCCXL. *ad annum* CCCL. *quarum commune argumentum est, confutatio calumniarum ab Eusebianis in Synodo Tyria, in Mareote & alibi adversus Athanasium structarum. Secunda pars, historiam Meletii, rerumque ab Ischyra, Arsenio & Eusebianis contra Athanasium gestarum, ac una earumdem monumenta comprehendit ab anno* CCC. *ad* CCCXXXVIII. *De singulis in utraque parte collectis monumentis quædam pertractanda sunt.*

III. In priori parte primo occurrit Epistola encyclica Alexandrinæ Synodi ad omnes Episcopos & ad Julium Papam missa qua Athanasius a calumniis Eusebianorum vindicatur. Eum nempe accusabant hæretici quod post suum ex Galliis reditum multarum cædium auctor fuisset: quod Episcopatum Alexandrinum invasisset, furtimque ordinatus fuisset: quod frumentum alendis viduis destinatum, in proprium lucrum divertisset. Has omnes criminationes, necnon veteres illas, de Arsenii nece, &c. validissimis argumentis confutant Ægyptii Episcopi, & una Pisti Ariani Episcopi ordinationem paucis perstringunt. Hæc causa fuit hujus Synodi cogendæ; quo autem anno ea celebrata & hæc epistola conscripta sit, non convenit inter Auctores, quidam enim ad annum CCCXXXIX. *referunt, alii vero ad* CCCXL. *quibus libentius assentimur. Siquidem ex ipsa Julii epistola constat Athanasii & Alexandrinæ Synodi legatos eo ipso anno* CCCXL. *Romam concessisse, ac cum Eusebianis congressos, Synodum una cum illis postulasse: quod in præcedenti Encyclica Epistola anno* CCCXLI. *scripta diserte testatur Athanasius; ait enim πέρυσι idest anno præterito, fratres Romæ Synodum postulasse. Porro verisimile omnino est Synodum & ejus legationem in eumdem annum cadere. Hæc sententia, alioqui probabilissima, extra dubium erit, si Socrati fides habeatur, qui Eusebii in sedem Constantinopolitanam intrusionem refert ad annum* CCCXL. *post necem scilicet Constantini junioris. Cum enim hæc Epistola illam Eusebii invasionem memoret, eam non ante annum* CCCXL. *scriptam fuisse conspicuum erit.*

IV. Sequitur postea Epistola Julii ad Eusebianos præsules qui Antiochiæ Synodum celebrarant, quos objurgat quod sibi proterve rescripsissent, & quod ad Synodum quam ipsimet postulassent accedere renuissent: purgatque Athanasium a jamdiu objectis criminationibus, necnon Marcellum Ancyranum, Asclepam Gazensem, aliosque episcopos ab Eusebianis dire vexatos: quos a tota Synodo ad communionem jure receptos ait. Sed complura in hac epistola habentur, quæ ingentes controversias apud nostri ævi scriptores excitarunt. Quæritur enim: quo anno Romana Synodus sit celebrata, & hæc epistola conscripta: an Synodi duæ Athanasii causa Romæ coactæ sint: an Athanasius post suum ex Galliis reditum bis Romam petierit, & an octodecim menses, quos eum Romæ commoratum Julius testatur, ab ejus primo Romam adventu ducendi sint: quonam tempore Elpidius & Philoxenus Presbyteri ab Julio Pontifice ad Eusebianos Antiochiam missi sint. Omissis variis recentiorum sententiis, ex Athanasio ipso, a quo solo lux in tantis tenebris oriri queat, rectam historiæ seriem & temporum rationem statuere conabimur.

V. Presbyteros ab Athanasio & a Synodo Alexandrina Romam missos cum Eusebii legatis coram Julio Pontifice anno CCCLX. *congressos esse jam diximus, neque res in dubium verti posse videtur. Utrisque autem legatis id petentibus, Synodus Romæ a Summo Pontifice indicitur, ut testatur Julius in hac epistola num. 33. Eusebiani vero rerum a se improbe gestarum conscientia exagitati, ut Romanæ Synodi decretum præverterent, Antiochiæ conveniunt initio anni* CCCXLI. *ibique Synodum celebrant, de qua pluribus in libro de Synodis agemus: hinc Gregorium Arianum militari manu stipatum Alexandriam Episcopum mittunt, cujus furorem ut vitaret Athanasius, Romam se contulit, post festum Paschæ ejusdem anni* CCCXLI. *De duplici autem ejus Romam profectione ne verbum quidem apud Athanasium reperias, licet pluries ille de suo Romam adventu mentionem faciat & maxime in Apologia ad Constantium, ubi res a se tunc temporis gestas ordine recenset; ut mirum sit eruditos viros, eum bis Romam venisse nulla cogente necessitate existimasse. Nec est quod Socratis testimonio moveamur, qui duplicem Athanasii Romam profectionem memorat: is enim tantam rebus hujusce temporis adfert perturbationem, ut vix quidquam certi ex ejus historia statui possit, quod infra pluribus demonstratur. Octodecim autem mensium, quot Athanasium Romæ versatum memorat Julius, initium rectissime ducitur ab ejus post Gregorii invasionem Romam adventu, ut ex sequentibus palam erit.*

VI. Cum Romam advenisset Athanasius, Julius Papa legatos misit Elpidium & Philoxenum Presbyteros, ad Eusebianos Antiochiæ coactos, quibus diem dicebat ut sese ad Synodum Romæ celebrandam conferrent, de rebus contra Athanasium gestis rationem reddituri. Porro legationem Elpidii & Philoxeni, post Gregorii intrusionem & post Athanasii Romam adventum factam esse, testatur ipse Athanasius in Epistola ad Solitarios non longe ab initio. Legati Julii, qui circa mensem Majum anni CCCXLI. *Roma profecti sunt, ultra condictum diem ab Eusebianis detenti, mense tantum Januario anni* CCCXLII. *sunt dimissi. Quos media hyeme profectos verisimile est diutius in itinere fuisse. Romam cum advenissent & Eusebianorum litteras arrogantiæ & querelarum plenas Julio obtulissent, Romanus Pontifex, ne Patres ibi numero 50. coacti Eusebianorum proterviam ægre ferrent, litteras aliquantum temporis apud se servavit, ut ipse in Epistola sua testatur, sperans ex Eusebianis quosdam tandem venturos esse & ad meliorem frugem se recepturos. Sed cum nullus accederet, litte-*

vas tandem Patribus eo congregatis aperuit. Hinc Synodus, examinatis Athanasii, Marcelli, Asclepæ, aliorumque Episcoporum causis, eos nulli ex objectis criminibus obnoxios declaravit, & ad communionem admisit, Julioque Episcopo curam reliquit Eusebianis rescribendi. Porro legatorum mora in tanto itinere adversa tempestate conficiendo: haud modicum illud tempus quo litteras a legatis oblatas apud se Julius retinuit: tempus item a Synodo Romana insumtum in examinandis Athanasii aliorumque multorum causis, nos facile deducent a mense Januario anni CCCXLII. quo legati Antiochia profecti sunt, ad Octobrem vel Novembrem ejusdem anni. Eoque pacto conficiuntur octodecim menses quos Athanasius Romæ commoratus est, nempe a mense circiter Majo anni CCCXLI. quo tempore eum illuc advenisse certum est, ad Octobrem vel Novembrem anni CCCXLII. quo Julius Eusebianis rescribens Athanasium per annum & dimidium Romæ commoratum testatur. Quæ item fuit Valesii sententia.

VII. Neque minus certum videtur unicam tantum pro Athanasii causa Synodum Romæ coactam fuisse. Quam enim celebratam nonnulli volunt anno CCCXL. postquam Macarius, Martyrius, & Hesychius ab Eusebio legati Romam venissent, nullam fuisse ex ipsis Julii verbis palam est. Objurgat enim Julius Eusebianos, quod ad Synodum Romanam accedere renuissent, quam ipsimet sui legati postulassent. De qua, quæso, Synodo hic agit Julius, nisi de ea quam Eusebianis postulantibus, ipse per legatos suos ad annum CCCXLI. indixerat, quæ ob Eusebianorum contumaciam ad CCCXLII. dilata est? quod ex Julii verbis num. 30. liquido constat; conqueritur enim ille quod Eusebiani judicium a se indictæ Synodi prævertissent; præverterunt autem, ut in confesso apud omnes est, in Synodo Antiochena initio anni CCCXLI. quando Gregorium Alexandriam Episcopum miserunt. Hinc palam est, Synodum quam Julius anno CCCXL. indixerat non eodem, sed sequenti anno celebrandam fuisse, quæ tamen ob Eusebianorum proterviam ad annum CCCXLII. dilata est. Certe ne verbum quidem vel in Epistola Julii vel apud Athanasium de illa priori Synodo habetur. Ex prædictis autem liquet Synodum Romanam bis indictam fuisse: primum anno CCCXL. post Macarii & sociorum Eusebianorum legationem. Sed cum Eusebiani judicium Romanæ Synodi Antiochiæ antevertissent, ea ipsa tunc dilata fuit, dehinc post Gregorii intrusionem iterum indicta, ac demum anno CCCXLII. celebrata, uti supra diximus.

VIII. Post Julii epistolam subsequitur Sardicensis Synodi historia paucis enarrata: dehinc tres ejusdem Synodi epistolæ. Prima ad clerum & populum Alexandrinum, quem de Athanasii innocentia in Synodo comprobata certiorem facit, monetque ut Athanasium ceterosque qui ejus causa exularant redeuntes libenter recipiant. Secunda hactenus inedita, ad Episcopos Ægypti & Libyæ, quæ cum esset præcedenti simillima, ex manuscriptis pæne omnibus exciderat, amanuensium nempe negligentia, qui etiam clausulas nonnullas quæ ad hanc pertinebant præcedenti adjecerant. Tertia est Encyclica ad omnes Episcopos, in qua narrantur calumniæ ab Eusebianis Athanasio, Marcello, & Asclepæ impositæ: horum vero innocentia declaratur, Arianique Episcopi damnantur & deponuntur. Tum sequuntur nomina Episcoporum qui Sardicensi Synodo subscripsere.

IX. Occurrunt deinde tres Constantii Augusti epistolæ ad Athanasium, quem hortatur ut se adeat, quo cum pace ad patriam & ecclesiam suam transmittatur. Tum Epistola Julii ad clerum & ad populum Alexandrinum, quibus de Athanasii reditu gratulatur. Hinc Epistola Encyclica Constantii Augusti ad omnes episcopos & presbyteros, qua declarat Athanasium patriæ & Ecclesiæ suæ restitutum & pristina qua olim cum clero suo fruebatur immunitate fuisse donatum. Altera item ejusdem Constantii ad populum Alexandrinum, quem hortatur ut redeuntem Athanasium libenti animo suscipiat. Tertia ejusdem ad Nestorium Ægypti præfectum, qua jubet omnia hactenus adversus Athanasium scripta deleri, ipsique ac clero ejus pristinam immunitatem restitui. Has excipit Epistola Synodi Hierosolymitanæ ipsi Athanasio transeunti tradita, ad Episcopos Ægypti & Libyæ & ad clerum ac populum Alexandrinum, quibus de reditu Athanasii summopere gratulantur præsules illuc coacti. Demum Epistola Ursacii & Valentis ad Julium Papam, qua fatentur, quæcumque hactenus de Athanasio dixissent meras fuisse calumnias, rogantque ut ad ejus communionem admittantur. Tum altera eorumdem ad Athanasium, quem rogant ut se ad pacem & ad communionem admittat. Et sic terminatur prima hujus Apologiæ pars.

X. In secunda parte, quo se jure merito absolutum & Ecclesiæ suæ restitutum demonstret, rem altius repetit & ab ipso Meletii schismate historiam orditur. Hinc ad Arianæ hæreseos ortum progressus, de Nicæna Synodo breviter agit, deque Eusebii cura ut Arius damnatus in Ecclesiam admitteretur. Quare Constantini ab ipso Eusebio circumventi Epistolæ fragmentum adfert, qua Athanasio exsilium interminatur ni Arium cum suis recipiat. Postea calumnias enarrat ab Arianis & Meletianis adversum se structas, ac refert Epistolam a Constantino Alexandrinis scriptam, qua ejusmodi criminationum auctores vehementer exagitat. Sequitur deinde historia Ischyræ & Arsenii, tum rescriptum Ischyræ, qui se fatetur a Meletianis coactum, ut mensam subversam & calicem confractum mentiretur.

XI. Subsequuntur quædam Epistolæ. Prima, Pinnis Monasterii Ptemencyrceos presbyteri ad Joannem Meletianum, cui refert Arsenium apud se latentem ab Athanasii Diacono deprehensum & Alexandriam deductum fuisse: monetque ut ne ultra Athanasium de Arsenio interemto audeat insimulare. Secunda, Constantini ad Athanasium, qua tantarum calumniarum auctores vehementer exagitantur. Tertia, Arsenii ad Athanasium, quem rogat ut se ad communionem recipiat, seque nunquam cum schismaticis communicaturum pollicetur. Quarta, Constantini ad Joannem Meletianum, quem hortatur ut se adeat, laudatque quod depositis altercationibus cum Athanasio jam communicaret. Has omnes in secunda parte relatas epistolas ab anno CCCXXV. ad CCCXXXV. scriptas fuisse certum est; sed unicuique suum tempus assignare non valemus.

XII. Narrat postea res in Tyriensi Synodo gestas, ubi calumniæ de calice fracto deque Arsenii nece denuo objectæ sunt. Ut probet autem Athanasius Ischyram nunquam presbyterum fuisse, atque adeo non potuisse, eo sacrificium offerente, mensam subverti calicemque confringi, ait eum ne a Meletio

letio

letio quidem schismatico, nedum a legitimo episcopo, ordinatum fuisse. Profert deinde Breviarium Meletii, seu Catalogum, quem post Nicænam Synodum Alexandro præsuli Alexandrino obtulit Meletius, in quo episcopos, presbyteros, diaconosque a se ordinatos recenset, ubi nusquam comparet Ischyras. Post hæc agit Athanasius de legatione ad Mareoten, epistolasque profert hac de re conscriptas. Prima, Cleri Alexandrini ad Theognium, Marin, Macedonium, Theodorum, Ursacium & Valentem legatos, apud quos de rebus contra jus fasque gestis conqueruntur. Secunda, Cleri Mareotici ad Synodum Tyriam, quæ eadem ipsa continet. Tertia, ejusdem Mareotici Cleri ad Philagrium, ejusdem argumenti. Quarta, Episcoporum Ægypti qui Tyriensi Synodo intererant ad reliquos in eadem Synodo Episcopos, ejusdem item argumenti. Quinta hactenus inedita, eorumdem ad Dionysium Comitem, quæ quod præcedenti simillima esset ex compluribus mss. exciderat. Sexta, eorumdem eadem de re ad Dionysium Comitem. Septima, Alexandri Thessalonicensis ad eumdem Dionysium, qua testatur se conspirationem adversus Athanasium structam deprehendisse. Octava, Dionysii Comitis ad Eusebianos, quos de litteris ab Alexandro Thessalonicensi ad se missis certiores facit.

XIII. Deinde ubi suam Tyro fugam enarravit, refert epistolam pseudosynodi Hierosolymitanæ, qua Arium a se ad communionem receptum testantur episcopi Eusebiani: utrum autem Arius Hæresiarcha, vel alter Arius tunc ad communionem sit admissus, ibidem disputamus. Exinde, cum in mercedem sycophantiæ Eusebiani episcopatum Ischyræ in quodam vico constituissent, epistolam subjicit Flavii Himerii Catholici ad exactorem Mareotes, cui curam Ecclesiæ pro Ischyra ædificandæ demandat. Hanc excipit Epistola Constantini magni ad episcopos Tyriensis Synodi, quos accersit rerum a se contra Athanasium gestarum rationem reddituros. Hinc, paucis de suo in Gallias exsilio enarratis, refert ultimo epistolam Constantini junioris, quam is in gratiam Athanasii ab exilio redeuntis ad Alexandrinos misit. Demum paucis Apologiam suam claudit, quæ 36. vel epistolas vel alia monumenta complectitur.

XIV. Ex hac igitur Apologia velut ex purissimo fonte vera sæculi quarti historia ecclesiastica ab anno CCC. *usque ad* CCCL. *est haurienda. Siquidem Athanasius omnibus aliis hujus historiæ scriptoribus longe præcellit; tum quod ipse oculatus plerumque testis fuerit, tum quod accuratissime res gestas enarret, & ipsa monumenta, quibus nihil tutius, sæpe adferat. E contra vero alii auctores, Rufinus nempe, Socrates, Sozomenus & Theodoretus, cautissime sunt adhibendi, nisi cum ipsi quoque rerum gestarum monumenta adferunt, quod rarius contingit. Nam præterquam quod interdum historias minus certas enarrant, res gestas sæpissime confundunt, tempora autem præpostere ordinant: exemplum hujus rei luculentissimum suppeditat Socrates, qui res in prima hujus Apologiæ parte comprehensas ita refert.*

XV. Ait, Gregorium ab Eusebianis Syriani Ducis & quinque millium militum præsidio fultum Alexandriam missum fuisse, eodemque Syriano Ecclesiam obsidente, Athanasium in media psallentium turba evasisse. Eusebium postea legationem Romam misisse, qua totum negotium Julio committeret, Eusebio tamen morte præoccupato haud licuisse tanti negotii finem videre. Dehinc Arianos. Gregorio ab Alexandrina sede amoto, ejus loco Georgium substituisse. Interim vero Athanasium cum post multos labores Romam pervenisset, a Julio Pontifice fuisse restitutum. Dehinc Athanasio Alexandriam ingrediente, Georgii Ariani sequaces seditionem excitasse. Post hæc Athanasium ab Arianis accusatum quod frumentum alendis pauperibus destinatum in suam rem divertisset, minas Imperatoris veritum Romam aufugisse. Tum episcopos Ægypti pro Athanasio litteras Romam misisse. His ita narratis, vix tandem ad Sardicensis Synodi historiam advenit, cui etiam multa præposuit decem post annis gesta.

XVI. In hac certe Socratis historia vix quidquam sanum reperire est: nam quæ de Syriano, de quinque militum millibus, deque Ecclesia obsessa dicuntur, Georgii non autem Gregorii intrusionem spectant. Eusebii legationem perperam post Gregorii Alexandriam ingressum refert, cum eam antea contigisse testetur ipse Athanasius. Hinc Athanasii in sedem restitutionem quæ a Julio Pontifice nunquam reapse facta est, ipse perperam enarrat. Nec magis vera sunt quæ de ingressu Athanasii Alexandriam, Georgio sedente, post hæc occurrunt. Quæ sequuntur autem de calumnia Arianorum, deque epistola Ægyptiorum præsulum ad Julium Papam præpostere omnino recensentur. Hinc animadvertas quam caute scriptor ille sit adhibendus. Neque vero solus Socrates, sed etiam Theodoretus, multoque magis Rufinus & Sozomenus, res frequentissime vel secus quam gestæ sunt, vel præpostere enarrant. Quod tamen absit ut ad horum auctorum contumeliam vergat. Vitium namque ætati potius quam scriptoribus est adscribendum: quippe non solebant illo ævo res tam intricatas tanto studio indagare, ac in primis temporum rationes negligebant.

XVII. Restat ut de historia a Rufino primum, dehinc ab aliis quibusdam relata aliquid disputemus: de muliercula scilicet ad Tyriensem Synodum ab Arianis producta, quæ de illato stupro Athanasium accusarit. quæ calumnia Timothei presbyteri se Athanasium esse simulantis solertia, elusa sit. Hanc itaquam historiam admodum suspectam esse nemo eat inficias, quippe quæ nec apud Athanasium, qui plerumque res in Synodo Tyriensi gestas, calumniasque adversum se structas memorat: nec in Epistola Synodi Alexandrinæ: nec in Julii Papæ epistola: nec in Sardicensis Synodi epistolis, in quibus tamen res Tyri gestæ fuse expenduntur, & quod maxime urgeat, ne in encyclica quidem Sardicensis Synodi epistola, qua Ariani episcopi damnati & depositi nunciantur, afferunturque hujus damnationis causæ; calumniæ scilicet adversus Athanasium structæ, cum aliis Arianorum sceleribus. Enimvero in mentem venire nequis, cur tam atrox sycophantia illic sit omissa. Nec dici potest eam ex actis Sardicensibus excidisse, cum testetur Sozomenus, illam suo ævo nusquam ibi comparuisse. Neque valet quod ipse ait, rem utpote turpem & ridiculam silentio prætermissam fuisse: quo turpior enim, eo magis ad Synodi in deponendis ejus auctoribus æquitatem commonstrandam contulisset. Exstant sane permultæ apud Rufinum ejusmodi historiæ, admodum dubiæ fidei. Hæc autem ipsi Socrati qui Rufinum alias fere sequitur, suspecta fuisse videtur, quippe qui de illa ne verbum quidem fecerit. Hac de re etiam in Athanasii vita actum est.

XVIII. Quædam de Marcelli causa dicenda supererant, sed res commodius in epistola ad Solitarios expendetur: ubi etiam de Paulo Constantinopolitano, & de Lucio Hadrianopolitano multa disputanda erunt.

SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI
ATHANASII
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ
APOLOGIA CONTRA ARIANOS.

Scripta anno circiter 350.

1. ARBITRABAR equidem post tot argumenta pro nostra defensione allata, adversarios nostros præ verecundia sese abdituros, atque ex calumniarum suarum conscientia sese * damnaturos. At quando ne ita convicti quidem erubescunt: sed ob mentis stuporem obtrectationibus nos impetunt, rati omnia denuo in judicium vocanda fore: non ut ipsi judicentur, illud enim refugiunt; sed ut nos & sincerorum animas molestia afficiant; necessarium existimavi apud vos meipsum purgare, ne ultra illos obmurmurantes toleretis, imo potius eorum malignitatem & calumnias dignoscatis. Vobis siquidem sinceris hominibus rationem reddo: adversus litigiosos autem loquendi fiduciam mihi præbent argumenta quibus illi convincuntur. Enimvero quod ad nos spectat, judicio nullo opus est; judicatum enim jam est, non semel, neque bis, sed sæpenumero. Primum quidem in nostra provincià in unum coacta, ab Episcopis prope centum. Secundo Romæ, cum post missas illuc ab Eusebio litteras, cum ipsi tum nos etiam in judicium vocati sumus, congregatique sunt ibi Episcopi plus quinquaginta. Tertio in Magna Synodo Sardice coacta, jussu religiosissimorum Imperatorum Constantii & Constantis: ubi adversarii nostri quasi sycophantæ damnati depositique sunt. Iis vero quæ nostri gratia decreta fuerunt suffragati sunt plusquam ** trecenti Episcopi, ex Provinciis, Ægypti, Libyæ, Pentapoleos, Palæstinæ, Arabiæ, Isauriæ, Cypri, Pamphyliæ, Lyciæ, Galatiæ, Daciæ, Mysiæ, Thraciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epirorum, Thessaliæ, Achaiæ, Cretæ, Dalmatiæ, Siliciæ, Pannoniarum, Norici, Italiæ, Piceni, Tusciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Bruttiæ, Siciliæ, totius Africæ, Sardiniæ, Hispaniarum, Galliarum, Britanniarum. Horum sententiam testimonio suo comprobarunt Ursacius, & Valens, qui antea quidem me calumniati fuerant, sed postea resipuere. Non solum enim quæ pro nobis decreta fuerant approbarunt; sed etiam se ceterosque qui nobis adversarii fuerant sycophantas fuisse confessi sunt. Nam ii quos ita factorum pœnituit, & qui eo modo scripsere, Eusebium cum suis aperte arguunt; quibuscum conspirationem contra nos moliti fuerant. Quæ igitur a tot talibusque episcopis explorata, decreta, ac liquido declarata sunt, supervacaneum esse in judicium revocare nemo non fatebitur; ne si nunc quoque examinetur, rursum postea judicetur, ac res denuo in disquisitionem vocetur, & sic in infinitum inaniter inquirendo procedatur.

Athanasius in tribus Synodis innocens declaratus.

2. Sat quidem essent tot episcoporum suffragia, ad confundendos eos qui etiamnum aliquid contra nos comminisci exoptant. Ubi vero ipsi adversarii pro nobis & contra seipsos testimonium ferunt, fatenturque quæ contra nos delata sunt esse conspirationem, quis postea hac de re vel ambigere non erubuerit? Lege enim jubente in ore duorum vel trium testium judicia constituenda esse, ecce tanta testium pro nobis adest multitudo, cui ipsa inimicorum declaratio additamento est; ita ut reliqui ex adversariis nihil ultra attendant iis quæ ipsimet pro libidine judicavere, sed eo demum compellantur ut, vice consentanearum rationum, eos qui se convincunt injuriis afficiant. Illud enim ipsis maxime molestum est, quod quæ a se clam gesta & in angulo structa sunt, hæc Valens & Ursacius palam fecerint ac revelarint: & apprime norunt se quidem illorum pœnitentia damnari, eos autem qui a se injuria affecti fuerant innoxios declarari. Idcirco in Sardicensi Synodo depositi sunt, uti superius dixi, & jure quidem: nam sic olim Pharisæi, dum Paulum defenderent, suam Judæorumque adversus illum conjurationem patefecerunt. Ita beatum David injuste persequutionem passum esse palam fuit, ubi ipse persequutor veritatem his verbis confessus est: *peccavi, fili mi David*. Sic & isti ab ipsa veritate devicti, veniam rogarunt, ac rescriptum hac de re Julio Romæ Episcopo tradiderunt. Scripserunt autem & nobis postulantes, ut pacem nobiscum haberent; qui tot tantaque de nobis pervulgarant. Et quidem fortassis jam erubescunt, quia quos de medio tollere studuerant, hos Domini gratia superstites cernunt. Arium autem ejusque hæresim anathemate damnarunt, id consequenter agentes: cum enim scirent, ob nullam aliam causam nobis Eusebium cum suis insidias paravisse, quam ob suam impietatem; cum tandem statuissent calumniam adversum nos structam confiteri, statim Christo inimicam hæresim, cujus gratia ficta nobis crimina imposuerant, abnegarunt. Quæ autem ab Episcopis pro nobis in diversis Synodis scripta sunt: & primo quæ ab Ægyptiis, hæc sunt. ***

1. Reg. 26. 21.

* Vox καταγινώσκειν apud Athanasium, deprehendere, convincere, falsi arguere, imo damnare significat, sed pro condemnatione juridica vix apud eumdem usuvenit, sed prout damnare idem significat ac improbare.

** Ducenti octoginta quinque Episcopi huic Synodo subscripsisse dicuntur infra post subscriptiones Sardicenses; ubi res fusius expendetur.

*** Erasmus cum hujus Apologiæ initium huc usque vertisset, hæc ait: *Sequebantur hic diversæ diversorum epistolæ, episcoporum, synodorum, & principum, de actis adversus Athanasium, quas quoniam & multæ erant & prolixæ, quædam etiam suppositiciæ, piguit vertere*. Hinc cernas quam oscitanter ista pertractarit vir alioqui eruditissimus, qui egregia hæc & nunquam sat æstimanda monumenta eo usque neglexerit.

SAN-

SANCTA SYNODUS

Alexandriæ congregata ex Ægypto, Thebaide, Lybia & Pentapoli, omnibus ubique Ecclesiæ Catholicæ Episcopis, dilectis ac desideratissimis fratribus in Domino, Salutem.

Scripta anno 342.

3. POTERAMUS quidem, dilecti fratres, etiam statim ab initio conflatæ in Athanasium comministrum nostrum conspirationis, aut post ejus Alexandriam ingressum, crimina diluere quæ Eusebiani in illum malitiose confinxerant: ac cum illis de calamitatibus quas ipsi intulerant expostulare, necnon calumnias omnes adversus eum structas patefacere. Sed quia tunc temporis id negotia non permittebant, ut vos ipsi scitis: nunc vero post reditum Athanasii Episcopi existimamus illos de tam apertis suis injustitiis pudore suffundi ac erubescere, idcirco silendum rati sumus. Cum vero post tantas Viri calamitates, post ejus in Gallias profectionem, post vitam, relicta patria, apud extraneos ac peregre actam: postquam ob ipsorum calumnias vix mortem effugisset, nisi humanum nactus fuisset Imperatorem; quibus sane inimicus quilibet quantumvis crudelissimus exsatiatus esset: illi tamen non erubescant, sed rursum in Ecclesiam & in Athanasium sæviant, ac illius liberationem ægre ferentes, atrociora denuo moliantur: promtique sint ad illum accusandum, nec timeant illud quod in sacris litteris scriptum est: *testis falsus non erit impunitus*, & , *os, quod mentitur, occidit animam*. Ideo silere ultra nequimus, admiramurque illorum malignitatem, ac insatiabilem in calumniis struendis contentionem. Ecce enim nullatenus cessant denuo Imperatoris aures adversum nos exasperare: nec desinunt sanguinarias litteras scribere, ut Episcopum impietatis suæ inimicum de medio tollant. Nam rursus litteras adversus illum, ad Imperatores misere, rursus in illum conspirare volunt, homicidia ei objicientes nunquam perpetrata: rursum illum occidere satagunt, cædes illi imputantes, quæ nunquam factæ sunt. Tunc enim illum calumniis suis interfecissent, nisi humanum Imperatorem nacti fuissemus: rursus illum, ut quod minus est referamus, in exilium agere student: exulum calamitates, quasi ipse earum auctor esset, se deflere simulantes. Et ea quidem deplorant, quæ a nobis numquam patrata sunt: nec tamen ipsis satis sunt, quas viro intulere calamitates. Sed nova & atrociora iis addere exoptant, eousque mansueti sunt, humani, & æquis moribus: imo potius, ut vere dicatur, improbi & immanes. qui terroribus & minis, magis quam pietate, & æquitate, quæ Episcopos decent, student honorari. Talia quippe verba in suis ad Imperatores epistolis effari ausi sunt, qualia ne exterorum quispiam litigator, loquutus fuerit. Et tot cædium, homicidiorumque eum accusarunt, non apud Præsidem, nec apud aliquem illo superiorem; sed apud tres Augustos. Nec illos deterruere viarum longitudines, eo solum ut omnia majora tribunalia criminationibus suis implerent. Criminationes enim revera sunt, dilecti nostri, quæ ipsi proferunt: imo gravissima omnium criminatio: quippe omnium humanorum suprema sunt illa tribunalia. quorsum enim ejusmodi disquisitiones, nisi ut quis a commoto Imperatore morte multectur?

Prov. 19. 5. Sap. 1. 11.

4. Itaque non Athanasii, sed illorum facta, luctu ac gemitu digna sunt. Quapropter illos potius jure quis deplorarit; ipsos quippe deflere convenit, cum scriptum sit: *Nolite flere mortuum, neque lugeatis eum; sed plangite eum qui egreditur, quia non revertetur ultra*. Tota enim illorum epistola, nihil aliud quam necem spectat; ac si liceat, interficere, aut saltem exsules facere conantur, quod & a religiosissimo Imperatorum patre impetrarunt, qui pro nece quam postulabant, ejus exsilio eorum iram satiavit. Hæc vel simpliciter Christianorum non esse, raro gentilium, nedum Episcoporum, quibus incumbit justitiam alios edocere; vestram in Christo conscientiam perspicere arbitramur. Quomodo enim qui alios ab obtrectando deterrent, ipsi obtrectatores, etiam apud Imperatores sese exhibeant? quomodo qui alienarum calamitatum misereri docent, ne post nostrum quidem exsilium quiescunt? Nam commune omnium nostrum Episcoporum plane fuit exsilium: nosque universos quasi exsules reputavimus, & nunc nos cum Athanasio quasi patriæ restitutos arbitramur; ac loco priorum lacrymarum gemituumque quibus eum prosequebamur, magnam animi lætitiam gratiamque accepimus, quam Dominus conservarit, nec sinat eam ab Eusebianis everti. Ac licet quidem vera fuissent quæ illi objecere crimina, illud tamen culpa non vacaret, quod contra Christianorum statuta, etiam post exsilii ærumnas, rursum eumdem aggressi, illum, de cædibus, homicidiis aliisque criminibus accusent: & hæc ad Imperatorias aures adversus Episcopos obloquantur. Jam cum nihil nisi mendacia, nihil nisi calumnias afferant, nec quidquam veri vel ore proferant, vel scripto tradant, quonam malitiæ illi devenere? aut quales illos esse existimatis? Ipsas itaque res modo aggrediamur, ipsorumque calumniis, jamjam objectis, occurramus. Hinc enim evincetur, priora quæ illi in synodo & in judicio jactitarunt, nec recte gesta, nec vere dicta fuisse: & in his quoque quæ nunc objiciunt mendacii convincentur.

Hierem. 22. 10.

5. Pudet nos certe ad hanc defensionem adductos esse; verum quia temerarii nostri obtrectatores ad omnia sese ingerunt, & post Athanasii reditum, cædes & homicidia facta esse insimulant, rogamus ut nostram apologiam, longiusculam licet, nam ita exigunt negotia, patienter audiatis. Cædes nulla nec ab Athanasio, nec Athanasii causa perpetrata est (quandoquidem nos ad hanc turpem apologiam, uti supra diximus, accusatores impellunt) cædes vero & vincula ab ecclesiis nostris sunt aliena. Carnifici nullum Athanasius tradidit: & carcer, quantum in ipso fuit, nunquam commotus est. Sacraria nostra, ut semper fuere, sic in præsenti pura sunt, solo Christi sanguine ejusque cultu ornata. Nullus Presbyter, vel Diaconus ab Athanasio interfectus est: nec cædem vir ille perpetravit, nec exsilio quemquam mulctavit. Sed utinam illi nihil hujusmodi adversus eum perpetrassent, nec eum coegissent ad talia experiunda. Nullus enim hic ejus causa exulavit: præter ipsum Athanasium Alexandriæ Episcopum qui ab illis pulsus est. quem patriæ restitutum, iisdem, imo gravioribus criminibus implicare conantur, dum ad omnia vana & mortifera verba linguam suam concitant. Nam en illi deinceps judicum acta

Nulla cædes in Athanasii ex Galliis reditu commissa est, ut mentiebantur Ariani.

acta adscribunt: & cum in epistola sua palam fateantur, Præfectum Ægypti contra quosdam sententiam tulisse, nihil tamen erubescunt easdem sententias Athanasio imputare: tametsi cum hæc agerentur, nondum ille Alexandriam ingressus esset, sed adhuc ab exsilio revertens, in Syria esset: si tamen opus sit longinquam peregrinationem pro defensione afferre, ut ne quis eorum rationes reddere debeat, quæ vel Dux, vel Præfectus Ægypti perpetrarint. Nam licet Alexandriæ fuisset Athanasius, quid ad eum, quæso, Præfecti gesta? Attamen in his locis non degebat: neque res Ecclesiasticæ occasionem dederunt iis quæ ab Ægypti Præfecto acta sunt; sed aliæ quædam quas edicetis * ex monumentis, quæ nos, cognitis eorum scriptis, diligenter perquisita ad vos misimus. Cum igitur, quæ nec eo auctore, nec ejus causa gesta sunt, quasi gesta proclament; & cum, ac si de tot tantisque malis certiores facti essent, testimonium ferant; dicant a quanam Synodo hæc didicere? ex quibusnam argumentis? ex quonam judicio? Quod si nihil ejusmodi habentes, hoc temere affirment; certe priora quomodo gesta sint, aut cur sic loquantur, vobis sane considerandum relinquimus. Nihil enim aliud illud est quam calumnia, & inimicorum insidiæ, animusque intoleranda sentiens, ac impietas contra pietatem pro Ariomanitis furens; ut Orthodoxi quidem de medio tollantur, impietatis vero patroni, quod libuerit cum securitate prædicent. Etenim res ita se habet.

Qua de causa Athanasius Eusebianis invisus fuit.

6. Cum Arius impietatis auctor, a quo Ariomanitarum hæresis nuncupata est, ab Ecclesia ejectus fuisset a beatæ memoriæ Alexandro Episcopo, Eusebius cum suis qui ejus impietatis discipuli & participes erant, se ejectos fuisse arbitrantes, multa scripsere, quibus Alexandrum Episcopum rogarent, ne hæreticum Arium extra Ecclesiam relinqueret. Alexandro autem, ob suam in Christum pietatem, impium illum non recipiente, Athanasio tunc Diacono succensebant: quod curiose sciscitantes ipsum frequentissime cum Alexandro versari, & ab ipso in pretio haberi audivissent. Cum autem ex iis quæ in Synodo Nicæna contra Ariomanitarum impietatem confidenter loquutus est, ejus in Christum pietatem essent experti, in majus odium exarserunt. Ubi vero ad Episcopatum illum Dominus evexit, quam jamdiu fovebant malitiam denuo accendentes, rectam ejus doctrinam, necnon ejus adversus impietatem resistendi animum veriti (maximeque Eusebius a conscientia rerum quas noverat perculsus) omnibus modis viro insidiati sunt, & adversus illum conspirarunt: Imperatorem quoque in illum concitarunt, ac synodos plerumque se coacturos interminati, demum Tyri convenere, & hactenus adversus eum scribere non desinunt. Atque ita implacabiles sunt, ut ejus etiam in Episcopatum promotionem reprehendant: ac sese undique viro inimicos & infensos exhibeant; eo solum mendacia loquentes, ut eum suis calumniis infamem reddant. Sed ex his ipsis suis mendaciis, priora illa falsa atque conspirationem esse deprehenduntur. Ajunt enim: *post obitum Alexandri Episcopi, cum pauci quidam Athanasii mentionem facerent, sex aut septem Episcopi, clam & in obscuro loco ipsum ordinarunt*. Hæc illi Imperatoribus ipsis rescripsere, qui nullum mendacii genus scribere recusant. Nos autem cum tota civitate, & universa provincia testes sumus, totam multitudinem omnemque Catholicæ Ecclesiæ populum, quasi uno corpore, uno animo congregatum, exclamasse, vociferatum esse, ac Athanasium suæ ecclesiæ Episcopum petiisse. Hoc publicis votis Christum rogabant: hoc nos diebus noctibusque plurimis facere adjurabant, nec ipsi ecclesia discedentes, nec nos abire permittentes. Ac nihil quidem mali, (ut isti scripsere) de illo profitebant: sed optima quæque prædicantes, probum, pium, christianum, ** ex ascetis unum, ac verum episcopum nuncupabant. Quod autem ex nobis quamplurimi sub omnium conspectu & omnibus præ gaudio acclamantibus ipsum ordinarint; nos testes sumus, qui ordinavimus, & fide quidem digniores iis qui tunc aberant, & jam talia mentiuntur. Verumtamen Eusebius Athanasii ordinationem reprehendit, homo qui numquam forte ipse ordinatus est: quod si unquam fuerit, ipse ordinationem suam irritam fecit. Beryti enim ab initio episcopus fuit: relictaque Beryto Nicomediam se transtulit: illam quidem contra legem dimittens, istam item contra legem invadens: & cum suam, quam nullatenus amavit, reliquerit, alienam nullo jure occupat: ac prioris quidem amorem præ alienæ desiderio contempsit: *** nec tamen secundam quam tanta aviditate invaserat, retinuit. Ecce enim illinc quoque discedens, alienam rursus occupat. Ubique enim alienis urbibus cupiditatis oculos adjicit, ratus in opibus, & amplitudine urbium, pietatem esse sitam, Deique sortem, in qua quispiam constitutus est, nihili facit: ignorans illud, ubi duo vel tres congregati sunt in nomine Domini, illic esse Dominum in medio eorum. Nec recens reputat quod ab Apostolo dictum est, *non in alienis laboribus gloriabor*: neque animadvertit ejus præceptum: *alligatus es uxori, noli quærere solutionem*. Quod si hoc de uxore dictum est, quanto magis de Ecclesia, & de ipso Episcopatu, cui alligatus quispiam, alium quærere non debet, ne adulter ex sacris litteris deprehendatur.

Eusebius Beryti primum Episcopus Nicomediensem ac deinde Constantinopolitanam sedem invasit.

2. Cor. 10. 15.

1. Cor. 7. 27.

Eusebiani legitimam Athanasii ordinationem criminabantur.

7. Horum sibi conscius cum esset, nihilominus ausus est Athanasii promotionem, quæ bono omnium testimonio comprobatur, calumniari: ac depositionem ipsi exprobrare non veretur, cum ipse depositus fuerit, ac eo ipso **** testem depositionis suæ habeat, quod alter ejus loco suffectus sit. Quomodo igitur vel ipse, vel Theognius, alium deponere potuerunt, cum ipsi depositi sint: ut vel hinc arguitur, quod alii eorum loco sint constituti? Probe etenim nostis, Amphionem Nicomediæ, Chrestum Nicææ ipsorum loco fuisse ordinatos, propter eorum impietatem, & communionem cum Ariomanitis, ab Œcumenica Synodo reprobatis. Hanc veram Synodum dum delere cupiunt, iniquum suum conventum synodum vocare conantur: & dum ejus decreta irrita esse volunt, sua obtinere cupiunt; & synodi vocabulo utuntur, qui tantæ Synodo nolunt obtemperare. Sic illi Synodum non curant, licet se curare simulent; ut orthodoxis de medio sublatis, quæ a magna & vera synodo contra Arianos statuta sunt, ipsi irrita faciant: quibus Arianis cum illi & semper, ac in præsenti patrocinentur, contra Athanasium Episcopum mentiri nihil verentur. Nam quæ jam olim illi mentiti sunt, præsenti eorum mendacio sunt consimilia, quo dicunt ad ejus ingressum seditiones, luctus, & lamentationes, populis ejus receptionem ægre-

Eusebius & Theognius in Nicæna Synodo depositi.

* In grave historiæ Ecclesiasticæ detrimentum, monumenta hic memorata excidere.

** Eo forte Athanas. vocabant, *ex ascetis unum*, quod is in eremo cum Antonio haud modicum temporis spatium commoratus esset. quod ex relituto in vita Antonii loco palam erit.

*** Paulo, ob structas ab Eusebianis calumnias, Constantii jussu, solum vertere coacto, sedem ejus invasit Eusebius Nicomediensis. De qua re fusius in epistola ad Solitarios agemus.

**** Hunc locum perperam intellexit Nannius qui vertit, *ut qui suæ exauctorationis testimonium & argumentum, in ipsa sui constitutione ostendat*. Nec melius infra.

Athanasius ex Galliis rediens ab Alexandrinis cum gaudio excipitur.

gre ferentibus, extitisse. Nihil enim contigit ejusmodi; sed e contra, gaudium, lætitia & concursus populorum ejus videndi desiderio festinantium. Ecclesiæ lætitia plenæ, ac ubique gratiarum actiones ad Dominum referebantur. Ministri autem & Clerici omnes, ita eum videre, ut animis oblectarentur, ac diem illam omnium suarum lætissimam existimarent. Nostrum autem Episcoporum ineffabile gaudium, quid opus est describere, cum superius dixerimus, nos omnes, ejus calamitates perpessos existimasse?

8. Hæc igitur in confesso cum sint, ac ipsi tamen opposito modo enarrent, quæ fides habenda concilio, & decreto quod ipsi jactitant? Qui enim ita sese ingerere audent, iis quæ nec viderunt nec judicarunt, quibus neque interfuerunt, ac scribere non verentur quasi rem certissime comperissent: quomodo in rebus quarum causa se convenisse dicunt, fide digni erunt? An non potius cum illa tum hæc per inimicitiam egisse existimabuntur? Quænam enim tunc Episcoporum synodus? quisnam consessus veri studiosus? quis ex plerisque saltem eorum inimicus noster non erat? nonne Arii furoris causa Eusebiani contra nos impetum fecere? Nonne item alios qui suæ sententiæ erant ad idipsum agendum induxere? Nonne semper adversum illos, ut cum Ario sentientes, scripsimus? Nonne * Eusebius Cęsareę Palęstinę Episcopus a Confessoribus qui nobiscum erant accusatus est quod idolis sacrificasset? Nonne Georgius, a beato Alexandro depositus fuisse, convictus est? Nonne alii de aliis, & diversis criminibus deferebantur? Quo ergo jure adversum nos convenire voluerunt? Quomodo synodum vocare audent, in qua Comes præsidebat, & cui Speculator aderat, ac in quam Comentarius, vice diaconorum ecclesiæ, nos introduxit? Ille loquebatur, & qui aderant silebant, imo potius Comiti obtemperabant. Tum ne amoverentur qui amovendi videbantur Episcopi, ab ejus consilio impediebatur. Ille jubebat: nos a militibus trahebamur; imo potius jubentibus Eusebio cum sociis, ille eorum sententiis obsequebatur. In summa, dilecti, cujusmodi illa Synodus, cujus exitus erat exsilium & cædes; si Imperatori placeret? Quales accusationes? In hoc enim illi majore admiratione digni sunt. Arsenium quemdam occisum criminabantur, & poculum mysticum fractum esse calumniabantur. Sed Arsenius quidem vivit, ac nobiscum communione jungi exoptat, nec aliunde testimonia exspectat, ut vivus exhibeatur, sed ipse se vivere fatetur ** in suis literis, quas scripsit ad coepiscopum nostrum Athanasium: quem ejus interfectorem esse affirmabant. Nec pudebat impios, virum tanta distantia itineris sive pedestris sive navigabilis disjunctum, ab illo interfectum insimulare, qui per hæc tempora, ubi locorum ageret, nemo noverat. Quin & eum occultare ausi sunt, ac evanidum reddere, cum nihil ille mali passus esset. Et si fieri potuisset, in alium orbem illum transtulissent, imo potius eum occidissent, ut sive veram, sive fictam cædem falso objicientes, Athanasium vere occiderent. Sed divinæ providentiæ in hoc quoque gratiæ agendæ sunt, quæ nihil injustum prævalere permisit, sed sub omnium oculos viventem Arsenium produxit, eorumque conspirationem atque calumniam tum palam convicit. neque enim ille nos ut interfectores aversatur, neque ut sibi injuriosos odit; nihil enim prorsus mali passus est. Sed nobiscum communione jungi postulat, optatque nostro cœtui aggregari, ut ejus literæ testantur.

Res in Tyrensi Synodo gestæ anno 335.

Athanasius de Arsenii nece accusatur.

9. Attamen Athanasius quidem eorum calumniis impetebatur, quasi qui eum qui tum vivebat occidisset: ab ipsis vero in exsilium missus est. Non enim Imperatorum pater illum extorrem fecit, sed illud eorum calumniis est adscribendum. Animadvertite enim num res ita non se habeat: cum nihil criminis contra Athanasium comministrum nostrum inveniretur, Comes vero summam vim inferens, studiose adversus eum rem gereret: Episcopus quidem Athanasius ut vim sibi illatam effugeret, religiosissimum Imperetorem adiit, una Comitem, & illorum conspirationem deprecans, rogansque ut legitima episcoporum synodus cogeretur, aut ipse Imperator de objectis criminibus sese purgantem audiret. Imperator autem rem indigne ferens litteras scripsit quibus illos citavit, sese rem auditurum promittens, quippe qui Synodum illam congregari jussisset. Eusebiani autem ubi advenissent, Athanasium calumniantur, non ultra de objectis a se Tyri criminibus; sed de frumenti naviumque detentione, quasi scilicet Athanasius minatus fuisset, se commeatum Alexandria Constantinopolim euntem impedire posse. *** Hæc quidam ex nostris qui intus cum Athanasio erant Imperatore minitante audierunt. Deinde cum Athanasius de tanta calumnia ingemisceret, & falsam illam esse affirmaret: qui enim vir privatus & inops tanta facere potuisset? Eusebius ne palam quidem calumniari recusans, juravit Athanasium divitem, potentem, & ad omnia idoneum esse; ut hinc Athanasius illa dixisse putaretur. Sic venerandi illi Episcopi virum accusabant: sed Dei gratia in hoc negotio plus valuit quam illorum malignitas: Imperatoris enim pietatem ad clementiam inclinavit, ut pro morte exilium irrogaret. Hæc igitur solis eorum calumniis adscribenda sunt. **** Imperator siquidem prioribus scriptis suis eorum calumnias redarguit, insidias criminatus est, Meletianosque damnavit, quos nefarios, execrandos, & gravissimis illis nominibus, litteris suis appellabat. indigne quippe tulit viri necem objectam fuisse, qui in vivis esset, commotusque est homicidium audiens ejus qui viveret, & superstes esset: cujus epistolam ad vos misimus.

Athanasius cur in exilium actus.

10. Eusebiani autem admirandi illi viri ut & veritatem, & litteras abolere videantur; nomen Synodi prætexunt, ejusque acta ab Imperatore mutuantur. Ad hoc negotii Comes aderat; militesque Episcoporum satellites, & imperatoriæ litteræ, quæ quos ipsi postularant illuc convenire compellerent. Jam mihi, quæso, incredibiles eorum insidias, facinorumque inæquabilitatem animadvertite; ut quavis ratione nobis hominem prorsus abripiant. Si enim sibi dumtaxat, utpote episcopis judicium permisissent, quid opus Comite & militibus? aut cur imperatoriis diplomatibus in unum coacti sunt? Quod si Imperatore indigebant, & ab illo auctoritatem accipere cupiebant, cur ejus judicium irritum fecere? Aut cur cum ille litteris suis Meletianos, sycophantas, nefarios, Athanasium vero innocentissimum ju- [illegible] dica- [illegible]

* Epiphanius hæresi 69. ait Eusebium Cæsariensem a Potamone Ægyptio objurgatum fuisse, quod stante Athanasio ipse Eusebius, qui idolis immolarat, quasi judex sedere nihil vereretur. quæ fusius in Athanasii vita egimus.

** Arsenii ad Athanasium epistolam vide sis infra.

*** Episcopi numero quinque infra nominantur, qui Constantini in Athanasium iræ testes fuere. Adamantius, Anubion, Agathammon, Arbethion, & Petrus.

**** Epistola Constantini ad Athanasium, qua se, de calumniis quibus Athanasium Eusebiani cum Meletianis impetiverant, certiorem factum testatur, infra habetur: ubi etiam confictam Arsenii necem vehementer exagitat Imperator.

dicarit, & confictam cædem viri etiamnum viventis, vehementer fuerit insectatus; isti Meletianos vera dicere, Athanasiumque reum esse definiere? ac nihil reveriti, viventem hominem mortuum simularunt: qui & post Imperatoris decretum, & quo tempore illi conveniebant, & hactenus nobiscum in vivis est. Hæc quidem de Arsenio.

11. Poculum autem mysticum, quale, aut ubinam a Macario confractum est? hoc enim sursum deorsum circumeuntes jactitant. Licet Athanasium, ne accusatores quidem, insimulare ausi essent, nisi ab illis submissi fuissent. Attamen criminis hujus summam in Athanasium referunt, quod ne quidem Macario, quippe qui convictus non est, fuit imputandum. Nec pudet eos coram catechumenis, & quod pejus est, coram ethnicis mysteria hæc traducere. Cum oporteat, ut scriptum est,

Tob. 12. 7. *Sacramentum Regis abscondere*: & ut Dominus præ-

Matth. 7. 6. cepit: *nolite sancta dare canibus, neque projiciatis margaritas ante porcos*. Nefas enim est mysteria

Athanasius de sacro calice confracto accusatur.

apud non initiatos traducere, ne Ethnici quidem horum ignari, irrideant; cathecumeni vero ad curiositatem deducti scandalizentur. Sed tamen quodnam poculum, ubinam, & apud quosnam confractum est? Meletiani enim sunt qui accusant, quibus nulla fides habenda, utpote qui non jam solum, sed a tempore beati Petri Episcopi & Martyris, schismatici fuerint & Ecclesiæ inimici. qui ipsi Petro insidiati, Achillam ejus successorem calumniati sunt, & Alexandrum apud ipsum Imperatorem accusarunt. Postquam enim talia moliti sunt, Athanasium tandem adorti, nihil agunt a sua improbitate alianum: ut enim in decessores ejus, sic & in illum calumnias struxerunt. Sed in præsenti, & non antehac, eorum calumniæ & obtrectationes invaluere: quia Eusebium & socios scelerum conscios & patronos nacti sunt. Qui ut Arianæ impietatis gratia alias contra multos Episcopos sic jam contra Athanasium insidias struxere. Etenim locus ille in quo fractum esse poculum ajunt, non erat Ecclesia: presbyter non erat qui in illo loco habitabat: dies qua id fecisse Macarium volunt, non erat Dominica. Cum igitur neque ibi Ecclesia esset, neque qui sacra faceret, neque dies hoc ipsum requireret, quale, aut quando, aut ubinam mysticum poculum fractum est? Nam pocula esse multa per domos, & in medio foro, patet; quæ si quis frangat nullatenus impie agit. Mysticum vero poculum, quod si quis sponte fregerit pro tali ausu impius efficitur, apud solos legitimos Ecclesiæ præsides invenitur: hic enim solus hujus poculi usus & non alius est. Hoc vos legitime populo propinatis: hoc vos ab Ecclesiastico canone accepistis: hoc ad eos solum spectat, qui Catholicæ Ecclesiæ præsunt. Vestrum enim duntaxat est sanguinem Christi propinare; aliorum vero nullius. Sed ut impius est qui mysticum poculum frangit, ita multo magis impius est, qui sanguinem Christi contumelia afficit. Contumelia enim afficit, qui præter Ecclesiasticam legem illud agit, (Hæc autem eo dicimus, non quod vel Schismaticorum poculum a Macario confractum sit, sed quod ibi nullum omnino fuerit: quomodo enim adfuisset, cum neque locus esset Dominicus, nec quis illic ecclesiasticus, sed neque tempus mysteriorum esset?) Is autem est famosus ille Ischyras; qui nec ab Ecclesia ordinatus est, neque, cum presbyterorum a Meletio ordinatorum Alexander catalogum recepit, iis ille annumeratus est; & sic neque hinc ordinationem habuisse potuit.

12. Unde igitur presbyter Ischyras? quo ordinante? num * Collutho? id enim solum restat. Atqui Colluthum, presbyterum obiisse, ambasque ejus manus sine auctoritate fuisse, ac omnes qui ab eo schismatis tempore ordinati sunt, ad laicorum statum redactos ita conventibus interesse, omnibus notum, ac nulli dubium est. Quomodo igitur privatus homo, in privata domo habitans, poculum mysticum habere credatur? Sed tunc illi privatum hominem, presbyterum appellabant, & hoc vocabulum, ut hinc injuste nos vexarent, ipsi tribuebant, & nunc in accusationis mercedem, eidem ipsi Ecclesiæ constructionem concedunt. Ergo Ecclesiam vir ille non habuit; sed jam in mercedem malignitatis, ac suæ in accusando obsequentiæ quam non habebat accipit, & fortasse illi etiam ** Episcopatus præmium contulere: id enim ille circumquaque jactitat, & ita adversum nos arroganter agit. Tanta nimirum præmia obtrectatoribus & sycophantis ab Episcopis deferuntur, & merito quidem; quem enim illi adjutorem sui propositi nacti sunt, eum utpote negotiorum socium, consimili episcopatu donavere. Sed non eo res desinit; aurem adhuc præbete iis quæ ab illis tunc gesta sunt.

13. Cum igitur in veritatem prævalere non possent, quamquam adversus illam sese adornarant: & cum Tyri nihil Ischyras probare potuisset, sed sycophanta deprehenderetur, ac ipsamet ejus calumnia eorum conspirationem everteret; ut nova argumenta comparent, negotium suspendunt, ac pollicentur se ex suis aliquot qui rem diligentius explorarent in Mareoten missuros. Quos autem nos multis de causis palam recusavimus, & quod cum Ario sentirent, ac proinde inimici nostri essent, hos illi, tyrannica usi potestate, clam misere *** Diognium, Marin, Theodorum, Macedonium, duosque ætate & moribus juniores Ursacium & Valentem in Pannonia episcopos. qui post tanti itineris labores, inimici sui judicandi causa susceptos, rursum Tyro Alexandriam sunt profecti. Nec recusarunt, licet judices essent, testes fieri, sed omnem insidiarum rationem aperte amplexi, quosvis labores itineraque subiere, ut conflatam conspirationem ad effectum deducerent. Et Episcopum quidem Athanasium in extranea regione detentum reliquere: ipsi vero in adversarii sui urbem ingressi sunt, quasi in Ecclesiam & in populum debaccharentur. Imo, quod absurdius est, cum Ischyram accusatorem secum adducerent, Macarium qui accusabatur sequi non permisere, sed eum Tyri in custodia reliquere; ipse enim Macarius presbyter Alexandrinus sursum deorsum ab ipsis in crimen vocabatur.

Legatio Tyriæ Synodi ad Mareotem.

14. Soli igitur cum accusatore Alexandriam ingressi, ipsum domus ejusdem mensæque consortem, ac compotorem habuere, assumtoque una Philagrio Ægypti Præfecto, in Mareoten se contulere: atque illic scilicet soli pro sua libidine cum prædicto viro inquisitionem fecere. Neque permisere, ut presbyteri illic interessent, licet id illi impense rogarent. Ideo autem presbyteri Urbis & totius regionis, ut sibi illi adesse liceret, postulabant, ut submissos ab Ischyra testes convincerent, quinam & undenam essent. At illi sacros quidem ministros adesse non concessere; sed coram ethnicis de eccle-

* Erat is Colluthus Presbyter Alexandrinus, qui tanta fuit superbia, ut adversus Alexandrum Episcopum insurgere ausus, Presbyteros ordinandi auctoritatem sibi adrogarit, de quo fusius alias.

** De collato Ischyræ episcopatu in mercedem calumniæ suæ, infra agit Athanasius.

*** De Diognio, sive Theognio vide quæ dicimus paulo infra ad initium Epistolæ Julii.

ecclesia, de calice, de mensa, de sacris rebus inquisitionem fecerunt. Et quod gravius est, ethnicos in testes, cum de mystico poculo disquirerent, advocarunt: imo quos ab Athanasio Catholici accitu raptos esse affirmaverant, quosque ubinam terrarum essent, se nescire profitebantur, ipsos ad se & ad præfectum privatim introduxere. Nec puduit, ab Athanasio Episcopo de medio sublatos dicere eos, quorum cernebantur testimoniis uti. Sed cum eo solum spectent ut eum occidant, eos qui adhuc in vivis sunt mortuos rursum simulant, uti de Arsenio fecere. Nam homines qui adhuc supersunt, & qui palam degunt in sua regione, apud vos longe semotos quasi de medio sublatos miserabiliter deplorant; ut cum procul petendæ sint probationes, comministrum nostrum valeant calumniari, quasi vi & potestate usus sit; cum tamen omnia ipsi, vi & aliorum patrocinio freti, agant. Enimvero quæ in Mareote perpetrarunt, rebus Tyri gestis sunt consimillima: ut enim illic Comes aderat cum militari manu, nulli permittens præter eorum sententiam aliquid dicere vel agere; ita quoque & hic Ægypti præfectus cum militari manu aderat, qui omnes Ecclesiasticos terreret, nec ullum de veritate testimonium ferre permitteret: & quod absurdius est, eodem in loco & in ipsis accusatoris ædibus habitabant & rem disquirebant pro sua libidine, qui sive judices, sive testes, sive, quod verius est, suæ Eusebiique voluntatis ministri huc se contulerant.

15. Quæ vero Alexandriæ facinora commiserint vobis non ignota esse arbitramur, nam ea ubique sunt pervulgata. Gladii adversus sacras virgines & fratres districti: flagella honorabilibus apud Deum corporibus incussa, ita ut vi plagarum pedibus claudicarent, quæ mente sua castitati tantum piisque operibus incumbebant. Hinc flagitia adversus illas commissa, populi nempe ethnici, ipsas nudare, verberare, petulanter adversum illas agere, idolorum aras & sacrificia minitari: adeo ut petulans quidam vir, quasi potestatem a Præfecto in gratiam episcoporum accepisset, Virginem manu arreptam ad altare, quod forte obvium erat, pertraxerit, vim olim ad sacrificandum allatam, ac persequutionis furorem imitatus. Inter hæc facinora, Virgines fugiebant, Ethnici ecclesiam irridebant, cum interim episcopi intus essent, & in illa ipsa domo in qua hæc perpetrabantur habitarent. Ex ea ipsa domo, ut cum episcopis gratia iniretur, Virgines, strictos gladios omneque periculorum, injuriarum, & contumeliarum genus expertæ sunt. Et hæc illæ jejunii tempore ab iis qui cum Episcopis intus epulabantur, sunt perpessæ.

Flagitia a legatis Alexandriæ commissa anno 335.

16. Hæc cum prævidissemus, quod scilicet ab hostili incursu haud leve nocumentum emergeret, ejusmodi legatos recusavimus. Hæc, * Alexander quoque Thessalonicæ Episcopus cum animadverteret, ad eos qui illic commorabantur litteras misit, quibus conspirationem argueret, ac de eorum insidiis testimonium ferret: quem tametsi inter suos annumerant, suæque conspirationis socium jactitant, nihil aliud demonstrant, quam se illi vim intulisse. Etenim nec Ischyras ille sceleratissimus, absque metu & illata vi ad hanc rem animum appulit, sed coactus, accusandi Athanasii munus suscepit. Cujus rei argumentum illud est quod ipse Ischyras coepiscopo Athanasio litteris suis declaravit nihil ejusmodi ibi gestum fuisse; sed se subornatum ista confinxisse. Et hæc scripsit, cum nec ab ipso velut presbyter receptus esset, nec ejusmodi appellationis munus consecutus, neque ecclesiæ constructionem in præmium nactus esset, nec pro mercede episcopatum exspectaret. quæ tamen omnia ab illis in accusationis præmium obtinuit. Quin & omnes ejus cognati nobiscum conveniebant, quod sane non facturi fuissent, si vel tantillum injuriæ a nobis accepissent.

17. Quod autem hæc non mera verba sint, sed res gestæ, testes sunt omnes ** Mareotæ presbyteri, qui Episcopum circumeuntem semper comitantur, quique tunc adversus Ischyram scripsere. Qui vero ex illis Tyrum venerunt, veritatem dicere permissi non sunt: neque iis qui in Mareote remansere, Ischyram sycophantam arguere concessum est. Huic item rei testimonio sunt exemplaria ipsa litterarum Alexandri, Presbyterorum, & Ischyræ. Misimus quoque epistolam Patris Imperatorum, in qua testatur se non solum indigne ferre, quod de Arsenii, qui in vivis esset, nece, eum accusarent; sed mirari quoque varietatem inconstantiamque accusationis de poculo factæ; quod nempe modo Macarium presbyterum, modo Athanasium episcopum, de poculo manibus confracto insimularent. Ac Meletianos quidem sycophantas, e contra vero Athanasium innocentissimum pronunciat. Qui enim non sycophantæ Meletiani, ac præ omnibus Joannes, qui cum in ecclesiam ingressus esset, nobiscum communicasset, sua gesta improbasset, cum nondum quicquam de calice fracto movisset; ubi vidit Eusebianos Ariomanitarum res curare, non audere tamen palam illis opem ferre, sed alias personas quibus uterentur quærere; seipsum, ut fit in sæcularibus theatris, histrionem submisit. Argumentum autem erat, Arianorum certamen; primæ partes, ut illi rem bene gerant; submissa persona & appendix, Joannes cum sociis. Ut Arianorum fautores, horum obtentu, sub judicum habitu impietatis inimicos profligent, ipsamque impietatem stabiliant, & Arianos in Ecclesiam introducant: & qui pietatem eliminare volebant, per impietatem superare nituntur: qui vero impietatem in Christum amplexi sunt, impietatis hostes velut impios e medio tollere sunt aggressi. Ac poculum nobis confractum proferunt, ut una cum ipsis Athanasius impie in Christum agere videatur. At quorsum illa apud eos mystici poculi mentio? undenam impietatis in Christum patronis mens illa erga poculum religiosa? undenam Christum ignorantibus Christi poculum notum est? cur qui se poculum venerari simulant, poculi Deum dedecore afficiunt? aut cur qui poculum lugent, episcopum qui in illo mysteria celebrat occidere satagunt, imo quantum in ipsis fuit occiderunt? quare qui throni episcopali modo ornati vicem lamentantur, episcopum in illo sedentem interficere conantur, ut & thronus episcopum quærat, & populi pia doctrina priventur? Itaque nec poculum confractum, nec cædes, nec quidpiam inauditorum facinorum quæ ipsi objecere ad hæc agendum illos compulit; sed prædicta Arianorum impietas. Cujus gratia postquam Athanasio aliisque episcopis insidiati sunt, etiamnum Ecclesiæ bellum inferunt. Etenim quinam cædium exsiliorumque auctores? nonne isti? Quinam sæcularium patrocinio usi, episcopis insidiantur? nonne Eusebiani, & nequaquam, ut ipsi scribunt, Athanasius? quin potius ab ipsis ille & alii quoque vexati sunt.

Eusebianorum & Meletianorum conspiratio comœdiæ comparatur.

* Epistolam Alexandri hac de re conscriptam ad Dionysium comitem infra vide fis.

** Epistola cleri Mareotæ, de qua post hæc agitur, infra habetur.

Nam eo tempore quatuor * Alexandrini presbyteri, quamquam Tyrum non venerant, ab ipsis in exsilium acti sunt. Quinam ergo luctu & lacrymis digni? nonne qui & priora illa perpetrarunt, & secunda addere non recusant, quique omni calumniarum genere utuntur, ut episcopum de medio tollant, quod impiæ hæresi suæ non cesserit? Hæc causa odii Eusebianorum: hæc eorum quæ Tyri acta sunt origo: hinc simulata illa judicia: hinc illæ eorum litteræ, quas, citra prævium judicium, quasi qui de rebus certiores sint, perscribunt; hinc illæ eorum apud Imperatorem patrem & apud ipsos piissimos Imperatores calumniæ.

18. Qualia enim nunc quoque adversus comministrum nostrum Athanasium delata sint, vos non ignorare par est; ut hinc etiam eorum malitiam deprehendatis: & agnoscatis, nihil aliud illos nisi cædem viri quærere. Frumentum ab Imperatorum patre erogabatur pro viduis partim Libyis, partim Ægyptiis quibusdam alendis. quod omnes hactenus perceperunt, Athanasio nihil præter laborem & operam hinc referente. At nunc licet qui illud recipere solent non conquerantur, imo se percipere fateantur, Athanasium tamen illi calumniati sunt, quasi qui frumentum totum vendat, & in propriam rem divertat: & hac de re Imperator, ipsorum calumniis inductus, litteris suis eum criminatus est. Quinam igitur isti calumniatores? Nonne qui & prima illa perpetrarunt, & secunda movere non abnuerunt? Quinam litterarum quæ ab Imperatore missæ dicuntur, auctores fuere? nonne Ariani qui iis maxime student, & nihil contra Virum, vel dicere vel scribere recusant? Nemo enim omissis tot tantorumque scelerum auctoribus, alios suspectos babuerit. Etenim manifestissimum illud est eorum calumniæ argumentum, quod per sycophantiam suam Ecclesiam frumento privare, ad Arianosque illud transferre satagant, Quod maxime hujus consilii auctoribus, & eorum principibus adscribendum est. qui nec veriti sunt perpetratas cædes in odium Viri publicare, quarum causa falsa illi crimina apud Imperatorem imposuere: nec metuerunt Clerum ecclesiæ alimentis privare, ut illa reapse in hæreticorum lucrum cederent.

Alia Eusebianorum calumnia.

19. Misimus quoque ad vos testimonia comministrorum nostrorum Libyæ, Pentapolis & Ægypti; ut hinc eorum in Athanasium calumnia vobis innotescat. Hæc autem ideo faciunt, ut iis qui pie sentiunt præ metu deinceps quiescentibus, impiorum Arianorum hæresis, veræ fidei loco introducatur. Sed vestræ pietati gratiæ agendæ, dilecti, quod sæpius Arianos scriptis vestris anathemate damnaveritis, & locum ipsis in Ecclesia non dederitis. Eusebii autem & suorum malitia facile coarguitur: nam post priores illas suas pro Arianis litteras, quarum vobis exemplaria misimus, aperte jam Ariomanitas, ab universa Ecclesia catholica damnatos, adversus Ecclesiam concitant; quibus etiam episcopum ** constituere, ac minis terroribusque ecclesias dividunt, ut ubique impietatis suæ adjutores habeant. Siquidem & diaconos ad Ariomanitas mittunt, qui palam eorum conventibus intersunt: litterasque scribunt, ac exemplaria ab illis recipiunt, sicque Ecclesiam in schisma conjiciunt: cum illis quoque communicant, ac eorum hæresim ubique litteris suis commendant: Ecclesiam autem repudiant, ut ex litteris quas ipsi *** Romano Episcopo, fortasse & vobis scripsere, ediscere poteritis. Quod autem hæc inulta esse non debeant, etiam vos dilectissimi, animadvertitis; atrocia enim sunt & a Christi doctrina aliena. Hac igitur de causa in unum coacti, has ad vos litteras misimus, rogantes vestram in Christo prudentiam, ut hanc quidem confessionem recipiatis, Athanasii vero coepiscopi nostri vicem doleatis; ac Eusebianis talia molientibus succenseatis; ut ne amplius istiusmodi pravitas & malitia, adversus Ecclesiam vim obtineat. Vos enim ejusmodi injustitiæ vindices imploramus, illud Apostoli vobis commemorantes: *auferte malum ex vobis ipsis*. Mala enim revera sunt, & communione nostra indigna, quæ illi perpetrarunt. Ne igitur illis aurem præbeatis, si denuo ad vos scribant contra episcopum Athanasium. (quidquid enim ab illi proficiscitur falsum est) imo etiamsi Ægyptiorum episcoporum **** nomina in litteris suis exararent. Palam enim est non nos talia scribere, sed Meletianos semper schismaticos, qui huc usque ecclesias perturbant, & seditiones commovent. Ordinationes enim absurdas faciunt, ac virorum qui propemodum ethnici sunt: & ejusmodi facinora perpetrant, quæ scribere quidem erubescimus, sed vobis id a legatis nostris, qui epistolam vobis tradent, discere licebit.

1. Cor. 5. 13.

20. Hæc quidem Ægyptii, ad omnes episcopos, & ad Julium Romanum episcopum. Porro Eusebiani quoque ad Julium scripsere; ac sperantes se nobis terrorem incussuros, rogabant ut synodus cogeretur, & ipse Julius, si vellet, judex foret. Cum igitur Romam advenissemus, Julius, ut consentaneum erat, litteras scripsit ad Eusebianos, misitque duos e presbyteris suis Elpidium & Philoxenum. Illi vero ut de nostro adventu audiere, consternati, quod nullatenus expectarent nos illuc venturos, accedere renuerent, absurdas causas commenti: sed revera timentes, ne de iis illi convincerentur, quæ Valens & Ursacius ***** postea confessi sunt. Congregati demum episcopi plus quinquaginta, quo loco Vito presbyter ****** conventus agebat, nos, cum nostram defensionem audivissent, ad communionem & agapen admittendos statuerunt. tum adversus illos vehementer indignati, Julium rogarunt ut hæc quæ sequuntur, Eusebianis, qui ad se litteras miserant, rescriberet. Scripsit igitur Julius, & epistolam per Gabianum comitem misit.

Hæc ab anno 340. ad 343. gesta sunt.

EPI-

* Hi quatuor presbyteri nominantur in epistola synodi Sardicensis ad Ægyptios episcopos; suntque Aphthonius, Athanasius, Paulus, Plution.

** Pistum scilicet Arianum presbyterum, a Secundo Pentapolita Eusebianorum jussu, Alexandriæ Episcopum ordinatum.

*** Indicant Episcopi Ægyptii litteras ab Eusebio ad Julium missas, de quibus sæpe in hac Apologia.

**** Meletianorum Episcoporum nomina adhibere mos erat Eusebianis, ut Ægyptum secum consentire mentirentur. Quod in Philippopolitanis apud Hilarium subscriptionibus animadvertas.

***** Romanæ synodi tempore nondum Ursacius & Valens calumnias suas confessi fuerant: sed Athanasii hæc est sententia: *ne de his Eusebiani convincerentur, quæ Ursacius & Valens postea confessi sunt*. Hoc non intellexit vetus interpres, qui vertit, *confessi erant*.

****** ἔνθα Βίτων ὁ πρεσβύτερος συνῆγεν, *quo loco Vito presbyter conventus agebat*. Hic usus vocis συνάγω, alias sæpe occurrit apud Athanasium. Sic epistola Encyclica, olim ad Orthodoxos inscripta, num. 2. συναγόντων ἡμῶν συνήθως ἐν εἰρήνῃ, *nobis de more in pace conventus agentibus*, & alibi passim. Eusebius item hist. Eccles. lib. 7. cap. 11. pag. 257. Αἰμιλιανὸς, οὐ μὴ συ προηγουμένως, καὶ σύναγε, *Æmilianus nequaquam dixit mihi prima fronte ne conventus agas*. Quæ vox συνάγειν sæpe apud Eusebium & alios Ecclesiasticos auctores eadem sententia usuvenit. Hæc ideo annotamus, quod nonnulli eruditi viri dubitarint, an hic locus Athanasii sic intelligatur: *quo loco Vito presbyter eos* (scilicet Episcopos) *congregabat*, quo fere modo Nannius verterat. At extra dubium est sic vertendum esse: *quo loco Vito presbyter conventus agere solebat*. Is ipse Vito presbyter esse creditur qui cum Vincentio Nicænæ synodo vice Sylvestri Romani Pont. interfuerat. quos etiam tunc in vivis fuisse testatur infra Julius.

EPISTOLA JULII.

*Julius * Danio, Flacillo, Narcisso, Eusebio, Mari, Macedonio, Theodoro, & sociis eorum, qui Antiochia nobis scripsere, dilectis fratribus, in Domino salutem.*

Scripta anno 342. mense circiter Octobri vel Novembri.

21. Legi litteras a presbyteris meis Elpidio, & Philoxeno mihi allatas, miratusque sum, cum nos ex dilectione & veritatis conscientia scripsissemus, a vobis contentiose, & citra decorum, rescriptum esse. Superbia enim & arrogantia scribentium per epistolam sese prodebat: hæc autem a christiana fide aliena sunt. Decebat enim quæ cum dilectione scripta erant, parem cum dilectione, & non cum contentione, responsionem obtinere. Annon caritatis indicium est presbyteros misisse, qui afflictos consolarentur, & eos qui scripserant adhortarentur ut venirent; quo quam primum omnibus tandem compositis, nec diutius fratres nostri vexarentur, nec vos quidam calumniarentur? Sed nescio quid vos ita affectos exhibuit, ut nos induxeritis ad suspicandum, quæ vos verba nos honorandi causa dicere videbamini, hæc ipsa cum quadam dissimulatione dixisse. Presbyteri namque qui missi sunt, quos cum gaudio rediisse decuit, econtra mœsti rediere ob ea quæ illic geri conspexerant. Ego vero post quam litteras legi, cum multa mecum reputassem, epistolam apud me retinui, sperans vestrum saltem aliquos esse venturos, nec epistola opus fore; ne si illa palam prodiret, multos hic dolore afficeret. Quandoquidem autem nullo adveniente necesse fuit illam proferre, fateor vobis, omnes admiratione captos vix induci potuisse ut crederent res hujusmodi a vobis esse scriptas: contentio enim magis quam caritas in illa epistola sese prodebat. Quod si eloquentiæ ostentandæ causa, qui epistolam dictavit ita scripserit, hujusmodi sane studium ad alios spectat. In rebus enim ecclesiasticis, non specimen eloquentiæ quærendum est, sed canones Apostolici; ac studendum, ut ne unus quidem ex pusillis qui in Ecclesia sunt scandalizetur. Expedit enim juxta ecclesiasticam sententiam, molam asinariam suspendi a collo, & ita demergi, potius quam vel unum ex pusillis scandalizare. Quod si aliquibus quadam invicem simultate dictis (non enim omnium talem mentem fuisse dixerim) istiusmodi epistolam scribi placuit: decebat quidem vel omnino non offendi, aut solem non occidere super offensa: aut saltem eo progredi non oportuit, ut ea scripto declararetur.

In rebus Ecclesiasticis specimen eloquentiæ quærendum non est.

Matth. 18, 6.

Ephes. 4. 26.

22. Quid enim actum est dignum querela, aut quibusnam epistolæ meæ dictis vobis succensendum fuit? An quia hortati sumus ut ad Synodum accederetis? atqui illud cum gaudio potius excipiendum fuit. Qui enim rebus a se gestis aut, ut ipsi ajunt, judicatis non diffidunt, non indigne ferunt si ab aliis judicium suum examinetur; sed fiduciam habent, quod quæ ipsi juste judicarunt, injusta numquam fieri valeant. Quocirca episcopi in magna synodo Nicæna ** congregati, non citra Dei consilium, prioris synodi acta in alia synodo disquiri permiserunt; ut qui judicarent, præ oculis haberent, secundum futurum esse judicium, cum omni cautela rem expenderent; & qui judicarentur, crederent se non ex priorum judicum odio & inimicitia, sed juste judicatos esse. Quod si hujusmodi consuetudinem, antiquam sane, in magna Synodo memoratam descriptamque, apud vos valere nolitis, indecora fuerit ejusmodi recusatio. Morem namque qui semel in Ecclesia obtinuit, & a synodis confirmatus est, minime consentaneum est a paucis abrogari. Alias tamen in hoc jure indignati nequaquam videantur: nam qui a vobis Eusebianis cum litteris missi sunt Macarius presbyter, Martyrius & Hesychius diaconi qui huc advenere, cum non valereot presbyteris Athanasii, qui huc se contulerant, obsistere; sed in omnibus refutarentur ac convincerentur; tum a nobis postularunt ut synodus indiceretur, litteræque ad Athanasium episcopum Alexandriam, itemque ad Eusebianos mitterentur, ut coram omnibus justum posset proferri judicium. Tum se omnia contra Athanasium allata crimina probaturos, promisere: publice enim a nobis Martyrius & Hesychius convicti sunt, presbyteris Athanasii Alexandriæ episcopi, cum fiducia obsistentibus. Martyrius vero & socii, ut vere dicam, in omnibus refutabantur, hincque factum est ut synodum coacti sint postulare. Si igitur Martyrio & Hesychio nullam synodum postulantibus, auctor ego fuissem, ut qui scripserant defatigarentur, fratrum nostrorum gratia qui se injuriam passos conquerebantur; eo etiam casu æqua & justa fuisset adhortatio, quippe quæ cum ecclesiastica sit, tum Deo grata; jam vero cum iidem ipsi quos vos, Eusebiani, fide dignos censuistis, nos rogarunt ut synodus convocaretur, decuit vocatos non indigne ferre, sed potius alacriter occurrere. Quapropter indignatio eorum qui hoc ægre ferunt proterva est: detrectatio vero eorum qui venire noluere inho-

Legati Eusebianorum ad Julium synodum postularunt.

* Δανίῳ. Nannius legit Διακόνῳ, Diacono, ut habent omnes Latinæ editiones, sed perperam utrobique legi arbitror. Hunc Danium esse Διάνιον, Dianæum Cæsareæ Episcopum, existimant omnes ferme recentiores; cum ob nominum similitudinem, tum quod ex Sozomeno, l. 3. c. 5. Dianæus hic Antiochenæ synodo adfuerit. At ne iis assentiar multa me dehortantur: nam Dianæus illa ne semel quidem inter Arianos vel Eusebianos apud Athanasium vel apud alios Eccl. historiæ auctores computatur. Quid causæ igitur est, ut hic inter septem præcipuos Arianorum patronos primas teneat? Non enim quicumque Antiochenæ synodo adfuere inter Eusebianos recensiti sunt, cum ex iis multi catholici sint & sanctissimi memorentur. Ad hæc, Basilius Epist. ad Bosporium episcopum, cum hujus Dianæi virtutes prædicasset, hoc unum tamen in ejus vita reprehensione dignum edixit, quod fidei confessioni novemdecim ante annos Constantinopoli editæ subscripserit; quam tamen maculam eum jamjam moriturum diluisse testatur. At nonne illud magis vituperandum fuisset, si sese adversus Julium Papam & Athanasium Eusebianis sociasset? quod hunc Danium fecisse nemo eat inficias. Existimo igitur illum qui corrupta in editis vel Danius, vel Diaconus dicitur, eum esse qui passim apud Athanasium Θεόγνιος, quandoque apud Hilarium Diognius, communius apud utrumque Θεόγνιος, & Theognis vocatur, id est Theognidem Nicænum. qui cum secundas ubique inter Arianorum patronos tenuisset, primas hic habet, quia cum episcopi Antiochiæ coacti apud Julium conquesti essent quod soli Eusebio epistolam direxisset, is ut omnem querelæ causam levaret, non solum ei hanc epistolam soli non scripsit, sed ne primum quidem eum nuncupavit, sed Diognium, qui secundas fere semper inter Eusebianos tenuit. Et quidem absente Eusebio primas fere habet Theognius, vel Diognius, quod maxime in Mareoticis monumentis enim animadvertas. Porro Theognidem in vivis etiamnum fuisse certum est, cum teste Sozomeno, ipsi Eusebio superstes fuerit. Vix est igitur quod dubitemus virum Arianis addictissimum, & Athanas. infensissimum, huic Arianorum synodo in primis adfuisse, ac primum hoc loco nominari.

Sequens vero Flaccillus, male Πλάκιτος dicitur apud Sozom. l. 3. c. 6.

Quæ autem ab Julio memoratur Eusebianorum epistola nusquam exstat, eam enim quæ in Conciliorum collectionibus circumfertur supposititiam esse omnes consentiunt.

** Nicænum hoc decretum inter viginti canones Nicææ editos non habetur. Sed præter illos canones quædam alia disciplinam spectantia in hac synodo statuta esse certum est.

inhonesta & suspecta hinc deprehenditur. An quis conqueritur, si quæ a se recte facta existimat, ab aliis fieri videat? Si enim, ut scribitis, quælibet synodus firmam habet auctoritatem, & contumeliose agitur cum judice si ejus judicium ab alio examinetur, considerate, quæso, dilecti, quinam sunt qui synodum inhonorant, & quinam aliorum judicata rescindunt. Et ne singulorum acta expendens, quosdam gravare videar; sane quod postremo gestum est, cum sit horrendum auditu, sufficit ad cetera, quæ a me omittuntur, comprobanda.

23. Ariani a beatæ memoriæ Alexandro quondam Alexandriæ episcopo ob impietatem ejecti, non solum a singulis civitatibus expulsi sunt, sed & ab omnibus pariter qui ad Nicænam magnam Synodum convenerant, anathemate sunt damnati. Neque enim leve erat eorum scelus, nec in hominem duntaxat, sed in ipsum Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei viventis peccaverant. Attamen qui a toto terrarum orbe rejecti fuerant, & apud universam ecclesiam infamati, nunc recepti dicuntur, quod vobis audientibus indigne ferendum existimo. Quinam igitur sunt qui synodum dedecore afficiunt? nonne qui trecentorum episcoporum suffragia pro nihilo habent, & impietatem pietati anteponunt? Siquidem Ariomanitarum hæresis ab omnibus ubique episcopis convicta & condemnata est: Athanasius vero & Marcellus episcopi, plurimos habent qui se verbis scriptisque defendant. Nam de Marcello nobis testimonium perhibuere, quod in Nicæna synodo Arianis obstiterit. De Athanasio autem, dicitur quod nec Tyri * convictus, nec in Mareote, ubi monumenta adversus illum adornata sunt, præsens fuerit. Scitis autem, dilecti, quæ una solum parte præsente aguntur, nullam vim habere, sed suspecta esse. Nos tamen quamquam sic actum esset, accuratioris disquisitionis causa, nec vos illis, nec eos qui pro illis scripserant vobis anteponentes, hortati sumus eos qui litteras miserant, ut huc se conferrent, ut quandoquidem plures sunt qui pro illis scripsere, in synodo omnia examinarentur. quo nec damnetur, innoxius, nec qui reus est, ut purus habeatur. Non igitur a nobis vilipenditur synodus, sed ab iis qui temere & levissime, Arianos ab omnibus damnatos, etiam contra judicum sententiam recipiunt. quorum plerique jam resoluti cum Christo sunt: alii vero etiamnum superstites, indigne ferunt quod suum judicium quidam resciderint.

Athanasius convictus non fuit.

24. Hoc autem ita se habere deprehendimus ex iis quæ Alexandriæ acta sunt. Nam ** Carpones quidam ab Alexandro ob Arianam hæresim pulsus, cum nonnullis ejusdem hæresis causa ejectis, a quodam Gregorio missi, huc venere. Idipsum tamen a Macario presbytero, Martyrio & Hesychio diaconis, didicimus: antequam enim presbyteri Athanasii advenirent, auctores nobis erant ut Alexandriam Pisto cuidam litteras mitteremus, quo tempore Athanasius quoque episcopus Alexandriæ degebat. Quem Pistum Athanasii presbyteri supervenientes, Arianum esse declararunt, *** expulsum olim ab Alexandro Episcopo & a Nicæna synodo; postea vero ordinatum a quodam Secundo quem magna Synodus ejecerat, utpote Arianum. Hoc autem nec ipse Martyrius, aut socii inficiabantur, neque negabant Pistum a Secundo fuisse ordinatum. Hinc igitur perpendatis velim, quinam jure in culpa habendi sint: nosne qui persuaderi non potuimus ut Pisto Ariano scriberemus, an qui auctores erant, ut magnam Synodum vilipenderemus, & impiis, quasi pii fuissent, litteras mitteremus? Nam Macarius ipse presbyter, qui cum Martyrio ab Eusebio missus est, ut audivit instare presbyteros Athanasii, cum nos expectaremus ut una cum Martyrio & Hesychio coram nobis se sisteret, corpore licet æger, noctu abscessit; ut hinc nos merito conjiceremus, eum ideo discessisse, quod se puderet Pistum convictum iri: cum impossibile esset ordinationem Secundi Ariani in Ecclesia valere. Illud enim revera Synodo & episcopis qui in ea convenere contumeliosum esset, si quæ illi tanto studio ac pietate, quasi Deo præsente egissent, tanquam nulli pretii abrogarentur.

Pistus pseudoepiscopus Alexandriam.

25. Si igitur, uti scribitis, ex Novati & Pauli Samosatensis exemplo, synodorum dogmata vigere oportet: certe multo magis decuit Trecentorum episcoporum decreta non irrita fieri, nec universalem Synodum a paucis contemni. Hæretici enim sunt Ariani æque ac illi, pariaque contra hos ac contra illos decreta prodiere. Cum tales ausus viderimus, quinam discordiæ flammam accendere? nos enim ut qui hæc fecerimus arguistis in litteris vestris. Nosne discordiam induximus, qui afflictorum fratrum vicem dolemus, & omnia secundum canonem egimus? annon potius qui contentiose & contra canonem, Trecentorum decreta violarunt, & in omnibus Synodum contemserunt? Non solum enim Ariani admissi, **** sed & a loco in locum episcopi sese transferre moliti sunt. Si igitur vere parem eumdemque existimatis episcoporum honorem: nec ex magnitudine civitatum, uti scribitis, episcoporum dignitatem metimini, oportuit eum cui parva civitas concredita fuerat, in illa manere, nec contemta illa quæ sibi credita erat, ad aliam sibi non commissam transire; ita ut eam quæ sibi a Deo tradita est despiceret, inanem vero hominum gloriam exoptaret. Ergo, dilectissimi, oportuit vos huc accedere, & non abnuere, quo negotium ad finem deduceretur: id enim ratio postulat. Sed fortasse præfinitum tempus id vobis non permisit; in litteris enim vestris conquesti estis ad synodum cogendam, angustum temporis spatium nos definivisse, sed hoc, dilecti, mera cavillatio est. Nam si quos jam profectos dies ille prævertisset, angustum sane fuisse præfiniti temporis spatium palam esset. Cum autem ii quibus accedere non libuit, presbyteros quoque usque ad mensem Januarium detinuerint, mera sane cavillatio fue-

Romam se conferre Eusebius & socii recusant, quod angustum sibi temporis spatium præfinitum dicerent.

* In hoc loco explanando plerique hujus ævi auctores nequidquam desudarunt. Nannii enim versionem sequuti, illud καὶ ἐν Τύρῳ κατεγνῶσθαι, sic intellexere: *neque Tyri condemnatus est*. & hæc cum synodi Tyriensis historia conciliare conati, in qua Athanasium damnatum fuisse certissimum est, mirum in quantas & quam diversas abierint sententias. Hæc vero dum recte explicentur nihil negotii facient: nam vox κατεγνῶσθαι sæpissime apud Athanasium & apud alios auctores, convincere, vel deprehendere significat; atque adeo sic vertendus hic locus: *neque Tyri convictus est*. Quod utique indubitatum habetur, nullum quippe ex objectis Athanasio sceleribus probare potuerunt Eusebiani Tyri congregati. Ex innumeris quæ apud Athanasium occurrunt exemplis, hic pauca afferamus. Paulo infra εἰ μὲν γὰρ ἐλθόντων ὑμῶν ἦσαν κατεγνωσθέντες, *si vobis accedentibus convicti fuissent*, cujus loci hanc esse sententiam ex contextu liquet. Et num. 35. λοιπὸν ἡ ὑμῶν οἱ κατεγνωσμένοι βούλονται συμψήφους ἔχειν, *ut qui de scelere* (scilicet Athanasii) *certiores facti non sumus, sibi suffragari volunt*. Athanasii sententia liquidius apparet infra num. 29. ubi vide sis; & alias sexcenties.

** De hoc Carpone vide infra in Epistola Alexandri, & apud Epiphanium hæresi 69. qui ait hunc Carponem unam ex Alexandrinis Ecclesiis administrasse.

*** Pistus inter Mareoticos presbyteros ab Alexandro damnatos memoratur in epistola ejusdem Alexandri ad calcem operum Athanasii cusa.

**** Eusebium carpit qui relicta Berytensi sede Nicomediensem occuparat, ac demum hanc quoque repudians, Constantinopolitanam invaserat. Quæ de sede in sedem translatio canone Nicæno decimo quinto prohibetur.

fuerit hominum suis rebus diffidentium: venissent enim, ut prius dixi, si de sua causa bene sperassent; non itineris intervallum consideras sent, nec ad præfinitum tempus respexissent, sed justitiæ, & æquitati suæ causæ confidissent. At fortassis ob temporis rationem non venere; hoc enim rursum scripto significastis; oportuisse scilicet nos, animadvertentes præsentem rerum orientalium statum, non vos hortari ad veniendum. Si igitur ob talem temporum conditionem, profecti non estis, ut dicitis, decuit vos in primis, qui temporis hujusce rationem spectatis, non auctores schismatis luctus & lacrymarum in ecclesiis vos exhibere. Jam qui talia egerunt, indicarunt, non temporis conditionem hujusce rei causam esse, sed accedere nolentium consilium.

26. Miror autem hanc epistolæ vestræ partem, qua vel scribere ausi estis, me solum solis * Eusebianis, & non omnibus vobis scripsisse. Levitatem enim potius quam veritatem in expostulantibus invenire est. Mihi enim qui non aliunde litteras contra Athanasium accepissem, quam a Martyrio & Hesychio, necesse fuit illis qui contra eum scripserant respondere. Oportuit igitur aut Eusebianos non solos, absque vobis omnibus, scribere; aut vos, quibus non scripsi, non moleste ferre si illis rescriptum sit qui mihi scripserant. Nam si decuit epistolas ad vos omnes mitti, par fuit etiam vos una cum illis scripsisse. Nunc autem quod congruum erat spectantes, illis scripsimus qui nos certiores reddiderant, & litteras ad nos miserant. Quod si illud vos commovit quod solus scripserim; par est vos etiam indignari, quod illi mihi soli scripserint. Sed in hoc quoque adest probabilis & justa causa, dilectissimi. Attamen necessum est vobis significare, etiamsi solus scripserim, non ideo mei solius esse illam sententiam, sed & omnium qui in Italia sunt, & qui in his partibus degunt episcoporum. Et ego quidem non omnes volui ad scribendum inducere, ne complurimis id importunum foret. Certe jam ad præfinitum tempus episcopi convenere, & ejusdem sententiæ fuerunt, quam denuo his litteris vobis significo: quapropter, dilecti, etiamsi solus scribo, omnium tamen hanc esse sententiam agnoscite. Et hæc quidem satis sint ad demonstrandum, quasdam ex vobis, non æquas, sed injustas & suspectas causas afferre.

Athanasius & Marcellus jure ad communionem admissi.

27. Quod autem non temere vel injuste, coepiscopos nostros Athanasium & Marcellum, ad communionem susceperimus, tametsi ex supradictis id satis planum est: operæ pretium tamen fuerit ut paucis vere bis illud vobis demonstretur. Scripserat jam antea Eusebius contra Athanasium; vos quoque jam litteras misistis: scripsere quoque complures episcopi ex Ægypto & ex aliis provinciis pro Athanasio. Primo igitur observandum vestras adversus illum litteras, inter se pugnare, & priores cum secundis nullatenus consentire: sed in multis primæ a secundis confutantur, & secundæ a primis falsi arguuntur. Cum autem litteræ inter se non consentiant, nulla sane fides earum dictis habeatur. Dehinc si vestris litteris fidem habere postulatis, consentaneum est & iis quæ pro illo scripta sunt fidem non abnegare: maxime quia vos quidem e longinquo scribitis; illi vero in ipsis locis cum sint, ubi & virum ipsum & negotia illic gesta viderunt, ** scripto vitæ ejus probitatem testantur, & affirmant eum calumniam in omnibus passum esse. Ac rursum *** Arsenius quidam episcopus, dictus est aliquando interfectus ab Athanasio, sed hunc vivere, imo ejus amicum esse didicimus. Ille igitur (Athanasius) monumenta in Mareote adornata, altera solum e partibus præsente, facta fuisse affirmavit. Nam nec illic adfuisse Macarium presbyterum, qui accusabatur, nec ipsum episcopum ejus Athanasium: & hoc, non solum ex verbis ejus, sed ex ipsis inquisitionum monumentis, quæ Martyrius & Hesychius nobis attulerunt, agnovimus. Legendo quippe comperimus, accusatorem quidem Ischyram illic adfuisse; Macarium autem & episcopum Athanasium minime. Quin & Athanasii presbyteris postulantibus, uti sibi interesse liceret, illud negatum esse. Oportuit autem, dilectissimi, si modo judicium illud sincere actum fuisset, non accusatorem duntaxat, sed & accusatum adesse. Sicut enim Tyri aderat Macarius qui accusabatur, & Ischyras accusator, & nihil ibi probatum est; sic & in Mareoten oportuit, non accusatorem solum, sed & accusatum accedere, ut is præsens vel convinceretur, vel si convinci non potuisset, calumniam palam faceret. Jam vero cum hoc factum non sit, sed solus accusator, cum iis quos Athanasius recusabat, eo concesserit, suspecta sane acta illa videntur.

Res Tyri gestæ.

28. Conquestus est etiam ipse (Athanasius) qui ad Mareoten profecti essent, se recusante illuc concessisse. dicebat enim Theognium, Marin, Theodorum, Ursacium, Valentem, & Macedonium, sibi suspectos illuc missos fuisse. Hoc autem non suis verbis tantum, **** sed etiam ex epistola Alexandri quondam Thessalonicæ episcopi demonstrabat. protulit enim ejus epistolam, ad Dionysium in ea synodo ***** comitem, scriptam: qua significabat manifestam adversus Athanasium conspirationem esse conflatam. Imo ipsius accusatoris Ischyræ, rescriptum protulit authenticum, quod totum erat ejus manu exaratum, in quo Deum omnipotentem testem invocans, neque calicem fuisse confractum, neque mensam eversam declarabat: sed se a quibusdam, ut hanc accusationem confingeret, subornatum esse. Cum advenissent autem presbyteri Mareotici, affirmarunt, neque Ischyram esse catholicæ Ecclesiæ presbyterum, neque tale facinus perpetrasse Macarium, quale is illi imputabat. Presbyteri vero & diaconi qui huc accessere, non pauca, sed quamplurima de Athanasii innocentia testabantur, affirmantes nihil eorum quæ illi objiciebantur verum esse, sed conspirationem adversus eum fuisse conflatam. Quin Ægypti quoque, ac Libyæ episcopi omnes, litteris suis testati sunt, cum ejus ordinationem liberam & ecclesiasticam fuisse, tum quæ a vobis adversus illum delata sunt omnia esse falsa: neque enim cædem factam, nec ullos ejus causa occisos, neque calicem confractum fuisse; sed a vero abhorrere omnia. Imo vero ex ipsis inquisitionum monumentis, quæ in Mareote, una tantum ex partibus præsente, facta fuerant, comprobavit episcopus Athanasius, catechumenum quemdam interrogatum dixisse, se intus cum Ischyra fuisse, quo tempore ajunt Macarium Athanasii presbyterum se in eum locum immisisse: ex aliis

* De solo Eusebio Julium hic sermonem habere forte quis putarit. nam is solus scripsisse dicitur supra num. 2. Sane illud οἱ περὶ Εὐσέβιον, quod passim de Eusebio cum sociis, vel de Eusebianis dicitur, nonnunquam de solo Eusebio intelligi videtur. Res hic in dubio versatur.

** Notat præcedentem Epistolam episcoporum Ægyptiorum.

*** Hic Arsenius qui certissime episcopus erat, ut passim in his monumentis dicitur, a Rufino & ab aliis, Presbyter Cleri Alexandrini, a nonnullis vero sequioris ævi auctoribus Lector fuisse memoratur. Sed quam caute Rufino & Athanasii vitæ auctoribus Græcis fides sit habenda jam diximus.

**** Hæc Alexandri ad Dionysium comitem Epistola infra habetur.

***** Ischyræ quoque declarationem, de qua mox agitur infra, vide sis. Similiter Cleri Alexandrini & Mareotici obtestationes infra habentur.

aliis item interrogatis dixisse quemdam, quod in parva cellula, alium, quod pone januam jaceret Ischyras tunc ægrotus, quo tempore illi Macarium ajunt eo advenisse. Ex ejus autem dictis hoc nos consequenter colligimus: qui fieri potuit eum, qui pone januam æger decumberet, tunc stetisse, liturgiam celebrasse, ac oblationem fecisse? aut qui potuit oblatio apposita esse, cum intus essent catechumeni? Si enim intus erant catechumeni, nondum oblationis tempus erat. Hæc, ut dictum est, ajebat Episcopus Athanasius: hæc ex ipsis monumentis palam faciebat: iis qui cum eo erant affirmantibus, nec Ischyram unquam in Ecclesia catholica fuisse presbyterum, nec in ecclesiasticis conventibus presbyteri locum habuisse. Quin quo tempore Alexander, magna Synodo per indulgentiam id concedente, eos qui erant ex schismate Meletii, recepit, Ischyram a Meletio in numero presbyterorum suorum nominatum non fuisse affirmabant. quod maximum argumentum est, ipsum ne ex Meletianis quidem presbyteris esse: nam si ex illis extitisset, iis sane & ipse annumeratus fuisset. Præter hæc alia quoque Ischyræ mendacia Athanasius ex monumentis illis coarguebat: quippe qui in accusatione sua de libris, quando Macarius, ut ipsi ajunt, irrupit, combustis; ab iis ipsis quos ille testes adhibuit falsi convictus est.

29. Hæc cum ita dicerentur, & tot testes pro illo starent, totque ipse afferret innocentiæ suæ argumenta, quid, quæso, nobis agendum fuit? aut quidnam aliud postulabat ecclesiasticus canon, quam ut virum non damnaremus, sed potius ipsum reciperemus, ac pro vero episcopo haberemus, quemadmodum & habuimus? Etenim præter hæc omnia * annum unum & sex menses hic remansit, ut adventum vestrum aut eorum qui huc se conferre vellent, expectaret: suaque præsentia omnes pudore afficiebat, non adfuturus quippe, nisi suæ causæ confidisset. Non enim suo motu, sed accersitus ac litteris nostris acceptis, huc accessit, quemadmodum & vobis litteris nostris indicavimus. Attamen post tot tantaque a nobis gesta nos criminati estis quasi contra canones egerimus. Perpendite igitur, quinam contra canones agunt; nosne qui post tanta innocentiæ argumenta virum recepimus, an qui ** triginta sex mansionibus distantes Antiochiæ extraneum quemdam episcopum nominarunt, eumque Alexandriam miserunt militari manu stipatum? quod ne tunc quidem factum est, cum is in Galliam relegatus esset, futurum autem erat tunc temporis, *** si revera ille convictus fuisset. Certe in reditu suo vacantem seque exspectantem ecclesiam invenit.

Gregorii ordinatio & res ab eo gestæ.

30. At nunc ignoro qua ratione hæc facta sint. Primum enim, si vere dicendum est, non oportuit, cum ad cogendam synodum litteras misissemus, aliquos judicium synodi prævertere: deinde non decuit hoc adversus ecclesiam innovari. Qualis enim canon ecclesiasticus, aut qualis apostolica traditio hoc præfert; ut pace agente Ecclesia, ac tot episcopis cum Athanasio Alexandriæ episcopo consentientibus, Gregorius mittatur, externus homo, qui non illic est baptizatus, qui complurimis ignotus est, nec a presbyteris, vel ab episcopis, vel a plebe postulatus; sed is Antiochiæ ordinetur, Alexandriam vero, non cum presbyteris vel diaconis urbis, non cum episcopis Ægypti, sed cum militibus transmittatur? hoc namque haud sine querela ajebant qui huc venere. Etiamsi enim post synodum reus deprehensus fuisset Athanasius, non decuit sic præter jus fasque, & contra ecclesiasticum canonem, ordinari quempiam: sed in ipsa ecclesia, ex ipso sacerdotali ordine, ex ipso clero, ab episcopis provinciæ illius constitui oportuit, & nequaquam nunc Apostolorum canones violari. Si enim in quemquam vestrum tale quidpiam commissum esset, nonne clamassetis, nonne violatorum canonum vindictam postulassetis? Certe, dilecti, hoc quasi Deo præsente cum veritate loquimur, ac vobis dicimus: non est hoc pium, nec legitimum, non ecclesiastici juris. Ipsa namque Gregorii in suo ingressu gesta, ordinationis ejus modum indicant. In hisce enim pacis temporibus, ut narrarunt ii qui Alexandria venerunt, & quemadmodum episcopi quoque litteris suis significarunt, ecclesia incendium passa est, virgines denudatæ, monachi conculcati, presbyteri, **** & ex plebe multi laniati, ac vim perpessi, episcopi in carcerem trusi, multi circum circa raptati: sancta Mysteria de quibus violatis Macarium presbyterum accusabant, ab ethnicis direpta sunt, & in terram projecta: eoque solum hæc omnia ut Gregorii ordinationem aliqui admitterent. hæc autem significant quinam sint qui canones violant. Nam si legitima fuisset ordinatio, nequaquam præter jus fasque eos coegisset qui sibi obtemperare legitime negabant. Verumtamen, iis ita gestis, scribitis, magnam tum pacem Alexandriæ & in Ægypto fuisse: nisi forte pacis ratio mutata sit, & jam hæc pacem appellatis.

31. Illud quoque vobis necessario indicandum putavi, Athanasium nempe affirmasse, Macarium Tyri sub custodia militum remansisse; accusatoremque solum abiisse cum iis qui in Mareoten proficiscebantur. presbyterisque rogantibus ut sibi inquisitioni adesse liceret, id negatum fuisse. Interrogationem autem de calice, & de mensa factam esse coram Præfecto & ejus cohorte, præsentibus quoque ethnicis & Judæis. Videbatur illud initio incredibile, nisi fuisset ex ipsis actorum monumentis demonstratum, quod nobis admirationi fuit, ut etiam vobis, dilecti, fore existimo. Ac cum presbyteris huic negotio interesse non permitteretur, licet ii mysteriorum ministri sint, apud externum tamen judicem, præsentibus

* Horum octodecim mensium initium a primo Athanasii Romam adventu ante Gregorii intrusionem ducendum esse existimant nonnulli eruditissimi viri. Sed Athanasium, nonnisi post Gregorii intrusionem Romam venisse supra monuimus.

** Hunc locum ita verterat Nannius: *an qui solum ad triginta sex suffragia eorum, qui Antiochiæ fuere, externum hominem episcopum salutarunt?* Non adverterat enim μονῶν cum accentu circumflexo, hujus vocis μονὴ, *mansio*, non autem, illius μόνος, *solus*, casum esse. Hæc prava interpretatio quæ in postremis editionibus correcta fuit, in errorem deduxerat Baronium aliosque, qui a triginta sex solis episcopis Gregorium Alexandriam missum fuisse ex hoc loco prave intellecto autumarunt. Et vero non est jam quæstio quot Episcopi Gregorium Alexandriam miserint, quod alibi commodius disquirendum veniet. Mansiones autem illæ quæ Antiochia Alexandriam intercedunt in Itinerario Antonini totidem, num. 36. nempe, memorantur. quas in tabella Geographica in fronte Athanasii operum a nobis adornata dispicere licet.

*** Vide quæ de significatione vocis [illegible] supra diximus. hunc autem locum sic vertendum esse, *si revera convictus fuisset*, cum ea quæ diximus supra, tum hoc item suadet, quod hæc interpretatio historiæ hujus temporis recte consonat. Certum enim est Athanasium non propter objectas Tyri criminationes, ob quas ibi damnatus fuerat, in Galliis exsulasse. eas enim ne quidem in medium proferre coram Constantino ausi sunt Eusebiani; sed ob novam ab illis structam calumniam, quod scilicet frumenti commeatum quotannis Alexandria Constantinopolim transvehi solitum, se prohibiturum comminatus esset Athanasius. Hæc sola causa fuit ejus exsilii, quæ cum mere civilis esset, noluit Imperator Constantius Eusebianis morem gerere, qui exsilii pœnam omnium Ecclesiasticarum gravissimam, nempe depositionem, addere exoptabant.

**** Hanc rerum Alexandriæ in Gregorii intrusione descriptionem gestarum confer sodes cum eadem Epistola. De sacris autem mysteriis quæ Gentiles indignissime tractarunt, nihil habet Athanasius in Epistola Encyclica, quam cum statim post fugam eam conscripserit, nondum omnia rescivisse potuit.

* vel apud Christianos diffamatis.

bus catechumenis, & quod indignius est, coram ethnicis & Judæis, * qui propter odium in christianismum male audiunt, interrogatio de sanguine & corpore Christi habita est. Nam si omnino scelus perpetratum est, oportuit hoc negotii in Ecclesia a clericis secundum leges examinari & non ab ethnicis qui verbum detestantur & veritatem ignorant. Hoc autem flagitium, quantum & cujusmodi sit, vos & omnes animadversuros existimo. hæc quidem de Athanasio.

Marcellus recte sentire declaratur.

32. * Quod autem ad Marcellum spectat, postquam de illo, ut impio erga Christum scripsistis; vobis significandum putavi, eum cum huc venisset, affirmasse falsa esse quæ vos de se scripsissetis. Sed cum nihilominus nos postulassemus ut fidem suam exponeret, tanta cum fiducia per se ipse respondit, ut nobis exploratum fuerit eum nihil a veritate alienum profiteri. Siquidem æque pie de Domino & Salvatore nostro Jesu Christo se sentire confessus est, ac Ecclesia ipsa catholica sentit: nec tantummodo nunc, sed jam olim ita sensisse. (Cujus rectam fidem testimonio suo confirmarunt ** presbyteri quoque nostri qui Nicænæ synodo adfuerant.) Etenim se tunc temporis & etiamnum adversum Arianorum hæresim sensisse affirmabat, (quocirca vos admonitos velim, ut nullus ejusmodi hæresim recipiat; sed abominetur, ut a sana doctrina alienam.) Cum ergo, inquam, ille recte sentiret, & de recta ejus fide testimonium proferretur; quid, quæso, de illo nobis faciendum fuit, nisi ut eum pro episcopo haberemus, ut & habuimus, & cum a nostra communione non abjiceremus? Hæc quidem ego, non ut qui eorum causam agam, scribo; sed ut vobis fidem faciam, nos jure & canonice viros illos suscepisse, & vos frustra disceptationes movere. Æquum est autem, ut vos studeatis & omnibus modis id contendatis, ut quæ contra canonem acta sunt, corrigantur, & ut ecclesiæ pace fruantur; ut pax Domini, quæ data est nobis, permaneat, & ecclesiæ non scindantur: ac ne vobis, ut schismatis auctoribus, id crimini detur. Fateor enim vobis, quæ gesta sunt, non pacis, sed schismatis occasiones esse.

33. Non enim Athanasius duntaxat & Marcellus episcopi, huc se contulere, ac secum *** injuste actum esse conquesti sunt; sed etiam complurimi alii ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia & Palæstina, & una presbyteri non pauci: atque alii quidam Alexandria, aliique ex aliis partibus, ad synodum huc coactam accessere, qui coram omnibus episcopis congregatis, præter alia in medium prolata, conquesti sunt insuper, ecclesias vim injuriamque esse perpessas: ac in suis aliisque ecclesiis paria, iis quæ Alexandriæ, gesta esse affirmarunt, non solum verbo, sed ex rebus ipsis. Ex Ægypto quoque & Alexandria nuper cum litteris advenientes presbyteri, haud sine querela & gemitu testati sunt, episcopos complures ac presbyteros, qui ad synodum se conferre vellent prohibitos fuisse. Ajebant enim post Athanasii discessum, etiam usque ad præsens tempus, **** episcopos, eosque confessores plagis laniari, alios in carcere detineri: jamque antiquos præsules, qui multos annos in episcopatu transegerant, ad ministeria publica tradi: & omnes fere ecclesiæ catholicæ clericos, & populos, insidiis appeti ac persequutionem sustinere. Nonnullos enim episcoporum, & quosdam fratres, extorres factos dicebant, nulla alia de causa, nisi ut vel inviti cogerentur, cum Gregorio, & ejus sectatoribus Arianis, communicare. ***** Ancyræ autem in Galatia, non pauca, sed & iis quæ Alexandriæ gesta sunt paria, commissa audivimus, cum ab aliis, tum a Marcello qui illud testimonio suo confirmabat. Ad hæc, tanta tamque atrocia scelera nonnullorum ex vobis, ut nomina eorum taceam, ab accedentibus delata sunt; ut ego illa scribere veritus sim: quæ vos fortasse didiceritis ab aliis. Etenim hæc potissima mihi scribendi causa fuit, & vos adhortandi, ut huc veniretis: quo & coram hæc audiatis, & omnia corrigi & sanari queant. Propterea alacrius accersitos occurrere oportuit, & non recusare: ne si non occurrerent, de jam dictis suspecti haberentur, utpote qui res a se scriptas probare non potuerint.

34. Hæc cum ita delata sint, & ecclesiæ adeo gravibus premantur malis, ac insidiis appetantur, ut affirmavere qui hæc renunciabant; quinam sunt qui flammam discordiæ accendunt? nosne qui ista dolemus, & vexatos fratres miseramur, an qui talia perpetrant facinora? Miror enim, cum talis ac tanta rerum perturbatio fuerit in singulis ecclesiis, quæ causa illis fuit huc properandi, vos tamen scribere, concordiam in ecclesiis extitisse. Hæc autem non ad ædificationem ecclesiæ, sed ad ejus ruinam vergunt: & qui his gaudent, non pacis, sed confusionis filii sunt: Deus vero noster non est Deus confusionis, sed pacis. Quapropter, ut mihi conscius est Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, vestræ existimationis curam gerens, exoptans quoque ecclesias non in perturbatione degere, sed eas ut ab Apostolis statutum est permanere; hæc ad vos scribere necessarium duxi; ut nunc tandem illos confundatis, qui ob mutuum inter se odium, ecclesias eo redigunt. Audivi enim, nonnullos esse, paucos numero, qui horum omnium essent auctores. Operam date ut viscera misericordiæ habentes, ea corrigantur, uti supra dixi, quæ contra canonem gesta sunt, ut si quid mali anteverterit, id vestro studio emendetur. Nec mihi scribatis: Marcelli & Athanasii communionem, potius quam nostram cooptasti; nam hæc non pacis, sed contentionis & odii fraterni sunt argumenta. Quapropter superiora scripsi, ut certiores facti, eos non injuste a nobis receptos esse, hujusmodi jur-

* De Marcelli causa in epistola ad Solitarios acturi sumus.

** Id est Vincentius & Vito qui etiam tunc in vivis erant.

*** Episcopos in variis regionibus ab Arianis vexatos sæpe nominat Athanasius. Quinam vero ex iis Romam petierint, nonnisi conjectando dici queat. Et quidem Asclepam Gazæ in Palæstina ab Eusebianis vexatum Romanæ synodo interfuisse ait Socrates; cujus causa iterum in Sardicensi synodo acta est. Ex Thracia vero testetur idem auctor Lucium Hadrianopolitanum, Paulumque Constantinopolitanum pariter adfuisse. At de illis minime convenit inter recentiores, ex quibus nonnulli Paulum Luciumve Romanæ synodo interfuisse negant. Sed de iis commodius in epist. ad Solit. agemus. Ex Thracia item pulsi sunt Olympius Ænorum & Theodulus Trajanopolitanus, teste Athanasio in Epist. ad Solit. sed an Romam venerint, ignoratur.

**** In Epistola ad Solitarios inter episcopos Ægyptios qui Arianis auctoribus, calamitatibus variis sunt affecti, Sarapammon Confessor in exsilium missus dicitur, Potamon vero item Confessor cui in persequutione oculus effossus fuerat, tot plagis est laniatus, ut paucis post diebus extinctus sit. Nullus tamen ibi ad ministeria publica traditus memoratur, quia non potuit Athanasius, qui hæc ibidem paucis enarrat, singula recensere.

***** Flagitiorum Ancyræ gestorum invidiam Marcello imponere conantur Ariani Episcopi in Epistola Pseudosynodi Sardicensis, ubi hæc leguntur: *fuere namque & in Ancyra provincia Galatiæ post reditum Marcelli heretici, domorum incendia & genera diversa bellorum, nudi ab ipso ad forum trahebantur presbyteri, & quod cum lacrymis ubique est dicendum, consecratum Domini corpus ad Sacerdotum colla suspensum palam publiceque prophanabat, virginesque sanctissimas Deo Christoque dicatas publice in foro mediaque in civitate, concurrentibus populis, abstractis vestibus, horrenda feditate nudabat.* Hæc si severa gesta sint, ab ipsis Arianis perpetrata esse vix est quod dubitemus: quippe quibus solenne erat ejusmodi facinora committere, deque rebus a se gestis Episcopos sibi adversantes insimulare.

jurgio finem imponeretis. qui si, vobis huc coocedentibus, convicti fuissent, & si non consentaneas rationes pro sua defensione protulissent; jure merito talia scripsissetis. Quandoquidem autem, ut supra dixi, juxta canones & non injuste, eum illis communione jungimur; obsecro vos per Christum, ne sinatis discindi membra Christi, neu præviis rumoribus fidem habeatis, sed Domini pacem pluris faciatis. Non enim æquum justumque fuerit ob paucorum simultatem, eos qui convicti non sunt abjicere, & in hoc Spiritum contristare. Quod si arbitramini posse quædam adversus illos probari, ac coram eos convinci; veniant quibus id placuerit. Nam se paratos fore polliciti sunt, ad ea quæ nobis denuntiarunt liquido comprobanda.

35. Certiores igitur nos, dilectissimi, de ea re facite, quo & illis, & episcopis huc conventuris rescribamus; ut præsentibus omnibus qui rei sunt convincantur; ut ne ulterius perturbatio in ecclesiis existat. Sat sunt enim res hactenus gestæ; sufficit quoque, in præsentia episcoporum episcopos in exsilium actos esse. Qua de re non est prolixior sermo habendus, ne gravari videantur qui tum adfuere. Nam si vere dicendum, minime decuit ad hæc usque facinora procedere, aut eousque has dissensiones progredi. Esto, sint Athanasius & Marcellus, uti scribitis, a suis sedibus translati; sed quid de aliis dicatur, cum episcopis tum presbyteris, qui ex diversis locis, quemadmodum dixi, huc se contulere? Nam isti quoque se abreptos, & istiusmodi calamitatibus afflictos esse testati sunt. O dilecti! Non jam ulterius Ecclesiæ judicia secundum Euangelium instituuntur, sed vel ad exsilium, vel ad mortem dantur. Nam si omnino, ut dicitis, aliqua fuit eorum culpa, oportuit juxta ecclesiasticum canonem, & non eo pacto, rem judicari: oportuit omnibus nobis rescripsisse, ut ita ab omnibus, quod justum esset decerneretur. Episcopi enim erant qui patiebantur, nec vulgares ecclesiæ vexatæ sunt, * sed quas ipsi Apostoli per se gubernarunt. Cur autem de Alexandrina potissimum ecclesia, nihil nobis scriptum est? An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, & hinc, quod justum est, decernatur? Sane si qua hujusmodi suspicio in illius urbis episcopum cadebat, ad hanc ecclesiam illud rescribendum fuit. Nunc autem illi, re nobis non indicata, posteaquam quod libuit, egere, nos quibus ea crimina explorata non sunt, sibi suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli statuta, non hæc Patres tradiderunt: sed aliena est ista forma, novum hoc institutum. Obsecro alacriter toleretis; quæ enim scribo ad publicum bonum conferunt. Nam quæ accepimus a beato Petro Apostolo, ea vobis significo; non scripturus tamen, quod nota apud omnes ea esse existimem, nisi quæ gesta sunt nos conturbassent. Episcopi abripiuntur, & e suis sedibus pelluntur: alii aliunde eorum vice constituuntur: alii vero insidiis appetuntur: ita ut populi de abreptis doleant, submissos recipere cogantur; ut quos exoptant non requirant, quos autem nolunt, ioviti recipiant. Rogo vos ne ultrà hujusmodi res agantur: imo potius contra eos scribite qui talia moliuntur, ne deinceps ita vexentur ecclesiæ, neve quis episcopus aut presbyter contumeliam patiatur; aut contra animi sui feotentiam, (ut nobis indicatum est) quis facere cogatur; ne apud ethnicos risum moveamus, ac in primis, ne Deum ad iram concitemus. Unusquisque enim nostrum in die judicii rationem suorum in hac vita operum est redditurus. Utinam omnes secundum Deum sentiant, ut & ecclesiæ episcopis suis receptis, perpetuo gaudeant in Christo Jesu Domino nostro, per quem gloria Patri in sæcula sæculorum, Amen. Valere vos in Domino exopto, carissimi ac desideratissimi fratres.

Res gestæ ab anno 342. ad annum 347.

36. Hæc postquam synodus Romæ congregata per Julium Romanum episcopum scripsisset, cum rursus Eusebiani impudenter se gererent, ecclesias perturbarent, ac multis pararent insidias, religiosissimi Imperatores Constantius & Constans de iis certiores facti, jusserunt Occidentis & Orientis episcopos Sardicam convenire. ** Interim Eusebius mortem obiit. Porro plurimis undique convenientibus, Eusebii socios provocavimus ad judicium. Illi vero quibus præ oculis essent sua facinora, conspectis quoque suis accusatoribus qui advenerant, judicium reformidabant. Eteoim cum omnea sincera meote accederent; illi rursus Comites Musonianum, & Hesychium Castrensium secum adduxere, ut pro sua consuetudine, illorum potestate freti, quod liberet perficerent. Cum autem absque comitibus synodus celebraretur, ac nullus ibi miles interesset, perculsi a sua conscientia consternati sunt. Non enim amplius pro sua libidine judicabantur, sed ut veritatis ratio postulabat. Nobis igitur iterum atque iterum provocantibus & episcoporum synodo eos his verbis accersente: *Huc accessistis ut ad judicium vos sisteretis, cur itaque postquam venistis, vos subducitis? Oportuit enim aut non accedere, aut postquam accessistis, non subterfugere: hoc enim maximum est contra vos argumentum. En adsunt Athanasius & socii quos absentes calumniati estis; ut si quid dicendum habere putetis, præsentes coarguatis. Sin cum non possitis, vos nolle simulatis, aperte sycophantæ estis, & hanc vobis synodus feret sententiam.* Quibus auditis illi, sua se damnante conscientia (sciebant enim quæ fecerant, & quæ adversum nos confinxerant) accedere veriti sunt; sicque ingentem ac fœdam calumniam suam palam fecere. Sancta ergo synodus animadversa eorum turpi atque suspecta fuga, nos admisit ad defensionem. Cum autem, testibus firmisque probationibus adhibitis, quæ contra nos gesta fuerant, retulissemus, admiratione capti sunt: omnibusque palam fuit, jure merito eos synodum reformidasse, ut ne coram convincerentur. Tum ajebant: eo fortasse ex Oriente venerunt, quod Athanasium cum suis putarent non accessurum: siquidem cernentes eos rebus suis confidere ac in jus provocare, fugam faciunt. Nos igitur, utpote injuria affectos ac de falsis criminibus accusatos, receperunt; firmiorique senteotia nos ad communionem & *** agapen admittendos decreverunt. Illos autem qui Eusebii scelerum sese consortes etiam illo impudentiores exhibuerant, condemnarunt, Theodorum nempe Heracleæ episcopum, Narcissum **** Neroniadis, Acacium Cæsareæ, Stephanum Antiochiæ, Ursacium & Valeotem in Pannonia Episcopos, Menophaotum Ephe-

* Quod ait Julius eas Ecclesias ab Arianis vexatas fuisse quas ipsi Apostoli per se gubernassent, ad solam Alexandrinam referri videtur: quippe ea a Marco primum, ut vulgaris fert opinio, Petro ordinante, administrata fuit. Viros autem apostolicos, & Apostolorum discipulos, Apostolos interdum ab antiquis vocari omnibus compertum est. Unde conjectare liceat ipsum Marcum a Julio Pontifice Apostoli nomine subindicari. quod eruditorum judicio permittatur.

** Socrate l. 2. c. 12. & Sozomeno l. 3. c. 2. auctoribus, obiit Eusebius Julii litteris nondum acceptis, atque adeo anno 342. sed iis refragari videtur Athanasius. Hanc rem alias fusius agemus.

*** Ad Agapen, id est ad convivia fidelium. De qua voce fusius pertractant Suicerus, Cangius & alii complurimi.

**** *Neroniadis*. In Hilarii fragmentis legitur, *Narcissus Irenopolis*, sed mendose pro *Neropolis*.

Ephesi, & Georgium Laodiceæ. Scripseruntque omnibus ubique terrarum episcopis, & ad singulas eorum * parœcias qui injuriam passi fuerant: his verbis.

EPISTOLA SYNODI

SARDICÆ CONGREGATÆ.

SANCTA SYNODUS

Per Dei gratiam Sardicæ congregata, ex urbe Roma, ex Hispaniis, Galliis, Italia, Campania, Calabria, Apulia, Africa, Sardinia, Pannoniis, Mysiis, Dacia, Norico, Siscia, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, ex Epiris, Thracia, Rhodope, Palæstina, Arabia, Creta, & Ægypto, Presbyteris & Diaconis, & universæ sanctæ Dei Ecclesiæ Alexandriæ commoranti, dilectis fratribus in Domino salutem.

37. ETiam vestræ pietatis litteris nondum acceptis, non ignotum id nobis, sed exploratum fuit, execrandæ Arianorum hæresis patronos, multa & atrocia in exitium potius animarum suarum, quam in Ecclesiam machinatos esse. Hæc enim fuit eorum ars & vafrities, semperque hujus lethiferi propositi fuere; ut omnes ubique orthodoxos, qui Ecclesiæ Cathnlicæ doctrinam retinent, a patribus sibi traditam, sedibus pellere, & persequi satagant. Aliis enim ficta crimina imposuere, alios in exsilium misere, alins in ipsis suppliciis confecerunt. Certe fratris nostri & coepiscopi Athanasii innocentiam vi & tyrannide circumvenire conati sunt, quapropter nulla sedulitate, nulla fide, vel æquitate, in eo judicando sunt usi. Ideo diffisi iis quas lusere fabulis, atque rumoribus quos de illo sparsere: imn animadvertentes, se nnn vera posse earum rerum proferre argumenta; cum essent in urbe Sardica, noluerunt ad synodum sanctorum omnium Episcoporum accedere. Atque hinc æquitas judicii fratris & coepiscopi nostri Julii liquidn apparuit: qui non temerario consilio, sed cum debita accuratinne sententiam tulit, adeo ut nihil sit dubii de communione fratris nostri Athanasii relictum: quippe qui octoginta episcopos pro se habuerit veraces testes. A quo illud quoque cum æquitate actum est, quod per dilectos fratres nostros presbyteros suos, & per litteras suas, Eusebianos, non recto judicio sed vi fretos, sapienter eluserit. Quapropter omnes ubique episcopi, Athanasii utpote innocentis communionem firmam statamque fecerunt. Illud quoque vestra caritas animadvertat; cum ad sanctam synodum Sardicæ congregatam advenisset, tunc, uti supra diximus, Orientales episcopos, & scriptis litteris, & mandatis non scriptis, a nobis citatos vocatosque fuisse, ut se judicio sisterent. At illi sua sese damnante conscientia, turpibus usi tergiversationibus judicium subterfugere cœperunt. Postulabant enim, ut innocentem quasi reum a nostra communione ejiceremus: non advertentes quam indecens, imo potius quam impossibile illud esset. Quin & mnnumenta in Mareote edita, a sceleratissimis & perditissimis quibusdam adolescentibus, quibus ne minimum quidem clericatus gradum quispiam cnntulisset, una snlum e partibus præsente facta fuisse constabat: nam neque frater noster Athanasius, neque Macarius presbyter ab illis accusatus, illic adfuerant. Et alioqui eorum inquisitio seu potius fraudulenta subjectio, omni turpitudine plena erat; nam cum ethnici, tum catechumeni interrogabantur, non ut, quæ scirent, dicerent, sed ut quæ ab illis didicerant, falso proferrent. Siquidem & ** vestrum presbyterorum, qui absente Episcopo rei curam gerebatis, ac vnluistis quæstioni interesse, & veritatem patefacere, mendaciaque refutare, nulla est habita ratio: neque enim vos adesse concesserunt, sed contumelinse ejecerunt. Ac licet hinc maxime eorum sycophantia omnibus comperta sit, attamen dum monumenta illa legerentur, deprehendimus ipsum sceleratissimum Ischyram, qui vacuo episcopatus nomine, in mercedem sycophantiæ suæ, est ab illis donatus, calumniam suam coarguere. In iisdem enim monumentis narrabat ipse Ischyras, se qua hora Macarium in suam cellam venisse affirmabat, ægrotum jacuisse: licet econtra Eusebiani scribere ausi sint, Ischyram, cum Macarius supervenit, stetisse & nblatinnem fecisse.

38. Quinetiam ea qua post usi sunt sycophantia & calumnia omnibus manifesta est. Ajebant enim, & magnis clamoribus affirmabant, cædem Athanasium perpetrasse, & Arsenium quemdam Meletianum episcopum occidisse. quam rem simulato gemitu & falsis lacrymia deplorabant, postulantes viventis corpus quasi is mortuus esset sibi tradi. Sed non latuit eorum vafrities: omnibus enim compertum fuit hominem vivere, & inter vivos numerari: & cum conspicerent illi ad nmne scelus promti viri, se mendacii convictos: ipse enim Arsenius vivus, se minime occisum aut mortuum esse palam fecit; nihilo tamen magis quieverunt, sed alias sycophantias prioribus addendas quæsiere, ut quibusvis machinis adhibitis, hominem denuo *** calumniarentur. Quid igitur, dilecti? Nequaquam perterritus est frater noster Athanasius, sed iterum magna usus fiducia, eos in jus provocabat: nos quoque rogavimus hortatique sumus, ut judicio se sisterent, & si possent, hominem convincerent. O magnam arrogantiam! o ingentem snperbiam! aut potius, si vere dicendum est, o malam, & crimine obnoxiam conscientiam! quod sane nulli non exploratum est. Quocirca, dilecti fratres, mnnemus vos & hortamur, ut præ omnibus rectam Ecclesiæ catholicæ fidem retineatis. Multa quidem gravia & atrocia tolerastis, multas quoque contumelias & injurias sustinuit catholica Ecclesia: sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Qua- *Matth. 10. 22.*

* *Paræcias*. Hæc vox interdum sumitur pro Diœcesi, ut hoc loco & alias sæpissime apud Athanasium, interdum pro quadam Ecclesia peculiari, ut infra cernere est, ubi Mareotes παροικία nuncupatur. vide Valesium in Notis ad Euseb. p. 4. & Sirmondum. Hujus vocis frequens est usus apud Patres.

** Nannii versio sic habet: *Nulla enim nostri ratio habita est, qui presbyteri sumus Athanasii*. Quasi vero omnes episcopi Sardicæ coacti Athanasii presbyteri fuerint.

*** Alias sycophantias ab Eusebianis objectas vide supra in epistola Alexandrinæ synodi.

re si quid iterum contra vos aggrediantur, tribulatio illa gaudii vobis loco sit; nam istiusmodi afflictiones pars sunt martyrii, & hujusmodi vestræ confessiones & tormenta, sua mercede non carebunt: sed certaminis præmiis a Deo donandi estis. Quamobrem pro sana fide potissimum decertate, necnon pro innocentia Athanasii episcopi vestri & comministri nostri. Nam neque rem silentio præterivimus, neque neglեximus quæ vestræ securitati conducebant: sed ea curavimus, ea egimus quæ caritatis ratio postulat. Fratrum quippe nostrorum afflictorum vicem dolemus, & illorum afflictiones, nostras arbitramur. *

39. Quocirca hæc retulimus ad piissimos, & Dei amantissimos Imperatores, rogantes eorum humanitatem, ut eos qui adhuc vexantur & affliguntur, dimitti jubeant, decernantque, ut ne quis judicum, quorum officium est popularia solum curare, clericos judicet, aut ullatenus in posterum, occasione curandarum ecclesiarum, adversus fratres quidvis moliatur: sed ut quisque citra persequutionem aut vim vel fraudem, pro voto & voluntate sua vitam agat, ac cum quiete & pace Catholicam & Apostolicam sectetur fidem. Porro vestram unanimitatem monitam volumus, Gregorium, qui dicitur præter jus fasque ab hæreticis ordinatus, & in vestram urbem ab illis missus, universæ sacræ Synodi judicio damnatum depositumque fuisse, tametsi revera numquam is ut episcopus sit habitus. Vestrum igitur episcopum Athanasium redeuntem, cum gaudio recipiatis; ideo enim illum cum pace dimisimus. Unde hortamur omnes, qui vel metu vel quorumdam dolo circumventi cum Gregorio communicarunt, ut jam moniti, & excitati, nobis morem gerentes, a detestanda ejus communione desistaot, ac deinceps sese ** Ecclesiæ catholicæ conjungant.

40. (Ceterum quia cognovimus Eusebianos in Aphthonium, quoque Athanasium Capitonis filium, Paulum & Plutionem compresbyteros nostros, conspirationem fecisse, ita ut alii quidem in exsilium missi sint, quidam mortis minis perterriti aufugerint; idcirco vobis declarandum duximus, etiam illos a nobis receptos, & innoxios esse declaratos; quod probe sciremus, omnia quæ ab Eusebianis adversus orthodoxos gesta sunt, ad gloriam & commendationem eorum, quos illi calumniati sunt, vergere. Decebat quidem episcopum vestrum, comministrumque nostrum Athanasium, de iis vos certiores facere, sed quoniam firmioris testimonii causa, ipsam sanctam Synodum vobis scribere, exoptavit; ideo nihil supersedendum rati, hæc vobis quam primum significare curavimus; ut quemadmodum nos, ita vos quoque illos recipiatis; laudem enim ipsi merentur, quoniam propter suam in Christum pietatem digni habiti sunt ab hæreticis contumeliam pati.) Quænam autem a sancta Synodo decreta sint contra Arianæ hæreseos præfectos, qui & in vos & in alias ecclesias debacchati sunt, ex iis quæ subjuncta sunt, cognoscetis; ea enim ad vos misimus, ut hinc notum sit vobis, Ecclesiam catholicam non dissimulanter agere cum iis qui in se scelera perpetrarint.

SANCTA SYNODUS

Per Dei gratiam Sardicæ congregata, iis qui in Ægypto & Lybia sunt episcopis & comministris, dilectis fratribus in Domino salutem.

41. ETiam vestræ pietatis litteris nondum acceptis, non ignotum id nobis, sed exploratum fuit, execrandæ Arianorum hæresis patronos, multa & atrocia in exitium potius animarum suarum, quam in Ecclesiam machinatos esse. Hæc enim fuit eorum ars & vafrities, semperque hujus lethiferi propositi fuere; ut omnes ubique orthodoxos, qui Ecclesiæ catholicæ doctrinam retineot, a patribus sibi traditam, sedibus pellere, & persequi satagant. Aliis enim ficta crimina imposuere, alios in exsilium misere, alios in ipsis suppliciis confecerunt. Certe fratris nostri & coepiscopi Athanasii innocentiam vi & tyrannide circumvenire conati sunt, quapropter nulla sedulitate, nulla fide, vel æquitate, in eo judicando sunt usi. Ideo diffisi iis, quas lusere fabulis, atque rumoribus quos de illo sparsere: imo animadvertentes, se non vera posse earum rerum proferre argumenta; cum essent in urbe Sardica, noluerunt ad synodum sanctorum omnium episcoporum accedere. Atque hinc æquitas judicii fratris & coepiscopi nostri Julii liquido apparuit, qui non temerario consilio, sed cum debita accuratione sententiam tulit, adeo ut nihil sit dubii de communione fratris nostri Athanasii relictum: quippe qui octoginta episcopos pro se habuerit veraces testes. A quo illud quoque cum æquitate actum est, quod per dilectos fratres oostros presbyteros suos, & per litteras suas, Eusebianos, non recto judicio sed vi fretos, sapienter eluserit. Quapropter omnes ubique episcopi, Athanasii utpote innocentis communionem firmam ratamque fecerunt. Illud quoque vestra caritas aoimadvertat; cum ad sanctam synodum Sardicæ congregatam advenisset, tunc, uti supra diximus, Orieotales episcopos, & scriptis litteris, & mandatis non scriptis, a nobis citatos vocatosque fuisse, ut se judicio sisterent. At illi sua sese damnante conscientia, turpibus usi tergiversationibus judicium subterfugere cœperunt. Postulabant enim, ut innocentem quasi reum a nostra communione ejiceremus, non adverteotes quam indecens, imo potius quam impossibile illud esset. Quin & monumenta in Mareote edita a sceleratissimis & perditissimis quibusdam adolescentibus, quibus ne minimum quidem clericatus gradum quispiam contulisset, una solum e partibus præsente, facta esse constabat: nam neque frater noster Athanasius, neque Macarius presbyter ab illis accusatus, illic adfuerant. Et alioqui eorum inquisitio seu potius fraudulenta subjectio, omni turpitudine plena erat: nam cum ethni-

* Quæ in editis sequebantur post *nostras arbitramur* pertinent ad sequentem epistolam, ut infra monemus.

** Quæ sequuntur, post *Ecclesiæ catholicæ conjungant* ad hanc epistolam pertinere, nec sequenti addenda esse, monet Regii codicis scriptor, qui præposito asterisco, & inferius deinde altera nota apposita, sic habet, ἀπὸ τῦ σημείυ τέτε, μέχρι τέτυ ἔχει κατὰ προσθήκην αὕτη ἡ ἐπιστολὴ τῆς μετ' αὐτῆς, ὅσαι τῆς πρὸς πάντας ἐπισκόπους. idest, *quæ ab hac nota usque ad sequentem habentur, ad hanc epistolam pertinent, nec in subsequenti ad omnes episcopos leguntur*. Nimirum amanuensis cum eas epistolas fere similes adverteret, priorem tantum descripsit, quibusdam quæ in secunda duntaxat legebantur ad marginem additis, ne exciderent. monetque vicissim, ea quæ sequuntur post *Ecclesiæ catholicæ conjungant* priori solum, & nequaquam subsequenti esse adscribenda. Subodorari tamen licet quædam verba quæ ad sequentem epistolam pertinerent, eorumdem negligentia in priori remansisse nullo discrimine distincta: itemque nonnulla hanc primam spectantia, subsequenti falso adscribi. sed levioris momenti res est.

ethnici, tum catechumeni interrogabantur, non ut quæ scirent dicerent, sed ut quæ ab illis didicerant, falso proferrent. Siquidem & vestrum presbyterorum, qui absente Episcopo, rei curam gerebatis, ac voluistis quæstioni interesse, & veritatem patefacere, mendaciaque refutare, nulla est habita ratio: neque enim vos adesse concesserunt, sed contumeliose ejecerunt. Ac licet hinc maxime eorum sycophantia omnibus comperta sit, attamen dum monumenta illa legerentur, deprehendimus ipsum sceleratissimum Ischyram, qui vacuo episcopatus nomine, in mercedem sycophantiæ suæ, est ab illis donatus, calumniam suam coarguere. In iisdem enim monumentis narrabat ipse Ischyras, se, qua hora Macarium in suam cellam venisse affirmabat, ægrotum jacuisse: licet econtra Eusebiani scribere ausi sint, Ischyram, cum Macarius supervenit, stetisse & oblationem fecisse.

42. Quinetiam ea qua post usi sunt sycophantia & calumnia omnibus manifesta est. Ajebant enim, & magnis clamoribus affirmabant, cædem Athanasium perpetrasse, & Arsenium quemdam Meletianum episcopum occidisse. quam rem simulato gemitu, & falsis lacrymis deplorabant, postulantes viventis corpus quasi is mortuus esset sibi tradi. Sed non latuit eorum vafrities: omnibus enim compertum fuit hominem vivere, & inter vivos numerari: & cum conspicerent illi, ad omne scelus promti viri sa mendacii convictos: ipse enim Arsenius vivus, se minime occisum aut mortuum esse palam fecit; nihilo tamen magis quieverunt, sed alias sycophantias prioribus addendas quæsiere, ut quibusvis machinis adhibitis, hominem denuo calumniarentur. Quid igitur, dilecti? Nequaquam perterritus est frater noster Athanasius, sed iterum magna usus fiducia eos in jus provocabat. Nos quoque rogavimus hortatique sumus, ut judicio se sisterent, & si possent, hominem convincerent. O magnam arrogantiam! o ingentem superbiam! aut potius si vere dicendum est, o malam, & crimine obnoxiam conscientiam! quod sane nulli non exploratum est. Quocirca, dilecti fratres, monemus vos & hortamur, ut præ omnibus rectam Ecclesiæ catholicæ fidem retineatis. Multa quidem gravia & atrocia tolerastis, multas quoque contumelias & injurias sustinuit catholica Ecclesia: sed

Matth. 10, 22. *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Quare si quid iterum contra vos aggrediantur, tri-

A bulatio illa gaudii vobis loco sit: nam istiusmodi afflictiones pars sunt martyrii, & hujusmodi vestræ confessiones & tormenta sua mercede non carebunt: sed certaminis præmiis a Deo donandi estis. Quamobrem pro sana fide potissimum decertate, necnon pro innocentia Athanasii episcopi vestri & comministri nostri. Nam neque rem silentio præterivimus, neque neglexímus quæ vestræ securitati conducebant: sed ea curavimus, ea egimus quæ caritatis ratio postulat. Fratrum quippe nostrorum afflictorum vicem dolemus, & illorum afflictiones, nostras arbitramur, & nostras lacrymas cum vestris commiscuimus.

B Neque vos duntaxat læsi estis, fratres, sed de iisdem ipsis complures alii ex comministris nostris, huc cum venissent, fusis lacrymis conquesti sunt.

43. Quocirca hæc retulimus ad piissimos, & Dei amantissimos Imperatores, rogantes eorum humanitatem, ut eos qui adhuc vexantur & affliguntur, dimitti jubeant, decernantque, ut ne quis judicum, quorum officium est popularia solum curare, clericos judicet, aut ullatenus in posterum, occasione curandarum ecclesiarum, adversus fratres quidvis moliatur: sed ut quisque citra persequutionem, aut vim,

C vel fraudem, pro voto & voluntate sua vitam agat, ac cum quiete & pace Catholicam & Apostolicam sectetur fidem. Porro vestram unanimitatem monitam volumus, Gregorium, qui dicitur præter jus fasque ab hæreticis ordinatus, & in vestram urbem ab illis missus, universæ sacræ synodi judicio damnatum depositumque fuisse; tametsi revera numquam is ut episcopus sit habitus. Vestrum igitur episcopum Athanasium redeuntem cum gaudio recipiatis; ideo enim illum cum pace dimisimus. Unde hortamur omnes, qui vel metu vel quorumdam dolo circumventi cum Gregorio communicarunt, ut jam moniti, & exci-

D tati, nobis morem gerentes, a detestanda ejus communione desistant, ac deinceps sese Ecclesiæ catholicæ conjungant. Quænam autem a sancta Synodo decreta sint contra Theodorum, Narcissum, Stephanum, Acacium, * Menophantum, Ursacium, Valentem, & Georgium, Arianæ hæreseos præfectos, qui & in vos & in alias ecclesias debacchati sunt, ex iis quæ subjuncta sunt, cognoscetis. Ea enim ad vos misimus, ut vestra pietas decretis nostris suffragetur, & hinc notum sit vobis, Ecclesiam catholicam non dissimulanter agere cum iis qui in se scelera perpetrarint.

SANCTA SYNODUS

Per Dei gratiam Sardicæ congregata, omnibus ubique episcopis & comministris Ecclesiæ catholicæ, dilectis fratribus in Domino salutem.

44. MUlta quidem plerumque contra Dei servos, recta fidei inhærentes, moliri ausi sunt Ariomanitæ: dum enim spuriam doctrinam subjicerent, orthodoxos ejicere conati sunt. Tanta autem vi jam contra fidem insurrexerunt, ut id oe pietatem quidem religiosissimorum Imperatorum latuerit. Itaque, Dei gratia opitulante, ipsi religiosissimi Imperatores, nos ex diversis provinciis ac civitatibus in unum coegerunt, & sanctam hanc synodum in civitate Sardica celebrari concesserunt; ut amoto quovis dissidio ac omni prava fide eliminata, sola erga Chri-

E stum pietas apud omnes servetur. Venerunt enim Orientales quoque episcopi, hortantibus piissimis Imperatoribus, ad ea potissimum quæ pluries jactitarant de dilectis fratribus & comministris nostris Athanasio episcopo Alexandriæ, & Marcello episcopo Ancyrogalatiæ, disquirenda. Fortasse enim ad vos quoque pervenerunt eorum calumniæ: fortasse & vestras aures commovere conati sunt, quo suis adversus innoxios calumniis vos fidem haberetis, ipsique interim nefariæ suæ hæresis suspicionem dissimularent. Sed non diu licuit id agere: est enim qui ecclesiis patrocinatur

* Editi Μηνοφάντου, Nannii versio, Demophantes, sed perperam. est enim Menophantes Ephesinus. Athanasius infra, epistola ad episcopos Ægypti & Libyæ, quæ hactenus oratio prima contra Arianos perperam inscribebatur, ait Ursacium, Valentem, Acacium, Patrophilum, & Narcissum in Sardicensi Synodo fuisse damnatus, quod de ceteris quidem certum est, de Patrophilo vero nusquam reperitur. Putamus Athanasium generatim tantum hos Arianicæ sectæ fautores damnatos dicere, quod vulgo verum habetur dum pars maxima damnata sit.

Quæ vero subjuncta huic Epistolæ memorantur, nihil aliud esse queat, quam epistola Encyclica mox sequens, ubi Sardicensis synodi gesta fusius narrantur.

natur Dominus, qui pro iis & pro nobis omnibus mortem subiit, ac per seipsum omnibus nobis aditum dedit ad cælum. * Cum igitur jam pridem Eusebiani Julio comministro nostro Romanæ ecclesiæ episcopo litteras scripsissent contra prædictos comministros nostros nempe Athanasium, Marcellum, & Asclepam; scripserunt quoque alii ex aliis partibus episcopi, qui litteris suis de Athanasii comministri nostri innocentia ferrent testimonium: quæ autem ab Eusebianis gesta essent, mendaciis & calumniis plena esse affirmarent; tametsi hinc præsertim eorum sycophantia propalam fuit, quod vocati a dilecto & comministro nostro Julio, non accessissent, quod item ex ipsis Julii scriptis perspicuum erat. Venissent enim si iis quæ contra comministros nostros egerant, fiduciam habuissent. Conspirationem tamen suam manifestius declararunt ex iis quæ in illa sancta & magna Synodo gessere. Cum enim Sardicam advenissent, conspectis ibi fratribus nostris Athanasio, Marcello & Asclepa aliisque, judicio se sistere reformidarunt: nec semel aut bis, sed plerumque in jus vocati non obtemperarunt; quamvis nos omnes episcopi convenissemus, inque primis felicissimæ vir senectutis Hosius, qui ob ætatem & confessionem & ob tantum a se susceptum laborem, omni est reverentia dignus. Expectantibus igitur nobis atque hortantibus ut judicio se sisterent, quo ea quæ contra comministros nostros absentes sparserant, & litteris significarant, hæc ipsa coram probare possent: illi utique quantumvis vocati, nequaquam accessere, uti supra diximus, hincque calumniam prodidere suam: ac ipsa recusatione sycophantias ac insidias suas tantum non proclamarunt. Qui enim dictis suis habent fiduciam, ii sane non recusant coram adversariis consistere. Quandoquidem autem accedere renuerunt, arbitramur neminem latere, eos, (quamquam malis de more velint artibus uti) cum nihil habeant quod adversum comministros nostros probare possint, absentes quidem calumniari, præsentes vero refugere.

45. Non solum autem, carissimi fratres, ob suam adversus illos sycophantiam fugam fecere; sed etiam quod præsto viderent qui se de variis criminibus accusarent. Illic enim vincula & ferrum: illic viri ab exsilio reversi comparebant. Ab iis autem qui adhuc in exsilio detinebantur missi sunt quidam e comministris nostris eorum cognati: accesserunt itidem amici quorumdam, qui fuerant iis auctoribus interemti. Quodque gravissimum est, aderant episcopi, quorum unus ** ferrum & catenas protulit, quibus oneratus ab illis fuerat: alii eædem eorum calumnia perpetratam testabantur. Eo enim devenerant insaniæ, ut tentarent etiam episcopos perimere, & sane occidissent, nisi illi eorum manibus sese fuga proripuissent. *** Obiit certe comminister noster beatæ memoriæ Theodulus, dum iis calumniantibus fuga sibi consuleret, ob eorum quippe criminationem capitis fuerat damnatus. Alii inflicta gladiis vulnera exhibuere: alii se eorum opera famem pertulisse conquesti sunt.

A Horumque facinorum non vulgares homines, sed integræ ecclesiæ testes erant, quarum legati, nos, de militibus gladio instructis, de turbis clavas gestantibus, de judicum minis, de supposititiis epistolis certiores fecerunt. Lectæ sunt enim litteræ a Theognio adversum comministros nostros Athanasium, Marcellum & Asclepam confictæ, ut Imperatores in illos concitaret, quod verum esse comprobarunt qui tunc temporis fuerant Theognii diaconi. His adjiciendæ Virginum denudationes, ecclesiarum incendia, ministrorum in carcerem mancipationes. hæcque omnia nulla alia de causa quam abominandæ Ariano-
B rum hæreseos gratia; qui enim eorum communionem recusabant hæc experiri coacti sunt. Hæc igitur dum animadverterent, quid consilii caperent ignorabant; erubescebant enim facinora confiteri sua. Quod autem hæc ultra latere non valerent, Sardicam venerant, ut adventu suo suspicionem flagitiorum levare viderentur. At ubi eos quos vel calumniis vel calamitatibus afflixerant, accusatores debitis documentis instructos conspexere; vocati licet, se sistere noluerunt; quamvis comministri nostri Athanasius, Marcellus & Asclepas, magna cum fiducia conquererentur, instarent, provocarent & pollice-
C rentur se non solum sycophantiam refutaturos, sed etiam ostensuros quanta illi scelera perpetrassent adversus ecclesias suas. At illi tanto conscientiæ terrore correpti sunt, ut fugam facerent, & fuga calumniam suam proderent, ac scelera sua fugiendo faterentur.

46. Porro quamvis eorum improbitas & sycophantia non modo ex prioribus, sed ex istis quoque sit explorata; attamen, ne ex fuga sua novi cujusdam doli occasionem captare valeant; visum fuit nobis improba eorum facinora juxta veritatis normam disquirere. Re sic proposita,
D eos ex suis actis sycophantas esse, & revera insidias adversum comministros nostros struxisse deprehendimus. Arsenius enim, quem ab Athanasio necatum ajebant, etiamnum superstes est & inter vivos numeratur: hincque ea etiam quæ de aliis sparserunt liquet esse conficta. Quandoquidem autem illi de calice a Macario presbytero Athanasii confracto insusurrabant; qui Alexandria & ex Mareote necnon ex aliis locis huc concesserant, testati sunt, nihil ejusmodi commissum fuisse. Imo episcopi Ægyptii litteris suis ad Julium comministrum nostrum testimonium
E ferunt, ne suspicionem quidem hujus rei ibi extitisse. Porro ea quæ se contra illum habere dicunt monumenta; constat altera solum parte præsente fuisse edita: & alioqui in his monumentis efficiendis, ethnici & catechumeni interrogati fuere. Quidam autem ex catechumenis illis interrogatus ajebat, se intus fuisse quando Macarius in eum locum se immisit: alius item interrogatus dicebat, Ischyram illum ab ipsis decantatum, tunc ægrotum in cellula decubuisse; ita ut hinc liquido constet nihil omnino mysteriorum tunc celebratum fuisse, cum catechumeni intus essent, & Ischyras non adesset, sed æger decumberet. Quin & ipse sceleratissimus Ischyras, qui mentitus fuerat dicen-

* Hæc sic habet Theodoretus: πάλαι μὲν ἃ ἔγραψαν οἱ περὶ Εὐσέβιον καὶ Μάριν, καὶ Θεόδωρον καὶ Θέογνιν, καὶ Οὐρσάκιον καὶ Οὐάλεντα, καὶ Μηνόφαντον καὶ Στέφανον, Ἰουλίῳ τῷ συλλειτουργῷ. quæ sic ab Hilario versa sunt: *olim quidem scribentibus Eusebio, Mario, Theodoro, Diognito, Ursacio & Valente, Julio consacerdoti, &c.* Hos Arianos præsules consulto ab Athanasio omissos fuisse putamus, qui alias nonnumquam nomina Provinciarum prætermittit, quod parvi ad rem quæ agitur sint momenti. Menophantus vero & Stephanus apud Theodoretum irrepsisse videntur, amanuensis imperitia, qui hos episcopos quod infra nominentur, hoc quoque putavit inserendos. Alias enim certum est Stephanum vivente Eusebio nondum Episcopum Antiochiæ fuisse, sed Flacillum.

** Episcopum qui catenas quibus, Arianis auctoribus, constrictus fuerat in synodo exhibuit, conjectamus esse Lucium Hadrianopolitanum, τὴν πολλάκις ὑπ' αὐτῶν καὶ ἁλύσεις φορέσαντα, ait Athanasius Apol. de fuga. id est *qui, ipsis auctoribus, sæpenumero catenis onustus fuit*.

*** Hæc Hilarius ita vertit: *decessit enim coepiscopus noster beatissimus Theodorus* mendose, pro Theodulus. Si lectio Theodoreti genuina esset, vertendum foret; *eversis factus est comminister*, &c. De Theodulo hæc ipsa dicuntur infra Epist. ad Solit. paulo post initium. De eodem quædam in Apol. de fuga. Hallucinantur autem qui ex aliis Athanasii locis comprobari putant Theodulum post Sardicensem synodum obiisse. hac de re disputabitur infra.

cendo Athanasium sacrum quemdam librum combussisse, & ea de re convictum fuisse, confessus est se per id temporis ægrotasse & decubuisse, cum Macarius adsuit, ut vel hinc vere sycophanta ille sit habendus. Certe in hujus calumniæ mercedem ipsum Ischyram episcopi nomine donarunt, qui ne presbyter quidem erat. Duo enim presbyteri, qui Meletii quondam sequaces, demum a beatæ memoriæ Alexandro olim Alexandriæ episcopo recepti sunt, iidemque nunc cum Athanasio versantur, huc advenientes testati sunt, illum nunquam Meletii presbyterum fuisse, nec Meletium in Mareote ecclesiam vel ministrum unquam habuisse. Nihilominus eum qui presbyter non erat, nunc quasi episcopum produxerunt, ut hoc nomine usi, per sycophantiam ejus auditores percellant.

47. Lectus est quoque liber comministri nostri * Marcelli, & deprehensa est Eusebianorum dolosa vafrities. Nam quæ per interrogationem Marcellus dixerat, ea quasi ex professo dicta, sunt calumniati. Lectis igitur subsequentibus ac iis quæ ante quæstiones illas posita erant, recta viri fides inventa est. Neque enim ex sancta Maria, ut illi adfirmabant, Verbo Dei initium tribuebat: neque regnum ejus finem habiturum; sed regnum ejus initio & fine carere scripserat. Asclepas autem comminister monumenta protulit Antiochiæ, præsentibus accusatoribus, & Eusebio Cæsareæ episcopo edita, & ex sententiis episcoporum qui eum judicabant, se innocentem esse demonstravit. Non sine causa igitur, dilectissimi fratres, sæpius vocati non obtemperaverunt, sed fuga sibi consuluerunt. Nam impellente conscientia, se revera calumnias struxisse aufugiendo confirmarunt. hincque contigit, ut iis quæ ab eorum accusatoribus præsentibus objicerentur ac demonstrarentur, fides sit habita. Jam vero super hæc omnia, eos qui olim ob Arii hæresim damnati & ejecti fuerant, non solum receperunt, sed & ad altiorem gradum promoverunt; diaconos quidem ad presbyteratum, & **ex presbyteris ad episcopatum, nulla alia de causa, quam ut impietatem disseminare & latius propagare, ac piam fidem corrumpere valerent.

48. Horum autem principes post Eusebium hi sunt: Theodorus Heracleæ, Narcissus Neroniadis in Cilicia, Stephanus Antiochiæ, Georgius Laodiceæ, Acacius Cæsareæ in Palæstina, Menophantus Ephesi in Asia, Ursacius Singidoni in Mysia, Valens Mursiæ in Pannonia. Isti enim eos qui secum ab Oriente venerant, non permittebant ad sacram Synodum accedere, nec ullo modo ad ecclesiam Dei se conferre. Et cum Sardicam venirent, per diversa loca synodos privatim agebant, adhibitisque minis fœdera inibant; ut cum Sardicam advenissent, nullatenus sese judicio sisterent, neque una cum sancta synodo convenirent: sed perfunctorie duntaxat adventu suo significato, statim aufugerent. Hæc enim ediscere licuit a comministris nostris Macario in Palæstina episcopo, & Asterio in Arabia, qui postquam cum illis venerant, ab eorum infidelitate recessere. hi enim cum ad sanctam synodum advenissent, de vi sibi illata conquesti sunt, dicebantque nihil ab illis recte ac sincere agi. Addebant insuper, multos cum illis esse rectæ fidei cultores, qui ab illis quominus huc accederent impedirentur; eos enim qui se deserere vellent minis absterrebant. quocirca curarunt ut in una domo omnes manerent, ac nulli concedebant vel minimum quidem temporis seorsum degere.

49. Quandoquidem igitur par non esset silentio prætermittere eorum sycophantias, vincula, cædes, plagas, conspirationes supposititiis epistolis structas, vulnera, Virginum denudationes, exsilia, ecclesiarum desolationes, incendia, translationes a minoribus civitatibus ad majores diœceses, ac præ omnibus, execrandam hæresim Arianam, quæ iis auctoribus contra rectam fidem insurrexit; idcirco dilectos quidem fratres & comministros nostros Athanasium, Marcellum & Asclepam, & qui cum illis ministri sunt Domini, innocentes & puros esse declaravimus; missis ad singulas diœceses litteris, ut cujusque ecclesiæ populi, sui episcopi innocentiam agnoscant, eumque pro episcopo habeant ac exspectent redeuntem. Illos autem qui instar luporum, eorum ecclesias invasere, Gregorium Alexandriæ, Basilium Ancyræ, Quintianum Gazæ, ne episcopos appellent, nec aliquam cum illis communionem habeant, neve litteras ab iis accipiant vel ad eos scribant. Theodorum autem, Narcissum, Acacium, Stephanum, Ursacium, Valentem, & Menophantum, necnon Georgium, tametsi is, præ metu ab Oriente huc non accesserit; quia tamen a beatæ memoriæ Alexandro damnatus depositusque est, & quia is ut ceteri illi Arii vesaniæ sectator est: hos inquam ob delata crimina communi calculo sancta synodus episcopatu abdicavit. Decrevimusque illos non solum episcopos non esse, sed etiam, utpote indignos, fidelium communione privandos: nam eos qui Filium separant, & Verbum a Patre suo abalienant, a catholica ecclesia separari, & Christianorum nomine indignos haberi æquum est. Sint igitur vobis anathema, eo quod verbum veritatis adulteraverint: Apostolicum enim præceptum est, *Si quis vobis euangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit.* Gal. 1. 8. Cum his jubete ne quis communicet, nihil enim commune luci cum tenebris; hos omnes procul arcete, nulla enim concordia Christo cum Belial. Et cavete, dilecti, ne litteras vel ad illos scribatis, vel ab eis accipiatis. Quin potius studete, fratres & comministri, ut spiritu nostræ synodo præsentes, suffragium vestrum per vestram subscriptionem ipsi adjicistis; ut ab omnibus ubique comministris nostris concordia servetur. *** Divina providentia vos sanctificatos & lætos custodiat, dilecti fratres. Hosius episcopus subscripsi, & sic omnes. Hoc suum rescriptum Sardicensis synodus ad illos misit quibus accedendi facultas non esset, qui & ipsi suffragiis suis decreta synodi approbarunt. Eorum autem qui in synodo scripserunt aliorumque episcoporum nomina, **** hæc sunt.

50. Hosius ab Hispania, Julius Romæ per Archidamum & Philoxenum presbyteros, Protogenes Sardicæ, Gaudentius, Macedonius, Severus, Prætextatus, Ursicius, Lucillus, Eugenius, Vitalius, Calepodius, Florentius, Bassus, Vincentius, Stercorius, Episcopi qui Sardicensi synodo subscripsere. Ex variis Occidentis partibus &

* *Marcelli*. de Marcelli causa agemus in Admonitione in Epistolam ad Solitarios.

** Theod. *ἀπὸ δὲ πρεσβυτέρων εἰς ἐπισκοπήν*, Hilarius autem, *de presbyterio in episcopatum*. Sunt qui vertendum existiment *presbyteros depositos in episcopatum*; quod, tametsi verum esse constat ex præcedentibus, ab Athanasio nequaquam indicatum arbitramur.

*** Quæ sequitur fidei confessio apud Theodoretum, post hæc verba *concordia servetur*, spuria est, & invitis sacræ synodi patribus, a quibusdam conficta, ut in epistola ad Antiochenos testatur Athanasius, quod illic fusius agemus. Hilarius cum Athanasio epistolam claudit, addita salutatione: *Optamus, fratres, vos in Domino bene valere.*

**** Subscriptiones Sardicenses leguntur quoque apud Hilarium, post Epistolam ejus synodi ad Julium, longe inferiores numero. Athanasius quippe, non solum eos qui synodo interfuere, sed etiam alios qui postea ipsi subscripsere memorat. Hilarius vero ne quidem omnes qui Sardicæ congregati fuerant recenset.

forte quidam ex Oriente Episcopi 78.

rius, Palladius, Domitianus, Chalvis, Gerontius, Protasius, Eulogus, Porphyrius, Dioscorus, Zosimus, Januarius, Zosimus, Alexander, Eutychius, Socrates, Diodorus, Martyrius, Eutherius, Eucarpus, Athenodorus, Irenæus, Julianus, Alypius, Jonas, Aetius, Restitutus, Marcellinus, Aprianus, Vitalius, Valens, Hermogenes, Castus, Domitianus, Fortunatius, Marcus, Annianus, Heliodorus, Musæus, Asterius, Paregorius, Plutarchus Hymenæus, Athanasius, Lucius, Amantius, Arius, Asclepius, Dionysius, Maximus, Tryphon, Alexander, Antigonus, Ælianus, Petrus, Symphorus, Musonius, Eutychus, Philologius, Spudasius, Zosimus, Patricius, Adolius, Sapricius.

Ex Gallia 34.

Galliæ, Maximianus, Verissimus, Victurus, Valentinus, Desiderius, Eulogius, Sarbatius, Dyscolius, Superior, Mercurius, Declopetus, Eusebius, Severinus, Satyrus, Martinus, Paulus, Optatianus, Nicasius, Victor, Sempronius, Valerinus, Pacatus, Jesses, Ariston, Simplicius, Metianus, Amantus, Amillianus, Justinianus, Victorinus, Saturnilus, Abundantius, Donatianus, Maximus.

Ex Africa 36.

Africæ, Nessus, Gratus, Megasius, Coldæus, Rogatianus, Consortius, Rufinus, Manninus, Cessilianus, Herennianus, Marianus, Valerius, Dynamius, Myzonius, Justus, Celestinus, Cyprianus, Victor, Honoratus, Marinus, Pantagathus, Felix, Baudius, Liber, Capito, Minervalis, Cosmus, Victor, Hesperio, Felix, Severianus, Optantius, Hesperus, Fidentius, Salustius, Paschasius.

Ex Ægypto 94.

Ægypti, Liburnius, Amaotius, Felix, Ischyrammon, Romulus, Tiberinus, Consortius, Heraclides, Fortunatius, Dioscorus, Fortunatianus, Bastamon, Datyllus, Andreas, Serenus, Arius, Theodorus, Evagoras, Helias, Timotheus, Orion, Andronicus, Paphnutius, Hermias, Arabion, Psenosiris, Apollonius, Muis, * Sarapampon, Philon, Philippus, Apollonius, Paphnutius, Paulus, Dioscorus, Nilammon, Serenus, Aquila, Aotas, Harpocration, Isac, Theodorus, Apollos, Ammonianus, Nilus, Heraclius, Arion, Athas, Arsenius, Agathammon, Theon, Apollonius, Helias, Paninuthius, Andragathius, Nemesion, Serapion, ** Ammonius, Ammonius, Xenon, Gerontius, Quintus, Leonides, Sempronianus, Philon, Heraclides, Hieracys, Rufus, Pasophius, Macedonius, Apollodorus, Flavianus, Psaes, Syrus, Apphus, Serapion, Esaias, Paphnutius, Timotheus, Elurion, Gaius, Musæus, Pistus, Heraclammon, Hero, Helias, Anagamphus, Apollonius, Gaius, Philotas, Paulus, Tithoes, Eudæmon, Julius.

In Canali Italiæ 15.

In Canali Italiæ, Probatius, Viator, Facundinus, Joseph, Numedius, Sperantius, Severus, Heraclianus, Faustinus, Antooinus, Heraclius, Vitalius, Felix, Crispinus, Paulianus,

Cypri 12.

Cypri, Auxibius, Photius, Gerasius, Aphrodisius, Irenicus, Nunechius, Athanasius, Macedonius, Triphyllius, Spyridon, Norbanus, Sosicrates.

Palæstinæ 15.

Palæstinæ, Maximus, Aetius, Arius, Theodosius, Germanus, Silvanus, Paulus, Claudius, Patricius, Elpidius, Germanus, Eusebius, Zenobius, Paulus, Petrus.

*** Hi sunt igitur qui synodi decretis subscripsere. Exstantque alii permulti, qui etiam ante hanc synodum nostri gratia scripsere, ex Asia scilicet, Phrygia & Isauria, quorum nomina in propriis eorum epistolis circumferuntur, prope sexagiota tres, una omnes, trecenti quadraginta quatuor.

51. **** Horum certior factus Deo carissimus Imperator Constantius, nos accersivit, litterasque ad fratrem suum beatæ memoriæ Constantem misit, nobisque item semel, iterum atque tertio scripsit: his verbis.

CONSTANTIUS VICTOR

Augustus Athanasio.

Diutius te immanibus maris fluctibus procellisque jactari nostræ clementiæ humanitas non permisit; te scilicet patriis penatibus nudatum, tuisque spoliatum, in inviis ferarum locis errantem non neglexit indefessa nostra pietas. Nam etsi diu distuli mentis meæ propositum litteris tibi significare, eo quod te ultro accessurum, laboribusque tuis remedium rogaturum expectarem; tamen quia fortasse metus impedimento fuit ne propositum exsequerere tuum, ideo litteras munificentiæ nostræ plenissimas ad tuam constantiam misimus; ut absque metu quamprimum conspectui nostro te præsentem sistere cures, quo voti tui compos effectus, nostramque humanitatem expertus, tuis restituaris. Hac enim de causa Dominum meum & fratrem Constantem Victorem Augustum pro te rogavi, ut tibi veniendi daret facultatem, quo utriusque nostrum nutu patriæ restituaris, hocque gratiæ nostræ pignus assequare,

* *Sarapampon* mendose pro *Sarapammon*, nomine scilicet ex Serapide & Ammone composito, ut mos erat Ægyptiis. Videtur is ipse Serapammon esse qui Gregorio Alexandriæ pseudo-episcopo auctore in exsilium pulsus fertur in Epist. ad Solitarios.

** Duo Ammonii Ægyptii Episcopi ab Arianis vexati memorantur infra Epist. ad Solit. paulo ante finem.

*** Hi episcopi numero 284 non omnes synodo Sardicensi interfuere, ut supra testatur ipse Athanasius, sed synodi Sardicensis actis subscripsere. Ipse tamen Athanasius initio hujus Apologiæ plusquam trecentos episcopos Sardicensi synodo subscripsisse ait: quod argumentum sane fuerit non omnes hic recensitos fuisse. Et vero inter hos episcopos minime comparent Euphratas Coloniensis. & Marcellus Ancyranus, quos synodo interfuisse extra dubium est. Desiderantur item Olympius in xvii. Canone Sardicensi memoratus, & quidam alii qui in Hilarii subscriptionibus leguntur: nisi forte scriptorum errore varie iidem nominentur. Hinc palam est nonnullos in Athanasianis subscriptionibus omissos fuisse, quod in tanto numero fieri solet. Ex Athanasii loco hujus Apol. num. 1. male intellecto, Socrates & Sozomenus 300 circiter episcopos ex Occidente Sardicensi adfuisse synodo referunt, cum tamen Athanasius solum dicat, plusquam trecentos synodo subscripsisse. 250 episcopos synodo adfuisse testatur Theodoretus. 59 in Hilarii subscriptionibus leguntur. Sed Athanasius cum Orientales, tum Occidentales 170 vel circiter in Sardicensi synodo coactos ait in Epist. ad Solit. Ex quibus si demas 80 Orientales qui Sardica aufugientes Philippopoli convenere, 90 tantum supererunt, qui Sardicensi synodo interfuerint. Sed nihil certum in tanta auctorum varietate statui potest. Porro si 63 Episcopi qui ante synodum pro Athanasio scripsere, illis 284 qui synodo subscripsere annumerentur, 347 conficient, cum tamen Athanasius 344 tantum numeret. Sed vox *prope* ante 63 adhibita, minus accurate computatum denotat.

**** Quæ hic enarrantur duobus post celebratam synodum annis acta sunt anno scilicet 349 resque interim gestas prætermittit Athanasius.

Tres epistolæ sequentes apud Socratem & apud Nicephorum habentur. Secunda tantum apud Theodoretum: omnes in Histor. Tripart. lib. 4.

Epistola Secunda.

Etsi id in primis superioribus litteris significavimus, ut absque metu ad nostrum comitatum te conferres; quod summopere cupiamus te ad propria remittere, tamen etA iamnunc has litteras ad tuam constantiam misimus: quibus adhortamur, ut citra diffidentiam aut metum publica vehicula inscendas, & ad nos properes, ut optatis frui valeas.

Epistola Tertia.

Cum Edessæ degeremus, præsentibus tuis presbyteris, placuit ut misso ad te presbytero ad nostrum comitatum properares, ut ubi vultum nostrum conspexisses, quamprimum Alexandriam proficiscerere: sed quia multum temporis effluxit ex quo litteris nostris acceptis non venisti, eapropter te jam quoque impense hortamur, ut vel nunc saltem quam celerrime nobis te sistas, quo & patriæ restitui, & voti compos effici queas. Ut autem res tibi fusius & plenius enarretur, Achitam diaconum mi- simus, ex quo tibi ediscere licebit, & mentis nostræ propositum & te quæ optas assequi posse.

His igitur litteras scripsit Imperator: * quibus acB ceptis Romam redii, ecclesiæ & episcopo vale dicturus: nam Aquileiæ degebam, quo tempore mibi hæc scripta sunt. Tum ecclesia Romana ingenti gaudio perfusa est; Episcopus vero Julius reditui nostro congratulans, ad ecclesiam litteras misit. Nos autem deinceps quacumque transivimus, Episcopi cum pace deduxere. Litteræ autem istiusmodi sunt.

JULIUS PRESBYTERIS

Diaconis & populo Alexandriam incolenti.

52. Gratulor vobis, dilectissimi fratres, quod fructum fidei vestræ ob oculos demum conspicitis: illud enim ita revera se habere cuivis palam est in fratre & coepiscopo meo Athanasio, quem propter vitæ puritatem precesque vestras vobis Deus restituit. Ex quo sane animadvertere licet, vos semper puras & caritate plenas orationes Deo obtulisse. Memores quippe cælestium promissionum, necnon disciplinæ ad illas ducentis, in qua per doctrinam prædicti fratris mei instituti estis, revera nostis & per rectam vestram fidem comprehendistis, nequaquam illum a vobis perpetuo sejunctum fore, quem in piissimis vestris animabus semper quasi præsentem habuistis. Mihi itaque ad vos scribenti non multis opus est sermonibus. quæcumque enim vobis a me dicta fuerint, hæc vestra fides præoccupavit, perque Dei gratiam omnium nostrum explevit votum. Gratulor itaque vobis, libet enim repetere, quod in fide invictas servaveritis animas vestras. Nec minus ipsi Athanasio fratri meo gratulor, quod multas licet passus ærumnas, nulla tamen hora fuerit vestræ caritatis vestrique desiderii immemor. Nam tametsi corpore ad tempus abstrahi a vobis visus est, spiritu tamen indesinenter est vobiscum versatus. **

53. Redit igitur ad vos jam multo clarior, quam cum a vobis proficisceretur. Si enim pretiosa metalla aurum & argentum ad puritatem ignis probat, quid quis pro tanti viri dignitate dixerit, qui tot calamitatum periculis perfunctus vobis restituitur, purus innocensque, non nostro tantum, sed & totius Synodi judicio declaratus? *** Excipite igitur, dilecti fratres, cum omni secundum Deum gloria & lætitia, episcopum vestrum Athanasium, cum iis qui tot

C ejus laborum fuere consortes: & votorum compotes effecti, gaudete qui pastorem vestrum vestram pietatem (ut ita dicam) desiderantem sitientemque, salutaribus scriptis nutrivistis & potastis. Vos enim illi in extranea regione commoranti, consolationi fuistis: vos eum fidelissimis animabus mentibusque vestris in persecutione fovistis. Mihi certe jam volupe est, cogitanti & animo prævidenti, uniuscujusque vestrum in ejus reditu lætitiam, multitudinis piissimum occursum, gloriosamque con-
D currentium festivitatem. Quanta & qualis vobis illa futura dies est, qua & frater noster revertetur, & præcedentia mala cessabunt; cumque pretiosus ille optatissimusque reditus, omnes coaptabit in quandam plenissimi gaudii alacritatem? Hujusmodi sane gaudium maxima ex parte etiam ad nos usque pertingit, quibus a Deo id muneris concessum est, ut in tanti viri cognitionem veniremus. Par est igitur precando claudi epistolam. Deus o-
E mnipotens, & filius ejus Dominus & Salvator noster Jesus Christus perpetuam vobis conferat gratiam, præmiisque donet admirandam vestram fidem, quam erga episcopum vestrum præclaro testimonio exhibuistis; ut vobis vestrisque posteris, hic & in futuro sæculo, optima impertiat, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; quæ præparavit Deus diligentibus se, per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem omnipotenti Deo gloria in sæcula sæculorum. Amen.
F Valere vos in Domino exopto, fratres dilecti.

54. Cum his advenientem me Imperator perhumaniter intuitus, ad patriam ecclesiamque misit; cum his ad episcopos, presbyteros, & populos litteris.

* In Apologia ad Constantium testatur Athanasius se litteris ejus acceptis in Gallias ad Constantem Imperatorem iter instituisse; indeque Romam profectus videtur. Sed cum paucis res gestas enarret, multa silentio prætereit, quod in præcedentibus licet animadvertere.

** Post *vobiscum versatus* extant permultæ apud Socratem Athanasii laudes, quas ipse præ animi modestia videtur omisisse. Sed a loco integro referendo, prolixitatis vitandæ causa, supersedemus. Consulat Socratem cui visum fuerit.

*** Epiphanius Scholasticus hunc locum sic habet: *Suscipite sicut decet nunc, fratres charissimi, cum omni divino gratia pastorem vestrum, ac præsulem, tanquam vere Athanasium, cum his qui tantis laboribus ejus participes sunt effecti.* Quæ mox sequuntur autem *desiderantem sitientemque* vel alio modo legisse, vel male intellexisse videtur Epiphanius Schol. qui sic habet; *qui . . . . . esurivit atque sitivit.*

VICTOR CONSTANTIUS

Maximus, Augustus, episcopis & presbyteris catholicæ Ecclesiæ.

* NEQUAQUAM destitutus Dei gratia est reverendissimus Athanasius, sed licet ad breve tempus humanæ probationi subjectus fuerit; debitum tamen a providentia omnium rerum inspectrice retulit calculum, ac Dei voluntate nostroque judicio patriæ simul & ecclesiæ, cui divino nutu præsidebat, est restitutus. Hunc ipsum quæ consentanea erant par fuit a nostra humanitate consequi; ita ut quæcumque antehac contra illos qui cum eo communicabant decreta sunt, jam oblivioni tradantur, omnisque adversus illos suspicio in posterum desinat: & immunitas, qua clerici qui cum eo sunt olim fruebantur, illis ut decet confirmetur. Quin & illud gratiæ adjiciendum arbitrati sumus, ut omnes qui in sacro catalogo descripti sunt certiores fiant, securitatem esse datam cunctis sive episcopis sive clericis, qui ipsi adhæserint. Recti namque uniuscujusque propositi idoneum illud erit argumentum, si Athanasio junctus fuerit. Quicumque enim meliori judicio & sorte ejus communionem cooptarint, hos omnes ad similitudinem superioris providentiæ jussimus, ut gratia a nobis, juxta Dei voluntatem, impertita fruantur. Deus vos conservet.

EPISTOLA SECUNDA.

Victor Constantius, Maximus, Augustus, Alexandrino catholicæ Ecclesiæ populo.

55. CUM in proposito nobis sit vestra in omnibus tranquillitas, & probe sciamus vos diu fuisse episcopi vestri providentia destitutos, Athanasium episcopum, virum apud omnes ob insitam æquitatem morumque probitatem notum, rursum ad vos mittere æquum censuimus. Hunc cum vestro more & prout convenit receperitis, vestrarumque ad Deum precum auxiliatorem constitueritis, concordiam & pacem perpetuam vobis congruentem nobisque gratissimam, juxta ecclesiæ legem, curetis perpetuo servare. Neque enim par est discordiam apud vos aut seditionem quampiam moveri, quod alienum est a nostrorum temporum felicitate. Hoc sane vitii a vobis prorsus abesse volumus, cohortamurque ut illo patrono adjutoreque in consuetis orationibus vestris, uti supra diximus, perpetuo apud Deum utamini; quo scilicet hujusmodi proposito vestro ex omnium votis procedente, Gentiles illi qui idolorum erroribus etiamnum inhærent, ad sacræ religionis cognitionem, dilecti mei, alacrius properent. Quamobrem vos iterum monemus, ut in prædictis perseveretis: Episcopum vero qui Dei sententia nostroque decreto ad vos missus est, libenter recipiatis, & tota anima, tota mente amplectendum existimetis: illud enim & vos decet, & clementiæ nostræ convenire constat. Nam ut omnis perturbationis & seditionis occasio malitiosis hominibus auferatur, judicibus qui apud vos sunt litteris nostris præcepimus, ut quotquot seditiosos esse compererint, legum subjiciant ultioni. Utrumque igitur præ oculis habentes, cum nostram Deique sententiam, tum curam vestri vestræque concordiæ, necnon pœnam improbis constitutam; date operam ut quæ sunt sacræ religionis legibus congrua & accommodata custodientes, supra dictum virum omni reverentia & honore prosequamini, vestrasque preces una cum illo, pro vobis & pro recta totius vitæ institutione, universorum Patri Deo offerre curetis.

56. Hæc cum scripsisset, jussit quæcumque a se, Eusebii calumniis inducto, adversum me dudum scripta essent, abrogari & ex commentariis Ducis & Præfecti Ægypti aboleri: missusque Eumesebius Decurio ea abrasit ex tabulis. Rescriptum autem sic habet.

VICTOR CONSTANTIUS

AUGUSTUS NESTORIO.

Ac sub eadem forma, Augustamnicæ, Thebaidis & Libyarum Præfectis.

SI quid hactenus ad damnum contumeliamve eorum qui cum Athanasio episcopo communicaverunt, decretum repertum fuerit, id jam volumus deleri. Placet enim quam immunitatem antehac ejus clerici habuerunt, ut eadem iterum fruantur. Hoc autem nostrum decretum observari jubemus; ut Athanasio ecclesiæ suæ restituto, qui cum eo communicant eadem gaudeant immunitate quam semper habuere, & qua ceteri fruuntur clerici; ut idipsum consequuti gaudeant.

57. Sic igitur dimissus, dum Syriam peragrarem ** episcopos Palæstinæ offendi, qui synodo Hierosolymis coacta nos perhumaniter exceperunt, & cum pace dimiserunt: datis ad ecclesiam & episcopos litteris hujusmodi.

* Hæ item Epistolæ Constantii, apud Socratem lib. 2. & apud Niceph. habentur, necnon in Historia Tripartita.

** Auctor est Socrates Maximum Hierosolymitanum quosdam episcopos accivisse, quorum suffragio Athanasius ad communionem & ad pristinam dignitatem restitueretur. Ipse vero Athanasius Epist. ad Solit. ait se a Palæstinis & Syriis episcopis receptum esse, duobus vel tribus exceptis. subjadicare videtur Acacium Cæsariensem, & Patrophilum Scythopolitanum Episcopos Arianis addictissimos.

SAN-

SANCTA SYNODUS

Jerosolymis congregata, omnibus Ægypti & Libyarum comministris, ac presbyteris, diaconis, populoque Alexandriæ, dilectis, & desideratissimis fratribus, in Domino salutem.

A DIGNAS universorum Deo gratias agere non valemus, dilecti, de miraculis quæ ubique operatus est, & jam potissimum erga vestram ecclesiam, quando pastorem & Dominum vestrum comministrumque nostrum Athanasium vobis restituit. Quis enim speravit unquam ea se oculis visurum, quæ jam vos reipsa consequimini? Certe preces vestræ exauditæ sunt a rerum omnium Deo, qui ecclesiam curat suam, qui vestras lacrymas respicit vestrosque gemitus; ideoque vestras exaudivit obsecrationes. Eratis enim instar ovium abjectarum vexatarumque nec habentium pastorem: B idcirco ad vos de cælo respexit verus pastor, qui suarum ovium sollicitudinem gerit, virumque vobis restituit peroptatissimum. Ecce enim nos qui nihil ecclesiasticæ pacis causa non agimus, quippe cum vestra dilectione conspiramus, priores illum amplexi sumus, perque illum vobiscum communicantes, has ad vos mittimus salutationes, nostrasque gratiarum actionis orationes; ut cognoscatis nos caritatis vinculo illi esse conjunctos. Vestri autem C officii est pro pietate religiosissimorum Imperatorum orare, qui & ipsi compertum habentes cum vestrum erga illum amorem, tum ejus innocentiam, ipsum vobis omni cum honore restitui voluerunt. Suspinis igitur eum manibus excipientes, gratiarum actionis preces Deo horum vobis bonorum auctore studeatis offerre, ut semper cum Deo gaudeatis, ac celebretis Dominum nostrum, in Christo Jesu Domino nostro, per quem Patri gloria in sæcula. Amen.

* Eorum autem qui subscripsere nomina, tametsi supra retuli, hic quoque scribenda duxi: sunt enim, Maximus, Aetius, Arius, Theodorus, Germanus, Silvanus, Paulus, Patricius, Elpidius, Germanus, Eusebius, Zenobius, Paulus, Macrinus, Petrus, Claudius.

58. Hæc cum viderent Ursacius & Valens, sua se damnante conscientia, Romam sunt profecti, peccatumque suum pœnitentia ducti confessi sunt, ac veniam postularunt, Julioque Romæ veteris Episcopo, itemque nobis hæc scripserunt: quorum exemplaria mihi sunt a Paulino Trevirorum episcopo transmissa.

** INTERPRETATIO

Ex Latino textu Epistolæ ad Julium Papam de pœnitentia Ursacii & Valentis.

Domino Beatissimo Papæ Julio Valens & Ursacius.

Contextus Latinus ex Hilarii fragmentis desumtus.

QUONIAM constat nos antehac multa gravia de nomine Athanasii episcopi litteris nostris insinuasse, atque litteris Sanctitatis tuæ con- D venti, ejus rei de qua significavimus, non præstitisse rationem: profitemur apud sanctitatem tuam, cunctis præsentibus presbyteris fratribus nostris, omnia quæ antehac ad aures nostras pervenerunt de nomine prædicti, falsa nobis esse insinuata, atque omnibus viribus carere: atque ideo nos libentissime amplecti communionem prædicti Athanasii, maxime cum sanctitas tua, pro insita sibi benevolentia, errori nostro veniam fuerit dare dignata. Profitemur etiam, quod si aliquando nos Orienta- E les voluerint, vel idem *** Athanasius malo animo ad causam vocare, citra conscientiam tuam non adfuturos. Hæreticum vero Arium sed & satellites ejus, qui dicunt: Erat tempus quando non erat filius, & qui dicunt ex nihilo Filium, & qui negant **** Dei filium ante sæcula fuisse, sicut per priorem ***** libellum nostrum quem apud Mediolanum porreximus, & nunc & semper anathematizasse. Hæc manu nostra qua scripsimus profitemur & iterum dicimus, hæresim Arianam, ut superius diximus, & ejus auctores in perpetuum damnasse. Et manu Ursacii: Ego Ursacius Episcopus huic professioni nostræ subscripsi. (similiter & Valens.)

DOMINO

Et Fratri Athanasio Ursacius & Valens.

Contextus ex Hilario desumtus.

DEDIT se occasio fratris & compresbyteri nostri Moysetis venientis ad tuam dilectionem, frater carissime, per quem tibi salutem largissimam dicimus ex Aquilejensium civi- F tate, & optamus ut incolumis litteras nostras recenseas. Dederis enim fiduciam si tu quoque rescribendo vicem nobis rependas. Sane habere nos locum tecum & communionem ecclesiasticam

* Hæc nomina habentur supra in subscriptionibus Sardicensibus, sed qui hic *Theodorus*, illic *Theodosius* forsan nuncupatur. Desuntque ibidem, Macrinus & Claudius. De Aetio autem Lyddensi, qui secundus hic legitur, ait Philostorgius, Aetium Episcopum Palæstinæ, qui fornicationis reus delatus fuerat, cum per communionem cum Athanasio illud probrum occultare vellet, ad ejus sententiam se transtulisse, eumdem tamen brevi pœnas dedisse, tabefactus ac vermes emittentibus genitalibus: & ita obiisse. Quæ cum a Philostorgio solum enarrentur, sint penes fidem auctoris.

** Cum duæ epistolæ sequentes Latine primum editæ sint ut habentur apud Hilarium, eas inde transcribere visum est.

*** Hæc eo ajunt Ursacius & Valens, quia cum Athanasii erga se animum nondum exploratum haberent, verebantur ne, vel ab Athanasio, vel ab aliis Orientalibus de structa a se calumnia in judicium vocarentur.

**** Legisse videtur Athanasius: *& qui negant Christum Deum esse Dei filium ante sæcula.*

***** Hic libellus ab Ursacio & Valente in synodo Mediolanensi anni 349. est oblatus. Quod ad synodum Mediolanensem anni 347. adversus Photinum coactam referre nequidquam conati sunt eruditi quidam viri. Eo enim anno potiore loco Ursacii, Valentis & Arianorum res fuere, quam ut ad hanc necessitatem sint adacti, quippe qui eo ipso anno synodum Philippopoli celebrarint, qua soluta ingentem in Catholicos persequutionem Constantii ope freti excitarint. Quæ res quia in Hilarii editione a nostris adornata fuse pertractata fuit, non ulterius hic indagabitur.

his litteris scito. Divina pietas te custodiat, frater.

Hæ sunt illæ litteræ: hoc fuit episcoporum suffragium judiciumque nostri causa datum. Quo autem palam fiat eos non gratia quadam, non necessitate aut vi inductos esse ad hæc agendum, libet cum vestra bona venia rem altius ab exordio enarrare; ut cognoscatis episcopos æqui bonique studio talia conscripsisse, Valentem vero Ursaciumque, quantumvis sero, veritatem tamen esse confessos.

SECUNDA PARS APOLOGIÆ.

59. Petrus apud nos ante persequutionem episcopus, in persequutione martyr occubuit. Hic Meletium * qui episcopus in Ægypto erat, plurimorum convictum scelerum, ac potissimum quod immolasset idolis, in communi episcoporum synodo deposuit. Meletius vero neque ad aliam confugit synodum, neque curavit apud posteros sese purgare: sed schismatis auctor fuit. Hincque factum ut ejus sectatores hactenus pro Christianis Meletiani audiant. Statimque ille episcopos maledictis cœpit incessere; primo quidem ipsum Petrum, dehinc Achillam calumniatus est, & post Achillam, Alexandrum. Hoc autem Absalonis imitatus exemplum, callide est aggressus, eo nempe animo, ut quandoquidem depositio ignominiam inurebat, calumniis saltem suis simpliciores posset circumvenire. Interim, Meletio hæc agente, Ariana exorta est hæresis: sed in Nicæna synodo, ipsa quidem hæresis anathemate damnata, Arianique rejecti, Meletiani vero ** aliquo modo recepti sunt: neque jam necessum est ejus rei proferre causam. Mensibus quinque nondum exactis, obiit beatæ memoriæ Alexander: Meletiani vero quos quiescere par erat, & gratiæ loco habere, quod aliqua saltem ratione in Ecclesiam essent admissi, more canum non obliti vomitum suum, iterum perturbabant ecclesias. Quapropter Eusebius, re cognita, cum esset ipse Arianæ hæreseos patronus, mittit ad Meletianos, quos magnis sibi pollicitationibus devincit; initaque cum illis clanculum amicitia, negotium constituit sibi opportuno tempore gerendum. Principio quidem, missis ad me litteris cohortabatur, ut reciperem Arianos, ita tamen ut verbis non scriptis minaretur, scripto rogaret. Me autem repugnante, ac respondente minime recipiendos esse hæreseos inventores, ac veritati infensos homines, anathemateque damnatos ab œcumenica synodo; Imperatori beatæ memoriæ Constantino auctor fuit, ut mihi rescriberet, interminatus ni Arianos admitterem ad communionem, me iis affectum iri malis, quibus & jam olim *** & haud ita pridem sum affectus. Ecce partem epistolæ, quam detulere Syncletius & Gaudentius Palatini.

**** PARS EPISTOLÆ

Imperatoris Constantini.

Cum igitur voluntatem meam compertam habeas, omnibus qui in Ecclesiam admitti expetunt, absque impedimento ingressum præbeto. Si quos autem Ecclesiæ sociari cupientes te prohibuisse, aut illis aditum interclusisse didicero; mittam quamprimum qui te jussu meo abdicet, & e sedibus transferat tuis.

60. Cum tamen litteris meis Imperatori suasissem, nullam debere hæresi Christo adversanti cum catholica Ecclesia esse communionem; tum demum tempus quo de cum Meletianis convenerat se nactum ostendens Eusebius, missis ad eos litteris, auctor fuit, ut novo commento usi, paria iis quæ olim fuerant contra Petrum, Achillam, & Alexandrum moliti, jam adversum nos excogitarent & undique pervulgarent. Multis igitur conquisitis, cum nihil invenissent, Eusebii tandem consilio hanc priorem, ***** Isionis, Eudæmonis & Callinici opera, confingunt criminationem; de lineis nempe sticchariis, quasi ego legem Ægyptiis dedissem, ac ea primus exegissem ab illis. At cum ex presbyteris nostris illic tum repertis rei veritatem didicisset Imperator, eorum deprehensa calumnia est, erantque presbyteri illi ****** Apis & Macarius. Porro Imperator litteras misit, quibus Isionis factum damnans, nos præcepit sese adire. Hæ sunt autem illæ litteræ. *******

Prima calumnia a Meletianis in Athanasium conflata.

* * * * * * * * * * *

Eusebius re comperta suadet illis, ut ne isthinc secedant. Cumque advenissem, Macarium denuo de confracto calice insimulant: mihique haud levem, imo omnium atrocissimam imposuere calumniam; quod scilicet Imperatori adversatus, scrinium missisem auri plenum cuidam Philumeno. Verum ubi nos Imperator hanc quoque calumniam confutantes ******** Psammathiæ audisset, illi de more falsi convicti, expulsi sunt. Nobis autem redeuntibus, has Imperator ad populos dedit litteras.

Secunda eorundem calumnia.

CON-

* Cadit juxta Athanasium Meletiani exordium schismatis in annum 301. vel 302: ait enim ipse in epistola ad episcopos Ægypti & Libyæ anno 356. conscripta, Meletianos ante annos 55. schismaticos evasisse. Secus tamen existimarunt Baronius aliique, qui cum eam epistolam ad annum 361. referant, Meletiani schismatis initio annum 306. consequenter assignant. Sed eam ipsam epistolam certissime ad annum 356. pertinere in Monito ad eandem palam faciemus. Nonnihil tamen negotii faciant Socratis verba, qui ait Meletium persequutionis tempore idolis immolasse: cum enim persequutio anno 303. grassari cœperit, non potuit Meletius ob illud flagitii, persequutionis hujus tempore commissi, anno 301. abdicari, & schisma efficere. Verum cum Socrates hanc historiam ex Athanasio fere ad verbum sit mutuatus, videtur sane illud, *in persequutione* quod ille de Meletio loquens ait, suo marte addidisse: alias enim sæpissime Athanasii sententiam referens, ab Athanasii scopo non parum aberrat. Nihil tamen repugnat Meletium ante annum 301. idolis immolasse, licet enim ingens illa persequutio nondum cœpisset: attamen quavis minima data occasione, certis in locis, persequutio in quosdam concitabatur.

Quæ autem Epiphanius enarrat de Meletiani schismatis origine Hæresi 68. a Meletiano quodam mutuatus creditur; Meletii enim magis quam Petri partibus addictus videtur, & ab Athanasii historia penitus abhorret: hincque minoris est fidei.

** Quibusnam conditionibus Meletiani sint in Ecclesiæ communionem admissi, narrat epistola Nicænæ synodi apud Socratem l. 1. c. 9. Meletio scilicet episcopi nomen fuit concessum, ita tamen ut is omnibus episcopi functionibus sit interdictus. Qui vero a Meletio ordinati fuerant, ad communionem & ad reliqua sui ordinis ministeria obeunda recepti sunt, ea lege, ut in unaquaque Parœcia, vel Ecclesia, secundo loco essent ab iis quos Alexander ordinasset; adeo tamen ut episcopi Alexandro subjecti injussu nullam ordinationem, aut aliud quodcumque ad ecclesiæ regimen spectans aggrederentur.

*** His indicat Athanasius primum sui exsilium in Galliis, ac secundum quo post Gregorii intrusionem septem annos extorris fuit. Et τῷ *haud ita pridem* innuit se non diu post suum ex secundo exsilio reditum hanc apologiam scripsisse; ut in Admonitione diximus.

**** Hoc epistolæ Constantini fragmentum habetur item apud Socr. lib. 1. cap. 27. & apud Sozomenum lib. 2. c. 22. qui ex Athanasio complurima quæ ibidem adferunt acceperunt.

***** In Meletii breviario nominantur Ision Athribeos, Eudæmon Taneos, & Callinicus Pelusii episcopi Meletiani, qui videntur iidem ipsi esse qui hic memorantur. Paulopost *de lineis nempe sticchariis*, vestes quæ episcopis, presbyteris, diaconis & subdiaconis usui erant. Lineas fuisse cum Athanasio ajunt Socrates & Sozomenus. De his fuse Cangius in Gloss. mediæ & inf. Græc.

****** Hic Apis, Ἄλυπος a Socrate vocatur, lib. 1. c. 27.

******* Hæc Constantini epistola amanuensium negligentia excidit.

******** Psammathia erat suburbium Nicomediæ. Theodoretus hæc Constantinopoli gesta enarrat, lib. 1. cap. 26. sed fide dignior Athanasius.

CONSTANTINUS MAXIMUS

Augustus populo Alexandrino catholicæ Ecclesiæ.

61. DILECTI fratres, saluto vos, Deum invocans maximum voluntatis meæ testem, nostræque legis unigenitum creatorem, qui in omnium vitam dominatum obtinet, & discordias odit. Verum quid dicam? an scilicet nos bene valere? sed multo feliciori sanitate frui liceret, si vos mutuo depositis odiis amaretis: quo factum est ut contentiosorum hominum procellis dilectionis reliquerimus portum. O rem absurdam! quanti quotidie casus per tumultuosam invidiam excitantur! Sic est ad Dei populum infamia translata. Quorsum igitur justitiæ recessit fides, cum tanta tenebrarum caligine B involvamur; non solum per varie implicatum errorem, sed etiam per ingratorum hominum vitia, dum & stultitiæ fautores toleramus, & eos qui æquitatem veritatemque profligant animadvertentes, negligimus tamen? Quænam illa tanta perversitas nostra? Inimicos non confutamus, sed latrocinium sectamur: quo perniciosissima fraus, nemine repugnante, sibi facillime viam paravit. Nullusne tandem sensus est, ne saltem communis omnium naturæ gratia si quidem legis præcepta contemsimus? Sed dicet quispiam, illa saltem dilectio quæ secundum naturam est invenitur. Quid ergo, nosne qui & Dei C lege, & bona indole instructi sumus tumultum & perturbationem inimicorum tolerabimus, qui quasi facibus omnia incendunt? nec tamen videmus licet oculis præditi, neque sentimus, licet legis sensibus undique circumsepti. Quantus igitur stupor vitam nostram apprehendit, quando nos ipsos ita negligimus, licet hæc nos Deus moneat? Nonne malum illud intolerabile est? nonne hostes hi sunt existimandi, potius quam domus & populus Dei? In nos debacchantur sceleratissimi illi, nosque insimulant atque ex adversis partibus nos insectantur.

62. Quanta autem cum amentia hoc agant, vos ipsos cogitare rogo. Stulti enim in lingua sua sitam habent malitiam. Hi ergo plumbeas iras circumferunt, ut se invicem feriant, nosque secum abducant ad supplicii sui auctarium. Interim qui recta docet, hostis judicatur: qui autem invidiæ vitium præ se fert, is populum mansuetum contra jus fasque invadit, devastat, absumit, ac sibi ipsi in malis complacet, sese laudibus ornat & concinnat: veritatem autem subvertit, fidemque fallit donec conscientiæ suæ antrum & latibulum conquisitum nactus sit. Ipsa igitur ingenii pravitas illos miseros efficit, dum pe- E tulanter, indigni licet, seipsos laudibus efferunt, ajuntque: proh facinus! ille senior est, & ille puer; ad me honor adtinet, mihi debetur, ab illo ablatus est: ego quippe, omnibus ad meas partes abreptis, cum potestate disperdere aggrediar. Præclara sane insaniæ exclamatio: cohortes utique, conventus, aut, ut ita dicam, remigum principatus, apud improborum illorum cœtus videre est. O nostram absurditatem, si ita fari liceat! In Ecclesiæ Dei stultitiæ habetur spectaculum? num non e- A rubescunt? num seipsi non objurgant, nec moventur animis, ut nunc saltem contra fraudem & contentionem dignum aliquid sentire videantur? At illi sola invidiæ vi utuntur suis veneficiis subnixa. Sed nihil scelerati illi adversus episcopum vestrum potuerunt perficere. Mihi credite, fratres, nihil aliud satagunt, quam ut cum nostra tempora malis oppresserint, nullum sibi in hac vita relinquant pœnitentiæ locum. Vobis igitur ipsis ferte opem; obtestor vos, amorem nostrum diligite, totisque viribus eos abigite qui nostræ concordiæ gratiam cupiunt abolere; Deumque præ oculis habentes, vos invicem diligite. Ego enim episcopum vestrum Athanasium excepi perhumaniter, eumque sic sum allocutus, ut qui illum Dei hominem esse persuasum haberem. Vestrum est hæc intelligere, nec meum est ea de re ferre judicium. Meam autem salutationem ut ipse reverendissimus Athanasius vobis renuntiaret consentaneum duxi: æquitatis illius sedulitatem animo perpendens, quæ modo pacificæ fidei meæ non indigno, in salutaris doctrinæ bono semper continetur, quæque ad vos de officio monendos erit comparata. Deus vos conservet, dilecti fratres. Hæc Constantinus.

63. His ita gestis, cum aliquanto tempore quievissent Meletiani, denuo concitantur: curantesque ut iis qui se mercede conduxerant pergratum facerent, hoc demum ineunt consilium. Mareotes regio quædam Alexandrina est, quam Meletius in schisma deducere nequidquam tentavit. Cum igitur ecclesiæ definitis in locis essent, presbyteris omnibus conventus in iisdem ecclesiis agentibus populisque in pace degentibus; quidam Ischyras nomine, non clericus, sed & moribus improbus, sui pagi incolas in errorem impellere conabatur, dum sese jactitaret esse clericum. D Id cum comperisset locorum presbyter, mihi ecclesias perlustranti rem denuntiat: quæ causa fuit ut una cum illo Macarium presbyterum mitterem ad Ischyram accersendum: quem cum ægrum inque cubiculo decumbentem reperissent, patri ejus injunxere, ut filium a tali facinore prohiberet, quale adversus eum fuerat delatum. At ille morbo levatus cum esset, a suis & a patre ipso, quominus id ageret, prohibitus confugit ad Meletianos: qui inita cum Eusebianis societate, hanc una omnes confinxere criminationem; quod scilicet Macarius calicem confregisset, Arseniusque episcopus a nobis esset interemtus. Quin etiam Arsenium occultarunt, ut qui nusquam compareret, crederetur interfectus. Truncam item manum circumferebant, quasi is fuisset membratim concisus. Ischyram vero, quem ne norant quidem, presbyterum circumquaque prædicare cœperunt, ut de calice loquenti decipiendi esset facultas. Ischyras igitur a suis objurgatus, ad nos collacrymans accessit; nihil tale inquiens a Macario commissum, quale illi pervulgarant, sed se subornatum a Meletianis fuisse, ad illam criminationem comminiscendam. Hoc autem rescriptum dedit.

Tertia Meletianorum calumnia de calice fracto.

BEA-

BEATO PAPÆ ATHANASIO

Iſchyras in Domino ſalutem.

64. QUANDOQUIDEM me, Domine Epiſcope, te adeuntem, ut in Eccleſiam reciperer, objurgaſti ob res antehac a me delatas, quaſi id eſſem meopte conſilio aggreſſus; Idcirco mei purgandi cauſa hoc tibi trado reſcriptum; ut compertum habeas, vim * mihi illatam plagaſque ab Iſaaco, Heraclide, Iſaaco Letus eorumque ſociis, inflictas eſſe. Ego ſane, Deo in teſtem adhibito, hoc ad tui defenſionem declaro, me probe ſcire te nihil eorum perpetraſſe, quæ illi a te commiſſa jactitant. Nulla enim calicis confractio, nulla exſtitit ſacræ menſæ ſubverſio: ſed me iidem, vi illata, ad hæc omnia dicenda compulere. Porro hæc ideo ad defenſionem protuli, ac ſcripto mandavi; quod ſummopere expetam poſtulemque, ut mihi conventibus liceat intereſſe tuis. Te in Domino valere exnpto: Hoc autem chirographum meum tibi Athanaſio epiſcopo tradidi coram presbyteris Ammona Dicellæ, Heraclio Phaſcl, Boccone Chenebri, Achilla Myrſines, Didymo Taphoſireos, & Juſto a Bomotheo: & Diaconis, Alexandrinis, Paulo, Petro, & Olympio: Mareoticis, Ammonio, Piſto, Demetrio, & Gaio.

65. Hoc ubi reſcriptum Iſchyras dediſſet, nihilo tamen minus eam denuo ubique pervulgant criminationem, ad ipſumque detulerunt Imperatorem Conſtantinum, qui jam pridem accuſationem de confracto Calice Pſammathiæ nobis præſentibus audierat, & ioimicorum deprehenderat calumniam. Tum vero litteras Antiochiam ad Dalmatium * Cenſorem miſit: A cui homicidii cauſam audiendam committebat. Cenſor autem ſcripto mihi ſignificavit, ut me adornarem ad eam depellendam criminationem. Hujus ego litteris acceptis, licet initio rem nihil curarem, quod eos in nullo vere dicere mihi conſcius eſſem; attamen cum Imperator commotus eſſet, ad comminiſtros meos Ægyptios reſcripſi, diaconumque miſi, ut certior fierem de Arſenio, quem a quinque vel ſex annis non videram. Arſenium, ne fuſius illa proſequar, deliteſcere compertum eſt: eum namque primo quidem io Ægypto, dehinc Tyri latentem noſtri Invenere. Quodque permirum habeatur, ne depre- B henſus quidem ſe Arſenium eſſe faſſus eſt, donec io jus vocatus, a Paulo tunc Tyri epiſcopo convinceretur: dehinc enim præ pudore idipſum negare non eſt auſus. Hoc autem pacti cum Euſebio initi ſervandi cauſa agebat, ne ſe deprehenſo, tota evaneſceret fabula, quod & accidit. Imperatori enim cum litteris indicaſſem repertum Arſenium fuiſſe, in memoriamque revocaſſem quæ de Macario presbytero ipſe Pſammathiæ audiſſet; judicio ille Cenſoris inhibito, litteras miſit, quibus damnata adverſariorum noſtrorum ſycophantia, Euſebium & aſſeclas io Orientem nobis adverſandi ſtudio properantes, retrogre- C di juſſit. Porro quod me de peremto Arſenlo inſimularint; ut ne multorum epiſtolis bujus rei fidem facientibus utar; unam ſufficlt Alexandri Theſſalonicæ epiſcopi proferre: ex qua de aliorum item epiſtolis quiſque valeat dijudicare. Is ergo cum probe ſciret quam multa ** Archaph, qui & Joannes, adverſum nos ſparſiſſet, didiciſſetque in vivis eſſe Arſenium, hæc ſcripſit.

DOMINO DILECTO FILIO

Et unanimi comminiſtro Athanaſio Alexander Epiſcopus in Domino ſalutem.

66. CONGRATULOR optimo Sarapioni qui tanto ſtudio contendit ſeſe ſacris ornare moribus, quippe patris memoriæ laudem in dies conci-
Eccli. 30. 4. liat. *Mortuus eſt enim*, ait quodam io loco ſacra Scriptura, *pater ejus, & quaſi non eſt mortuus*, vitæ namque ſuæ monimentum reliquit. Quo autem affecti fuerimus animo erga Sozontem, memoriæ dignum virum, non ignoras, Domine, qui cum ſacram ejuſdem viri memoriam, tum inſitam adoleſcentis animo modeſtiam probe noſcis. Unam hanc a tua reverentia epiſtolam, adoleſcentis ipſius manu accepi. Hoc ipſum igitur tibi indicandum putavi, ut notum tibi eſſet, Domine. Dilectus noſter condiaconuſque Macarius me ſummopere oblectavit, cum litteris ſuis D mihi Conſtantlnopoli tranſmiſſis ſignificavit, quam turpiter Archaph ſycophanta ſit deprehenſus: quod virum qui in vivis eſſet, quaſi interfectum ubique pervulgaſſet. Illum autem condigna ſuis ſceleribus pœna a juſto judice cum ſocia ſibi cohorte multatum iri, Scripturæ prædicant mentiri neſciæ. Univerſorum Dominus te quam diutiſſime conſervet, Domine erga omnes manſuetiſſime.

67. Idcirco autem delituiſſe Arſenlum, ut illum necatum inſimularent, teſtes ſunt qul cum E eo tum verſabantur. Perquiſitum enim illum cum tandem reperiſſemus, ea de re Pinnes ad Joannem hujuſmodi ſycophantiæ hiſtrionem reſcripſit, his verbis.

* Hunc Dalmatium Cenſorem Conſtantii patrualem ἀνεψιὸν fuiſſe ait Socrates lib. 1. c. 27. filium ſcilicet Dalmatii fratris Conſtantini Magni. Sed erraſſe Socratem contendit Valeſius, qui hunc Dalmatium patrem fuiſſe autumat. Dalmatium enim filium, qui poſtea Cæſar appellatus eſt, tenera tunc ætate fuiſſe, ac Narbonæ humanis litteris operam dediſſe probat ex Auſonio, lib. de profeſſoribus Burdigalenſibus.

** Joannes Archaph. Is eſt qui epiſcopus Memphitanus dicitur in Breviario Meletii infra.

DILECTO FRATRI JOANNI

Pinnes Presbyter Monasterii Ptemencyrceos in Anteopolite nomo salutem.

SCIRE te volo Athanasium in Thebaidem diaconum misisse suum, qui omnia Arsenii conquirendi causa perscrutaretur. Ii vero quos primum offendit, Pecysius nempe presbyter, Silvanus Heliæ frater, Tapenacerameus & Paulus Hypseles Monachus, apud nos Arsenium esse confessi sunt. Nos autem re comperta, illum in naviculam conjici curavimus, ut ad inferiores partes una cum Helia Monacho aveheretur. Post hæc Diaconus cum quibusdam reversus, derepente in Monasterium nostrum quærendi Arseoii causa sese immisit: quem quod, uti supra diximus, in inferiores partes transmisissemus, nequaquam invenere. Me autem cum * Helia monacho qui illum secum assumserat, Alexandriam deportatum Duci obtulere: ibi cum nulla negandi esset facultas, confessus sum illum vivere, ac minime fuisse peremtum: quod item fassus est Monachus qui Arseoium avehendum susceperat. Hæc te mooitum volui, Pater, ne Athanasium accusare aggrediaris. Dixi enim illum vivere, & apud nos delituisse; resque tota in Ægypto percrebuit, ut ne ultra celari queat. Paphnutius ejusdem monasterii monachus, qui hanc epistolam scripsi, plurimum te salutans valere exopto.

Litteræ autem quas Imperator scripsit, certior factus Arsenium in vivis esse, hujusmodi sunt.

VICTOR CONSTANTINUS

Maximus, Augustus, Papæ Athanasio.

68. LITTERIS tuæ prudentiæ perlectis, id animi fuit, ut vicissim litteris ad tuam constantiam missis, te cohortarer, ut populum Dei ad tranquillitatem & misericordiam traducere cures. Hæc enim cum primis animo inhærent meo, veritatem colere, in mente justitiam semper conservare, iisque potissimum gaudere qui recta vitæ gradiuntur via. De illis autem omni exsecratione dignis, Meletianis scilicet improbissimis ac nefariis hominibus, qui stupore demum perculsi obtorpuere, quique per invidiam, perturbationem atque tumultum absurdas res movent, nefariamque suam mentem demonstrant, hæc eloquar. Vides eoim quos illi viros gladio interemtos, jactitabant, eosdem in medio nunc versari, ac vita perfrui. Et vero quod gravius, quod ita perspicuum manifestumque in eorum causa adferatur præjudicium, quam quod illi vivant vitaque fruantur, quos illi interfectos ajebant: quibus scilicet pro seipsis loquendi facultas erit? Præter hæc, ea quoque fuit eorumdem Meletianorum calumnia, ut affirmarent te nefario impetu irruisse, ac poculum in sanctissimo loco positum raptum confregisse: quo facinore nullum revera gravius crimen esset, nec tam ingens flagitium; si tamen sic actum & peccatum fuisset. Sed quænam illa accusatio? quæ isthæc transitio & rei varietas, ut nunc ad aliam personam hanc ipsam accusationem transferant? Res ipsa luce, ut ita dicam, lucidior est, ipsos nimirum prudentiæ tuæ insidias paravisse. Quis postea istos homines, qui tanta ad damnum aliorum confingere non dubitarunt, consectari voluerit; cum maxime semetipsi in ruinam deducant, & probe noscant se confictas mendacesque accusationes proferre? Quisnam illos sectatus fuerit, uti jam dictum est, in exitiique viam præceps abierit, in quam scilicet illi soli totam salutis auxiliique spem constituere videotur? si enim velint ad puram conscieotiam accedere, optimæ sententiæ memioisse, ad sanamque mentem reduci; facile intelligent, nullam sibi opem a providentia exspectandam esse, ejusmodi rerum æmulatores cum sint, & ad perniciem hæc moliantur suam. Hoc igitur noo duritiem quamdam, sed veritatem esse jure dixerim. Postremo illud quoque adjiciendum, velle nos plerumque a tua prudentia hæc palam legi; ut hinc notum omnibus sit, ac potissimum hujusmodi facinorum motuumque auctoribus; quæ nos ad æquitatis normam eloquimur, ab ipsa veritate declarari. Tanta ergo cum sit hoc in negotio indignitas, certo sciant me ita judicasse, & hujus esse sententiæ: si quid ejusmodi ultra moverint, non juxta ecclesiasticas, sed secundum publicas leges, meipsum meamet opera causam auditurum; quo futurum est ut deprehendam eos noo solum generis humani, sed divinæ quoque doctrinæ deprædatores esse. Deus te conservet, frater dilecte.

69. Quo autem ** liquidius innotescat sycophantarum malignitas, en ipsas Arsenii litteras quas, ubi latens deprehensus esset, conscripsit. Quo enim pacto suam Ischyras calumniam litteris confessus est, sic Arsenius epistola sua eorum perversitatem magis coarguit.

ATHANASIO BEATO PAPÆ

Arsenius episcopus civitatis Hypselitarum, qui quondam sub Meletio fuere, una cum presbyteris & diaconis, in Domino salutem plurimam.

NOS quoque pacem amplectentes societatemque cum catholica Ecclesia, cui tu, Dei gratia, præfectus es: exoptantesque ecclesiastico canoni juxta veterem formam subjici, litteras tibi, dilecte Papa, mittimus, pollicemurque in nomine Domini, nos deinceps minime communicaturos cum iis qui sunt etiamnum schismatici, & qui nondum cum catholica Ecclesia pacem habent, sive episcopis, sive pres-

* Dubitant quidam an hic Helias is ipse sit qui supra cum Arsenio aufugisse memoratur: sed quid, quæso, hac de re dubii relinquitur, Pinne ejusdem Monasterii presbytero eumdem ipsum esse testante?

** *Quo autem*, &c. Hæc usque ad sequentem epistolam in editis Latinis antiquioribus deerant. In Græcis autem omnibus cum editis tum mss. habentur.

presbyteris vel diaconis: neque cum illis consensuros, si quidpiam velint in synodo statuere: neque pacis litteras vel missuros, vel accepturos ab illis, nec rursum citra tuam Metropolitani Episcopi sententiam, decretum ullum edituros vel episcopos spectans, vel dogma quodpiam commune ecclesiasticum; sed cessuros omnibus ante statutis canonibus, ad instar episcoporum Ammoniani, Tyranni, Plusiani, reliquorumque. Præterea mansuetudinem tuam obsecramus, ut quamprimum nobis rescribas, pariterque comministros nostros litteris moneas, nos supra dictis jam stare decretis, pacem habere cum catholica Ecclesia, junctosque esse comministris nostratibus. Credimus porro tuas preces, utpote probatas acceptasque, A impetraturas ut pax hujusmodi firma & indissolubilis perpetuo perseveret, secundum voluntatem Dei omnium Domini, per Jesum Christum Dominum nostrum. Totum cœtum sacrorum sub te ministrorum, nos & qui nobiscum sunt salutamus. Brevi, si Deus permiserit, ad tuam mansuetudinem accedemus. Arsenius te multis annis valere in Domino exopto, beatissime Papa.

70. Porro calumniæ in nos structæ majus & liquidius argumentum est Joannis pœnitentia, cujus rei testis fuit Deo carissimus & beatæ memoriæ Imperator Constantinus, qui cum sciret quæ Joannes contra se ipse detulisset, illiusque pœnitentis litteras accepisset, hæc scripsit,

CONSTANTINUS MAXIMUS

Augustus Joanni.

ADMODUM gratæ mihi fuere prudentiæ tuæ litteræ, ex quibus quæ peroptabam scire didici, te scilicet omni deposita simultate, cum Ecclesia, ut par erat, communicasse, & cum Athanasio episcopo reverendissimo in plenam concordiam venisse. Scito igitur te eo nomine a nobis summopere laudari, quod relicto omni jurgio, rem Deo gratam perfeceris, societatemque requisieris cum Ecclesia. Quo igitur optata assequare, tibi permittendum putavi, ut inscenso publico vehiculo, ad exercitum meæ clementiæ properes. Tuum deinceps erit nihil cunctari. Sed cum hæc tibi epistola publici vehiculi copiam faciat, ad nos quamprimum accedas, ut & voti compos efficiare, & postquam nos inviseris, congrua fruaris lætitia. Deus te conservet, frater dilecte.

71. Hic ille fuit conspirationis exitus: quo peracto Meletiani a proposito sunt aversi: at Eusebiani ne ita quidem cessavere, illis siquidem non Meletiani, sed Ariani curæ erant; veriti scilicet, ne illorum deficiente opera, histriones, rei quam inducere volebant artifices, non suppeterent. Quare Meletianis iterum concitatis, auctores sunt Imperatori, ut synodum denuo Tyri jubeat congregari. Tum comes Dionysius mittitur, satellitium militare Eusebianis datur, Macarius vinctus sub militum custodia Tyrum adducitur: meque Imperator B litteris compulit suis, ut vel invitus isthuc me conferrem. Sed totam conspirationis seriem cognoscere licitum est ex episcoporum Ægyptiorum litteris. Hujus autem ordiendæ consilium enarrare operæ pretium fuerit; ut hinc eorum adversum nos malignitatem vafritiemque animadvertere quisque valeat. In Ægypto, Libya & Pentapoli episcopi sunt prope centum; quorum nullus nos accusavit, nullus nos presbyter criminatus est, nullus e populo obloquutus: sed Meletiani jam olim a Petro ejecti, Arianique insidias inter se diviserant; ita ut illi accu- C sandi, hi judicandi sibi partes vindicarent. Verum nos Eusebium sociosque recusavimus, quod essent nobis hæreseos causa inimici: dehinc eum qui accusator ferebatur, nequaquam presbyterum esse planissimum fecimus hoc argumento. Quando ad Ecclesiæ communionem admissus est Meletius (quod utinam nunquam factum fuisset) beatæ vir memoriæ Alexander ejus exploratam habens calliditatem, catalogum ab eo postulavit eorum episcoporum, quos se ajebat in Ægypto habere: necnon presbyterorum & diaconorum Alexandrinorum qui e suis essent, aut si quos haberet in Alexandrino agro: quod eo egit con- D silio Alexander Papa, ut ne Meletius, Ecclesiæ potestate confidenter assumta, multas venderet ordinationes, neu quotidie mendaciis suis novos pro libidine subjiceret. Eorum igitur qui in Ægypto essent e suis, hoc breviarium edidit.

BREVIARUM A MELETIO

Datum Alexandro Episcopo.

EGo Meletius * Lycopoli, Lucius Antinoopoli, Phasileus Hermopoli, Achilles Cusis, Ammonius Diospoli.

In Ptolemaide: Pachymes Tentyris.

In Maximianopoli: Theodorus in Copto.

In Thebaide: Cales Hermeti, Colluthus in superiore Cyno, Pelagius Oxyrinchi, Petrus Heracleopoli, Theon Nilopoli, Isaac Letopoli, Heraclides in Nicius, Isaac Cleopatride, Melas in E Arsenoite.

In Heliopoli: Amos Leontopoli, Ision Athribi.

In Pharbetho: Harpocration Bubasti, Moses Phacusis, Callinicus Pelusii, Eudæmon Tani, Ephraim Thmui.

In Sai: Hermæon in Cyno & Busiri, Soterichus in Sebennyto, Pinimuthes Phthenegy, Cronius Meteli, Agathammon ** in Alexandrinorum territorio.

Mem-

* De his provinciis, nomis & episcopatibus vide in Tabella nostra.

** Qui hoc loco dicitur episcopatus *in Alexandrinorum territorio*, is ipse est qui in subscriptionibus epistolæ ad Antiochenos Hermopolis parva dicitur. Nam Dracontius qui illic Hermopoleos parvæ episcopus vocatur, in epistola ad eumdem Dracontium dicitur electus in episcopum agri Alexandrini. Ptolemæus libr. 4. ἀπὸ μὲν δύσεως τοῦ μεγάλου ποταμοῦ, ἀπὸ θαλάσσης ἀρχομένων, Ἀλεξανδρέων χώρας νομὸς, ἐν μητρόπολις, Ἑρμούπολις μικρά, *ab occasu magni fluvii, a mari incipientibus occurrit Alexandrini agri nomus, & Metropolis ejus Hermopolis parva*. Hoc cum non advertisset vir quidam eruditissimus, existimavit a Meletio Agathammonem Alexandriæ episcopum ordinatum fuisse, quod neutiquam fuit.

Memphi * Joannes jussus ab Imperatore ut Archiepiscopo adesset: & hi quidem in Ægypto.

Clerici autem quos Alexandriæ habuit: Apollonius presbyter, Irenæus presbyter, Dioscorus presbyter, Tyrannus presbyter.

Diaconi: Timotheus diaconus, Antinous diaconus, Hephæstion diaconus, & Macarius Castrorum presbyter.

72. Hos Meletius coram adductos Alexandro tradidit episcopo: ejus autem quem vocant Ischyram ne mentionem quidem fecit, nec professus unquam est se quempiam in Mareote habuisse clericum. B Nihil tamen destitere adversarii nostri, ita ut eum qui presbyter non esset, presbyterum simularent: Comes enim aderat qui nos cogeret, milites que qui nos raptatos pertraherent. Vicit tamen Dei gratia, Macarium siquidem confracti calicis convincere non potuerunt. Quin ipse Arsenius, quem a nobis interemtum pervulgarant, incolumis coramque consistens, eorum palam faciebat calumniam. Cum itaque Macarium convincere non valerent Eusebiani, rem ægre ferentes, utpote præda sua quam venabantur amissa, auctores sunt Dionysio Comiti ex eorum partibus stanti, ut quosdam in Mareotem mitteret, scrutaturos num quidpiam criminis possent illic adversus C presbyterum deprehendere. Imo, si vere dicatur, ut profecti, nobis absentibus, pro libidine in nos conspirarent: hoc enim illis studio erat. At nos e converso affirmabamus supervacaneum esse in Mareotem proficisci: nec sibi simulandum esse, quasi quæ jamdiu meditati fuerant nondum satis declarassent, neque comperendinandum; quippe qui cum omnia in medium protulissent quæ sibi dicenda suppeterent, jam hærentes tergiversarentur: quod si omnino legatione in A Mareotem opus esset, ne saltem suspecti viri eo mitterentur. Et sane ** Comes quantum ad suspectos attinet nobis annuebat: illi vero e contrario omnia egere; nam quos Arianæ hæreseos causa recusabamus, illi ipsi quam primum sunt profecti, Diognius scilicet, Maris, Theodorus, Macedonius, Ursacius & Valens. Hinc litteræ ad præfectum Ægypti: hinc militare satellitium missum: quodque admirandum est ac suspiciosissimum, Macario qui accusabatur sub militum custodia derelicto, accusatorem secum abduxere. Quis jam inde conspirationem non animadvertit? quis malitiam non liquido conspicit Eusebianorum? Si enim judicio in Mareote opus erat, accusatum quoque eo missum oportuit. Quod si non judicii causa iter instituerunt, cur accusatorem adduxere? sat quippe erat quod ille rem comprobare non potuisset. Verum id eo actum est, ut quandoquidem presbyterum coram convincere non valebant, in illum absentem conspirarent, & quod sibi visum foret adversus eum struerent. Etenim, Alexandrinis, totiusque territorii presbyteris ipsos arguentibus, quod soli accessissent, postulantibusque ut sibi saltem eorum actis interesse liceret (se quippe & totius negotii, & eorum quæ Ischyram spectarent, conscios asserebant) hoc ipsis minime concessum est. Sed Præfecto Ægypti Philagrio apostata, ethnicisque militibus admissis, ad ea disquirenda, quæ ne catechumenos quidem conspicere decuit; Clericos tamen huic interesse rei non permiserunt: ut ne, quemadmodum Tyri contigerat, illic homines reperirent qui se falsi convincerent.

73. Sed ne ita quidem latere potuerunt, Presbyteri enim Urbis & Mareotæ, animadversa illorum malignitate, ad hunc modum scripserunt, & hæc contestati sunt.

THEOGNIO, MARI,

Macedonio, Theodoro, Ursacio, & Valenti episcopis qui Tyro venere, Presbyteri & Diaconi catholicæ ecclesiæ Alexandrinæ sub reverendissimo Episcopo Athanasio.

ACCEDENTES huc vos, accusatoremque vobiscum adducentes, consentaneum esset & Macarium adduxisse presbyterum: judicia quippe ex Scripturis sacris sic constituenda, ut accusator coram accusato sistatur. At vero cum nec Macarium adduxeritis, nec vobiscum huc concesserit reverendissimus episcopus noster Athanasius, rogavimus ut nobis saltem judicio interesse vestro licitum esset: quo præsentibus nobis tuta foret perquisitio, nobisque rei veritas innotesceret. Verum quia, re nobis denegata, soli cum præfecto Ægypti & cum accusatore, arbitratu vestro rem gessistis; E profitemur nos certam hoc in negotio male suspicandi causam cernere, animadvertereque ingressum D vestrum, conspirationem & insidias duntaxat esse. Quapropter hanc vobis tradimus epistolam, in vera synodo testimonio futuram; ut compertum sit omnibus, vos altera absente parte pro libidine rem gessisse: unumque vobis conflandæ in nos conspirationis fuisse propositum. Horum autem exemplaria, ne abderentur a vobis, Palladio quoque Augusti *** Curioso tradidimus. Res enim a vobis gestæ suspicandi nobis taliaque cogitandi locum præbent.

Dionysius Presbyter hæc tradidi, Alexander presbyter, Nilaras presbyter, Longus presbyter, Aphthonius presbyter, Athanasius presbyter, Amyntius presbyter, Pistus presbyter, Plution presbyter, Dioscorus presbyter, Apollonius presbyter, Sara-

* Hic Joannes is esse videtur qui Archaph cognominatus est, quique post defunctum Meletium Meletianorum primas habuit. Quæ sequuntur autem *jussus ab Imperatore ut Archiepiscopo* (scilicet *Meletio*) *adesset*, ex his Epiphanii verbis hæresi lxviii. lucem accipiunt, ubi Meletius dicitur [illegible] τῷ Πέτρῳ κατὰ τὴν Ἀρχιεπισκοπήν, *qui secundus post Petrum* (*Alexandrinum*) *Archiepiscopatus dignitatem obtinebat*. Utrum autem jam ante Meletium Lycopolitani præsules nomen Archiepiscopi habuerint, an Meletius primum hanc dignitatem sibi arrogarit, incertum: sed huic postremo libentius assentimur, cum alias exploratum sit Epiphanium suam de Meletiano schismate historiam, a quodam ejusdem sectæ homine mutuatum esse. Non desunt tamen qui existiment hæc verba, [illegible], esse Athanasii: non autem Meletii, ac vertendum esse, *jussus ab Imperatore ut cum Archiepiscopo suo concordaret*, referrique illud ad superiorem Constantini ad Joannem epistolam. At præterquam quod haud genuina illa est hujus loci interpretatio, nusquam reperim Athanasium sese Archiepiscopi nuncupatione ornare. Et alioqui in superius relata ad Joannem epistola, nequaquam jubet Constantinus Joanni ut vel cum Athanasio degat vel cum eo concordet. Sed eidem gratulatur quod communicet cum Athanasio, quem ille ibidem non Archiepiscopum, sed episcopum tantum nuncupat, jubetque ut inscenso publico vehiculo, ad Imperatorium comitatum se transferat: unde priori sententiæ standum videtur. Archiepiscopi nomen non antehac usurpatum reperiri existimatur.

** Quæ de Mareotica legatione hic habentur, pluries supra memorata sunt, & repetuntur in Epist. ad Solit.

*** Curiosi erant quibus cura incumbebat crimina & quælibet perpetrata facinora indagandi, eosque ad Imperatorem deferendi ac denunciandi: de quibus fuse Cangius in utroque Glossario, & Gothofredus in notis ad Cod. Theodos. lib. 6. tit. 29. de Curiosis, tom. 2. pag. 93. & 194. qui Curiosos a frumentariis distingui contendit. Joannes tamen Lydus a Cangio in Gloss. Gr. citatus, frumentarios ac curiosos eosdem esse ait, [illegible].

Sarapion presbyter, Ammonius presbyter, Gaius A presbyter, Rhinus presbyter, Æthales presbyter.

Diaconi: Marcellinus diaconus, Appianus diaconus, Theon diaconus, Timotheus diaconus, & Timotheus alter diaconus.

74. Eorum itaque qui in Urbe erant clericorum hæ fuere litteræ, & hæc eorum nomina. Mareotici autem clerici, quibus explorati erant accusatoris mores, quique mihi loca perlustranti adesse solebant, has & ipsi dedere litteras.

SANCTÆ SYNODO

Beatorum episcoporum catholicæ Ecclesiæ, omnes qui in Mareote sunt presbyteri & diaconi, in Domino Salutem.

Prov. 25. 8. Ibid. 19. 5. GNARI ejus Scripturæ quæ ait, *quæ viderunt oculi tui loquere*, &, *testis falsus non erit impunitus*; quæ vidimus testamur: quando potissimum structa in episcopum nostrum Athanasium conspiratio, hujus ferendi testimonii necessitatem nobis imponit. Miramur enim qua tandem ratione Ischyras ad mensuram Ecclesiæ mensus fuerit, de quo primum quædam enarranda arbitramur. Ischyras minister Ecclesiæ nunquam exstitit; sed cum sese jam pridem jactitaret Colluthi esse presbyterum, cognatis exceptis, ejus nemo verbis fidem adhibuit: quippe qui neque ecclesiam habuerit umquam, neque omnino clericus fuerit a sui pagi finitimis existimatus; cognatis duntaxat, uti jamjam diximus, exceptis. Sed tamen cum talem sibi titulum vindicasset, in synodo Alexandriæ congregata, præsente patre nostro Hosio depositus, ad laicorum communionem redactus est; quo etiam in loco subsequenti tempore permansit, a falsa quoque presbyteratus suspicione lapsus. De cujus moribus, quod facile ab omnibus dignosci queant, nihil est quod loquamur. Ceterum quia de calice fracto deque mensa subversa episcopum nostrum Athanasium ausus est insimulare, res hæc nobis incumbit necessario pertractanda. Et quidem jam supra dictum est, numquam illum ecclesiam in Mareote habuisse. Hoc item ipso teste Deo declaramus nec calicem confractum esse, nec mensam subversam vel ab episcopo nostro, vel ab alio quopiam ipsum comitante; sed quæcumque delata sunt meram esse calumniam. Nos scilicet hoc testamur qui non procul Episcopo sumus, sed Mareotem perlustrantem omnes comitamur: neque enim solus umquam est, sed nos omnes presbyteri, diaconi populusque frequens loca visitanti adsumus. Quocirca nos, utpote Episcopi circumcirca in hac regione peragrantis comites, hæc dicimus, hæc testamur, nec fractum poculum, neque mensam esse subversam, sed hæc omnia mentitum Ischyram, quod & ipse rescripto propria manu dato testatur. * Post secessum namque suum ad Meletianos, his jam calumniis in episcopum nostrum Athanasium evulgatis; cum ecclesiasticis conventibus admitti peroptaret, id ipsi minime concessum est, tametsi ille rescripto suo propriaque manu confessus esset, nihil eorum revera gestum fuisse, sed se a quibusdam ad ea dicenda subornatum.

B Quamobrem ad Mareotem cum pervenissent Theognius, Theodorus, Maris, Macedonius, Ursacius, & Valens, nihilque ejusmodi revera gestum comperissent; cum mox futurum esset ut totum structæ in Athanasium episcopum nostrum calumniæ artificium deprehenderetur, tum Theognius & asseclæ, Athanasio omnes infensissimi, Ischyræ cognatos Ariomanitasque nonnullos induxerunt ad ea dicenda quæ sibi maxime placerent: popularis enim nullus quidpiam protulit in Episcopum. At illi terrore Philagrii Ægypti præfecti, minisque ac patrocinio Ariomanitarum freti, arbitratu suo rem gessere. Nobis quippe C ad eam detegendam sycophantiam accedentibus, nequaquam admissis, imo expulsis; quos libuit ad calumniam prius adornatos, Philagrii præfecti formidine, consilii sui participes effecere. Cujus item præfecti opera, permissum nobis non est huic interesse negotio, quo saltem a se subornatos testes internoscere possemus ex Ecclesiane essent, an ex Ariomanitis. Non ignari autem estis, dilecti Patres, rei quam ipsi nos edocetis, nullam scilicet vim habere inimicorum testimonia. Ceterum hæc a nobis vere dici, testis ipsa Ischyræ manus, testes ipsæ res gestæ; nobis nimirum nihil consciis hac ratione actum fuisse: D Philagrium secum assumsere, ut gladii formidine minisque adhibitis, pro libidine in Athanasium conspirarent. Hæc quasi præsente Deo testificamur: hæc loquimur, ut qui certo sciamus a Deo futurum esse judicium: cupidi quidem ut omnibus nobis ad vos accedendi facultas esset; sat esse rati tamen, si ex nobis quidam isthuc mittantur, ut litteræ non accedentium vices suppleant.

Ingenius presbyter vos valere in Domino exopto, dilecti Patres: Theon presbyter, Ammonas presbyter, Heraclius presbyter, Bocco presbyter, E Trypho presbyter, Petrus presbyter, Hierax presbyter, Sarapion presbyter, Marcus presbyter, Ptollarion presbyter, Gaius presbyter, Dioscorus presbyter, Demetrius presbyter, Thyrsus presbyter.

Diaconi: Pistus diaconus, Apollos diaconus, Serras diaconus, Pistus diaconus, Polynicus diaconus, Ammonius diaconus, Maurus diaconus, Hephæstus diaconus, Apollos diaconus, Metopas diaconus, Apollos diaconus, Serapas diaconus, Meliphthongus diaconus, Lucius diaconus, Gregoras diaconus.

* Sic habet Nanni versio: *Nam quum ille post defectionem ad Meletianos nobis reconciliari & conjungi vellet, quemadmodum & Pistus, qui ipse quoque talia de Athanasio in vulgus sparserat, neutrum tamen, quamquam propria manu testaretur nihil tale factum esse, & se subornatos a certis hominibus ut talia diceret, recipere voluerunt.* Sed quæ de Pisto hic habentur, notatu sane dignissima, absunt a codicibus editisque omnibus.

IIDEM

IIDEM AD CURIOSUM,

Et ad Philagrium, tunc Ægypti Præfectum.

*Flavio Philagrio, & Flavio * Palladio Ducenario Palatino, Curioso, & Flavio Antonino commeatuum Præfecto Centenario dominorum meorum illustrissimorum Præfectorum sacri Prætorii: Presbyteri & Diaconi Mareotæ, Nomi catholicæ Ecclesiæ, quæ subest reverendissimo episcopo Athanasio, per eos qui post hæc subcribunt, hoc damus testimonium.*

75. QUANDOQUIDEM Theognius, Maris, Macedonius, Theodorus, Ursacius & Valens, quasi ab omnibus Tyri coactis episcopis legati, ad nostram se contulere parœciam, sibi jussum ajentes, ut ecclesiastica quædam disquirerent negotia, interque alia de confracto dominico calice: quod scelus confictum delatumque fuerat a quodam, quem secum adducebant, Ischyra, qui se presbyterum jactitabat, tametsi non presbyter. Ordinatus quippe fuit a Collutho presbytero qui falso episcopi nomine gloriabatur, demumque in communi synodo ab Hosio & sociis ejus episcopis celebrata ad priorem presbyteri ordinem redactus est. Ac consequenter quotquot a Collutho fuerant ordinati, ii sunt ad priorem reversi conditionem; ita ut ipse quoque Ischyras inter laicos visus fuerit. Ea autem quam se habere jactitat ecclesia, nunquam ecclesia revera exstitit, sed parva domus pueri cujusdam orphani Isionis nomine. Quapropter hoc testimonium proferimus: te adjurantes per omnipotentem Deum, perque dominos nostros Constantinum Augustum, ac illustrissimos Cæsares ejus filios, eorum ut pietati hujusce rei notitiam præbeas. Ille namque nec catholicæ Ecclesiæ presbyter est, nec habet ecclesiam, nec confractum fuit poculum: sed hæc omnia mentitur, omnia comminiscitur. Consulibus Julio Constantio, clarissimo Patricio, fratre piissimi Imperatoris Constantini Augusti, & Rufino Albino, clarissimis viris, decima mensis * Thoth. Hæc presbyteri.

* *Id est Septembris septima.*

77. Episcopi vero qui nobiscum Tyrum convenerant, eorum conspiratione insidiisque animadversis, litteris suis hæc contestati sunt.

EPISCOPIS TYRI

Congregatis, honoratissimis dominis, qui ex Ægypto cum Athanasio huc accessere, catholicæ ecclesiæ Episcopi, in Domino salutem.

ARBITRAMUR non ulterius occultam esse ab Eusebio, Theognio, Mari, Narcisso, Theodoro & Patrophilo in nos conflatam conspirationem. Et principio quidem omnes, per Athanasium comministrum nostrum, recusavimus quominus iis præsentibus interrogatio haberetur; quod probe sciremus vel unius inimici præsentiam, nedum plurimorum, interrogationem turbare ac lædere posse. Non ignari quippe estis quanto non nos duntaxat, sed & omnes orthodoxos odio habeant: Arii namque furoris impiæque ejus doctrinæ causa, in omnes insurgunt, in omnes conspirant. Quando autem nos, veritati confidentes, structam a Meletianis sycophantiam, adversus Ecclesiam comprobare aggressi fuimus; ignoramus quo consilio Eusebiani dicta interpellare nostra conati, testimonia etiam repudiare totis viribus nisi sunt; dum sinceros judices minis, alios contumeliis lacesserent: eo solum ut sui adversum nos assequendi propositi copia esset. Et fortasse divina vestra pietas, domini honoratissimi, eorum ignorabat conspirationem: sed arbitramur eam nunc esse conspicuam. Nam illi suam ipsi prodidere conjurationem: ex sociis namque suis viros nobis suspectos legare decreverunt in Mareotem; ut nobis absentibus & hic remanentibus, populos turbare, & arbitratu suo agere valeant. Norunt enim Ariomanitas, Colluthianos & Meletianos Ecclesiæ hostes esse: quamobrem hos ipsos eo mittendos curarunt, ut in præsentia inimicorum quæ voluerint in nos machinentur. Etenim qui hic versantur Meletiani jam ex suis quosdam isthuc misere: imo quatuor ante diebus, gnari scilicet hanc futuram esse perquisitionem, veredarios sub vesperam viæ commisere, qui Meletianos ex Ægypto in Mareotem, ubi ne unus quidem eorum aderat, cogerent; ex aliisque locis Colluthianos & Ariomanitas, quos de calumniis in nos defereadis ante monerent. Probe namque meministis ipsum coram vobis confessum Ischyram, non plus septem esse qui conventibus intersint suis. Quandoquidem igitur, postquam arbitratu suo hæc sunt machinati, postquam suspectos isthuc misere viros; comperimus eos singulorum vestrum circumcirca subscriptiones postulare, ut omnium vestrum consensu res gesta videatur; ea sane nobis causa fuit litteras vobis quamprimum hocque testimonium tradendi. Contestamur enim nos conspirationibus insidiisque illorum opera, illorumque causa appeti: rogamusque ut Dei timore in mente suscepto, improbantes quod clam nobis quos libuerit miserint, non subscribatis; ut ne quæ illi inter se machinantur hæc quasi a vobis gesta prædicent. Etenim decet Christianos homines non humana respicere, sed veritatem omnibus anteferre. Ne metuite quas illi minas omnibus intentant, neve eorum conspirationem, sed potius Deum timete. Par erat enim, si quidem omnino fuere legati in Mareotem mittendi, nos etiam huic interesse negotio; ut inimicos Ecclesiæ confutare, extraneosque indicare possemus: ac eo modo sincere causæ disquisitio haberetur. Scitis enim Eusebianos dolo usos epistolam tradidisse, quasi a Colluthianis, Meletianis & Arianis adversum nos scriptam. Palamque est illos, utpote Ecclesiæ catholicæ hostes, nihil

* Is ipse Palladius Curiosus supra memoratur in epistola ad legatos Mareoticos.

Palatino. Palatini generatim erant officiales Palatii quorum varia officia vide sis in Codice Theodosiano.

nihil vere de nnbis, sed omnia adversa deferre. Lex autem Dei, inimicum vetat vel testem esse vel judicem. Reliquum est, ut tanquam in die judicii ratinnem reddituri, hoc accepto testimonio, agnitaque conspiratione in nos conflata, quantumvis rogati, quidvis A contra nos agere caveatis: nec Eusebianorum consilio sociemini. Nnn ignari quippe estis, uti supra diximus, infensos nobis illos esse: nec vos latet cur Eusebius Cæsareæ ab anno præterito inimicus nobis factus sit. Valere vos optamus, domini desideratissimi.

FLAVIO DIONYSIO

Clarissimo Comiti, Episcopi Ægyptii catholicæ Ecclesiæ, qui Tyrum venere.

ARBITRAMUR non ulterius occultam esse ab Eusebio, Theognio, Mari, Narcisso, Theodoro, & Patrophiln in nos cnnflatam conspirationem. Principio enim nmnes, per Athanasinm comministrum nostrum recusavimus, quominus iis præsentibus interrogatio haberetur: quod probe sciremus vel unius inimici præsentiam, nedum plurimorum, interrngationem turbare ac lædere posse. Palam enim est eos, non nos duntaxat, sed & omnes orthodoxns odio habere: in nmnes quippe insurgunt, in omnes conspirant. Quando autem nos veritati confidentes, structam a Meletianis sycnphantiam adversus Ecclesiam, comprobare aggressi sumus; ignoramus quo consilio iidem Eusebiani dicta interpellare nostra conati, testimonia etiam nnstra repudiare tutis viribus nisi sunt, dum sinceros judices minis, alios cnntumeliis lacesserent; eo solum ut sui adversum nos assequendi propositi copia esset. Et fortasse humanitas tua eorum ignorabat conspirationem in nos structam: sed arbitramur eam nunc esse conspicuam. Næ illi ipsi eam palam fecere: ex sociis namque suis, viros nobis suspectos legare decreverunt in Mareotem; ut nobis absentibus atque hic remanentibus, & populos turbare, & arbitratu suo agere valeant. Cum noverint enim Ariomanitas, Colluthianos & Meletianos Ecclesiæ hostes esse, ideo hos ipsos eo mittendos curarunt, ut in præsentia inimicorum quæ ipsi voluerint in nos machinentur. Etenim qui hic versantur Meletiani jam ex suis quosdam isthuc misere: & quatuor ante diebus, gnari scilicet hanc futuram esse perquisitionem, duos veredarios sub vesperam mi- B serunt, qui Meletianos ex Ægypto in Mareotem, ubi na unus quidem eorum aderat, cogerent; ex aliisque locis, Colluthianos & Arinmanitas, quos de calumniis in nos proferendis ante instruerent. Meminit autem humanitas tua, ipsum coram te confessum Ischyram, non plus septem esse qui conventibus intersint suis. Quandoquidem igitur, postquam arbitratu suo hæc sunt machinati, postquam suspectos eo misere viros; comperimus eos singulorum episcoporum circumcirca subscriptiones postulare, ut eorum omnium consensu res gesta videatur; ea sane de causa maturandum duximus hæc C ad tuam Claritatem deferre, hocque testimonium tibi tradere: contestamur enim nos conspirationibus insidiisque, illorum opera, illorumque causa, appeti. Rogamusque ut Dei timore in mente suscepto, necnon piis mandatis religinsissimi Imperatoris, improbansque quod citra consensum nostrum, quns libuit eo miserint, ne toleres eos.

79. ** Adamantius Episcopus has litteras dedi, Ischyras, Ammnn, Petrus, Ammnnianus, Tyrannus, Taurinus, Sarapammon, Ælurinn, Harpocratinn, Moses, Optatus, Anubion, Saprion, Apollonius, Ischyrinn, Arbæthinn, Pntamon, Pa- D phnutius, Heraclides, Theodnrus, Agathammon, Gaius, Pistus, Athas, Nicon, Pelagius, Thenn, Paninuthius, Nonnus, Ariston, Theodorus, Irenæus, Blastammon, Philippus, Apollos, Diosenrus, Timntheus Dinspolitanus, Macarius, Heraclammnn, Cronius, Muis, Jacobus, Ariston, Artemidorus, Phinees, Psais, Heraclides.

ET SECUNDO IIDEM.

FLAVIO DIONYSIO

Comiti illustrissimo, Episcopi Catholicæ Ecclesiæ qui Tyrum ex Ægypto concessere.

CUM plurimas videamus in nos conflatas conjurationes, insidiasque structas ex conspiratione Eusebii, Narcissi, Flacilli, Theognii, Maris, Theodori & Patrophili: quos cum a principio recusare vellemus, id minime nobis concessum est; ad hanc contestationem venire cogimur. Etenim hinc magnam de Meletianis geri solicitudinem, hinc structas in catholicam Ægypti ecclesiam nostri causa insidias cernimus. Quapropter hanc tibi tradimus epistolam, rogantes ut in mente habens Deum omnipotentem, qui imperium tutatur piissimi & religiosissimi Cnnstantini, eidem Imperatori piissimo rerum nostrarum cognitionem reserves. Æquum enim est te ab imperatoria majestate missum, nobis ejus pietatem appellantibus, totum ipsi reservare negotium. Nnn enim ultra tolerare possumus con- E jurationes insidiasque, quibus nos prædicti Eusebiani adoriuntur: ideoque rem piissimo ac religiosissimo Imperatori reservari postulamus, apud quem licebit Ecclesiæ jura nostraque exponere. Confidimus enim Pietatem ejus, ubi rem audierit, nos non damnaturam. Itaque te iterum adjuramus per omnipotentem Deum, perque piissimum Imperatorem qui multis annorum circulis victor semper incolumisque cum filiis pietatis suæ perseverat; ut nihil ultra aggrediare, neve F quidpiam in synodo circa negotia nostra moveas: sed rei cognitinnem ejus Pietati reserves. Hæc ipsa significavimus dominis nostris Episcopis orthodoxis.

80. Horum certior factus Alexander Episcopus Thessalonicensis Dyonisio Comiti hæc scripsit.

DO-

* Hæc epistola, quod excepto titulo præcedenti fere similis esset, in editis omissa est. Sed visum est eam integram, prout in Manuscripto Regio legitur, huc transferre, quod in nonnullis a præcedenti discrepet, & longe sit illa brevior.

** Suspicamur hunc Adamantium eum esse qui in subscriptionibus Sardicensibus Amantius vocatur, estque ibi ordine secundus.

DOMINO MEO DIONYSIO

Alexander Episcopus.

APERTE video contra Athanasium conflatam conspirationem: quos enim ille recusavit, hos omnes, nescio quo consilio, illi re nobis non indicata legarunt: tametsi decretum erat, ut in unum coacti deliberaremus, quinam essent eo mittendi. Consule igitur & cave ne quid temere fiat, (consternati quippe nonnulli me convenere, ajentes jam exhorruisse bellu-as, & jamjam impetum facturas: ex sparsis quippe rumoribus compererant Joannem eo misisse quosdam) neve antevertentes quæ libuerit machinentur. Nosti enim Collathianos Ecclesiæ hostes, Arianos item Meletianosque, qui omnes in eamdem convenere sententiam, ingentia posse mala perpetrare. Perpendas velim quidnam e re fuerit, ut ne quid detrimenti emergat: neve nobis crimini detur ut qui secundum justitiam non judicaverimus. Et sane maxime suspicantur iidem, ne illi ecclesias, quarum hic adsunt episcopi, peragrantes, & ne metum populis incutientes, totam perturbent Ægyptum, utpote qui Meletianis sint addicti. * Ex maxima enim parte hoc jam fieri cernunt.

AD HÆC DIONYSIUS

Comes Eusebianis rescripsit his verbis.

HÆC ipsa erant quæ nuper enarrabam Domino meo Flacillo, insurrexisse scilicet Athanasium, conquestum fuisse, quod ii ipsi legati fuerint, quos recusasset ipse: exclamasseque se injuria affici, ac circumveniri. Hæc eadem Dominus animæ meæ Alexander per epistolam mihi suam indicavit. Utque notum vobis sit ex æquo & bono esse quæ mihi ab ejus mansuetudine scripta sunt; ea ipsa a vobis legenda subjunxi. Meministis autem priorum litterarum mearum, quibus mansuetudini vestræ significavi, legatos communi calculo ac decreto esse mittendos. Cavete igitur, ne quæ gesta sunt accusationi sint obnoxia: neve justæ querelæ ansam demus iis qui nos accusare voluerint. Ut enim accusantium partem gravari non decet, sic nec accusatorum. Existimo autem haud levem fore nos culpandi occasionem, si Dominus meus Alexander rebus gestis non consentire videatur.

82. Hæc dum ita gererentur, ab illis tanquam
Hierem. 9. 2. *a synodo pravaricatorum* secessimus: ea quippe solum agebant, quæ sibi placerent. Negotia autem quæ altera absente parte geruntur, ne minimam quidem vim habere, nullus hominum ignorat. Hoc enim & divina lege præcipitur: hoc & beatus Apostolus, dum similibus appeteretur insidiis, staretque
Act. 24. 19. coram judice, postulabat his verbis: *Oportebat Judæos ex Asia apud te præsto esse & accusare si quid haberent*. Quo tempore & Festus, Judæis tales insidias machinantibus, quales jam in nos isti struxerunt, a-
Act. 25. 16. jebat: *Non est Romanis consuetudo aliquem hominem per gratiam tradere, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina*. Sed Eusebiani & legem adulterare ausi, & iniquis illis iniquiores sunt effecti: non enim ab ipso rei initio seorsum agere aggressi sunt; sed cum præsentibus nobis se longe inferiores esse senserunt; tum demum egressi, quemadmodum Judæi, consilium soli iniere, quomodo nobis de medio sublatis, ita hæresim introducerent, ut olim illi Barabbam postularant: hac enim de causa se hæc omnia fecisse ultro ipsi confessi sunt.

83. Hæc quamquam satis sunt ad integram defensionem; attamen ut & eorum malignitas & veritatis libertas magis magisque innotescat, nihil molestum erit ea denuo memorare, palamque facere qua ratione suis ipsi rebus adversantia egerint, & quasi in tenebris consilia agitassent, in propria gesta impegerint, ac dum nos interficere peroptarent, seipsos quasi furentes confoderint. De mysteriis namque perquirentes, cum Judæos interrogarent, Catechumenosque examinarent: Ubinam, ajentes, eratis quando Macarius accedens mensam subvertit? Respondere illi; Intus eramus. Non ergo fieri tum poterat oblatio, si quidem Cathecumeni intus erant. Hinc cum litteris suis undique pervulgarint, stante presbytero & sacra faciente, ingressum Macarium omnia evertisse, ea quoque de re quos libuit interrogarunt, ubinam esset Ischyras quo tempore Macarius irrupit. Responderunt iterum illi in cellula ægrum decubuisse. Non stabat igitur qui decumberet, neque offerebat qui in cellula ægrotus jaceret. Ad hæc testante Ischyra libros a Macario fuisse combustos, ipsi etiam subornati testes fassi sunt, nihil ejusmodi gestum fuisse, sed mentiri Ischyram. Quodque permirum habeatur, cum ubique litteris significarint, eos qui testimonium ferre possent abditos a nobis fuisse, eosdem coram interrogarunt. Nec pudore affecti sunt etsi adverterent se undique sycophantas ostendi, & palam esse eos arbitratu suo clam hæc omnia egisse. Etenim testes nutibus monebant. Præfectus minabatur, milites cædebant: sed Dominus veritatem patefecit, eosque sycophantas demonstravit. Quamobrem monumenta occulta apud se servarunt, scriptoribus jubentes, ut illa occultarent ac nemini prorsus traderent. Sed cessit res contra ac rati erant: nam qui illa conscripsit Rufus, nunc in ** Augustaliana Speculator, hujusce rei testimonium ferre potest: Eusebiani quoque ea per legatos suos Romam miserunt: mihique sunt ea ipsa a Julio episcopo transmissa. Et nunc insaniunt, quod videlicet quæ illi occultare peroptabant ea nos habuimus, ea legimus.

84. Hu-

* Editi sequentibus hæc præmittunt: Διήγησις πῶς ἀπὸ Τύρου ἀπῆλθεν εἰς Αἴγυπτον, ὁ πάπας Ἀθανάσιος Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος: *Narratio quomodo Tyro in Ægyptum concesserit Papa Athanasius Alexandriæ Episcopus*. Sed perperam; non enim in Ægyptum se contulit Athanasius Tyro recedens, sed Constantinopolim petiit, ut Constantino se sisteret. Basiliensis codex loco præcedentium hæc habet: Ἀπὸ Τύρου εἰς τὸ Βυζάντιον ὁ πάπας Ἀθανάσιος, rectius quam editi. In Regio quem sequimur eorum nihil habetur. Porro de Athanasii Tyro discessu, de quo ingentes controversiæ, in Athanasii vita disputavimus.

** *Augustaliana*. In Edicto XIII. Justiniani, *Præfectura rerum Ægyptiacarum quæ Augustaliana vocatur*. hinc factum *Augustaliana* quæ pro ea ipsa præfectura sumi videtur. De Speculatoris officio actum supra num. 8.

84. * Hujusmodi res machinati, talia agendi causam mox palam fecere: inde namque profecti, Arianos secum Hierosolymam adduxere, iisque illic A ad communionem admissis, epistolam scripsere, cujus hæc est pars ab initio.

** SANCTA SYNODUS DEI

Gratia Hierosolymis congregata, Ecclesiæ Dei quæ est Alexandriæ, omnibusque per Ægyptum, Thebaidem, Libyam & Pentapolim, & ubique terrarum Episcopis Presbyteris & Diaconis, in Domino salutem.

NOBIS omnibus eumdem in locum ex diversis provinciis ad magnam solemnitatem congregatis; quam celebravimus in dedicatione Martyrii Salvatoris, a religiosissimo Imperatore Constantino in honorem omnium Imperatoris Dei & Christi ejus excitati; ingentem lætitiam Dei gratia attulit. Ipse quoque religiosissimus Imperator suis nos litteris ad officium hortatus est, (ejecto ab ecclesia odio quocumque, omnique invidia per quam Dei membra antehac dissidebant procul abacta) ut simplici ac pacato animo, Arianos ad communionem admitteremus, quos ad quoddam temporis spatium omni infesta bono invidia foris Ecclesiam detinuit. *** Imo ipse C religiosissimus Imperator per epistolam suam hujusmodi virorum rectam esse fidem testatus est: quam ipse, illis interrogatis, viva voce loquentes cum audisset, a se approbatam, nobis indicavit litterisque suis sanam eorum fidei formulam subjunxit.

85. Quis hujusmodi auditis verbis conspirationem non animadverterit? gesta namque sua non dissimularunt: aut fortasse vel inviti veritatem suot confessi. Nam si ego is eram qui Arianos Ecclesię ingressu arcerem: & illi post conflatam in me conspirationem ad communionem sunt admissi; quid aliud dicendum, quam & hæc & universa eorum in nos facinora, A- D rianorum gratia perpetrata esse: & eo solum calicis fractionem Arseniique cædem esse confictam, ut impietatem in Ecclesiam introducerent, & ipsi minime deprehenderentur hæretici? ideo enim mihi antea Imperator litteris suis interminatus est. Nec puduit eos talia dicere, affirmareque recte sentire viros a tota œcumenica Synodo anathemate damnatos: neque sunt veriti tantam Synodum quantum licuit clam B evertere: homines sane dictis gestisque suis temerarii. Porro merces sycophantiæ concessa multo magis eorum malignitatem impiumque propositum coarguit. Mareotes, uti supra dictum est, regio est Alexandrina, in qua nunquam episcopus fuit, aut chorepiscopus: sed universæ illius regionis ecclesiæ Alexandrino parent episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent maximos, **** qui decem circiter sunt, imo plures numero. Vicus autem ubi habitat Ischyras omnium est minimus, & paucorum hominum, adeo ut non isthic, sed in proximo pago exstet ecclesia. Attamen virum qui presbyter non esset, in hujusmodi vico episcopum, contra antiquam traditionem statuere decreverunt: gnari sane quam indignum illud esset, sed coacti ob pactam calumniæ mercedem eo adducti sunt; ne si ingrate cum sceleratissimo illo ageretur, veritatem ipse enuntiaret, Eusebianorumque palam faceret malignitatem. Certissimum tamen est eum non ecclesiam, non obsequentem populum habere, imo quasi canem ab omnibus expelli: nihilo tamen minus Imperatori auctores fuere, ut litteris ad Catholicum missis (illis quippe omnia licent) juberet ecclesiam Ischyræ ædificari; ut ea potitus, fide dignus haberetur cum de calice & de mensa ferret testimonium. Siquidem ideo hominem quamprimum episcopum nominari curarunt, quod, quia ecclesiam non habebat, nec presbyter erat, ideo sycophanta esse, ac omnia confinxisse deprehenderetur. Sane cum populus nullus, ac ne quidem propinqui ejus ipsi pareant; ut vacuum nomen, ita inefficacem servat epistolam: quam in argumentum teterrimi sui Eusebianorumque propositi exhibet, his descriptam verbis.

EPISTOLA CATHOLICI.

Flavius Hemerius Exactori Mareotæ salutem.

ISCHYRA presbytero pietatem dominorum nostrorum Augustorum ac Cæsarum rogante, sibi in loco Pacis Secontaruri construi ecclesiam; jussit eorum divinitas ut id quamprimum efficiatur. Curato igitur ut exemplar nactus divini diplomatis, quod cum debita veneratione priore loco positum est, necnon monumenta coram mea sanctitate edita, ea cito * in compendium relata in commentarium reponas; ut quæ divinitus jussa sunt, ad exitum deduci queant.

* vel perlustrata.

E 86. Hæc igitur illi machinabantur, talesque conflabant conspirationes. Nos autem Imperatorem adeuntes, injurias ab Eusebianis illatas ipsi renuntiavimus; utpote qui synodum cogi jussisset, cui præsidebat ejus Comes. Iis auditis ille, graviter commotus, has scripsit litteras.

VI.

* Hæc confer cum iis quæ in epistola ad Solitarios habentur infra num. 2. Porro quæ de Ario hic enarrantur, non ad hæresiarcham, sed ad hæresiarchæ cognominem ejusque sodalem nequidquam referre conatur postremus Socratis editor. Enimvero de ipso hæresiarcha hic agi certissimum est, ut in Epist. ad Solit. probabitur.

** Hæc epistola habetur infra de Synodis Arimini & Seleuciæ.

*** In editis post *detinuit*, hæc habentur, *& hæc quidem sancta synodus*. & hic perperam terminatur epistola ad quam sequentia *Imo ipse*, &c. pertinere liquet, tum ex contextu, tum ex libro de Synod. ubi hæc consequenter adjiciuntur.

**** *Qui decem circiter sunt, imo plures numero.* Hunc porro locum ita intellectum vult Valesius in notis ad Socratem, p. 25. ut singuli Mareotici presbyteri, decem aut plures maximos pagos administrandos haberent. Sed vix suaderi queat tot tantosque vicos unicuique presbytero commissos fuisse. Et alioqui huic interpretationi repugnare videtur ipse Athanasius dum ait, Ischyræ pagum ita parvum fuisse, ut nulla in eo fuerit ecclesia: quo innuit in amplioribus quibusque ecclesiam, atque adeo presbyterum extitisse; vide num. 63. Quare decem tantum vicos, aut plures in tota regione recensere Athanasium existimamus. Et sane vox χώρα, quam usurpat Athanasius de Mareote loquens, non amplam regionem significare videtur; sed haud magnum terræ spatium: haud exigua tamen regio fuisset Mareotes, si presbyteri Mareotici qui novemdecim numerantur in subscriptionibus epistolæ Alexandri, decem maximos pagos, imo plures singuli administrandos habuissent. Ptolemæus octo urbes aut pagos recenset.

* VICTOR CONSTANTINUS

Maximus Augustus Episcopis qui Tyrum convenere.

EQUIDEM ignoro quænam sint a vestra synodo turbulenter ac tumultuose judicata: veritas quippe tumultu ac confusione quadam oppressa videtur, vobis scilicet ob mutuam contentionem, quam invictam vultis, quæ Deo placent minime spectantibus. Sed erit illud divinæ providentiæ opus, istiusmodi discordiæ mala manifesto deprehensa dissipare, nobisque palam facere si qua vobis fuerit illic congregatis veritatis cura, & si judicia vestra citra gratiam ullam vel odium lata fuerint. Quocirca vos omnes quamprimum Pietatem nostram convenire volo, rerum a vobis gestarum accurate rationem coram reddituros. Porro quæ causa mihi fuerit hæc ad vos scribendi, vosque per litteras meas accersendi, ex sequentibus cognoscetis. Ingredienti mihi cognominem ac felicissimam patriam meam Constantinopolim, & equo tum insidenti, derepente Athanasius episcopus media in via cum nonnullis aliis se comitantibus ita inexpectatus occurrit, ut stuporem mihi attulerit. Testis mihi est omnium spectator Deus, me primo aspectu non agnovisse hominem: sed e nostris quidam & virum quis esset, & quibus affectus esset injuriis, nobis sciscitantibus, ut fieri solet, indicarunt. Tunc temporis igitur hominem non sum alloquutus, nec vel minimum cum eo sermonem feci. Rogante autem illo ut sibi aurem præberem, meque e converso id abnuente, ac propemodum jubente amoveri virum; majore cum fiducia ille nihil se postulare dixit, quam ut vos huc concedere juberem; quo præsentibus vobis de illatis sibi injuriis posset conqueri. Quod cum mihi æquum temporique congruum visum fit, hæc libenti animo ad vos scribenda jussi; ut quotquot Tyri congregatam synodum composuistis, quam maturrime ad exercitum meæ Clementiæ properetis, sinceritatem integritatemque judicii vestri ex operibus ipsis comprobaturi, coram me scilicet quem sincerum Dei esse famulum ne vos quidem ipsi inficias ire potestis. Et sane mea erga Deum religio causa est cur ubique terrarum pax habeatur, ipsis etiam ** barbaris qui hactenus veritatis ignari erant nomen Dei sincere laudantibus: planum est autem veritatis ignarum, etiam Deum ignorare. Attamen, uti supra dixi ipsi barbari, mea sinceri Dei famuli opera, Deum agnoverunt ac colere didicerunt: quem mihi ubique propugnatorem esse, meisque rebus providere reapse sunt experti: unde ad Dei notitiam devenere: quem illi quidem metu nostri venerantur, nos autem qui sancta mysteria clementiæ ejus præ nobis ferre videmur, nequaquam enim dixerim custodire, nos inquam nihil agimus quam quæ discordiam odiumque spectant, imo, ut apertius loquar, quæ ad humani generis perniciem vergunt. Verum, uti jam dictum est, maturate & ad nos quam celerrime properate: certumque habetote me toto virium conatu nisurum, ut illa potissimum in Dei lege firma & immota serventur, quibus nec vituperium nec infamia quæpiam possit inhærere: dissipatis scilicet, penitus oppressis, ac funditus deletis legis inimicis, qui specie sancti nominis, multiplices ac diversas proferunt blasphemias.

87. His acceptis Eusebiani conscii suorum facinorum, ceteris episcopis quominus Imperatorem adirent prohibitis, ipsi soli, Eusebius scilicet, Theognius, Patrophilus, alter Eusebius, Ursacius & Valens cum advenissent, nullam amplius fecere de calice vel de Arsenio mentionem: hæc quippe ultra movere ausi non sunt; sed aliud crimen ipsum spectans Imperatorem commenti, ajebant: Minatus est Athanasius se impediturum quominus solitum frumentum Alexandria in patriam tuam transvehatur. Hoc etiam audiere qui tum aderant *** Adamantius, Anubion, Agathammon, Arbethion, & Petrus episcopi: quod item ipsa probavit Imperatoris ira; nam qui ejusmodi litteras ante scripserat, illorumque iniquitatem damnarat, hac audita calumnia statim excanduit, ac nostra non exspectata defensione, nos relegavit in Gallias. Attamen illud ipsum eorum malignitatem magis coarguit: nam beatæ memoriæ Constantinus junior cum nos in patriam remitteret, memor eorum quæ pater suus scripsisset, has & ipse misit litteras.

**** CONSTANTINUS CÆSAR

Populo catholicæ Ecclesiæ Urbis Alexandriæ.

NEc sacræ mentis vestræ notitiam præteriisse arbitror, ideo Athanasium adorandæ legis interpretem in Gallias ad quoddam tempus missum fuisse, ut ne immanium ejus hostium feritas, quæ in periculum sacri illius capitis imminebat, eorumdemque improborum perversitas ad nefaria sustinenda eum cogeret. Ad eam igitur eludendam, e faucibus adorientium se virorum ereptus, ac sub me degere jussus, in hac urbe ubi commoratus est, omnibus necessariis abundavit: tametsi ejus præclara virtus divinis freta auxiliis, durioris fortunæ vilipendit ærumnas. Proinde etsi dominus noster Constantinus Augustus pater meus vestræ dilectissimæ pietati eumdem episcopum restituere, ac in pristinum reducere locum decreverat; quia tamen humana sorte præoccupatus, antequam votum impleſset suum ex hac vita migravit, consentaneum mihi existimavi divæ memoriæ Imperatoris propositum hæreditate acceptum exsequi. Porro Athanasius quantæ nobis venerationi fuerit, cum ad con-

* Hanc epistolam integram refert Socr. lib. 1. cap. 34. Sozom. lib. 2. cap. 28. Niceph. lib. 8. cap. 50. Historia Tripart. lib. 3. cap. 7.

** Athanasiana lectio vitiata videtur, licet eadem in omnibus editis & mss exstet. Epiphanius Scholast. totum hunc locum sic habet: *Igitur ubique pacificatur Dei nomen, & integre benedicitur per meam in Deo culturam etiam apud ipsos Barbaros, qui veritatem hactenus ignorabant.*

*** Errat Socrates qui hos episcopos quos quatuor tantum ille nominat, Athanasii accusatores apud Imperatorem fuisse refert l. 1. c. 35. cujus errorem secutus est Baronius. Enimvero constat eos Athanasii partibus addictos fuisse. Vide supra in subscriptionibus epistolæ ad Dionysium Comitem ubi illi quinque episcopi recensentur.

**** Habetur apud Socratem l. 2. c. 3. Sozomenum l. 3. c. 2. Theod. pag. 69. Nicephorum & in Historia Tripart. l. 4. c. 2.

conspectum vestrum venerit, agnoscetis. Nec mirum est si quid ejus gratia fecerim: ad hoc enim & desiderii vestri imago, & tanti viri species nos movit atque concitavit. Divina providentia vos servet, dilecti fratres. * Datum Treviris decimoquinto Calendas Julias.

88. Cum igitur hac de causa in Gallias simus relegati; quisnam Imperatoris propositum, sanguinariumque Eusebianorum animum hinc non animadvertat? quis non videat Imperatorem illud eo egisse, ut ne majorem illi in nos conflarent conspirationem? nam simplici animo aurem illis præbuit. Hoc fuit Eusebianorum opus: hæc ipsa fuæ in nos conspirationis molimina. Quis hæc advertens non fateatur nullam indulgentiam aut gratiam in causa nostra locum habuisse, sed jure & merito tantam episcoporum turbam & privatim singulos, & congregatos talia in nostram defensionem conscripsisse, inimicorumque sycophantiam damnasse? Quis conspectis hujusmodi rebus non fateatur Valentem & Ursacium jure sese reos declarasse, ac resipiscentes, ejusmodi litteras adversum se conscripsisse, quod mallent aliquantisper pudore suffundi ** quam æternum sycophantarum supplicium luere?

89. Idcirco recte & juxta ecclesiasticas leges, beati comministri nostri, cum nonnulli dubias esse res nostras affirmarent, niterenturque judicia pro nobis lata abrogare, ærumnas quaslibet sustinere, in exsiliumque pelli maluerunt, quam tot tantorumque episcoporum judicia abrogata cernere. Si itaque veri episcopi nostris insidiatoribus, qui ea quæ pro nobis gesta essent subvertere conabantur, verborum tantum tenus obstitissent: aut si vulgares fuissent homines, & non eximiarum urbium episcopi & capita tantarum ecclesiarum; suspicandum sane foret, ne gratia quadam aut favore ducti, nostri causa jam contenderent. Cum autem non solum verbis mihi patrocinati fuerint, sed etiam exsilium sustinuerint, ex eorumque numero sit Liberius Romæ episcopus; nam etsi exsi-

A lii ærumnas ad finem usque non toleraverit, attamen quod conflatam in nos conspirationem probe nosset, biennio in exsilii loco est commoratus: cum etiam ex eorum numero sit magnus ille Hosius, cum episcopis Italiæ, Galliarum, & aliis ex Hispaniis, ex Ægypto, & ex Libya, omnibusque Pentapoleos episcopis: nam licet ille ad breve tempus Constantii minis perterritus, iis non obsistere videretur, attamen ingens illa vis, atque tyrannica Constantii potestas, necnon plurimæ illæ contumeliæ & plagæ palam faciunt eum, non quod reos nos existimaret, sed quod propter senectutis infirmitatem plagas non

B ferret, ad tempus illis cessisse; æquum sane fuerit omnes, utpote rei certiores factos, injustitiam illam, & vim nobis illatam magis ac magis odisse ac perhorrescere: ideo maxime quod planissimum sit nos nulla alia de causa quam propter Arianam impietatem, hujusmodi mala esse perpessos.

90. Si quis igitur quæ nos spectant, simulque Eusebianorum sycophantiam ediscere cupiat, is quæ nostri gratia scripta sunt legat, testesque accipiat, non unum aut duos, vel tres, sed tantam episcoporum multitudinem; testes iterum sumat, Liberium & Hosium, eorumque socios, qui cum ad-

C versum nos gesta facinora conspicerent, extrema pati maluerunt, quam aut veritatem, aut judicium nostri gratia datum prodere: idque ex bono & sancto consilio egerunt; mala enim quæ isti perpessi sunt, quam vim alii quoque episcopi pertulerint, indicant. Sunt autem ea ipsa monumenta & cippi contra Arianam hæresim, & contra sycophantarum malitiam erecta: sunt etiam forma & exemplar posteris nostris, ut pro veritate usque ad mortem decertent, Arianamque hæresim, Christo inimicam, & Antichristi prodromum perhorrescant, neque illis adversum nos loquentibus fidem habe-

D ant. Apologia enim suffragiumque tot ac talium episcoporum, pro fide digno sufficientique innocentiæ nostræ testimonio habenda sunt.

* *Datum Treviris xv. Calendas Julias*, id est, 17. Junii. De anno autem disputant recentiores. Valesius 337. alii vero sequentem adsignant: litem resolvunt Athanasius & Theodoretus. Ille in epistola ad Solit. paulopost initium: ταῦτα συνορῶντες, ait, *οἱ τρεῖς ἀδελφοί*, Κωνσταντῖνος, Κωνστάντιος, καὶ Κώνστας, *ἐποίησαν πάντας μετὰ θάνατον τοῦ πατρὸς ἐπανελθεῖν εἰς τὴν πατρίδα καὶ τὴν ἐκκλησίαν· γράψαντες περὶ μὲν τῶν ἄλλων, ἰδίᾳ τῇ ἑκάστου ἐκκλησίᾳ· περὶ δὲ Ἀθανασίου ταῦτα*. *Hæc cum animadverterent tres fratres, Constantinus, Constantius & Constans, post patris obitum, omnes in patriam & ecclesiam suam reverti jusserunt: scribentes quidem de singulis ad proprias ecclesias, de Athanasio autem ad hunc modum*. Post hæc subjicitur initium epistolæ Constantini junioris. Hinc sane liquet ex trium fratrum consensu exules omnes revocatos fuisse; atque adeo non anno 337. sed sequente, 17. Junii scriptam fuisse hanc epistolam, Athanasiumque ex Galliis rediisse. Cum enim anno 337. Maji vigesima secunda Constantinus obierit, vix 17. Junii ejusdem anni nuntium obitus Constantinopoli Treviros pervenisse credatur. Nec tam modico temporis intervallo, fratres Cæsares tanto itinere disjuncti, ac tam gravibus alias negotiis implicati, communi consensu exules revocare ac litteras exulibus tradere potuerunt. Quæ sententia validissima firmatur Theodoreti testimonio qui l. 2. c. 1. ait Athanasium biennio & quatuor menses Treviris commoratum. Cum enim Athanasius initio anni 336. Treviros advenerit, non potuit nisi anno 338. duos annos & quatuor menses ibidem confecisse.

** His, *quam æternum sycophantarum supplicium luere?* terminatur secunda pars Apologiæ. Siquidem antequam illam ordiatur, ait Athanasius num. 58. se illam ideo conscripsisse, ut palam faceret episcopos non gratia quadam, sed jure & merito litteras innocentiæ suæ testes scripsisse: ut item ostenderet Ursacium & Valentem veritatem esse confessos. Quamobrem Apologiam claudens ait se utrumque expiotatum fecisse; Episcopos scilicet jure & merito, & non gratia quadam pro sua defensione scripsisse: Ursacium vero & Valentem jure se reos declarasse, maluisseque aliquantisper pudore suffundi, quam in æternum sycophantarum supplicium luere. His autem postremis verbis innuitur Ursacium & Valentem nondum in Arianam impietatem recidisse quando Athanasius hanc edidit Apologiam: atque adeo eam ante annum 352. scriptam fuisse, ut initio monuimus. Et vero si Ursacius & Valens Athanasii accusatoribus sese jam denuo sociassent, uti fecere circa annum 351. vel 352. an credibile est illud ab Athanasio prætermittendum fuisse? an eorum resipiscentiam ex metu æterni supplicii provenisse Athanasius dixisset, si Ursacius ipse cum Valente jam declarassent se solo Constantis Imperatoris metu eo adductos fuisse, ut accusationes suas falsas esse faterentur quæ tamen veræ fuissent; quod illos postea fecisse Athanasius testatur in Epist. ad Solitarios? Hinc sane liquet ea quæ subsequuntur *Idcirco recte & juxta*, &c. usque ad finem, diu post scriptam Apologiam hic addita fuisse, post lapsum scilicet Liberii & Hosii, qui in annum cadit 357.

ADMO-

ADMONITIO IN EPISTOLAM

DE DECRETIS NICÆNÆ SYNODI

CONTRA ARIANOS.

I. QUÆ *sequitur epistola, responsum est S. Athanasii ad amicum. Hic nimirum cum in disputatione, quam cum nonnullis Arianæ hæresis propugnatoribus habuerat, impia Arii dogmata plene confutasset; illi, contra quos disputabat, quid responderent anxii, postremo se converterunt ad criminandum sanctam Synodum Nicænam, quod vocabula non scripta, id est, quæ in sacris Scripturis non exstant, in fidei definitione adhibuerit, nempe voces* ex substantia *&* consubstantialis: *quos tametsi ita rixantes & nugantes penitus compescuit, tamen ut accuratius quæ in Synodo Nicæna contra Arium & Arianos gesta essent resciret, rogavit S. Athanasium, ut qui ipse Concilio adfuerat, rem totam, prout acta fuerat, sibi vellet narrare: quod hac in epistola abunde præstat Athanasius.*

II. *Ac primo quidem exagitat Arianorum inconstantiam in sententiis mutandis, quod pravæ doctrinæ signum evidens esse ait, cum constantia sit veræ indicium certum. Tum breviter commemorat quomodo Synodus se erga Eusebianos initio gesserit: ac postquam ipse in Eusebianos Arianamque impietatem prolixe satis invectus est, variaque illorum refellit argumenta: ut depellat criminationem qua Arii fautores in Synodum Nicænam utebantur, quod scilicet nova excogitaverit vocabula, dilucide exponit, quonam pacto dolus astutiaque Eusebianorum Patres compulerit ad declarandum Filium esse* ex substantia *Patris & Patri* consubstantialem. *Quod idem etiam refert epistola ad Afros.*

III. *Quamvis autem concedat Athanasius dictiones* ex substantia *&* consubstantialis *in Scripturis sacris non legi, tamen rem ipsam in eis contineri ostendit, nec eas a Synodo fuisse inventas, sed longe antea ab antiquioribus usurpatas; Theognostum enim olim docuisse* substantiam Filii esse ex substantia Patris absque ulla divisione natam. *Dionysii quoque Alexandrini affert auctoritatem asserentis* Filium esse Patri consubstantialem. *Nam cum eum quidam criminarentur negasse Filium esse Patri* consubstantialem, *ipse Dionysio Romæ episcopo, cui se purgat, scribit se tantum dixisse dictionem illam unsquam reperiri in sacris Scripturis, non autem rem ipsam reprobare, sed potius amplecti. Quod sane illustre argumentum est hujus vocis antiquitatis.*

IV. *Insigne etiam ibidem monumentum catholicæ fidei circa SS. Trinitatem adducit, fragmentum videlicet libri Dionysii Romæ episcopi adversus Sabellianos. Erant enim hujus ætate qui, ut Sabellium refellerent, docebant tres SS. Trinitatis hypostases esse a se invicem diversas, ac proinde tres quasi Deos prædicabant: alii autem ajebant Verbum opus & rem factam esse. Utrosque jure coarguit Dionysius, docetque contra illos tres SS. Trinitatis hypostases non esse divisas a se invicem, nec Filium esse factum sed genitum.*

V. *Origenis quoque testimonio utitur Athanasius docentis* Verbum æternum esse ejusdemque ac Patrem substantiæ. *Nam quæ in ejus operibus videntur huic catholicæ sententiæ esse contraria, ait Athanasius illum non ex propria mente proponere, sed ex eorum quibuscum disputabat. Nec vero aliquibus mirum videri debet ea, quæ postmodum dictitabant Ariani, hic ab Origene aperte condemnari, hæc nimirum verba,* Fuit aliquando, cum non esset Filius: *siquidem id necessario sequitur ex illorum sententia qui Filium non semper fuisse arbitrabantur. Hinc Dionysius Romanus in loco, cujus mox meminimus, sic loquitur:* Si factus est Filius; fuit aliquando cum non esset; *quam impietatem Origenes eodem modo ac ille impugnat. Quapropter cum Origenis temporibus essent qui idem sentirent, quod postea Ariani: nil profecto mirum, si eosdem quoque loquendi modos adhiberent. Sed ex his satis fuerit observare fuisse longe ante Arium, Arianæ impietatis præcursores.*

VI. *Postremo S. Athanasius de voce* ἀγένητον *disputat. Hanc Arianos a profanis auctoribus mutuatos esse ait, ut, post explosas alias eorum voculas, suam impietatem novo hoc vocabulo tegerent. Nam cum solum Patrem* ἀγένητον, non-factum, *dicendum esse vellent, concludebant Filium* γενητὸν, factum, *debere dici. Verum fraudem istam aperit & repellit Athanasius, docetque Deum* nnn-factum *appellari, quatenus τοῖς* γενητοῖς rebus factis *opponitur, sed appellari* Patrem *cum refertur ad* Filium. *De voce* ἀγενήτου *disserit quoque Orat. 1. contra Arianos, & in epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, in qua circa finem locum affert epistolæ S. Ignatii ad Ephesios scribentis Dominum esse simul* γενητὸν factum *&* ἀγένητον non-factum. *Scilicet, ut explicat S. Doctor, Dominus* γενητὸς factus *dicitur, quatenus homo, &* ἀγένητος non-factus, *quatenus Deus. Ibidem quoque non negat aliquos post Ignatium Doctores solum Patrem dixisse* ἀγένητον non-factum: *at respondet eos ita locutos, non quod Filium* γενητὸν factum *putarent, sed ut Patrem nullam sui causam habere significarent, esseque Patrem sapientiæ, per quam omnia* γενητὰ facta *fecit.*

VII. *Ex his porro aliisque infra ad num. 28. dicendis, liquet* ἀγένητον *legendum esse, non vero* ἀγέννητον. *Nam* ἀγένητον *Athanasius semper opponit τῷ* γενητῷ. *At* ἀγέννητον *significat* non-genitum, *opponiturque τῷ* γεννητῷ genito, *quo sane modo verum est solum Patrem esse* ἀγέννητον, *& Filium* γεννητὸν *utpote a Patre genitum, uti luculenter docet S. Joannes Damascenus lib. 1. orthodoxæ fidei cap. 9. his verbis:* Χρὴ γὰρ εἰδέναι ὅτι τὸ ἀγένητον δι' ἑνὸς ν γραφόμενον τὸ ἄκτιστον ἤτοι μὴ γενόμενον σημαίνει. τὸ δὲ ἀγέννητον διὰ τῶν δύο νν γραφόμενον, δηλοῖ τὸ μὴ γεννηθέν .... κατὰ μὲν οὖν τὸ πρῶτον σημαινόμενον κοινωνοῦσιν αἱ τρεῖς τῆς ἁγίας θεότητος ὑπέρθεοι ὑποστάσεις· ὁμοούσιοι γὰρ καὶ ἄκτιστοι ὑπάρχουσι. κατὰ δὲ τὸ δεύτερον σημαινόμενον, οὐδαμῶς. μόνος γὰρ ὁ πατὴρ ἀγέννητος· οὐ γὰρ ἐξ ἑτέρας ἐστὶν αὐτῷ ὑποστάσεως τὸ εἶναι. *Id est:* Sciendum est vocem ἀγένητον per unum ν scriptam, significare quod increatum est, sive quod non est factum. At vox ἀγέννητον per duo νν scripta, significat quod non est genitum..... Ea vox secundum primam significationem communis est tribus sanctæ divinitatis hypostasibus divinissimis; nam consubstantiales sunt & increatæ; sed juxta secundam significationem

tionem non est communis; siquidem solus Pater est *ἀγέννητος non-genitus*, quippe qui non sit ex alia hypostasi. *Eadem totidem verbis exstant in libro de SS. Trinitate cap.* VIII. *in fine* VI. *Tomi operum S. Cyrilli Alexandrini.*

VIII. *Videtur tamen antiquis scriptoribus ignota fuisse hujusmodi distinctio. Namque Cicero Tusculan.* I. *τὸ ἀγέννητον vertit* id cujus nulla est origo, *&*, quod non oritur vel nascitur: *sic enim hæc Platonis in Phædro verba reddit, ἀρχὴ δὲ ἀγέννητον*, principii autem nulla est origo: *ἐπειδὴ δὲ ἀγέννητόν ἐστι*, quod si nusquam oritur: *ἐξ ἀνάγκης ἀγέννητόν τε καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη*, natura animi neque nata certe est, & æterna est. *Verum nec illi etiam videntur posuisse discrimen inter* non nasci *sive* non gigni, *&* non fieri. *S. Hilarius libro contra Constantium, num.* 16. *eamdem vocem reddit* innascibilem, *nisi forte legerit ἀγέννητον.* Novitates vocum, *inquit ille ad Constantium*, sed profanas devitari jubet Apostolus. Tu cur pias excludis, cum præsertim ab eo dictum sit: omnis scriptura divinitus inspirata utilis est? INNASCIBILEM scriptum nusquam legis, numquid & hoc negandum erit, quia novum est? *Notanda quoque Tertulliani verba, qui libro de anima cap.* IV. *vocem ἀγέννητον ex Platonis loco paulo ante citato simul* innatum & infectum *reddit*. Consequens enim est, *inquit*, ut ex Dei flatu animam professi, initium ei deputemus. Hoc Plato excludit, INNATAM ET INFECTAM animam volens: & natam autem docemus & factam, ex initii constitutione. Nec statim erravimus utrumque dicentes, quia scilicet aliud sit natum, aliud factum, utpote illud animalibus competens. Differentiæ autem, sua habendo loca & tempora, habent aliquando & passivitatis commercia. Capit itaque & facturam pro nasci poni; siquidem omne, quod quoquo modo accipit esse, generatur. Nam & factor ipse parens facti potest dici: sic & Plato utitur. *Hæc ille.*

IX. *De tempore quo hæc data fuit epistola dicendum restat. Constat compositam fuisse post Eusebii Cæsariensis mortem: nam Acacio ejus successore scripta est, ut patet num.* 3. *Certum quoque est scriptam fuisse mortuo Eusebio Nicomediensi, quandoquidem de eo, tanquam qui non amplius esset superstes, passim loquitur Athanasius. Denique pacis tempore nullaque in Athanasium grassante persecutione editam esse innuunt hæc verba quæ num.* 2. *habentur:* Ne mireris, si nunc ita se gerant (Ariani:) siquidem haud multo post futurum est, ut iidem ad injurias se se convertant; deindeque cohortem & tribunum nobis minitabuntur: his enim tota innititur perversa illorum doctrina. *Ex quibus perspicuum fuerit hæc tunc scripsisse S. Athanasium, cum quiescerent Ariani, nihilque contra ipsum palam molirentur. Quocirca statuendum videtur scriptam esse hanc Epistolam ab anno* 350. *ad annum* 354. *nempe post reditum Athanasii Alexandriam occiso Gregorio Alexandriæ pseudoepiscopo, antequam eum iterum vexare cœperit Constantius.*

X. *In fine subjecimus Epistolam Eusebii Cæsariensis ad suæ Parœciæ homines, quemadmodum se subjecisse ait S. Athanasius num.* 3. *ut & exstat in manuscripto Regio ac in Basiliensi Felckmanni, eaque in tomo* 2. *editionis Commelianæ inserta est, cum sero nimis animadversa, suo loco amplius reponi jam non posset, ut ibidem dicitur. In aliis autem editionibus penitus omissa fuit.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

EPISTOLA,

Quod Nicæna synodus perspecta Eusebianorum calliditate, congruenter & pie quæ adversus Arianam hæresim decreta sunt ediderit.

Scripta ab anno 350. ad annum 354.

I. RECTE quidem tu fecisti, qui tuam cum Arianæ hæresis propugnatoribus disputationem mihi significaveris, adfuisseque inter eos, nonnullos ex Eusebii sodalibus, plurimosque e fratribus qui fidem Ecclesiæ sequuntur. Tua igitur quæ vero Christi amore ardet vigilantia, mihi valde placuit, eaque impiam hæresim egregie confutavit. Vehementer autem illorum impudentiam sum admiratus, quod tametsi clare ostensum fuit Arianorum rationes futiles admodum & inanes esse, ipsique ab omnibus, omnis nequitiæ condemnati fuerint, tamen nihilominus more Judæorum murmurent ac identidem dicant: Quare qui Nicææ convenerunt, vocabula non scripta, nempe *ex substantia* & *consubstantiale* scripsere? Tu quidem ut vir disertus, illos ita etiam tergiversantes nihil nisi falsa effutire demonstrasti: at illi nihil alienum a pravitate suæ mentis committunt, cum varias comminiscuntur difficultates. Tam sunt enim inconstantes in variandis sententiis, quam chamæleontes in mutando colore. Hinc cum convincuntur, erubescunt: hærent

A autem cum examinantur, ac tandem vana impudenter prætexunt, quæ si quis refellerit, non defatigantur donec ea quæ nulla sunt excogitaverint, & inania, ut scriptum est, fuerint meditati, nec aliam ob causam nisi ut impii permaneant. Id autem nihil aliud sane est, quam propriæ ipsorum insipientiæ evidens argumentum, nec non Judaicæ, uti jam dixi, nequitiæ imitatio. Siquidem Judæi cum a veritate convicti, oculos contra eam attollere non valerent, hujusmodi interrogatiunculis se obtegebant: *Quod tu facis signum ut videamus & credamus tibi? Quid operaris?* Quam-
B quam, tot signa fierent, ut etiam ipsi cogerentur dicere: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Nam mortui excitabantur, claudi ambulabant, videbant cæci, leprosi purgabantur, aqua mutabatur in vinum, & quinque panibus quinque millia hominum sunt saturati. Hinc omnes quidem Dominum admirabantur & adorabant, fatebanturque in ipso impleri prophetias, eumque Deum & Filium Dei esse. Soli autem Pharisæi, tametsi sole clariora erant signa, nihilominus

Arianorum levitas & inconstantia in mutandis sententiis.

Psal. 2. 1.

Joan. 6. 30.

Joan. 11. 47.

nus tanquam imperiti murmurabant & ajebant: Quare *tu homo cum sis, facis teipsum Deum?* (Joan. 10. 33.) Stulti profecto vereque mente cæci, quos scilicet potius ita loqui decuisset: Quare tu Deus cum sis, homo factus es? Siquidem (Joan. 5. & 9.) Deum illum esse opera ipsa ostendebant. Ita enim illi & Patris benignitatem fuissent venerati, & illius factam nostri causa dispensatinnem non potuissent non admirari. Verum tantum aberat ut id dicerent, ut etiam nec quæ fiebant, vellent videre; vel si videbant: (nec enim ista poterant non videre) rursus ad aliam confugiebant querelam. Cur Sabbato, inquiebant, paralyticum sanas, & visum cæco nato restituis? Hæc autem speciosæ dumtaxat causæ erant, nihilque aliud, nisi merum murmur. Illi enim etiam cum aliis diebus Dominus omnem morbum & infirmitatem sanaret, more solito conquerebantur, malebantque, Beelzebul eum appellantes, in impietatis suspicionem venire, quam propriam abjicere nequitiam. Hinc licet Salvator variis multisque modis suam ipse divinitatem patefaceret, Patrisque cognitionem omnes edoceret, illi velut in stimulos calcitrantes stulte blaterantes contradicebant, idque tantummodo ut juxta divinum proverbium excogitatis * occasionibus se ipsos a veritate separarent. (Prov. 18. 1.)

2. Itaque Judæi qui tam improbe Dominum negabant, jure merito & legum & omnium quæ Patribus promissa fuere expertes facti sunt. Ariani vero qui Judæos hodie imitantur, Caiphæ & Pharisæorum mihi videntur esse haud dissimiles. Cum enim suam hæresim nihil quod rationi sit consentaneum continere videant, occasiones pariter confingunt, cum hoc pacto interrogant: Cur hoc potius quam illud scriptum est? Verum ne mireris, si nunc ita se gerant: siquidem haud multo post futurum est ut iidem ad injurias sa se convertant; deindeque, cohortem & tribunum nobis minitabuntur: his enim tota innititur perversa illorum doctrina. Nempe postquam Dei Verbum sive Rationem rejecerunt, meritissimo omni prorsus ratione sunt privati. Quæ quidem cum mihi penitus essent perspecta, nihil profecto illis respondissem. Verum quia tua Caritas ea quæ in Synodo acta sunt scire ex me voluit, rem diutius nolui differre, sed confestim quæ tunc gesta sunt nota feci, paucisque demonstravi quam a recta fide procul sit Ariana hæresis, nilque aliud illos nisi vana effugia comminisci. Tu porro, carissime, vide an non ita se res habeat. Nam si his ipsi confidunt quæ auctore & seminatore diabolo perverse excogitavere, purgent se prius de illis erroribus propter quos hæretici sunt declarati, ac deinde quæ contra se decreta sunt, si possint criminentur. Nemo enim homicidii aut adulterii convictus jus habet, post judicium, sententiam judicis criminandi, cur nempe non sic sed sic locutus fuerit. Namque id eum, qui fuerit condemnatus, minime liberaverit, sed potius ejus culpa hujusmodi temeritate & audacia augetur. Illi ergo similiter vel ostendant se pie sentire; siquidem accusati, convicti sunt, cum nihil antea essent conquesti: æquum autem est eos qui accusantur, nihil aliud agere quam ut se defendant. Vel si sordidata convicti conscientia, suam impietatem agnoscunt, ne igitur culpent quæ ignorant, ne forte ipsi duplex inde malum secum referant, impietatis simul & ignorantiæ merito condemnati. Rem potius studiose expendant, ut his, quæ prius nesciebant,

A cognitis, impias suas aures veritatis unda & pietatis dogmatis possint abluere. Sic igitur in Nicæna Synodo erga Eusebianos actum est.

3. Ut erant in sua impietate pertinaces, moliebanturque cum ipso Deo pugnare, ita quæ ab eis dicebantur, plena erant impietatis. Episcopi autem qui trecenti plus minus convenerant, mansuete ac perhumaniter ab illis postularunt, ut de his quæ dicebant rationem redderent, piasque afferrent demonstrationes. Qui ut vix loqui cœperunt, dignissimi visi sunt ab omnibus qui condemnarentur; ipsi enim inter se altercabantur, agnitaque suæ hæresis futilitate muti permanebant, & suo silentio perversæ sententiæ turpitudinem fatebantur. Itaque Episcopi vocabulis quæ B illi commenti erant rescissis, sanam & Ecclesiasticam fidem adversus illos exposuere, cui cum omnes subscripsissent, Eusebiani quoque his ipsis vocabulis quæ nunc reprehendunt subscripsere, nempe quod Dei Filius ex substantia sit Patris, eique consubstantialis, & quod neque res creata, nec facta vel condita sit, sed quod Verbum ex Patris substantia sit genitum. Imo quod mirum est, ipse Eusebius Cæsareæ in Palæstina Episcopus, qui pridie restiterat, postea subscripsit, hancque Ecclesiæ fidem & Patrum traditionem esse, missis ad suam Ecclesiam litteris, significavit, omnibusque C aperte declaravit illos prius errasse frustraque adversus veritatem contendisse. Licet enim tunc eum his uti vocibus puduerit, atque ut voluit, ipse se Ecclesiæ excusaverit, tamen cum in Epistola voces *consubstantialis* & *ex substantia* non repudiaverit, illud certe quod diximus palam voluit indicare. Ea autem in re grave quiddam ei accidit. ** Nam cum se veluti purgaret, Arianos demum accusavit quod, cum scriberent filium non fuisse antequam genitus esset, illum nec antequam in carne nasceretur exstitisse voluerint. Quod sane non potest ignorare Acacius, nisi & ipse nunc præsentis temporis causa, factum præ metu dis-D simulet, veritatemque neget. Itaque in fine, subjeci Eusebii Epistolam, ut Christi hostium ac insignem præcipue Acacii in suos magistros perfidiam ex ea liquido cognoscas.

Quomodo in Synodo Nicæna actum fuerit cum Eusebianis.

Eusebius Cæsariensis Epistola ad suam Ecclesiam missa, Definitionem Synodi Nicænæ approbavit.

4. An non igitur illi iniquissime agunt, si vel solum in animum inducant tanto & generali Concilio reclamare? An non scelerati habendi sunt qui adversis oculis contueri audent ea quæ recte contra Arianam hæresim decreta fuere, & ab illis ipsis probata sunt, quos prius habuere impietatis magistros? Quod si Eusebiani postquam subscripserunt, ad proprium impietatis vomitum velut canes revertere; E nonne eo magis odio digni sunt hi qui nunc contradicant, quod suarum animarum libertatem aliis propinantes, illos ipsos duces hæresis habere velint? homines, ut ait Jacobus, duplices animo & inconstantes in omnibus viis suis, nec in una permanentes sententia, sed modo unam modo aliam amplectentes, modo quæ dixerint laudantes, modo vituperantes eadem, rursusque idem quod paulo ante reprehendebant, approbantes. *** Id vero, ut ait Pastor, non nisi a diabolo ortum habet, cauponumque potius quam magistrorum est insigne. Siquidem vera illa doctrina est, uti Patres F tradidere, verumque doctorum indicium, cum omnes inter se consentiunt, non autem vel secum vel cum suis patribus litigant. Nam qui non ita

Eusebiani postquam definitioni synodi Nicænæ subscripsere, ad priorem reverterunt impietatem. Jacobi 1. 8.

Lib. 1. mand. 9.

Vera doctrinæ insigne, est perpetua in doctrina constantia, & doctorum inter se consensus.

Y funt

* Hic alludit S. Athanasius ad Prov. 18. 1. προφάσεις ζητεῖ ἀνὴρ βουλόμενος χωρίζεσθαι ἀπὸ φίλων. Id est, ut habet vulgata, *occasiones quærit, qui vult recedere ab amico*. Sic nempe Ariani vanis suis querelis occasiones quærebant ut a veritate recederent.

** Hæc sunt ipsa Eusebii verba ex ejus epistola quam in fine hujus operis subjici curavimus: ὅτι τὸ ἀναθεματίζεσθαι τὸ πρὸ τοῦ γεννηθῆναι οὐκ ἦν, οὐκ ἄτοπον ἐνομίσθη τῷ παρὰ πάντων ὁμολογεῖσθαι τὸ εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ πρὸ τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως. Id est: *Nec enim absurdum visum est his vocibus, non erat antequam genitus est, anathema dicere, cum omnes fateantur esse Dei filium priusquam secundum carnem gigneretur.*

*** Verba Pastoris ex homilia 85. Antiochi hæc sunt: ἡ γὰρ διψυχία θυγάτηρ ἐστὶ τοῦ διαβόλου. Versio antiqua latina: *Etenim hæc dubitatio filia est diaboli.*

sunt affecti, improbi, non veri doctores sunt appellandi. Hinc Gentiles qui inter se non consentiunt sed dissident, vera privantur doctrina. Sancti autem & qui veritatis revera sunt præcones, inter se concordant, non discordant. Nam licet diversis illi floruerint temporibus, idem tamen omnibus scopus fuit, quippe qui unius Dei essent prophetæ & idem summo consensu nunciarent Verbum.

5. Hinc ergo quæ Moyses docuit, hæc custodivit Abraham: quæ vero custodivit Abraham, hæc Noe & Enoch perspecta habuerunt, qui munda & immunda noverant discernere, ac Deo grati facti sunt. Eadem quoque instructus doctrina Abel martyrium est passus: qui quidem ipse ea ab Adamo didicerat; Adamus autem ab ipso Domino, qui cum in fine sæcu-
1. Joan. 2. 7. lorum ad destruendum peccatum venisset, ait: *Non mandatum novum do vobis, sed mandatum vetus, quod ab initio audistis* *. Idcirco eadem ab eo edoctus beatus Apostolus Paulus, cum munia Ecclesiastica præscriberet, noluit Diaconos multoque minus Episcopos bilingues esse. Cum autem idem Galatas objurga-
1. Tim. 3. 8. ret, generatim rem hoc modo definivit: *Si quis vo-*
Gal. 1. 9. 8. *bis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit, sicut prædixi & iterum dico. Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præter id quod accepistis, anathema sit.* Quæ cum ita denunciet Apostolus, vel illi igitur Eusebianos qui, mutata sententia, alia nunc docent quam quibus subscripsere, anathemate percutiant: aut si agnoscant recte illos subscripsisse, adversus tantam Synodum desinant tandem obgannire. Quod si neutrum velint agere, certum erit argumentum illos omni vento & fluctu circumferri, neque propriis sed alienis duci sententiis: qui si tales fuerint, neque etiam nunc cum hujusmodi opponunt rationes ulla fide digni sunt habendi. Quin ergo potius ea quæ ignorant cessent criminari: forte enim quid verum sit, nesciunt discernere, sed malum imperite ac temere appellant bo-
Esa. 5. 20. num, & bonum malum: amarum, dulce esse arbitrantur, & dulce amarum. Hinc certe quæ ut mala judicata sunt & reprobata, ea illi vim habere volunt: quæ autem recte sunt decreta, reprehendere nituntur. Sane nec aliquid amplius a nobis esset addendum, vel ad illa defendenda, vel ad vanis eorum rationibus respondendum, nec illi quoque adhuc deberent contendere, sed potius his assentiri quibus suæ hæresis duces subscripsere, utpote qui non ignorent, eam quæ secuta est Eusebianorum mutationem, suspectam ac fraudulentam esse. Quod enim subscripserint postquam saltem se breviter potuerunt defendere, hoc ipsum plane testatur quam impia sit Ariana hæresis. Nec enim subscripsissent, nisi prius illam hæresim condemnassent, nec condemnassent, nisi eos undique hæsitantes pudor ad id agendum coegisset. Quocirca illorum commutatio, evidens est indicium suæ in impietate defendenda pertinaciæ. Illos igitur, sicuti dictum est, præstaret quiescere: verum quandoquidem insigni sunt impudentia præditi, arbitranturque se posse felicius quam illos
Non jam extat hæc Epistola. diabolicam hanc impietatem propugnare: etiamsi in priore Epistola quam ad te misi, fusius contra eos disputarim, istorum tamen, ut antea illorum dicta singula examinare non gravabor. Spero enim non minus nunc fore perspicuum, eorum hæresim haud sanam, sed totam dæmonicam esse.

Arianorum doctrina. 6. Ajunt itaque, quemadmodum & illi dicere audebant: „ Non semper Pater, non semper Filius: Nam

A „ non erat Filius antequam esset genitus: sed ipse „ quoque ex nihilo fuit factus. Hinc non semper Deus „ fuit Filii Pater; sed cum factus & creatus est Filius, tunc etiam Deus, ejus Pater est appellatus. „ Namque res creata & facta est Verbum, quod & „ substantia Patri dissimile est ac externum: non autem natura aut verus est Patris Filius, neque sola & „ vera ejus est Sapientia, sed creatum est & una ex „ rebus creatis, Verbumque & Sapientia non nisi abusione dicitur. Per Verbum enim quod est in Patre & „ ipsum quoque factum est ut & cetera omnia: ac proinde nec Filius verus est Deus. „ Ego vero hoc pri-
B mum ab illis velim sciscitari, quidnam prorsus sit Filius, quidve eo nomine significetur, ut hoc pacto ipsi quid dicant possint intelligere. Equidem ex divina Scriptu- Duplex est vocis filii significatio.
ra discimus duplicem hujus nominis esse significationem, unam, cujus Moyses in lege meminit: *Si audieritis*, inquit, *vocem Domini Dei vestri, ut custodia-* Deuter. 13. 18. & 14. 1.
tis omnia mandata ejus quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias bonum & quod acceptum est Domino Deo tuo; filii estis Domini Dei nostri. Quo etiam sensu Joannes in Euangelio ait: *Quotquot autem receperunt* Joan. 1. 12.
eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Alia vero
C ejusdem vocis significatio est, qua Isaac, Abrahæ dicitur filius; & Jacob, Isaac; & Patriarchæ, Jacob. Respondeant igitur, quo sensu Dei Filium esse intelligentes, ista de illo audent effutire? Nullus enim dubito quin ad eamdem devolvantur impietatem atque Eusebiani. Quod si vocem Filii secundum priorem significationem Verbo attribuant, quo nempe sensu his etiam convenit qui ob mores in melius mutatos hoc nomine dignantur, & potestatem filios Dei fieri accipiunt; quæ etiam illorum erat doctrina: si, inquam, ita volunt esse, nihil sane a nobis Verbum differre videbitur, nec unigenitus dicendus
D erit, quippe qui & ipse propter virtutem, Filii nomen sit consecutus. Namque etiamsi, quemadmodum dictitant, talis fore præcognitus, simul ut natus est, Filii nomen hujusque nominis decus acceperit: tamen nihil inter eum & illos intererit qui post ipsa opera eodem nomine sunt dignati quamdiu scilicet ipse eam dumtaxat ob causam filius esse existimabitur. Etenim Adam qui gratiam initio acceperat, simulque ac natus est in paradiso fuit collocatus, nihil differebat ab Enoch, qui nonnisi aliquo postquam natus est tempore, cum Deo placuisset, translatus fuit, neque item ab Apostolo qui & ipse
E post recte facta in paradisum est raptus; imo nec etiam ab illo latrone, cui ob confessionem promissum est ipsum continuo in paradiso futurum.

7. Verum his illi vehementer pressi, idem forte responsuri sunt, quod sæpe erubescentes dictitarunt: „ Ita „ intelligimus Filium rebus ceteris antecellere, & ideo unigenitum dici, quod ipse solus a solo Deo factus „ sit, cetera vero omnia a Deo per Filium sint creata. „ Quis, quæso, stultam hanc & novam cogitationem vobis suggessit, ut affirmetis solum Filium ab ipso solo Patre factum fuisse, cetera vero omnia per Filium tanquam per administrum fuisse producta?
F Si enim præ lassitudine solum Filium potuisse a Deo produci velitis: hæc de Deo cogitare impium sane fuerit, maxime cum Esaiam dicentem audierimus: *Deus* Esai. 40. 28
sempiternus, Deus qui construxit terminos terræ, non esuriet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus. Siquidem ipse potius robur impertit esurientibus, & per suum Verbum laborantes recreat. Sin vero indignum seipso esse putavit, ea se efficere quæ post Filium sunt producta: id etiam absque impietate dici non potest.

* Hæc a Joanne scripta S. Athanasius Christo accommodat. Verba Joannis sunt ep. 1. cap. 2. v. 7. οὐκ ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν, ἀλλ᾽ ἐντολὴν παλαιὰν ἣν εἴχετε ἀπ᾽ ἀρχῆς· ἡ ἐντολὴ ἡ παλαιά ἐστιν ὁ λόγος ὃν ἠκούσατε ἀπ᾽ ἀρχῆς. *Non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus quod habuistis ab initio: mandatum vetus est verbum quod audistis.*

test. Nec enim est in Deo superbia, qui & ipse cum Jacob in Ægyptum profectus est, & propter Abraham Saræ causa Abimelech castigavit, qui idem cum Moyse, tametsi homine, os ad os loquebatur, & in montem Sina descendit: ac denique occulta gratia qua populum adjuvit, devicit Amalec. Verum falsa hæc sunt quæ propugnatis: siquidem *ipse fecit nos & non ipsi nos*. (Psal. 99. 3.) Ipse est qui per suum Verbum omnia & parva & magna fecit: nec res creatas fas est dividere ita ut dicatur, hoc Patris, illud Filii esse: verum omnia sunt unius Dei, qui proprio Verbo tamquam manu utitur, atque omnia in eo facit, ut ipse Deus his verbis docet: *Manus mea fecit hæc omnia*. (Esa. 66. 2.) Idem etiam didicit & docuit Paulus: *Unus*, inquit, *Deus ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia*. (1. Cor. 8, 6.) Ipse igitur & semper & nunc imperat soli, & exoritur: nubibus præcipit, & in unam terræ partem effunduntur: quæ autem non irrigatur, siccatur. Jubet similiter terram fructus edere, & Jeremiam in utero format. Si porro hæc nunc ipse efficit, dubium certe non est quin ipse etiam ab initio indignum se non putaverit omnia per Verbum facere: quippe cum ista rerum universarum sint partes.

(Refellitur Asterius Arianus.) 8. Sin autem quia res aliæ creatæ, actionem invictæ * non-facti manus ferre non valerent, solus Filius a solo Deo est factus, res vero aliæ per Filium tanquam ministrum & adjutorem factæ sunt, ut scripsit ** Asterius qui idolis immolavit, quod idem transcriptum Arius suis tradidit, quo utique vocabulo tanquam calamo quassato utuntur, nec stulti ejus agnoscunt futilitatem. Si enim res factæ manum Dei ferre non poterant, ipse autem Filius una est, ut sentitis, ex rebus factis; quomodo ipse a soln Deo fieri potuit? Si item ut res factæ fierent, intermedio adjutore opus fuit, & Filius, ut putatis, factus quoque ipse est: profecto necesse etiam fuit intermedium aliquem ante eum fuisse, ut crearetur, qui ipse intermedius cum res creata quoque esset, alio item intermedio ad sui procreationem opus habuisse non immerito videbitur. Si quis autem alium excogitaverit intermedium, alius rursus intermedius propter illum alium erit fingendus, atque ita in infinitum delabemur. Porro dum ita intermedius aliquis semper requiretur, certe res creatæ constitui non poterunt, quandoquidem, ut dicitis, nulla res facta ferre valet invictam non-facti manum. Quod si id absurdum esse intelligentes, respondeatis Filium licet creatum potuisse a non-facto fieri, necesse est etiam concedatis alias res omnes quæ factæ sunt, potuisse a non-facto procreari: quippe cum ipse Filius secundum vos sit quoque res creata, ut & res omnes ceteræ. Præterea ex impio & stulto hujusmodi vestro commento sequitur inutilem esse Verbi generationem, cum & Deus omnia per seipsum potuerit efficere, & res omnes factæ invictam Dei manum ferre potuerint. Itaque cum inepta ac futilis sit hæc illorum ratio, expendamus an non aliud impiorum sophisma etiam magis quam ceteræ ipsorum argutiæ absurdum videbitur. Adam solus a solo Deo per Verbum factus est: verum nemo idcirco dixerit Adamum aliquid amplius ceteris hominibus habere, vel a posteris differre, quod ipse quidem solusn solo Deo factus & formatus sit, nos autem omnes ex Adamo, perpetua generis continuatione, nascamur & procreemur: quamdiu scilicet certum erit ipsum etiam ex terra formatum esse, & qui antea non esset, postea fuisse.

9. Quod si primo parenti aliquid ceteris amplius tribuere libeat, qui nempe ita felix fuit ut Dei manu formaretur: verum istud amplius in honore non in natura consistere intelligendum est. Namque ex terra factus est, ut alii omnes: & manus quæ tunc Adamum formavit, ipsa & nunc & semper omnes ejus posteros format ac componit. Id ipse Deus ad Jeremiam, ut prius monui, dixit: *Priusquam te formarem in utero, novi te*. (Jerem. 1. 5.) De omnibus autem aliis ait: *Manus mea fecit hæc omnia*. (Esa. 66. 2.) Et rursus per Esaiam: *Hæc dicit Dominus qui redimit te & format te in utero. Ego Dominus, qui omnia perficio: extendi cælum solus & stabilivi terram*. (Esa. 44. 24.) David quoque cui ista non latebant, canebat: *Manus tuæ fecerunt me, & formaverunt me*. (Psal. 118. 73.) Et is cujus hæc apud Esaiam leguntur verba: *Sic dicit Dominus, qui formavit me ex utero servum sibi*, (Esa. 49. 5.) idem etiam significat. Itaque nihil a nobis natura differet, licet nos tempore antecesserit, quamdiu constabit nos omnes eadem manu constitui & formari. Si igitur, o Ariani, vestra hæc est de Filio Dei sententia, illum nempe sic etiam productum & factum fuisse: nihil secundum vos inter eum & alios, quod ad naturam pertinet, intererit, dum scilicet contendetis ipsum, cum antea non esset, postea fuisse, atque non nisi ob virtutem hujus nominis gratiam in sui procreatione obtinuisse. Si quidem ille unus quoque ex his est de quibus, ut quidem putatis, Spiritus sanctus in psalmis ait: *Ipse dixit & facta sunt: ipse mandavit & creata sunt*. (Psal. 32. 9.) Quis itaque ille est cui Deus mandavit ut & ipse crearetur? Nam esse oportet Verbum cui Deus mandat, & in quo res factæ creantur. Atqui aliud Verbum indicare non potestis, præter illud quod negatis, nisi forte novum adhuc commentum placeat excogitare. Ita est, inquiunt, invenimus. (idem nimirum quod olim ab Eusebianis usurpatum audivi.) „ Idcirco nempe Dei Filium aliquid aliis amplius habere & unigenitum dici „ arbitramur, quia solus ipse Patris est particeps, res „ autem aliæ omnes Filii sunt participes. „ Sic igitur illi in immutandis variandisque verbis non secus ac coloribus laborant. Verum id nihil impediet quominus ostendamus illos vere inania ex terra loqui, (Joan. 3. 31.) suisque cogitationibus tamquam in luto volutari.

10. Enimvero si ille Dei filius & nos Filii ipsius filii appellaremur, probabile esset illorum commentum: sed si nos etiam ipsius Dei, cujus ille est filius, filii dicimur: certe liquet nos etiam Patria participes esse, quippe qui dicat: *Filios genui & exaltavi*. (Esa. 1. 2.) Si enim ipsius participes non essemus, non diceret, *genui*: si autem ipse genuit, non alius utique, sed idem ipse Pater noster est. Nihil vero refert si amplius ille aliquid habeat, & primus factus sit, nosque aliquid minus quam ille habeamus, ac post ipsum facti simus, dummodo omnes ejusdem fuerimus participes, & filii ejusdem Patria nuncupemur. Nam plus vel minus diversam naturam minime significat: id enim sibi singuli recte factis comparant: atque alius quidem decem civitatibus præficitur, alius quinque; (Luc. 19. 17. Matth. 19. 28.) alii sedent super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel; alii audiunt: *Venite Benedicti Patris mei*, &, *Euge serve bone & fidelis*. (Matth. 25. 34. & 21.) Cum hæc igitur illorum sit sententia, jure merito existimant hujusmodi Filii Deum non semper fuisse Patrem, neque talem Filium semper fuisse, sed ex nihilo esse creatum & factum, nec fuisse nntequam genitus esset: siquidem ille alius omnino est a vero Dei Filio. Verum cum hæc illos dicere fas jam non sit, utpote cum ista Sad-

ducæo-

* Vide quæ in admonitione hac de re diximus, & quæ infra notantur ad num. 28.

** Asterius, de quo hic agitur, ex Sophista Christianus factus, persecutionis tempore idolis immolavit, idemque postea multos libros pro confirmanda Atiana hæresi composuit. Vide Socrat. Histor. Eccles. lib. 1. c. 36. & Philostorg. lib. 2. num. 15.

ducæorum potius & Samosatensis sint propria, restat ut alio sensu, quo nimirum Isaac Abrahæ est filius, Dei Filium esse concedant. Nam quod ex aliquo gignitur nec extrinsecus advehitur, filium esse agnoscit natura, eaque est propria hujus nominis significatio. Num ergo Filii generatio humano more est intelligenda? (forte enim id ipsi, ut & illi olim, ignari reponent.) Nequaquam. Nec enim Deus hominis similis est, uti nec homines, Dei. Illi enim ex materia eaque patibili sunt creati: at Deus expers est materiæ & corporis. Quod si eædem dictiones Deo & hominibus, in divinis Scripturis interdum attribuuntur, hominum est perspicacium, ut admonet Paulus, attendere ad lectionem, remque perpendere, ac pro natura rerum significatarum, quæ scripta sunt dijudicare, nec sensum confundere, ita ut quæ ad Deum spectant, humano modo non intelligantur, nec vicissim quæ ad homines pertinent, cogitentur tanquam Dei propria. Id enim est vinum cum aqua miscere, alienumque ignem ad divinum ignem in altari admovere.

1. Cor. 2. 13.

Esaia 1. 22.

11. Scilicet & Deus creat, & de hominibus idem quoque dicitur. Deus item is est qui est: homines similiter dicuntur esse, quod ipsum quidem a Deo acceperunt. An ergo ita Deus creat, ut homo? An eodem modo est, quo homo? Minime certe: sed aliter has voces de Deo intelligimus, aliter de hominibus. Nam Deus quidem creat, ea quæ non erant vocans ut sint, nullaque re ad creandum indigens: homines vero non nisi subjecta utuntur materia, postquam a Deo qui omnia per proprium Verbum creavit, scientiam artemve agendi precibus obtinuerint. Præterea homines, qui per se ipsi esse non possunt, loco circumscribuntur, atque in Dei Verbo consistunt: at Deus qui per se vere est, omnia continet, & a nulla re ipse continetur: in omnibus est sua bonitate & potentia; at extra omnia est propria natura. Quemadmodum ergo non eodem modo creant homines, quo Deus creat, nec eodem modo sunt quo ille: ita aliter procreantur homines, & aliter Filius ex Patre nascitur. Fetus enim hominum, partes quodammodo sunt gignentium, quippe cum nec ipsa corporum natura simplex sit, sed fluxa atque ex partibus composita. Nam homines gignendo emittunt ex se aliquid, quædamque rursus ex cibis, quos accipiunt, in eos defluunt; quæ quidem causa est cur multorum liberorum pro tempore parentes fiant. Deus autem individuus est, ac proinde absque divisione nihilque patiendo Filii est Pater. Nihil enim ex re incorporea effluere, nihilve in eam, uti hominibus accidit, potest influere. Quocirca cum Deus sit natura simplex, unius quoque ac solius Filii est Pater. Idcirco enim & unigenitus est, & solus est in sinu Patris, eumque solum ex seipso esse aperte Pater declarat his verbis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Ipse est Verbum Patris, quem proinde ut Patrem nec quid pati nec dividi posse intelligendum est; quippe cum ipsi etiam homines proprium verbum citra divisionem ac nihil patiendo producant: multo igitur magis Deus suum Verbum gignit absque ulla divisione nihilque omnino patiendo. Hinc sane ipse ut Verbum ad dextram Patris sedet; nam ubi est Pater, illic & ejus Verbum est: nos autem, tanquam res factæ, coram eo stamus judicandi. Ille adoratur, quia adorandi Patris est Filius: nos vero adoramus, Dominum eum & Deum confitentes, quia scilicet creati, diversique ab illo sumus.

Rom. 4. 17.

Deus & in omnibus & extra omnia est.

Mat. 3. 17.

12. Quæ cum ita sint, attendat, quæso, qui voluerit inter illos, existatque aliquis qui ut eos pudore afficiat, ab iisdem sciscitetur, utrum fas sit id, quod ex Deo est, & proprius ejus est fetus, ex nihilo esse dicere? An item possit vel solum in mentem alicui venire, id quod ex Deo est, eidem accidisse, ita ut dicere audeat, Filium non semper esse? Nempe hic rursus hominum cogitationes superat & transcendit Filii generatio. Nos enim propriorum filiorum certo tantum tempore patres efficimur, quippe qui cum antea non essemus, postea facti fuerimus: at Deus, cum semper sit, semper quoque est Filii Pater. Sane rerum creatarum generatio, ex similitudine cognoscitur: quia vero *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui Filius revelaverit*: idcirco Sancti quibus id Filius revelavit, imaginem quamdam ex rebus aspectabilibus nobis hujusmodi verbis reliquerunt: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*: & iterum: *Quoniam apud te est fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen*. Verbum item Israelem objurgans, ait: *Dereliquisti fontem sapientiæ*: ipse porro est fons qui dicit: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*. Hæc autem exempla licet levia sint admodum & obscura ad id quod cupimus exprimendum: ex his tamen intelligi potest aliquid quod sit supra hominum naturam, nec Filii generationem nostræ esse similem. Quis enim vel cogitatione fingat non esse aliquando splendorem, ut audeat contendere, non semper fuisse Filium, vel non fuisse priusquam esset genitus? Aut quis a sole splendorem separabit, aut fontem vita aliquando destitutum cogitabit, ut insaniens dicat ex nihilo esse Filium, qui ipse ait, *Ego sum vita*, vel eum a substantia Patris esse diversum, qui idem dicit, *Qui me videt, videt & Patrem*? Nimirum cum Sancti hæc nos ita intelligere vellent, nobis hujusmodi exempla tradidere. An non igitur absurdum proinde valdeque impium fuerit, cum has imagines & exempla Scriptura contineat, nos ex aliis, quæ neque scripta sunt, neque ad pietatem ullo modo spectant, Domini notitiam inquirere?

Mat. 11. 27.

Heb. 1. 3.

Psal. 35. 10.

Bar. 3. 12.

Jerem. 2. 13.

Joan. 14. 6.

Ib. v. 9.

Prov. 8. 22.

13. Jam itaque respondeant undenam edocti, vel quo tandem illis tradente ista de Salvatore suspicari cœperunt? Legimus, inquient, in Proverbiis: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*. Scilicet id etiam videbantur objectare Eusebiani, tuque ipse tuis litteris mihi significasti istos quoque multis licet argumentis prostratos & convictos, ad illa Scripturæ verba profugisse, eaque sursum deorsumve circumferentes asseverare Filium unam e rebus creatis esse, eumque inter res factas annumerare. Verum hunc Scripturæ locum non recte mihi videntur intellexisse: siquidem pium & valde rectum continet sensum, quem si ipsi intellexissent, Dominum gloriæ blasphemiis non offendissent. Nam quæ supra sunt dicta cum hac sententia conferant, cognoscentque multum in illis esse discriminis. Quis enim sanæ mentis non intelligit res creatas & factas extra effectorem esse, filium autem, ut supra ostendimus, non extra, sed ex gignente patre existere? Nempe homo domum quidem condit, sed filium gignit, ita ut nemo inverso ordine ausit dicere domum & navem ab ædificatore gigni, filium autem ab eodem condi & fieri: nec item domum, ædificatoris imaginem esse, filium vero esse genitoris dissimilem; sed potius filium esse patris imaginem, & domum artis opus fatebitur, nisi forte quis mente sit captus ac deliret. Profecto divina Scriptura, quæ rerum omnium naturam longe melius omnibus cognoscit, de rebus creatis per Moysem hæc ait: *In principio fecit Deus cælum & terram*. De Filio autem non alium quam ipsum Patrem declarat dicere: *Ex utero ante luciferum genui te*. Et rursus: *Filius meus es tu: Ego hodie genui te*. Ipse quoque Dominus de seipso in Proverbiis ait: *Ante omnes colles generat me*. Joannes item de fa-

Quid inter filium & rem creatam ac factam intersit.

Genes. 1.

Psal. 109. 3.

Psal. 2. 7.

ctis

Joan. 1. 3. *Ib. v. 18.*

ctis & creatis rebus sic loquitur: *Omnia per ipsum facta sunt*: de Domino autem dicit: *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Itaque si filius est, non est res creata si contra res creata est, non est certe filius; siquidem plurimum res illæ inter se differunt, nec idem esse potest filius & creatus, ne videlicet ejus natura & ex Deo & extra Deum esse existimetur.

Christus, quatenus homo, creari dicitur.

14. Num ergo frustra verba illa scripta sunt? Ita enim illi veluti culicum examen murmurant. Minime vero: non frustra illa sunt scripta, sed perquam necessarie. Ille enim etiam creari dicitur, sed cum homo factus est; id enim est hominis proprium. Hunc autem esse Scripturæ sensum ille reperiet, qui eas non esse obiter legendas edoctus, tempus, personas ac rerum scriptarum causam investigabit, ac proinde quæ legerit dispiciet perpendetque secum. Itaque illorum verborum tempus esse inveniet, cum nimirum Dominus, qui semper est, postea in fine sæculorum homo est factus, & qui Dei Filius erat, factus etiam est Filius hominis. Causam quoque percipiet, quia nempe cum ille nostram mortem vellet destruere, sibi ipsi corpus ex virgine Maria accepit, ut illud pro omnibus victimam Patri offerens, nos omnes liberaret qui metu mortis per totam vitam servituti obnoxii eramus. Persona autem Salvatoris est, quod quidem tunc dicitur, cum jam corpore accepto hæc ait, *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*. Ut enim illi, quatenus Filius Dei est, optime convenit & æternum esse, & in sinu Patris esse: ita homini facto recte congruunt hæc verba, *Dominus creavit me*. Tunc enim de eo dicitur, & esurivit, & sitivit, & interrogavit ubi jaceret Lazarus, & passus est, ac resurrexit. Quemadmodum item cum eum Dominum & Deum ac veram lucem appellari audimus, illum intelligimus ex Patre esse: sic cum illa audimus, *Creavit, servus, & passus est*, hæc ejus divinitati tribuere æquum non est; utpote quæ ab eadem sint aliena; sed carni quam propter nos accepit, cujus ista nimirum sunt propria: quæ quidem caro non alius sed ipsius est Verbi. Si quis vero ortum inde emolumentum discere velit, id etiam est reperturus. Nam Verbum caro factum est, ut & eam pro omnibus offerret, & nos ejus spiritus facti participes, dii fieri possemus, quod aliter non potuissemus consequi, nisi ipse creatum nostrum corpus induisset: sic enim exinde & homines Dei, & in Christo homines appellari incœpimus. Sed ut nos Spiritu accepto, propriam non amittimus naturam; ita Dominus postquam homo propter nos factus est & corpus accepit, Deus nihilominus mansit. Nec enim angusto corporis ambitu diminutus est, sed potius corpus divinum & immortale est redditum.

Hebr. 2. 15. *Prov. 8. 22.*

15. Et hæc quidem satis esse videntur ad Arianam hæresim proscribendam: siquidem illorum impietatem ex ipsorum verbis, prout nobis suppeditavit Dominus, manifeste ostendimus. Verum age, jam nos quoque proponamus, ac responsum ab illis vicissim exigamus. Cum enim ipsi in propriis hæreant argumentis, sane tempus est ut a nobis interrogentur: forte nempe hoc pacto futurum est ut erubescant ac perspiciant unde stulti sint delapsi. Filium Dei, ut superius diximus, ex divinis Scripturis didicimus ipsum esse Verbum & Sapientiam Patris: nam hæc sunt quidem Apostoli verba: *Christus Dei virtus & Dei sapientia*. Joannes vero postquam dixisset, *Et Verbum caro factum est*, mox subdidit: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis*. Scilicet cum Verbum sit unigenitus Filius, in hoc Verbo & Sapientia facti sunt cæli & terra ac omnia quæ in eis sunt. Hujus porro sapientiæ fontem esse Deum nos docet Baruch, ubi videlicet redarguitur Israel fontem sapientiæ dereliquisse. Si igitur ea quæ scripta sunt negare voluerint; profecto nominis quo insigniuntur, indigni & alieni fiunt, proprieque ab omnibus vocandi sunt impii & Christi hostes, quippe qui ita se ipsi nominaverint. Sin autem verba Scripturæ afflatu divino scripta esse nobiscum consentiunt, palam audacter proferant quod abdite sentiunt, nempe Deum aliquando rationis & sapientiæ fuisse expertem, furentesque dicant: Fuit aliquando cum non esset, nec fuit Christus priusquam est genitus. Prædicent item fontem non ex seipso sapientiam genuisse, sed extrinsecus eam habuisse, ut & dicere audeant: Ex nihilo factus est Filius. Hoc enim non fontem eum esse demonstrat, sed quemdam potius lacum, aquam veluti extrinsecus excipientem, fontisque nomen usurpantem.

1 Cor. 1. 24. *Joan. 1. 14.* *Bar. 3. 12.*

S. Scripturæ verba divino afflatu sunt scripta.

16. Verum quam execranda hæc sit impietas ambigere arbitror neminem, qui vel tantillo sensu vigeat. Quia tamen Verbum & Sapientiam mera esse Filii nomina dictitant, hæc ad illos dicere haud ab re fuerit: Si ista sunt Filii dumtaxat nomina, alius certe ille præter ea fuerit. Atqui si illis nominibus sit præstantior, fas non est eum, qui præstantior sit, ex inferioribus significari. Quod si nominibus inferior dicatur, profecto non sine causa præstantius nomen obtinuit, idque signum fuerit ejus progressionis. Atqui hæc impietas priore non est minor: siquidem is qui illum qui in Patre est, in quo item est Pater, qui & idem dicit, *Ego & Pater unum sumus*, quem item qui videt, videt & Patrem; qui, inquam, illum re aliqua externa meliorem reddi, hisce nominibus significari putat, næ ille omnium insanissimus merito habendus sit. Verum illi hinc quoque dejecti, atque in summas, ut Eusebiani, adducti angustias, ad illud postremo argumentum confugiunt, quod ipse Arius suis in cantiunculis & * Thalia velut desperans effutivit. Multa, inquiunt, verba loquitur Deus. Quale ergo horum Filium Dei & Verbum unigenitum Patris esse dicimus? Stolidi certe illi & quidvis potius quam Christiani! Primo enim dum hæc de Deo loquuntur, parum abest quin hominem Deum esse existiment, quippe qui sic loquatur & priora verba novis immutet, quasi unum Verbum a Deo prolatum non satis sit ad omnia creanda quæ Pater decreverit, & ad ejus providentiam exequendam. Multa enim illum loqui verba, signum est verborum omnium imbecillitatis, cum singula alterius auxilio indigeant. Deum autem uno uti Verbo, ut revera est, Dei virtutis & Verbi ab eo profecti perfectionis indicium atque argumentum est, necnon illorum pietatis qui ita sentiunt.

Verbum & sapientia, non mera aut vacua sunt filii nomina.

Joan. 10. 30. *Ibid. 14. 9.*

Multa non sunt Dei verba, sed unum dumtaxat.

17. Utinam vero saltem ex his quæ nunc proferunt, veritatem fateri velint. Nam si semel concedant Deum verba proferre, illum Patrem esse omnino ignorare non possunt. Quo dato attendant se, dum unum esse Dei Verbum nolunt fateri, multorum patrem eum facere. Verum Dei quidem Verbum esse nolunt inficiari:

* Hujus Arii operis meminit Socrates Ecclesiasticæ historiæ lib. 1. cap. 6. his verbis, ἰςέον δὲ ὅτι Ἄρειος βιβλίον συνέγραψε περὶ τῆς ἑαυτοῦ δόξης, ὃ ἐπέγραψε Θάλειαν. ἔςι δὲ ὁ χαρακτὴρ τοῦ βιβλίου χαῦνος καὶ διαλελυμένος, τοῖς Σωταδείοις ᾄσμασι παραπλήσιος· ὅπερ καὶ αὐτὸ τότε ἡ σύνοδος ἀπεκήρυξεν. Id est: *Sciendum est Arium librum de sua opinione composuisse, quem Thaliam inscripsit, cujus libri stylus mollis est & dissolutus, ac Sotadeis cantilenis persimilis, quem tunc Synodus* (Nicæna) *condemnavit*. Hæc ibi. Scribit quoque Philostorgius lib. 2. cap. 2. Arium, quo errorem facilius disseminaret, ᾄσματά τε ναυτικὰ καὶ ἐπιμύλια καὶ ὁδοιπορικὰ γράψαι, καὶ τὰ αὐτοῖς ἄλλα ἐντεθέντα εἰς μελῳδίας ἐντείνας, ὡς ἐνόμιζεν ἑκάστοις ἁρμόζειν. Id est: *Cantilenas nauticas, molarias & viatorias composuisse, aliasque rursus editas in numeros redegisse, quos cuique convenire existimabat*.

Nomina, quibus Dei Verbum in Scripturis insignitur, ipsum ex Patre vere esse genitum significant.

ri: sed illud esse Dei filium non consentiunt, quod profecto ex veritatis ignorantia & divinarum Scripturarum inscitia provenit. Nam si vere Deus, Pater est Verbi; cur qui gignitur, Filius non sit? Quis autem rursus Dei filius possit esse prætereius Verbum? Etenim non multa sunt verba, ne singula imperfecta & egena sint, sed unum est Verbum, tum ut ipsum solum sit perfectum, tum quia cum Deus unus sit, una quoque ejus imago, quæ ipsa Filius est, debet esse. Namque Dei Filius, ut ex ipsis Scripturis licet discere, idem est Dei verbum, sapientia, imago, manus & virtus. Unus enim est Dei fetus, hæcque sunt indicia eum ex Patre esse genitum. Sive enim Filium dixeris: id quod ex ipso natura exoritur significasti. Sive Verbum esse cogitaveris: rursus id quod ex illo nascitur & ab eodem nequit separari cogitasti. Cum item Sapientiam eum appellas, nihil sane externum, sed id quod ex illo & in illo est, denotas: similiter si virtutem & manum eum dixeris, quod proprium est naturę significas. Denique cum imaginem illum nominas, Filium esse indicasti. Quid enim simile Deo fuerit præter id quod ex illo gignitur? Certe quæ per Verbum facta sunt, hæc eadem sapientia sunt fundata. Et quæ in sapientia fundata sunt, hæc omnia in manu sunt facta, ac per Filium condita sunt. Nec vero ut hæc probemus, argumenta extrinsecus mutuari opus fuerit, sed id ex Scripturis clarum est. Siquidem ipse
Esa. 48. 13. Deus per Esaiam prophetam dicit: *Manus mea fundavit terram & dextera mea firmavit cælos*. Et rursus:
Esa. 51. 16. *Et sub umbra manus meæ protegam te, in qua cælos constitui, & terram fundavi*. David autem, qui eadem edoctus, manum ipsam esse sapientiam noverat, ca-
Psal. 103. 24. nebat: *Omnia in sapientia fecisti: impleta est terra creatione tua*. Salomonis quoque, qui idem a Deo acce-
Prov. 3. 19. perat, hæc sunt verba: *Deus sapientia fundavit terram*. Joannes item non ignorans Verbum manum &
Joan. 1. 1. sapientiam esse, Euangelium ita orditur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil*. Apostolus denique, cui perspectum quoque erat manum, sapientiam & Verbum ipsum esse Filium, sic
Hebr. 1. 1. loquitur: *Multifariam multisque modis olim Deus locutus patribus in prophetis: in extremo dierum istorum locutus est nobis in Filio quem constituit hæredem univer-*
1. Cor. 8. 6. *sorum, per quem etiam fecit sæcula*. Et iterum: *Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*. Cum autem idem Apostolus non ignoraret Verbum, Sapientiam & Filium ipsam esse Patris ima-
Rom. 9. 12. Coloss. 1. 12. ginem, hæc habet epistola ad Colossenses: *Gratias agentes Deo & Patri qui dignos nos fecit annumerari in parte sortis sanctorum in luce, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemtionem, remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa quæ in cælis & in terra sunt, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnia, & omnia in ipso constant*. Ut enim omnia per Verbum creata sunt, ita, cum idem sit imago, in ipso quoque sunt creata. Qui igitur ita de Domino senserit, non offendet in lapidem offensionis, sed potius ad splendorem in conspectu lucis ipsius ve-
Rom. 9. 32. ritatis accedet. Hæc est enim veritatis doctrina, dirumpantur licet illi pertinaces, qui nec Deum reverentur, nec argumentorum vi & auctoritate victi erubescunt.

18. Sic igitur Eusebiani multis tunc modis examinati, eo postremum redacti sunt ut seipsos condemnarent, tandemque subscripsere, uti supra diximus, atque adeo mutata sententia siluerunt ac recesserunt. Cum autem isti impietate feroces, & a veritate, tanquam vertigine capti, aberrantes, omne studium in calumnianda Synodo ponant: respondeant nobis ex quibusnam Scripturis ipsi hausere, vel a quibusnam Patribus audivere hujusmodi voculas, quas sibi visum est congerere: *Ex non existentibus, non erat antequam genitus est, fuit aliquando cum non esset*, necnon sequentes voces, * *mutabilis, præexistere, & voluntate*, quibus utique vocabulis impie adversus Dominum nugantur. Enimvero beatus quidem Paulus epistola ad Hebræos ait: *Fide intelligimus perfecta esse sæcula* Hebr. 11. 3.
Verbo Dei, ut id quod cernitur non ex rebus apparentibus fieret. Verum nihil Verbo commune est cum sæculis; ipse enim ante sæcula existit, per quem & sæcula facta sunt. In Pastore autem scriptum est, (quandoquidem librum hunc citant, quamvis non sit ex canone.) *Primum omnium crede unum esse De-* Lib. 2. mand. 1.
um, qui omnia creavit, & perfecit, omniaque ex nihilo, ut essent, fecit. Sed nec illud quoque ad Filium pertinet: siquidem de omnibus loquitur quæ per ipsum facta sunt, a quibus certe ipse alius est. Vide Orationem de incarnatione Verbi, p. 59. n. 3.
Nec enim potest fieri ut opifex his quæ ipse effecit annumeretur, nisi fortassis ita aliquis desipiat, ut architectum idem esse velit atque ædificia ab eo constructa. Quid igitur illi eos, qui recte ac pie sentiunt, vocibus non scriptis uti accusant, cum ipsi voces non scriptas ad confirmandam impietatem fingere non sint veriti? Sane nemini prorsus licet esse impio, etiamsi variis verbis speciosisve sophismatis suam impietatem quis tentet obtegere: at nemo non fateatur rem sanctam ac justam esse pietatem colere, licet novis ac peregrinis vocibus quis utatur, dummodo is qui loquitur, pie sentiat, & per illas voces id, quod ipse cogitaverit, pie velit significare. Illæ itaque Christi hostium, quas supra retulimus, futiles & vanæ voculæ omni prorsus sunt impietate plenæ, uti antea & modo nostra Oratione ostendimus. Si quis autem ea, quæ contra illos a Synodo scripta & decreta sunt, diligenter perpenderit, nihil nisi meram veritatem in illis contineri haud dubie reperiet, maxime si studiose velit inquirere, quam necessaria fuerit causa has voces adhibendi, quæ quidem hæc fuit.

Cur Synodus Nicæna scripserit Filium esse ex substantia Patris.

19. Cum vellet Synodus impia Arianorum vocabula abrogare, & certas ac confessas Scripturarum voces adhibere, nempe quod Filius non sit ex nihilo sive ex non existentibus, sed ex Deo, quod Verbum item sit & Sapientia, non vero res creata aut facta, sed proprius Patris fetus: Eusebiani prava sua inveterata opinione impulsi, istud *ex Deo*, nobis commune esse, nihilque hac in re a nobis differre Verbum Dei volebant, idcirco scilicet quod scriptum sit: *Unus Deus*, 1. Cor. 8. 6.
ex quo omnia. Et iterum: *Vetera transierunt: ecce fa-* 2. Cor. 5. 17.
cta sunt omnia nova. Omnia autem ex Deo. Qua illorum astutia & impia calliditate perspecta, Patres clarius explicare coacti sunt quid per vocem *ex Deo* intelligendum esset. Quocirca scripsere Filium esse ex Dei substantia, ut nempe istud *ex Deo*, non commune Filii & rerum factarum esse existimaretur, sed ut crederetur cetera quidem omnia creata esse, solum autem Verbum esse ex Patre. Nam licet omnia ex Deo esse dicantur, verum alio omnino modo quam sit Filius. Quia enim res creatæ non casu & sponte seu ex seipsis existunt, nec fortuitum ortum habuere, ut quidem putabant qui ex atomorum conjunctione & ex consimilibus omnia esse effecta docebant: quia etiam alium non habent creatorem, ut quidam sensere hæretici:

Videsis item Epist. ad Afros, ubi eadem habentur.

Epicurus, Anaxagoras.

* Nempe Ariani docebant Verbum esse mutabilis naturæ, ita ut se ad bonum vel malum posset convertere; Patrem item prius eo existere, ac denique a Patre non natura sed voluntate esse productum, idque illis vocibus significatur.

Marcionitæ, & Manichæi, Simon Magus, Menander, Saturninus, aliique.

retici: denique quia nec, ut aliis placebat, ab Angelis quibusdam omnia facta sunt & constituta; sed quia omnia a Deo qui vere est, cum antea non essent, per Verbum facta sunt ut essent: idcirco ex Deo illa esse dictum est. At Verbum, quia non est quid creatum, fnlum utique & esse dicitur & revera est ex Patre; atque idipsum significatur, cum dicitur Filium esse ex substantia Patris: id enim oulli rei factæ potest congruere. Sane Paulus qui omnia ex Deo esse dicit, mnx subjicit, *Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia:* nempe ut cunctos doceret Filium alium esse ab omnibus quæ ex Deo facta sunt. Nam quæ ex Deo facta sunt, per Filium sunt facta. Ob creatinnem igitur, cujus Deus auctor est, hæc ille dixit, non vero quod nmnia sint ex Patre, ut est Filius. Nec enim nmnia sunt ut Filius, nec Verbum unum est ex omnibus, sed omnium est dominus & npifex. Siquidem idcirco sancta Synodus apertius dixit illum ex substantia Patris esse, ut Verbum aliud esse a natura rerum factarum crederetur, cum fnlum vere sit ex Deo, atque ut etiam nullus jam locus dolnse agendi impiis relinqueretur. Hæc ergo fuit causa cur *ex substantia* scriptum sit.

Cur Synodus dixerit Filium esse Patri consubstantialem.

20. Cum autem rursus Episcnpi dicerent scribendum esse Verbum virtutem veram imaginemque Patris esse, eique in omnibus sine ulla prorsus varietate esse simillimum, denique immutabile, semperque esse, ac sine divisione in ipsn esse. Nec enim unquam non fuit, sed fuit semper Verbum, quod & ab æternitate apud Patrem extitit, tamquam lucis splendor. His autem cum Eusebiani repugnare non auderent, utpote quos suppudebat convictos & confutatos fuisse: tamen deprehensi sunt inter se iterum murmurare oculisque innuere istas voces, *Simile*, *semper*, *virtutem*, *&* *in ipso*, nobis cum Filio esse communes, ac proinde nihil illis mnlestum videri, si hæc nos approbaremus. Nam quod ad vocem *similis* spectat, ea, inquiebant, nobis quoque attribuitur,

1. Cor. 11. 7.

quippe cum scriptum sit: homo *imago & gloria Dei est*. Vnx *semper* nnbis item coovenit; nam scriptum

2. Cor. 4. 11.

est: *Semper enim nos viventes*. Nec hæc verba, *in*

Act. 17. 28.

ipso, a nobis sunt aliena, quia *in ipso vivimus & movemur & sumus*. *Immutabiles* quoque dicimur, ubi scriptum est: *Nihil nos separabit a caritate Dei*. Denique nomen *virtutis* aliis etiam rebus tribuitur.

Joel. 2. 25.

Nam eruca & bruchus virtus & quidem virtus magna dicuntur. Idem etiam sæpe de populo scriptum

Exod. 12. 41.

est, ut: *Egressa est omnis virtus Domini ex terra Ægy-*

Psal. 45. 8.

pti. Aliæ item cælestes sunt virtutes: Nam inquit, *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob*. Similia enim etiam Asterius Sophista dictus scripsit, quæ nempe ab eis didicerat, atque ante eum Arius ipse quoque, quemadmodum supra dictum est. Verum ubi Episcopi, illorum hac in re simulationem animadverterunt, dolumque esse in cordibus impiorum mala co-

Prov. 12. 20.

gitaotium, ut ait Scriptura: senteotiam rursus ipsi ex Scripturis colligere sunt coacti, & quæ antea dixerant, eadem clarioribus verbis significare, ac denique scribere Filium Patri esse consubstantialem, ut scilicet significarent Filium non tantum similem, sed eamdem rem similitudine esse ex Patre, atque ut similitudinem & immutabilitatem Filii aliam omnino esse ostenderent ab ea imitatione, quæ in nobis esse dicitur, quam quidem nos propter mandatorum observationem ex virtute consequimur. Namque quod spectat ad corpora quæ inter se sunt similia, illa certe distare & procul a se invicem possunt abesse, ut accidit hominum liberis erga proprins parentes, quemadmodum de Adam &

Genes. 5. 3.

Seth quem ille genuit, scriptum est, nempe similem illi fuisse secundum speciem suam. Verum cum Filii ex Patre generatin alia plane sit a natura hominum, nec solum similis ille sit substantiæ Patris, sed dividi ab ea non queat, cum item unum ipse & Pater sint, ut idem dixit, semperque Verbum sit in Patre, & Pater in Verbo, eo modo quo splen-

Joan. 10. 30.

dor se habet ad lucem; id enim dictio ipsa significat: idcirco Synodus, ea re perspecta, eum esse consubstantialem recte scripsit, ut & hæreticorum perversitatem everteret, & Verbum aliud a factis rebus esse nstenderet. Hinc illa voce scripta statim Patres subjungunt: „ His vero qui dicunt Fi- „ lium Dei ex nihiln sive ex non existentibus esse, „ vel creatum, vel mutabilem, vel factum, vel „ ex alia substantia, anathema dicit sancta & Ca- „ thnlica Ecclesia. „ Quibus utique dictis aperte declaratur his vocabulis *ex substantia*, & *consubstantialis* deleri impietatis voculas, quibus ajunt Filium esse rem creatam, conditam, factam & mutahilem, nec prius fuisse quam genitus est. Nam qui ita sentit, Synodo refragatur. Qui vero non idem ac Arius sentit, necesse est eum eadem quæ Synodus sentire & intelligere, ita ut recte percipiat hæc eo sere modo esse qun splendor erga lucem se habet, indeque veritatis imaginem accipiat.

21. Itaque si illi verba ista velut nova ac peregrina admittere recusant; sententiam ipsam admittant quam Synodus his indicare voluit: & quibus illa anathema dixit, ipsi similiter dicant anathema, ac de cetero, si possint, voces ipsas reprehendant. Egn vero nullus dubito quin seotentia Synodi recepta, verba quoque ipsa approbent. Sin autem sententiam ipsam velint redarguere, nmnibus patebit frustra illos nullaque de causa verba reprehendere, sed solum occasiones impietatis confirmandæ sibi ipsis fingere. Hæc igitur causa fuit cur hujusmodi voces fuerint institutæ. Quod si rursus murmurent, quod illæ in Scripturis non exllent, hoc ipso, tanquam futiles & mente non sani, sunt rejiciendi. Seipsos porro hic etiam potissimum accusent, quod primi huic rei lncum dederint, qui ipsi excogitatis vocibus quæ in Scripturis non habentur, bellum Deo cœperint inferre. Nnverit tamen quisquis studiosus fuerit, etiamsi ipsæ voces ita in Scripturis non exstent, sententiam tamen, quam continent, vere ex Scripturis haberi, quemadmodum supra dictum est, quam quidem sententiam, cum pnoferuntur, his indicant quibus aures sanæ & iotegræ sunt in pietate. Id sane & tibi inspicere, & imperitis illis licet audire. Nimirum supra osteosum est vereque creditur Verbum esse ex Patre, illudque fnlum proprium ejus & natura fetum esse. Ex quo enim alin Filium, qui & sapientia est & Verbum, in quo omnia sunt facta, quam ex Deo esse intelligi queat? Verum illud quoque ex Scripturis didicimus.

Licet voces *ex substantia* & *consubstantialis* non exstent in Scripturis, sententia tamen ipsa, quam significant, ex Scripturis habetur. *Vide etiam Theodor. Histor. Eccles. lib. 1. c. 8.*

Pater enim per David dicit: *Eructavit cor meum*

Psal. 44.

verbum bonum. &: *Ex utero ante luciferum genui*

Psal. 109. 3.

te. Filius item de seipso ita ad Judæos loquitur: *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me.*

Joan. 8. 42.

Ego enim ex Patre exivi. & iterum: *Non quia Pa-*

Joan. 6. 46.

trem vidit quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem. Item illud: *Ego & Pater unum sumus*,

Joan. 10. 30.

&, *Ego in Patre & Pater in me*, idem est ac

Joan. 14. v. 10.

si diceret, Egn ex Patre sum, nec ab eo possum dividi. Jnannes quoque dicit: *Unigenitus Filius*

Joan. 1. 18.

qui est in sinu Patris ipse enarravit. Scilicet hæc ipse a Salvatore didicerat. Nam quid aliud illud, *in sinu*, significat, quam veram Filii ex Patre generationem?

22. Si quis ergn Deum cnmpositum esse existimat, ut in substantia accidens, vel ita ut aliquem extrinse-

cus

eus amictum habeat quo contegatur, aut quædam circum eum sint quæ ejus substantiam compleant, adeo ut cum Deum dicimus vel Patrem nominamus, non ejus substantiam quæ nec videri nec comprehendi potest, sed aliquid eorum quæ circum ipsam sunt, significemus; Synodum per me licet incusent, quæ Dei Filium ex ejus substantia esse scripserit. Intelligant tamen se ita sentiendo, duplicem impietatem committere. Nam quemdam Deum corporeum inducunt, & Dominum, non sui Patris sed rerum quæ circum ipsum sunt filium esse mentiuntur. Sed si Deus aliquid simplex est, uti revera est, liquet nihil nos quod veluti circum ipsum sit nominare, cum Deum dicimus & Patrem nominamus, sed ipsam ejus substantiam significare. Quamvis enim comprehendi non possit quid tandem sit Dei substantia: attamen si solum intelligamus Deum esse, cumque Scriptura illum hujusmodi vocibus indicet; sic nos etiam cum Deum & Patrem & Dominum dicimus, non alium profecto aliquem quam ipsum solum volumus significari. Cum igitur dicit: *Ego sum qui sum:* &, *Ego sum Dominus Deus*, ac ubicumque Scriptura dicit, *Deus*; cum nos ista legimus, nihil aliud intelligimus significari quam ipsam ejus incomprehensam substantiam, & quod ille sit quem esse testantur. Nemo igitur obstupescat cum audit Filium Dei ex substantia Dei esse, sed Patribus potius assentiatur qui videlicet ut ipsam rei notionem perpurgarent, majoris perspicuitatis gratia verbisque veluti synonymis has voces, *ex Deo*, istis, *ex Dei substantia*, explicavere. Idem enim esse arbitrati sunt dicere Verbum *ex Deo* esse, ac dicere ipsum esse *ex Dei substantia*, quandoquidem ista vox, *Deus*, ut dixi, nihil aliud significat quam substantiam ejus qui est. Si igitur Verbum non ita est ex Deo, ut verus ex Patre natura sit Filius; sed si eo tantum modo ex Deo esse dicitur, quo res omnes creatæ, quia nempe a Deo factæ sunt: sane neque ex substantia Patris est; neque ipse Filius, substantia est Filius, sed solum ex virtute, non aliter ac nos, qui gratia filii vocamur. Sin autem solus ex Deo est, tanquam verus Filius, uti revera est: jure ac merito ex substantia Dei Filius dicendus est.

Quid vox Deus significet.

23. Certe rem ita se habere patet ex exemplo lucis & splendoris. Non enim instar ignis, qui ex calore solis accenditur ac postea solet extingui, Verbum se ad Deum habere Sancti censuere: ita quippe externum & creatum effectoris opus esset. Verum Filium omnes splendorem esse dixere, ut eum proprie ac sine divisione ex substantia esse, ejusque cum Patre unitatem significarent. Namque hoc pacto constat vere eum immutabilem varietatisque expertem esse. Quomodo enim aliter talis esse posset, nisi Patris proprius esset fetus? Sic enim necesse est eum eamdem rem esse ac suum Patrem. Quæ cum pietati valde consentanea esse ostensum fuerit, profecto Christi hostes voce *consubstantialis* minime debent offendi, cum hæc sanam omnino contineat sententiam, rationeque confirmetur. Enimvero cum Verbum ex substantia Dei esse dicimus, (jam enim & ipsi dictionem hanc admittant.) quid aliud significamus quam veram & æternam substantiam ex qua ipsum genitum est? Nec enim diversa est specie, ne quid externum ac dissimile cum Patris substantia misceatur: nec extrinsecus dumtaxat simile est, ne alia ex parte vel omnino diversæ substantiæ esse appareat, veluti æs fulgens & aurum, argentum & stannum. Hæc siqoidem diversa & alia atque separata sunt tum natura tum virtute; nec æs proprium auri est, nec palumbes ex columba nascitur: sed quamvis hæc putantur esse similia, diversa tamen inter se sunt natura. Itaque si Filius ita quoque se habet, esto res creata ut & nos, non autem consubstantialis. Sin autem Filius est Verbum, sapientia, imago Patris, splendorve: merito utique consubstantialis est. Nisi enim ostendatur illum non ex Deo, sed tanquam organum natura & substantia diversum esse, fatendum sane est recte Synodum & scripsisse & cogitasse.

Cur Sancti Filium cum solis splendore comparavere.

24. Procul autem hinc absit omnis cogitatio corporea; sed sensus omnes prætergressi, pura iotelligentia & sola mente percipiamus quam vere sit Filius Patris, quam proprie Dei sit Verbum, & quam perfectam cum luce similitudinem splendor habeat. Ut enim fetus & filius, non hominum more, sed ut Deum decet, & dictus est & vere est: ita cum vocem *consubstantialis* audimus, humanos sensus non debemus sequi, nec divinitatis partitiones aut divisiones fingendæ sunt ullæ: sed tanquam de rebus non corporeis cogitantes, unam naturam & eamdem lucem non dividamus. Id enim proprium Filii est erga Patrem, eoque ostenditur Deum vere Verbi Patrem esse. Nam rursus lucis, & splendoris exemplum ad illud intelligendum est necessarium. Quis igitur dicere audeat splendorem soli externum & dissimilem esse? Vel potius quis, si adverterit quonam modo splendor se ad solem habeat eamdemque esse lucem, non audacter dicat: Vere lux & splendor una res est, hicque in illa ostenditur, & splendor io sole existit, ita ut qui solem viderit, splendorem quoque cernat. Hæc porro unitas & naturalis proprietas quomodo a credentibus ac videntibus recte vocari possit nisi consubstantialis fetus? Quis autem proprie digneque alium Dei fetum esse concipiet præter Verbum, sapientiam & virtutem; quam sane nec Patri externam fas est dicere, nec vel cogitare licet non semper apud Patrem fuisse. Siquidem hoc ipso fetu omnia fecit Pater, suamque io res omnes providentiam per eum benigne administrat, atque ita ipse & Pater unum sunt, quemadmodum dictum est; oisi forte iidem improbi iterum audeant contendere aliam esse Verbi substantiam, & aliam lucem quæ ex Patre in illo est, ita ut lux quidem, quæ est in Filio, unum sit cum Patre, ipse vero tanquam res creata, sit Patri externus. Verum hæc profecto Caiphæ & Samosatensis est doctrina, quam Ecclesia quidem procul repulit, sed quam illi clam & astute nunc tuentur; hancque ob causam ipsi, veritate relicta, hæretici sunt declarati. Si enim prorsus lucis, quæ est ex Patre, particeps ille est, cur non potius ipse is est cujus res aliæ fiunt participes, ne scilicet aliquid medium inter eum & Patrem reperiatur? Nam oisi id coocedatur, non amplius ostendi poterit omnia per Filium facta esse, sed per illum cujus & ipse est particeps. At si ipse est Verbum & sapieotia Patris, in quo se Pater patefacit, cognoscitur, creat, & sine quo nihil omnino facit, manifestum utique fuerit ipsum illum esse qui est ex Patre. Siquidem res universæ ejus sunt participes, cum sancti Spiritus participes efficiuotur. Talis autem cum sit, profecto ex nihilo esse non potest, uti nec res esse creata, sed potius verus & proprius est ex Patre fetus, non secus ac splendor ex luce.

25. Itaque cum Patres Nicænæ synodi ita seotirent, hujusmodi dictiones illis scribere visum est. Quod vero ipsi eas non sibi excogitaverint, ut illi quidem objiciunt, sed ab aliis se antiquioribus acceperiot, age, id quoque ostendamus, ne vel hæc ipsa incusatio illis supersit. Discite igitur, o Christi hostes Ariani, Theognostum virum eruditum minime refugisse ab hac ipsa dictione *ex substantia*. Nam in secundo Hypotyposeων hæc de Filio scribit: „ Non extrinsecus adioventa est Filii sub„ stantia, neque ex nihilo educta, sed ex Patris sub-

Voces ex substantia & consubstantialis non excogitavere Patres Nicænæ Synodi, sed ab antiquioribus acceperunt, hisque ante eos usi sunt Theognostus, & Dionysius Alexandrinus.

„ stan-

A „ stantia nata est, ut lucis splendor & aquæ vapor: „ neque enim splendor aut vapor ipsa aqua vel ipse „ sol est; neque rursus aliquid est alienum, sed est „ aliquid emanans ex Patris substantia, ita tamen ut „ nullam divisionem eadem Patris substantia sit perpessa. Ut enim sol idem manens radiis ab ipso pro- „ fluentibus non minuitur; ita neque Patris substan- „ tia mutationem ullam patitur, cum Filium sui i- „ psius imaginem habet. „ Sic igitur Theognostus suam ipse mentem his verbis aperuit, cum * ea quę antea proposuerat, non nisi exercitationis gratia expendisset. Cum item Dionysius Alexandriæ episcopus ex B his quæ adversus Sabellium scripserat, quibus nempe Salvatoris dispensationem secundum carnem permultis explanabat, ac inde confutabat Sabellianos, ostendebatque non Patrem factum esse carnem, sed Verbum, uti Joannes dicit: cum, inquam, in suspicionem venisset dixisse Filium rem factam & creatam esse, non vero Patri consubstantialem, litteras dedit ad Romæ Episcopum Dionysium quoque appellatum: in quibus se expurgans asseverabat calumniam hanc esse adversus se confictam; nunquam enim se Filium factum dixisse, sed illum Patri consubstantialem confiteri se affirmabat. Hæc autem sunt ejus verba: „ Et C „ aliam epistolam scripsi, ubi ostendi falsam esse qua „ illi in me utuntur criminatione, quasi scilicet qui „ negassem Christum Deo esse consubstantialem. Etsi „ enim fateor me id nominis nullo in loco sanctarum „ Scripturarum invenisse, tamen quæ subsequuntur „ argumentationes meę, quas quidem illi reticuerunt, „ ab hac sententia non discrepant. Quin etiam humani „ partus exemplum in medium protuli, quem nempe „ perspicuum est ejusdem esse naturæ, addidique eo so- „ lum parentes alios esse a suis liberis, quod ipsi non sint „ liberi, nec item necesse esse aut parentes esse aut libe- D „ ros. Et hanc quidem epistolam, ut dixi, ob præsen- „ tem rerum statum exhibendam non habeo: alioquin, „ ipsa quę tunc scripsi verba vel potius integrę epistolę „ exemplar misissem, quod, ubi potero, facere non omit- „ tam. Memini vero probeque scio me plurima rerum „ quę ejusdem sint generis exempla proposuisse. Nam- „ que dixi plantam ex semine vel ex radice exortam, „ aliam esse ab eo unde producta est, esse tamen ejus- „ dem naturę; fluvium similiter ex fonte emanantem „ aliud nomen habere, neque enim fontem dici fluvi- „ um, neque fluvium, fontem, utrumque nihilominus „ existere, ita ut fluvius sit aqua ex fonte profluens.

Joan. 1. 14.

E 26. Quod autem Dei Verbum nec factum nec creatum sit, sed proprius & individuus Patris substantiæ fetus, ut scripsit magna Synodus: ecce Dionysius quoque Romæ Episcopus scribens contra Sabellianos, his verbis adversus illos indignatur qui talia audent dicere. „ Jam vero, inquit, æquum fuerit ad- „ versus illos disputare, qui augustissimam Dei Ec- „ clesiæ prædicationem, Monarchiam in tres quasdam „ virtutes ac separatas hypostases tresque divinitates „ dividunt, discindunt, destruuntque. Audivi enim „ quosdam ex his, qui apud vos divinum Verbum

Dionysius Romæ episcopus docuit Dei Verbum nec factum nec creatum esse.

A „ prædicant & docent, hujus opinionis magistros es- „ se, qui quidem ex diametro, ut ita loquar, Sabellii „ sententiæ adversantur. Illius enim in eo consistit „ impietas, quod dicat Filium esse Patrem, & vicis- „ sim: illi autem tres Deos quodammodo prædicant, „ cum sanctam unitatem in tres diversas hypostases „ inter se omnino separatas dividunt. Necesse est „ enim divinum Verbum Deo universorum esse u- „ nitum, & Spiritum sanctum in Deo manere & „ habitare, ac denique divinam Trinitatem in u- „ num, quasi in quemdam verticem, (Deum uni- „ versorum omnipotentem dico) reduci & colligi. B „ Nam futilis Marcionis doctrina quæ monarchiam „ in tria principia secat & dividit, diabolica sane „ est, non autem verorum Christi discipulorum, „ vel eorum quibus Salvatoris disciplina placet. Hi „ enim Trinitatem quidem non ignorant in divina „ Scriptura prædicari, tres autem esse Deos nec in „ vetere nec in novo Testamento doceri. Non mi- „ nus etiam illi culpandi sunt qui Filium opus esse „ existimant, & Dominum factum esse sentiunt, „ quasi videlicet unum esset ex his quæ vere facta „ sunt, cum divina Scriptura illum genitum esse, ut C „ eidem convenit congruitque, non autem formatum „ & factum esse testetur. Non levis igitur, sed sum- „ ma est impietas, Dominum aliquo modo manufa- „ ctum dicere. Nam si factus est Filius, fuit aliquan- „ do, cum non esset: atqui fuit semper, si utique sit in „ Patre, ut ipse declarat, & si Christus ipsum sit Ver- Joan. 14. 12. „ bum, sapientia & virtus. Hæc siquidem Christum „ esse divinæ litteræ docent, ut vobis certe non latet: „ hæc autem eadem, virtutes Dei sunt; ac proinde si „ factus est Filius, fuit ergo aliquando, cum hæc non „ essent. Igitur tempus fuit, cum sine his esset Deus; „ quod perabsurdum est. Sed quid pluribus de his apud D „ vos disseram, viros Spiritu plenos, quibus utique „ explorata sunt quæ absurda sequuntur ex illorum „ sententia, qui Filium factum esse contendunt, ad „ quæ sane non attendisse mihi videntur hujus opi- „ nionis duces, atque idcirco a veritate prorsus aber- „ rasse, qui scilicet contra mentem divinæ & prophe- „ ticæ Scripturæ hæc verba explicant: *Dominus crea-* Prov. 8. 22. „ *vit me principium viarum suarum*. Nec enim, ut „ scitis, una est significatio verbi, *creavit*. Nam hoc „ in loco, *creavit*, idem est ac præfecit operibus ab „ ipso factis, factis, inquam, per ipsum Filium. Hoc „ autem verbum, *creavit*, hic intelligendum non est E „ pro, *fecit*: siquidem facere & creare inter se diffe- „ runt. Hinc Moyses in magno Deuteronomii car- „ mine ait: *Numquid non ipse est pater tuus, qui posse-* Deut. 32. 6. „ *dit te, & fecit te, & creavit te?* Sic etiam illos re- „ cte quis possit coarguere: O præcipites temerarii- „ que homines! Ergone facta res est primogenitus Coloss. 1. 15. „ omnis creaturæ, qui ex utero ante luciferum ge- Psal. 109. 3. „ nitus est, qui ut Sapientia dicit: *Ante omnes col-* Prov. 8. 25 „ *les me gignit?* Denique Scripturæ divinæ mul- „ tis in locis genitum eum dicunt, nusquam „ vero factum: ex quibus aperte convincuntur falsa

„ de

* Ut ista intelligantur, notandum est Theognostum, teste Photio Biblioth. cod. 106. septem composuisse orationes, in quarum prioribus ac præcipue in secunda minus orthodoxe videtur sentire de Dei Filio, quem scilicet rem creatam esse docet: at in septima & postrema oratione orthodoxe sentit de Filio, de quo nempe hæc habet quæ hic profert S. Athanasius, qui per hæc verba *ea quæ antea proposuerat* non aliud certe intelligit quam priores ejus orationes, in quibus minus recte de Filio videtur disserere; sed id eum exercitationis tantum gratia scripsisse ait S. Athanasius, non vero ex propria mente, quam ipse in ultima oratione exposuit. Eodem item modo eum defendi posse ait Photius, cujus hæc sunt verba: ἐν δὲ λόγῳ, κτίσμα αὐτὸν ἀποφαίνει καὶ τῶν λογικῶν μόνων ἐπιστάτην, καὶ ἄλλα δὲ, ὥσπερ Ὠριγένης, ἐπιφημίζει τῷ υἱῷ, εἴτε ὁμοίως ἐκείνῳ δυσσεβείᾳ ἁλοὺς, εἴτε, ὥς ἄν τις ἐκβιασάμενος τὴν ὑπὲρ αὐτοῦ ἀπολογίαν, ὡς γυμνασίας λόγῳ καὶ οὐ δόξης ταῦτα προθείς. id est: *Cum de Filio disserit, eum rem creatam esse declarat, solisque rebus ratione præditis præsidere, & alia quædam, ut Origenes, Filio affingit, sive eadem ac ille impietate infectus, sive, ut quis forte dixerit ad illum utcumque defendendum, hęc exercitationis gratia, non autem ex propria sententia proposuerit*. Et in fine: ὁ δὲ τῷ ἑβδόμῳ, ὃς καὶ περὶ Θεοῦ δημιουργίας ἐπιγράφεται, εὐσεβέστερόν πως περί τε τῶν ἄλλων διαλαμβάνει, καὶ μάλιστα πρὸς τῷ τέλει τοῦ λόγου περὶ τοῦ υἱοῦ. *In septima autem oratione, quam de Dei opificio inscribit, magis pie cum de aliis rebus, tum præcipue in fine orationis de Filio disputat*. Quis porro fuerit iste Theognostus, ex inscriptione ejusdem Operis apud Photium habemus, ubi hæc leguntur: ἀνεγνώσθη Θεογνώστου Ἀλεξανδρέως λόγοι ἑπτὰ, ὧν ἡ ἐπιγραφὴ, τοῦ μακαρίου Θεογνώστου Ἀλεξανδρέως καὶ ἐξηγητοῦ ὑποτυπώσεις. *Lecti sunt Theognosti Alexandrini Orationes septem, cujus Operis hęc est inscriptio, Beati Theognosti Alexandrini & Interpretis Hypotyposes*.

„ de Domini generatione opinari, hi qui divinam ejus atque inexplicabilem generationem, factionem audent dicere. Itaque admirabilis divinaque unitas in tres divinitates non est separanda, neque factionis vocabulo dignitas summaque Domini magnitudo est diminuenda; sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem, & in Christum Jesum ejus Filium, & in Spiritum sanctum, ac Verbum Deo universorum esse unitum. *Ego* enim, inquit, *& Pater unum sumus*. Et, *Ego in Patre, & Pater in me est*. Ita scilicet divina Trinitas & sancta Monarchiæ prædicatio integra servabitur. „

Joan. 10.30. — *Joan. 14.10.*

27. Quod autem Verbum ab æternitate sit cum Patre, nec alterius quam Patris substantiæ vel hypostasis proprius sit, ut declaravit Synodus, liceat vos iterum a laborioso Origene audire. Nam quæ ille velut inquirens & disputans scripsit, non ita accipienda sunt, quasi sic ipse sentiret, sed ex eorum mente quibuscum disputat: at quæ fidenter definit & affirmat, hæc vera est viri hujus perquam studiosi sententia. Itaque post ea quæ exercitationis gratia ad hæreticos dixit, statim propriam ipse mentem his verbis exponit: „ Si est imago Dei invisibilis, invisibilis quoque est ipsa imago. Quin etiam addere ausim cum sit similitudo Patris, non posse fieri ut aliquando non fuerit. Quando enim Deus, quem Joannes lucem appellat, (nam *Deus lux est*) propriæ gloriæ splendore caruit, ut quis audeat principium existendi Filio tribuere, quasi scilicet antea non fuisset? Quandonam vero non erat Verbum, Verbum, inquam, quod & Patrem cognoscit, & est character ac imago ejusdem substantiæ, quæ digne nec exprimi, nec nominari, nec proferri possit? Intelligat enim qui dicere audet, Fuit aliquando, cum non esset Filius, idem esse ac si diceret; Sapientia aliquando non erat, Verbum non erat, Vita non erat. Idem rursus ita alibi loquitur: Verum nefas est, nec periculo vacat propter nostram infirmitatem Deum, quantum in nobis est, unigenito privare Verbo quod semper cum illo fuit, & illa erat sapientia qua delectabatur. Alioquin cum non semper fuisse delectatum intelligendum erit. „ En igitur nos quidem hanc sententiam a Patribus ad Patres transisse demonstramus: vos vero, o novi Judæi & Caiphæ discipuli, quos Patres qui vestris voculis faverint exhibere potestis? Nullum certe prudentem & sapientem unquam proferetis; omnes enim a vobis abhorrent præter unum diabolum, qui nempe solus hujus vestræ defectionis pater & auctor extitit, vobisque primum impietatem hanc inseminavit, ac etiam nunc suadet ut œcumenicam Synodum vestris maledictis insectemini, quia videlicet non vestra sed illa definierit quæ ab initio tradidere testes oculati qui & ministri Verbi fuere. Nam fides quam Synodus scripto confessa est, ipsa vere est Catholicæ Ecclesiæ, quam ut tuerentur,

Origenes docuit Verbum æternum esse ejusdemque ac Patrem substantiæ.

1. Joan. 1.5. — *Hebr. 1.3.* — *Prov. 8.30.*

A placuit beatis Patribus ita scribere, Arianamque hæresim condemnare. Hinc illi potissimum ob hanc causam Synodum calumniari conantur. Nam non tam hujusmodi dictionibus cruciantur, quam quod inde convicti sunt non solum hæretici esse sed aliis etiam hæreticis audaciores.

28. Itaque cum suas illas voculas futiles esse tunc pateret, cumque tam facile eorum impietas semper convinceretur, vocem * ἀγενήτου, idest, non-facti, a Græcis seu Gentilibus sunt mutuati, ut hujusmodi innixi vocabulo rursus inter res factas creatas Dei Verbum, per quod res ipsæ B factæ sunt, numerarent; tanta eorum est in propria impietate asserenda impudentia, tantave pertinacia in blasphemiis adversus Dominum proferendis. Si igitur tantam præ se ferunt impudentiam, quia hujus vocis significationem ignorant, sane id ab his ipsis, a quibus eam accepere, ediscendum erat. Hi nempe mentem quam ex bono, & animam quam ex mente esse ajunt, quamvis unde illæ sint eis non lateat, tamen non-factas dicere nihil sunt veriti, non ignari scilicet se hoc vocabulo, nihil de primo principio, ex quo ipsæ quoque exortæ sunt, detrahere. Ita, inquam, illos quoque loqui decebat, aut certe nullo modo de C his quæ ignorant, differere. Quod si quid hæc vox significet, se intelligere putant, necesse omnino est ut ipsos interrogemus, maxime cum ea ex divinis litteris non sit collecta, sed nulla illi Scripturæ auctoritate fulti pro ipsa pugnent. Enimvero ego quidem memoravi qua de causa quove sensu Synodus has voces *ex substantia* & *consubstantialis* congruenter his, quæ ex Scripturis de Salvatore dicta sunt, ediderit: qui item Patres ante Synodum iisdem usi fuerint: ipsi autem, si utique possint, respondeant, quonam modo hoc vocabulum, quod quidem in Scriptura non exstat, D repererint, vel quo sensu Deum non-factum dicant? Siquidem multas huic voci inesse significationes audivi. Ajunt enim non-factum dici, quod nondum factum est, potest tamen fieri: item, quod nec existit, nec fieri potest ut sit: tertio, quod existit quidem, nec tamen est factum, neque principium habuit ut esset, sed quod æternum & incorruptum est. Fortassis quidem priores duas significationes rejecerint, ob ea quæ inde proveniunt, absurda. Si enim prima admittatur significatio; certe quæ jam facta sunt, & quæ fieri debent, non-facta erunt dicenda. Nam quod ad secundam attinet, ea utique magis adhuc erit absur- E da. Restat igitur ut tertiam amplectantur, atque eo sensu hanc vocem, *non-factum*, intelligant. Verum etiamsi id dixerint, nihilominus impii habendi sunt. Si enim quod nullum habet principium ex quo sit, quodque nec factum vel creatum, sed æternum est, id non-factum appellent, contendantque Dei Verbum contrario se habere modo, cui quæso, non perspicua est impiorum astutia? Quis illos ita insanientes lapidibus non obruat? Cum enim priores suarum fabularum voculas,

Ariani vocem ἀγένητον a profanis auctoribus sunt mutuati.

Tres significationes nominis ἀγένητον.

* Ita quoque legit Ambrosius Camaldulensis, qui ipsam vocem Græcam in sua versione retinet. In Regio codice aliquot in locis ea vox cum duplici ν fuerat scripta, sed ibidem uno deleto emendata est. Legendum esse ἀγενήτου patet, quia hæc vox opponitur voci γενητοῦ, ut in Admonitione observatum est. Præterea Cyrillus Alexandrinus, qui id vocabulum in Thesauro Assertione prima eodem modo explicat, quo infra Athanasius, illud per unicum ν scribit. Hinc etiam editio Commeliniana & Parisiensis paulo post ἀγένητον per unicum ν habent; licet aliis in locis hoc vocabulum per duplex ν scribant. Porro forte a Platone hanc dictionem mutuati sunt Ariani: is enim in Phædro animam ait esse ἀγένητον, quæ vox quoque per unum ν ibidem scribitur. Hæc sunt Platonis verba: Πᾶσα ψυχὴ, ἀθάνατος. τὸ γὰρ ἀεικίνητον, ἀθάνατον· τὸ δ' ἄλλο κινοῦν, καὶ ὑπ' ἄλλου κινούμενον, παῦλαν ἔχον κινήσεως, παῦλαν ἔχει ζωῆς. μόνον δὴ τὸ αὐτὸ κινοῦν, ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτὸ, οὔποτε λήγει κινούμενον· ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως. ἀρχὴ δὲ, ἀγένητον. ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι, αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ἑνός. εἰ γὰρ ἔκ του ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. ἐπειδὴ δὲ ἀγένητόν ἐστι, καὶ ἀδιάφθορον αὐτὸ ἀνάγκη εἶναι. Et paucis interjectis: εἰ δ' ἔστι τοῦτο οὕτως ἔχον, μὴ ἄλλο τι εἶναι τὸ αὐτὸ αὑτὸ κινοῦν ἢ ψυχήν, ἐξ ἀνάγκης ἀγένητόν τε καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη. Idest: *Omnis anima est immortalis. Quod enim semper movetur, immortale est: quod autem movet aliud, & ab alio movetur, quandoquidem finem habet motus, vitæ quoque finem habet. Solum igitur illud quod seipsum movet, quia seipsum non deserit, ne moveri quidem unquam desinit: quin etiam ceteris quæ moventur, his fons, hoc principium est motus. Principium autem est non-factum. Ex principio enim necesse est fieri omne quod fit, ipsum autem ex nullo fit: nam si principium ex aliquo fieret, non fieret ex principio. Quando vero non-factum est, nec idem posse corrumpi necesse est.* Et paulopost: *Porro si ita est non aliud esse id quod seipsum movet quam animam, necesse profecto fuerit animam esse & non-factam & immortalem.* Hactenus Plato, qui tametsi hoc in loco animam *non-factam* esse asserit, alibi tamen, in Timæo videlicet, a summo Deo creatam fuisse diserte docet.

culas, propter quas merito sunt condemnati, jam proferre erubescant, easdem rursus alio modo, nomine non-facti, ut ipsi loquuntur, excogitato, ingerere sunt conati. Nam si Filius inter res factas numeretur, certe ipse quoque ex nihilo est factus: si item principium existendi habet, sane non erat ante quam genitus est: denique si æternus non est, fuit aliquando cum non esset.

29. Profecto illos ita denuo sentientes æquum erat iisdem suis verbis propriam sententiam significare, non autem suam pravitatem voce non-facti obtegere. Verum id agere noluerunt perversi homines, sed omnia subdole ad exemplum sui patris diaboli facere. Ut enim ille alienis indutus vestibus fallere nititur; ita isti vocabulum non-facti excogitavere, ut digne de Deo loqui simulantes, occulte adversus Dominum proferrent blasphemiam, quam scilicet cum hujusmodi involucro aliis innuerent. Verum cum cognitum sit hoc illorum artificium, quid jam aliud sibi supersit respondeant? Invenimus, inquiunt improbi, qui nimirum præter priores significationes ajunt id non-factum esse, quod non habet existendi causam sive auctorem, sed ipsum rebus factis existendi causa est. Ingrati sane illi vereque Scripturarum imperiti, qui non ut Deum honorent, sed ut Filium ignominia afficiant, nihil non faciunt vel dicunt. Nesciunt videlicet quod qui Filium spernit, spernit & Patrem. Namque primo etiamsi Deum ita appellaverint, non inde tamen conficitur Verbum ex factis rebus esse. Ut enim ipse fetus est substantiæ Patris, sic apud illum perpetuo existit. Nec enim hoc nomen naturam Filii destruit, neque vox ista non-facti refertur ad Filium, sed ad ea quæ per Filium facta sunt: ac quemadmodum qui architectum, domus vel urbis ædificatorem appellat, non hujusmodi vocabulo filium ex ipso genitum comprehendit, sed hoc nomine, quod quidem illi ob suam in ædificiis construendis artem & scientiam tribuitur, significat eum similem non esse his quæ ab ipso facta sunt: cum autem architecti naturam idem non ignoret, novit quoque eum, qui ex illo genitus est, alium omnino esse ab illis ædificiis: ac proinde propter filium, ipsum patrem vocat; & propter opera, creatorem & effectorem. Eodem plane modo, qui Deum non-factum dicit, ex ipsis operibus eum ita nominat, significatque illum non solum non esse factum, sed potius rerum factarum auctorem esse. Verbum autem aliud a factis rebus esse idem novit, solumque proprium Patris fetum esse, per quem etiam omnia facta sunt ac consistunt.

Quarta significatio vocis ἀγένητος ab Arianis excogitata.

30. Nec enim ipsi quoque prophetæ, qui Deum omnipotentem appellabant, eum hoc exornabant nomine, ut indicarent Verbum unum esse ex omnibus; quippe cum illis perspectum esset Filium alium esse a factis rebus; eumque ob suam cum Patre similitudinem, omnium quoque esse dominum: sed quia omnium quæ per Filium fecit, ipse dominus est, eorumque potestatem Filio dedit, qua data, ipse rursus omnibus per Verbum dominatur. Similiter Deum, dominum virtutum dixere, non quia Verbum una etiam esset ex illis virtutibus, sed quia & Filii pater, & virtutum per Filium factarum dominus est. Nam & ipsum etiam Verbum quod est in Patre, horum omnium dominus est, omniaque habet in potestate, quandoquidem Filii sunt omnia quæ Pater habet. Ut igitur hic est illarum dictionum sensus, sic qui Deum non-factum cupit dicere, dicat sane si prorsus ita ipsi videtur: verum non eo utatur nomine ut significet Verbum rebus factis annumerandum esse; sed quia Deus, ut supra dixi, non solum non est factus, sed & rerum factarum per proprium Verbum effector est. Namque etiam cum talis dicitur Pater, nihilominus Verbum & imago Patris & eidem consubstantiale est, ac proinde cum ejus sit imago, aliud certe a rebus factis & ab omnibus esse dicendum est. Cujus enim est imago, ejus & proprietatem & similitudinem habet, adeo ut qui Patrem non-factum & omnipotentem appellat, is in non-facto & omnipotente hujus Verbum & sapientiam, quæ ipse est Filius intelligat. Verum egregii illi atque ad impietatem proclives homines nomen non-facti excogitavere non ut Deum honorarent, sed ut signum suæ erga Salvatorem malevolentiæ exhiberent. Si enim Dei honor & veneratio illis curæ fuisset, satius sane erat præstabatque illos Deum, Patrem agnoscere & dicere, quam eum hujusmodi nomine vocare. Cum enim illi Deum non-factum appellant, illum ex rebus factis, ut supra dixi, effectorem tantum dicunt, ut scilicet Verbum quoque factum esse significent, quod quidem plurimum ipsis arridet. Qui vero Deum, Patrem nominat, statim in illo Filium quoque intelligit, nec dubitare potest quin si Filius existat, res factæ omnes per Filium sint creatæ.

Patris nomen melius Deo convenit, quam nomen ἀγένητος.

31. Itaque melius veriusve fuerit Deum ex Filio significare Patremque dicere, quam eum ex solis operibus non-factum appellare. Nam id quidem nomen opera ex Dei voluntate per Verbum facta indicat: Patris autem nomen proprium ex ejus substantia fetum significat. Quantum autem est discriminis Verbum inter & res factas, tantum & amplius differt Deum, Patrem dicere, & non-factum appellare. Hoc enim nomen in Scripturis non exstat suspectumque est, ac variam habet significationem. At simplex est aliud nomen, habeturque in Scripturis, ac veritati magis est consentaneum, eoque solus Filius significatur. Præterea, nomen non-facti a Gentilibus qui Filium non cognoscunt inventum est: at Patris nomen ab ipso Domino nostro probatum & datum est. Ipse enim, qui certe cujus filius esset, non nesciebat, ait: *Ego in Patre, & Pater in me est*: &, *Qui videt me, videt & Patrem*: &, *Ego & Pater unum sumus*. Nullo autem in loco Patrem ipse non-factum vocat. Quin etiam cum nos orare docuit, non dixit: Cum oratis, dicite: Deus non-facte. Sed potius: Cum oraveritis, dicite: *Pater noster qui es in cælis*. Nostræ quoque fidei caput eodem voluit spectare. Nec enim nos in nomine non-facti & facti, vel in nomine non-creati & creati baptizari jussit, sed in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Ita enim nos initiati vere efficimur filii Dei, & Patris nomen pronunciantes, ex hoc nomine Verbum, quod in Patre est, cognoscimus. Licet porro proprium sui ipsius patrem, nostrum quoque patrem appellari concedat, non tamen idcirco nos cum Filio secundum naturam exæquare debemus. Nempe is ipse causa est cur ita etiam a nobis appelletur. Quia enim Verbum corpus nostrum assumsit, & inter nos versari voluit; convenienter ob Verbum quod apud nos est, noster quoque Pater Deus ipse dicitur. Nam Verbi Spiritus qui in nobis est, per nos suum ipsius patrem tanquam nostrum appellat. Ea sane mens est Apostoli dicentis: *Misit Deus spiritum filii sui in corda nostra clamantem: Abba Pater*.

Joan. 14. 10. Joan. 10. 30. v. 9. & 30.

Matth. 6. 9.

Galat. 4. 6.

32. Verum fortassis ipsi tandem convicti nomen non-facti inepte usurpasse, hæc nobis pro sua improbitate velint exponere; Decuisset igitur nihil de Domino & Salvatore nostro Jesu Christo dicere, nisi quæ de illo in Scripturis habentur, non vero vocabula, quæ in Scripturis non exstent, inducere. Ita sane oportuisse ego quoque consenserim: siquidem longe aptiora

ra

ra sunt veritatis argumenta quæ ex Scripturis eruuntur, quam quæ aliunde. Verum, uti jam dixi, perversitas astutiaque & versatilis Eusebianorum impietas Episcopos impulit, ut verba, quibus illorum impietas everteretur, liquidius exponerent. Itaque probavimus ea, quæ a Synodo scripta sunt, rectum sensum continere: at contra ostensum est & futiles admodum Arianorum voculas, & pravos mores esse. Nam & ipsum non-facti vocabulum quod propriam habet significetionem & pie proferri potest, illi ad Salvatoris contumeliam, prout ipsis placet, usurpant, idque eo tantum animo ut veluti gigantes cum Deo pugnent. Verum neque cum illas voculas proponerent, damnationem potuerunt effugere; nec ipsi, cum id vocabulum non-facti, quod quidem recte & pie adhiberi potest, perverse intelligerent, latere usquam potuerunt: sed semper cum rubore fuerunt victi, eorumque hæresis ubique est proscripta. Hæc quidem quæ tunc in Synodo acta esse memini, ut potui, memoravi: nec tamen me fugit pertinaces Christi hostes neque his auditis esse a sententia discessuros, sed novas potius rationes perquisituros, istisque alias rursus addituros. Nam, ut prophetæ verbis utar, *si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas* [Jerem. 13. 23.]: sane illi quoque qui impii esse didicerunt, pie sentire in animum inducent. Tu autem, carissime, hæc ut acceperis, tecum, quæso, perlege: quæ si tibi recta esse videbuntur, ea fratribus qui tunc forte aderunt legas velim, ut illi his auditis zelum quidem Synodi in tuenda veritate, & in explicanda sententia accurationem approbent; Arianorum autem Christi hostium condemnet pervicaciam & vanas rationes, quas impiæ suæ hæresis propugnandæ causa sibi ipsis sunt commenti: quoniam Deum & Patrem decet gloria, honor & adoratio una cum principii experte ejusdem Filio & Verbo, necnon sanctissimo ac vivifico Spiritu, nunc & in infinita sæcula sæculorum. Amen.

EUSEBII CÆSARIENSIS

Epistola ad suæ Parœciæ homines.

1. Quæ de fide Ecclesiastica, in magna Synodo Nicææ congregata, acta sunt, verisimile est vos, dilecti, aliunde quoque didicisse, cum soleat fama accuratam rerum narrationem præcurrere. Verum ne hujusmodi rumore res aliter vobis narretur ac revera se habet, necesse esse duximus ad vos primum quidem illam fidei formulem mittere, quæ a nobis proposita est, deinde alteram quam, nonnullis ad nostra verba additis, ediderunt. Itaque noster libellus qui præsente piissimo Imperatore nostro lectus, rectus & epprobatione dignus esse est declaratus, hujusmodi est.

2. Quemadmodum accepimus ab episcopis qui nos antecesserunt, nec non in prime catechesi, & cum acciperemus levacrum: quemadmodum item ex divinis didicimus litteris, ac cum in Presbyterio tum in ipso Episcopatu credidimus & docuimus; sic etiam nunc credentes, fidem nostram vobis offerimus, quæ sic se habet.

3. Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium effectorem; & in unum Dominum Jesum Christum, Dei Verbum, Deum ex Deo, lumen ex lumine, vitam ex vita, Filium unigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia sæcula ex Patre genitum, per quem & omnia facta sunt, qui propter nostram salutem incarnatus est & inter homines vixit, qui passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit ad Patrem, iterumque cum gloria venturus est ut judicet vivos & mortuos. Credimus quoque in unum Spiritum sanctum, horumque quemlibet esse & existere credimus, Patrem vere Patrem, & Filium vere Filium, & Spiritum sanctum vere Spiritum sanctum, ut & Dominus noster cum suos discipulos ad prædicandum mitteret, ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti* [Matth. 28. 19.]. De quibus etiam asseveramus nos ita sentire, ac antea sensisse, & usque ad mortem fidem istam esse propugneturos. Anathemate insuper percutimus omnem impiam hæresim. Hæc ex corde & animo semper sensisse, ex quo nosmetipsos cognoscimus, atque nunc ex veritate sentire & dicere coram Deo omnipotente & Domino nostro Jesu Christo testamur, possumusque argumentis vobis ostendere & persuadere nos etiam præteritis temporibus ita credidisse & docuisse.

4. Hac a nobis exposite fide, nulli erat contradicendi locus, sed primus ipse piissimus noster Imperator rectissima esse quæ illa continebat, est testatus; sicque se quoque sentire confessus est; atque omnes est cohortatus ut hanc amplecterentur fidem, hisque subscriberent & assentirent dogmatis, una tantum adjecta voce, consubstantialis, quam eamdem ipse ita est interpretatus; nempe non secundum corporum affectiones hanc vocem, consubstantialis, esse intelligendam; neque igitur divisione aliqua neque abscissione Filium ex Patre exsistere; nec enim fieri posse ut natura intelligens & incorporea, materiæque expers, corporeæ alicui affectioni subjiciatur, sed res hujusmodi nonnisi divinis atque inexplicabilibus rationibus esse concipiendas. Ita quidem differebat sapientissimus & religiosissimus Imperator: illi autem ob hujusce vocis, consubstantialis, additamentum, sequentem formulam composuere.

Fides in Synodo edita.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium effectorem; & in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, genitum ex Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, sive quæ in cælo sive quæ in terra sunt: qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, homo factus est, passus est, & resurrexit tertia die, ascendit in cælos, & veniet judicaturus vivos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Illos vero qui dicunt, Fuit aliquando cum non esset, &, antequam genitus est non erat, &, ex non-existentibus sive ex nihilo factus est, vel qui Dei Filium ex alia hypostasi vel substantia esse, aut creatum esse, aut mutari vel converti posse sentiunt, anathemate ferit catholica Ecclesia.

5. Hac itaque ab illis edita formula, noluimus assen-

sentiri nisi postquam diligenter ab ipsis inquisivimus, A quonam modo dixissent Filium ex substantia Patris & Patri consubstantialem esse. Hinc ergo motæ sunt quæstiones & responsiones, quisque illorum verborum sensus esset, ratione est examinatum. Itaque inter eos convenit ista dictione, ex substantia, significari Filium esse quidem ex Patre, non tamen velut partem Patris existere. Quam sane sententiam nobis rectum visum est amplecti utpote consentaneam piæ doctrinæ, qua nimirum declaratur Filium ex Patre quidem esse, non tamen partem ejus substantiæ existere. Quocirca nobis quoque placitum est ut sententiam istam approbaremus. Neque etiam, consubstantialis vocem B repudiavimus, cum propter pacis bonum, quod nobis ante oculos potissimum versabatur, tum ne a recta sententia decideremus.

6. Similiter admisimus voces, genitum & non factum, quandoquidem hanc vocem, factum, communem esse ajebat ceterarum rerum creatarum quæ per Filium factæ sunt, quarum nihil simile Filius haberet, ac proinde ipsum non esse rem factam rebus illis similem, quæ per eum factæ sunt, sed præstantioris quam res omnes factas, substantiæ esse, quam ex Patre esse genitam divina docent oracula, modum autem generationis inexplicabilem esse, nec ab ulla C facta natura posse percipi aut cogitari.

7. Re item examinata, confirmatum est Filium Patri consubstantialem esse, non corporum aut mortalium animantium more; neque enim id fieri divisione substantię, aut præcisione, neque aliqua affectione, conversione aut mutatione substantiæ & virtutis Patris, ab his enim omnibus alienam esse non-factam Patris naturam: verum hisce verbis, consubstantialem Patri, indicari nullam Filio Dei cum factis & creatis rebus esse similitudinem, sed soli Patri, qui ipsum D genuit, omni modo similem esse, neque ex alia quam ex Patris hypostasi & substantia esse. Cui voci hoc modo explicatæ assentiri rectum nobis visum est, quandoquidem exploratum habemus veteres quosdam eruditos & illustres Episcopos ac Scriptores, cum de Patre & Filio dissererent, voce, consubstantialis, usos fuisse.

8. Hæc itaque de edita fide sint dicta, cui quidem omnes sumus assensi, sed nonnisi postquam rem accurate perpendimus, eoque sensu qui explicatus est coram religiosissimo Imperatore, quique allatis supra rationibus fuit approbatus. Anathematismum porro, qui post fidem ab illis adjectus est, nihil grave & molestum habere existimavimus, cum prohibeat ne voces, quæ non exstent in Scripturis, usurpentur; quæ scilicet causa fuit omnis fere dissensionis & perturbationis quæ in Ecclesia orta est. Cum igitur nulla divinitus inspirata Scriptura usa sit vocibus, ex non exstentibus, fuit aliquando cum non esset, aliisque ibi subjectis; visum est rationi consentaneum non esse hæc vel dicere vel docere, quod, cum rectum quoque esse intellexissemus, approbavimus, quandoquidem nec nos antea hujusmodi verba usurpare soliti fueramus.

9. * Nec item absurdum putavimus his vocibus, non erat antequam genitus est, anathema dicere, cum omnes fateantur Filium Dei fuisse, priusquam secundum carnem gigneretur.

10. Tum vero piissimus noster Imperator sua ipse oratione probabat etiam illum fuisse secundum divinam ejus generationem quæ est ante omnia sæcula; quandoquidem priusquam effectu fuisset genitus, ipse potentia erat in Patre, licet non gigneretur: quippe cum Pater semper fuerit pater, ut & semper fuit & rex & salvator, necnon omnia potentia, semperque eodem modo & similiter se habeat.

11. Hæc ad vos scribere necessarium duximus, carissimi, ut vobis pateret quam maturo judicio cuncta ponderaverimus comprobaverimusque, quamque convenienter ad extremam usque horam restiterimus, quamdiu scilicet nobis displicuerunt quæ diverse a nostra formula videbantur proponi; tunc autem absque ulla contentione eas voces, quæ nihil incommodi haberent, fuisse amplexos, cum nobis sincero & æquo animo quid significarent expendentibus visum est nihil nisi simile esse his quæ nos ipsi in fide prius exposita confessi fueramus.

* Hæc verba *Nec item*, & cetera quæ sequuntur usque ad *Hæc ad vos scribere*, &c. desunt apud Socratem, qui forte reticuit, ne Eusebii, quem ab Ariana hæresi ex hac epistola purgandum susceperat, causam aperte proderet.

IN EPISTOLAM DE SENTENTIA DIONYSII

ADMONITIO.

I. QUAM *hactenus sectati sumus temporis rationem, haud certis notis in hac epistola deprehendere valemus; sola quippe Dionysii vindicandi studio incensus Athanasius nullatenus fere attingit illorum temporum conditionem. Non desunt tamen conjecturæ quæ nos moveant ad eam post tractatum seu epistolam de Nicænis decretis reponendam. Nam eodem ferme tempore conscriptam indicant quæ num. 19. leguntur, Arianos scilicet adversus Nicænam Synodum tum passim & ubique obmurmurasse, quod præcedentis epistolæ tempori apprime congruit. Item ex modo hujus epistolæ ordiendæ haud leve ducitur argumentum: etenim iisdem fere verbis initio adhibitis, hanc perinde atque præcedentem, ad virum dirigit controversiis Catholicos inter Arianosque habitis interesse solitum, unde augurari liceat ad eumdem ipsum utramque fuisse missam. Imo subodoramur hujus scribendæ occasionem ex præcedenti obortam esse: quippe cum ibi Dionysii locum pro tuenda adversus Arianos* τοῦ ὁμοουσίου *voce adtulisset Athanasius; hæc causa fuisse videtur cur Ariani Dionysii scripta ad suam sententiam detorquere nequicquam tentarent. Sed hæ conjecturæ non omnem prorsus amovent dubitandi locum.*

II. *Ariani itaque Catholicorum argumentis passim confutati, suam hæresim Dionysii Alexandrini episcopi auctoritate fulcire nisi sunt, prolatis ejusdem litteris anno 263. conscriptis: ubi dum Sabellianorum confutaret errorem, in similitudines quasdam inciderat, quibus, licet præter auctoris mentem, læsa videretur Verbi divinitas. Verum ea de re postea apud gentilem suum Dionysium Romanum accusatus libros quosdam Apologiamque conscripsit ad eam propulsandam criminationem. Ex his autem postremis decessoris sui scriptis Athanasius luculenta quædam excerpit loca, quibus peropportune Arianicam retundit impudentiam, Catholicumque Dionysium plane commonstrat, & ab Arii sententia alienissimum.*

III. *Eximia porro hic obvia Dionysii loca, quibus tertio sæculo Dionysii adversariorum depulsa criminatio; quarto, Arianorum calumnia simul & prava doctrina confutata est; pari*

hodieque vi polleant ad novos refellendos Arianos, qui Verbi deitatem haud minore quam Prisci illi impietate oppugnant: quique suam sententiam venditant ut prioribus Ecclesiæ seculis vulgo receptam. Namque, ut cetera taceam, ex iis quæ num. 19. habentur planum est voces illas, ἐκ τῆς οὐσίας, *&* ὁμοούσιον, *jam tum usitatas vulgatasque fuisse; ita ut de Filio loquentem ea verba impugnasse erroneum haberetur; omisisse, suspiciosum. Eminet vero omnibus aliis Dionysii dictis, hæc præclara, aureisque apicibus exaranda sententia, qua omnes profligantur adversus Trinitatem obortæ hæreses, num. 17.* οὕτω μὲν ἡμεῖς εἴς τε τὴν τριάδα τὴν μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, καὶ τὴν τριάδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν μονάδα συγκεφαλαιούμεθα. Sic nos quidem Unitatem indivisibilem in Trinitatem dilatamus, ac vicissim Trinitatem, quæ imminui nequit, in Unitatem contrahimus. *Hæc, inquam, sententia quæ in omnibus Græcis Athanasii editis hactenus desiderabatur, jam primo Græce prodit omnium fide manuscriptorum restituta. Collapsa quippe fuit quod voces* τριάδα *&* μονάδα *similiter omnino desinerent.*

IV. Et vero non hæc una ex Græco textu exciderat sententia: multæ quippe aliæ sunt in hac epistola amanuensium vitio omissæ, quod videlicet duæ consequenter positæ clausulæ, vel eadem vel similiter desinente voce caderent: quæ omnes optimorum manuscriptorum ope jam sunt feliciter restitutæ. Et sane nihil frequentius in toto Athanasii operum decursu videre est, quam clausulas integras hoc lapsus genere prætermissas. Ut vel hinc palam omnibus sit quam necessaria fuerit nova ejusdem sancti Doctoris operum editio.

V. Quod autem Eusebius, qui Dionysii gesta fuse satis prosequitur, ne verbum quidem de hac historia fecerit; hinc sane augetur jam vulgata de ipso, nimisque firma Arianismi suspicio. Callide profecto tacuit hæresi suæ exitiosam historiam: quam incautius, ut ait Athanasius, alii Ariani, in suamque perniciem evulgarunt. Apparet autem ex quibusdam hujus epistolæ locis ipsum Arium de Dionysio rumorem illum sparsisse: nisi forte tropice Arium pro Arianis Athanasius significet: quem item Arium quasi superstitem aliquando loquentem inducit; tametsi hanc epistolam post defunctum Arium scriptam fuisse vix quispiam sit dubitandi locus.

SANCTI PATRIS NOSTRI

A T H A N A S I I

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

QUOD DIONYSIUS

Alexandrinus Episcopus adversum Arianam hæresim senserit, ut & Nicæna Synodus: & quod falso illum Ariani ut doctrina secum consentientem criminentur.

1. SERO significasti non ita pridem apud vos habitam contra Christi hostes disputationem; etenim antequam tua id mihi caritas scriberet, diligenter sciscitatus hæc didiceram, libensque admodum audieram. Tuam itaque pietatem summopere probavi, quæ ita recte sentiat de beatis Patribus nostris: dementiamque Arianorum etiam nunc exploratam habui. Cum enim nullum eorum hæresi suppetat consentaneum argumentum, nulla legitima ex Scripturis sacris accepta probatio; impudentibus illi cavillationibus, sophismatibusque callidis hactenus semper sunt usi; nunc vero eo audaciæ processerunt, ut etiam Patres calumnientur: quod ab eorum malignitate minime alienum, quin etiam ipsi omnino proprium est. Qui enim *adversus Dominum, & adversus Christum ejus meditari* ausi sunt, quid mirum si beatæ memoriæ virum Dionysium Episcopum Alexandrinum, ut doctrina secum consentientem criminentur? Quem enim ipsi ad commendationem suæ hæreseos laudibus ornare videntur, quamquam illum beatum appellant, non levi tamen, sed & omnium gravissima calumnia vellicant: haud secus quam prædones & infames quidam homines, qui cum ob sua facinora male audiunt, frugi homines socios sibi simulant, dum falsa eorum probitati adscribunt.

Ariani nullam habentes consentaneum argumentum quo Catholicis obsisterent, nisi sunt suam hæresim Dionysii Alexandrini auctoritate fulcire.

Psal. 2.

2. Si quam igitur sententiæ dictisve suis fiduciam habent, nudam nobis hæresim suam proferant, hincque liquido ostendant nobis si quod se putant habere, vel ex Scripturis sumtum, aut saltem humanum, sed pium tamen pro sua defensione argumentum: sin vero ejusmodi nihil habent, sileant: nusquam enim A quidvis inventuri sunt, nisi ex quo magis magisque coarguantur. Nam in Scripturis sacris Joannes ait: *In principio erat Verbum*, quod (ajunt ipsi) non erat antequam gigneretur: David vero ex Patris persona ita psallit: *Eructavit cor meum Verbum bonum*, quod ipsi asserunt secundum cogitationem duntaxat esse, & ex non-exstantibus factum fuisse: Joannesque iterum in Euangelio dicit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* Paulusque ita scribit: *Unus Dominus Jesus Christus per quem omnia:* & alibi: *quoniam in ipso creata sunt omnia.* Quid igitur illis fiduciæ supererit, imo potius, qua B non digni erunt ignominia, quandoquidem Sanctorum sententiis adversantur; cum dicant, omnium Opificem opificium esse, ac rem creatam esse eum in quo omnia creata sunt & consistunt? Ne humana quidem ulla ratio quæ pietatem sapiat, illis ad sui defensionem relinquitur. Quis enim hominum, sive Græcus, sive Barbarus, quem Deum confitetur, eumdem creaturam esse dixerit, aut non fuisse antequam fieret? Aut quis hominum, cum illum audierit quem unum credit esse Deum, dicentem: *Hic est Filius meus dilectus*, &, *Eructavit cor meum Verbum bonum;* C ausit dicere, Verbum quod ex Dei corde progressum est, ex non-exstantibus factum est, aut, Filius creata res est, non propria loquentis proles? Ac rursum, quis si eum quem Dominum & Salvatorem esse credit, audiat dicentem: *Ego in Patre, & Pater in me*, &, *Ego & Pater unum sumus*, ea dividere conetur, quæ ille conjunxit, & indivisa conservavit?

Joan. 1. *Psal. 44. 1.* *Joan. 1. 3.* *1. Cor. 8. 6.* *Coloss. 1. 16.* *Mat. 3. 17.* *Psal. 44. 1.* *Joan 14. 11. & 10. 30.*

3. Hæc igitur cum & ipsi animadvertant, rebus

suis

suis diffidentes, piis viris confictas adscribunt sententias. Atqui magis decuit eos omnium inopes, & advertentes se interrogatos passim bæsitare, ac hianti ore obmutescere, sententiam commutare, potiusque sese avertere a via erroris, quam homines quos ignorant inter suos recensere; ne ab iisdem confutati plus dedecoris referant. Verum illi fortasse ab hujusmodi dolis nunquam absistere volent, Caiphæ enim sociorumque hac in parte æmulatores sunt, a quibus etiam Christum abnegare didicerunt. Illi siquidem postquam tam multa tantaque Dominus ediderat opera, quibus palam faceret se Christum esse Filium Dei viventis, cum ab eo convicti omnia deinceps adversum Scripturas sentirent dicerentque, nec valerent argumenta quibus confutabantur vel paulisper obtueri, ad Patriarcham confugerunt dicentes: *Nos patrem habemus Abraham:* rati se ita posse stultitiam occultare suam. Sed nec illis quidquam ejusmodi verba profuere; neque hi Dionysium nominando, ejusdem criminis notam effugere valebunt. Nam & illos ex ipsis suis sceleribus coarguit Dominus, his verbis: *Hoc Abraham non fecit*: & hos rursum impietatis mendaciique ipsa veritas convincet, ostendetque Dinnysium episcopum nec eadem quæ Arins sensisse, nec ignorasse veritatem. Sed cum antiqui illi, tum novi isti Judæi, a patre suo diabolo hujusmodi in Christum furorem hereditate accepere. Magni certe argumenti est in hoc illos vere non dicere, sed virum calumniari, quod nec ille unquam ab aliis Episcopis deprehensæ impietatis damnatus, Episcopatu pulsus sit, ut illi e Clero ejecti sunt: neque hæresis propugnandæ causa secesserit ab Ecclesia; sed in illa pie obdormierit, ejusque memoria hactenus cum Patribus celebrata & una in album relata sit. Si enim eadem, quæ illi, sensisset, aut si scriptorum suorum rationem non reddidisset, minime dubium quin eadem fuisset qua illi pœna plectendus.

Ariani Caiphæ & Judæorum æmulatores.

Joan. 8. 39.

Joan. 8. 40.

Dionysii memoria cum Patribus in album relata.

4. Et hæc quidem satis erant ad integram novorum Judæorum confutationem, qui Dominum abnegant, Patres calumniantur, omnesque Christianos decipere conantur. Ceterum quia occasiones calumniandi Episcopi ex quibusdam ejus epistolæ partibus se habere arbitrantur, age & illas inspiciamus; ut inde eorum vaniloquentia commonstretur, utque vel sero tandem blasphemandi Dominum finem faciant, & cum militibus saltem, conspecto creaturarum testimonio fateantur vere hunc esse Filium Dei, & non creaturam. Ajunt igitur beatæ memoriæ Dionysium in epistola sua dixisse, „ opus, „ & rem factam esse Filium Dei, non natura pro„ prium, sed alienum a Patre secundum substantiam, „ qualis est agricola a vite, & faber a scapha: etenim „ cum sit res facta, non erat antequam fieret. „ Etiam scripsit: ejusmodi illius epistolam esse & nos ultro fatemur. Sed ut hanc scripsit, ita & alias plurimas conscripsit epistolas, quas etiam ab illis lectas oportuit: ut ex omnibus, non ex unica duntaxat explorata viri fides esset. Fabri namque peritia, qui multas triremes exstruxit, non ex unica, sed ex omnibus simul æstimanda. Si igitur simpliciter ut fidem suam exponens, hanc, quam dicunt, scripsit epistolam: aut si hanc unam scripsit, accusent eum pro libidine; verum quippe eo casu suppetit accusandi argumentum. Quod si temporis & personæ ratio eum ad talia scribenda compulit, aliasque postmodum scripsit epistolas ad eam suspicionem amovendam; non decuit, omissis scribendi causis, viro temere invidiam conflare; ut ne videantur nil nisi voculas aucupari, veritatem autem quæ in aliis ejus epistolis sese prodit prætermittere. Nam & agricola ejusdem generis arbores alias alio modo pro præsentis soli ratione colit; nec quis illum eo nomine arguet, quod hanc amputet, illi vero surculum inserat, istam plantet, aliam evellat; sed potius cum causam didicerit, variam hominis peritiam mirabitur. Itaque nisi obiter ejus scripta legerint, epistolæ argumentum indicent mihi: hinc enim eorum calumnia propositique pravitas comperta erit. Ceterum quia vel ignorant, vel indicare erubescunt, nos enarrare necessum est.

Dionysii dicta quæ Arianæ hæresi specie tantum favebant.

5. In Pentapoli superioris Libyæ quidam Episcoporum tunc temporis cum Sabellio sentiebant, tantumque suis commentis invaluerant, ut vix ultra Filius Dei in Ecclesiis prædicaretur. Rei certior factus Dionysius, cui earum cura Ecclesiarum incumbebat, mittit, suadetque rei auctoribus ut a pravis opinionibus desistant. Quibus minime desistentibus, imo impudentius in impietate perseverantibus, necessitate pulsus est eorum impudentiam hac sua epistola coercere, humanaque Salvatoris ex Euangeliis exponere; ut cum audacius illi Filium negarent, & humana ejus Patri adscriberent; ostendens ipse non Patrem, sed Filium pro nobis hominem factum esse, impetitis illis persuaderet Patrem non esse Filium, eoque pacto homines ad veram Filii deitatem credendam, & ad Patris cognitionem sensim reduceret. Hoc est epistolæ argumentum, hæc viro causa fuit talia scribendi, eorum nempe occasione, qui tam impudenter volebant veram immutare fidem.

Historia Dionysii quæ Arianorum calumniæ occasio fuit, gesta an. 263.

6. Quid igitur similitudinis habent Arii hæresis & Dionysii sententia? vel quare Dionysius ut Arius citatur, tanta cum sit inter utrumque discrepantia? Ille namque Catholicæ Ecclesiæ magister est, hic novæ hæresis inventor extitit. Certe Arius pravæ suæ doctrinæ exponendæ causa Thaliam conscripsit effeminatis ac ridiculis modis, Ægyptium nempe Sotadem imitatus. At Dionysius alias quidem scripsit epistolas, sed quibus injectas suspiciones levaret, ac eum recte sentire compertum est. Qui si secum in scriptis suis diffidet, ne trahant eum ad sui consortium, neque enim hac in parte fide dignus erit. Sin cum scripsisset ad Ammonium epistolam, in suspicionemque venisset, deinde illius levandæ causa sese purgaverit, ac post defensionem sententiam non mutarit, palam est illum, quæ suspecta fuere, per quandam dispensationem conscripsisse: scripta vero ac gesta quæ ad negotiorum rationem sunt dispensata, non oportet maligne interpretari, aut ad suam quemque libidinem detorquere. Nam medicus plerumque ea remedia quæ aliquibus congrua non videntur, quibusdam vulneribus, ut consentaneum esse novit, adhibet: non alium quam curandi scopum habens. Prudentis itidem præceptoris est, omnia ad discipulorum ingenium temperare docereque, donec eos ad perfectionis viam traduxerit.

Ingens Dionysium inter & Arium dissimilitudo.

7. Quod si eo solum nomine beatæ memoriæ virum criminantur, quod ita scripserit (argumenta quippe quæ Ariani ab ipso mutuantur vere criminationes sunt) quid facturi, quæso, sunt, si audiant magnos & beatos Apostolos loquentes in Actibus, Petrum quidem bis verbis: *Viri Israelitæ, audite verba hæc: Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus & prodigiis & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis: hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis.* Et rursum: *In nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste sanus coram vobis adstat.* Paulum vero Antiochiæ in Pisidia hæc narrantem: *Amoto Saule Deus suscitavit illis David in Regem, cui testimonium perbibens dixit: Inveni David filium Jesse, virum secun-*

Act. 2. 22.

Apostoli de Jesu quandoque ut de homine loquuntur.

Act. 4. 10.

Act. 13. 22.

dum

dum cor meum, qui faciet voluntates meas. Hujus Deus ex semine secundum promissionem, eduxit Israeli Salvatorem Jesum. Et rursus Athenis: (Act. 17. 30.) *Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Aut si magnum illum martyrem (Act. 7. 55.) Stephanum audiant dicentem: *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem a dextris Dei.* Restat ut jam audacius insurgant dicantque (nihil enim illis inausum) etiam ipsos Apostolos cum Ario sensisse, quandoquidem Christum, hominem Nazareth oriundum, & passibilem esse prædicant.

8. Hæc illis ita somniantibus; num quia Apostoli his verbis sunt usi, ideo Christum existimarunt hominem duntaxat esse, & nihil præterea? Absit. Id ne in mentem quidem cadat. Sed illi ut architecti periti, & dispensatores mysteriorum Dei, non absque legitima causa, rem ita temperarunt. Judæi namque illius temporis, cum errarent atque Ethnicos in errorem inducerent, rati Jesum hominem duntaxat esse, ex semine David oriundum, perinde ac ceteros Davidis filios; non Deum illum, neque Verbum carnem factum esse credebant. Quapropter beati Apostoli, prudenti admodum consilio, primum humana Salvatoris Judæis enarravere; ut eos ex editis conspicuisque miraculis, jam advenisse Christum plane persuasos, hinc ad credendam ejus divinitatem deducerent, demonstrando, opera quæ edita fuerant, non hominis, sed Dei esse. Certe Petrus cum dixisset virum passibilem (Act. 3. 15.) Christum esse, illico subjunxit: *Hic auctor vitæ est.* (Matt. 16. 16.) Ipseque in Euangelio confitetur: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Et in epistola sua ait ipsum, Episcopum animarum, atque Dominum suum necnon Angelorum & Potestatum esse. Paulus item, qui ait Christum esse virum ex semine David, in epistola ad Hebræos hæc (Hebr. 1. 3.) habet: *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ* (Philip. 2. 6.) *ejus*: ad Philippenses vero: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Hæc porro, auctor vitæ, Filius Dei, splendor, figura, æqualis Deo, Dominus, Episcopus animarum, quid aliud sibi velint, quam in corpore fuisse Verbum Dei, per quod omnia facta sunt, illudque indivisum esse a Patre, quemadmodum splendor a luce?

Quare Apostoli humanitatem Christi Judæis enarrabant.

9. Idipsum egit Dionysius ab Apostolis edoctus: cum enim jam irrepsisset Sabellii hæresis, coactus est hujusmodi epistolam, ut dixi, scribere, ac verba quæ humili & humano more de Salvatore dicta sunt, illis objicere; ut per humana illos absterreret a dicendo, Filium esse Patrem, sicque faciliorem illis viam ad doctrinam de Filii divinitate muniret; ubi in subsequentibus epistolis illum ex Scripturis sacris appellaret Verbum, sapientiam, virtutem, vaporem, & splendorem Patris. In epistolis itaque ad sui defensionem scriptis, palam de fide loquitur, pietatemque erga Christum profitetur. Ut igitur Apostoli accusandi non sunt ob verba de Domini humanitate prolata; (nam Dominus homo factus est) quin potius admiratione digni sunt ob prudentem dispensationem & doctrinam tempori accommodatam; sic Dionysius pro Ariano habendus non est, propter epistolam ad Euphranorem & Ammonium contra Sabellium scriptam. Tametsi enim humilibus verbis & exemplis est usus, at illa sunt ex Euangeliis depromta: adestque illi legitima hæc conscribendi causa, Salvatoris scilicet in carne adventus, propter quem hæc & similia scripta sunt. Nam ut ipse Verbum est Dei, ita postea, *Verbum caro factum est.* Et *in principio* quidem *erat Verbum*: Virgo autem circa consummationem sæculorum *in utero habuit*, (Matth. 1. 23.) Dominusque homo factus est. Atque unus quidem est qui duabus illis sententiis indicatur, nam, *Verbum caro factum est.* Quæ porro de divinitate & de humanitate ejus dicta sunt, propriam & unicuique quo de agitur congruentem, habent interpretationem: ita ut qui humana Verbi scribit, ejus quoque divinitatem agnoscat; & qui de divinitate loquitur, minime sit ignarus eorum quæ ad carnalem ejus adventum spectant: sed ut peritus & probus trapezita inter singula distinguens, in recta pietatis incedat via. Cum igitur eum lacrymantem dicit, probe novit, Dominum hominem factum quoad humanitatem lacrymas profundere; ut Deum vero, Lazarum a mortuis suscitare: novit quoque illum esurire corporaliter, ac divinitus ex quinque panibus quinque millia satiare: corpus itidem humanum in sepulcro jacere novit, nec ignorat illud ipsum a Verbo, ut Dei corpus, suscitari.

Cur Dionysius Sabellianis verba quædam quæ humiliter de Christo sonant, opposuit.

10. Hæc ipsa docens Dionysius, in epistola quidem ad Euphranorem & Ammonium, quæ de Salvatore secundum humanitatem dicta sunt, resellendi Sabellii causa scripsit. Secundum humanitatem enim hæc de illo sunt prolata: *Ego vitis, & pater meus agricola*: (Joan. 15. 1.) &, *fidelem ei qui fecit ipsum*, necnon illud, *creavit*, &, (Hebr. 3. 2. Prov. 22. Hebr. 1. 4.) *tanto melior Angelis factus*. Nec ignorabat tamen illud: *Ego in Patre, & Pater in me*, &, *Qui videt me, videt & Patrem*: hæc enim illum novimus in aliis scripsisse epistolis: ubi dum ista pertractat, humanitatem (Joan. 14. 10.) quoque Domini memorat. Sicut enim *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, (Philipp. 2. 6.) &, *cum esset dives, propter nos egenus factus est*; sic cum (2. Cor. 8. 9) verba de divinitate ejus dicta magnifica sint & excelsa, e contrario humilia & egena sunt quæ de carnali ejus adventu enarrantur. Quod autem hæc ipsa de humanitate Salvatoris dicta sint, hinc animadvertere licet, quod agricola quoad substantiam a vite alienus sit; palmites vero ejusdem substantiæ & generis ac vitis, ab ipsaque indivisi, una nempe eademque origine pullulant palmites & vitis. Est autem, ait Dominus, ipse vitis, nos palmites. Si itaque nobis consubstantialis est Filius, & eamdem quam nos habet originem, sit hac in parte alienus a Patre secundum substantiam, eo modo quo vitis ab agricola: si vero aliud est Filius præter illud quod nos sumus, & ille quidem Verbum Patris, nos vero ex terra procreati & posteri sumus Adæ, non debet dictum illud referri ad deitatem Verbi, sed ad humanum ejus adventum: quandoquidem ita Salvator ait: Ego sum vitis, vos palmites, & Pater agricola. Nos enim quantum ad corpus ejusdem generis sumus ac Dominus, propterea ipse dixit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. (Psal. 21. 23.) Ac quemadmodum palmites sunt viti consubstantiales, ex eaque prodeunt; sic & nos corpora habentes ejusdem generis ac corpus Domini, ex plenitudine ejus accipimus, illudque nobis radix est ad resurrectionem & salutem. Pater autem agricola dictus est: ipse enim vitem, quæ est humanitas Salvatoris, per Verbum coluit, ipse item per Verbum nobis ad regnum viam paravit, & nemo venit ad Dominum, nisi Pater eum traxerit ad illum.

11. Hæc igitur germana cum sit hujus sententiæ interpretatio, peropportune de hac vite scriptum est: *Qui fidelis est ei qui fecit illum*, &, *tanto melior Angelis factus*, &, *creavit*. (Heb. 3. 2. Heb. 1. 4. Prov. 8. 22.) Quo enim tempore illud accepit quod pro nobis offerendum habuit, corpus nempe suum ex Maria virgine ortum, tunc scribitur, eum creatum fuisse, factum conditumque fuisse, siquidem hujusmodi dicta hominibus congruunt. Neque tamen post corpus assumtum Angelis præstantior

tior effectus est, ne antea minor illis, aut par fuisse existimetur: sed cum ad Judæos Paulus scribat, humanumque Domini ministerium cum Mosis ministerin conferat, ait: *Tanto melior Angelis factus*; per Angelos enim lex enunciata est, quia *lex* quidem *per Moysem data est: gratia* autem *per Jesum Christum facta est*, necnon Spiritus donum. Et eo quidem tempore a Dan usque Bersabee lex enunciabatur; jam vero *in omnem terram exivit sonus eorum*, & Gentes Christum adorant, per eumque Patrem agnoscunt. Humann igitur more illa de Salvatore scripta sunt, nec aliter se res habet.

Joan. 1. 18.

Psal. 18. 5.

11. Ergone Dionysius, ut Christi hostes jactitant, cum de Filii humanitate scribit, ipsumque rem factam esse ait, unum ex puris hominibus illum esse indicat? An quia dixit, Verbum non esse proprium substantiæ Patris, ipsum nobis hominibus consubstantiale esse existimavit? At in aliis epistolis nequaquam ita scripsit, sed conspicuum est in iis illum recte sentire, quibus sane epistolis adversum hæreticos quodam modo exclamat his verbis: Vestræ non sum sententiæ, o Dei hostes, neque scripta nostra Ario fuere impietatis occasio: sed quando Sabellianorum causa in meis ad Ammonium & Euphranorem litteris, de agricola & vite, deque aliis ejusmodi dictis mentionem feci; eo dictum illud est ut humanis Domini demonstratis, persuaderem illis ut ne dicerent, Patrem esse qui homo factus est. Quemadmodum enim agricola non est vitis, ita qui in corpore fuit non est Pater, sed Verbum. Verbum autem nt in vite fuit, vitis vocatum est, ob corporalem cum palmitibus, id est nobiscum, cognationem. Hac mente ad Ammonium & Euphranorem scripsi: alias autem quas misi epistolas, vestræ impudentiæ oppono, ut hinc sapientibus nnta sit mea defensio, necnon recta mea in fide Christi sententia. Par itaque erat Arianos, si sanæ quidem mentis fuissent, talem de Episcopo habere existimationem: *Omnia enim clara sunt intelligentibus, & recta invenientibus scientiam*. Quandoquidem autem Catholicæ Ecclesiæ fide non eruditi, in impietatem sunt collapsi, ac mente denique excæcati, quæ recta sunt obliqua existimant, dicuntque lucem tenebras, tenebrasque lucem arbitrantur; operæ pretium fuerit ut aliarum Dionysii epistolarum verba adhibeamus, allatis ad majorem hæreticorum confutatinnem earum scribendarum causis; quarum lectio nos ad talia de Viro sentienda atque loquenda induxit.

Prov. 8. 9.

Dionysius Alexandrinus ad Dionysium Romanum delatus, quibusdam editis libris sese purgat.

13. Hæc vero causa illi fuit alias conscribendi epistolas. Cum Dionysius episcopus, postquam de Pentapolitanis illa didicerat, epistolam, uti jam dixi, contra Sabellii hæresim, ad Ammonium & Euphranorem, studio religionis permntus, scripsisset; quidam ex Ecclesia fratres, sanæ quidem doctrinæ homines, non sciscitati tamen eum qua de causa ita scripsisset, Rnmam se contulere; illumque apud cognominem Dinnysium Rnmanum episcopum accusarunt. Quibus ille auditis, una scripsit & contra Sabellii sectatores & contra eos qui ejus essent sententiæ, quam cum post Arius protulisset, ab Ecclesia est ejectus: æqualem ajens, licet ex diametro oppositam, Sabellii impietatem, eorum blasphemiæ qui dicunt, Verbum Dei, creaturam, opificium, & rem factam esse. Misit quoque ad Dinnysium litteras, ut indicaret; qua de re accusatus ab illis fuisset. Ille vero quamprimum sui purgandi causa libros edidit, quos inscripsit, Elenchus, & Apologia. Hic animadvertas velim execrandam Christi hostium nfficinam, & quo pactn ad suam ipsi ignominiam hæc movetint: cum enim Dionysius Rnmanus episcopus adversus eos etiam scripserit, qui dicunt Filium Dei creaturam & rem factam esse, liquido constat, non jamprimum, sed olim quoque ab omnibus anathemate damnatam fuisse Christi hostium Arianorum hæresim. Deinde cum Dinnysius Alexandrinus episcopus de epistola sua sese purgarit, palam est illum, nec ejus fuisse sententiæ quam ei adscribunt, neque nmninn prava Atii doctrina imbutum fuisse.

14. Et sane satis esset ad integram Arianorum confutationem, & ad demonstrandam eorum calumniam, quod Dionysius de iis etiam quæ isti jactitant, sese purgaverit: nnn enim contendendi animo scripsit, sed sui defendendi suspicionisque amovendæ causa: cum vero eas depellit criminatinnes, quid aliud agit quam quod nmnem criminis suspicionem levat, & in hoc Arianos sycophantas esse arguit? Sed ut ex iis quæ sui defendendi causa scripsit magis confundantur, age, ejus tibi verba proponam: ut hinc noveris, Arianos pravæ mentis homines esse Dionysiumque ab eorum erroribus alienum. Et primn quidem epistolam suam inscripsit, Apologiam & Elenchum. Quid sibi vult illud, nisi quod & obtrectatores suos arguit, & scripta sua propugnat, nstendens se, non ea mente qua suspicatus est Arius, scripsisse; sed licet eorum meminerit quæ de Domino secundum humanitatem dicta sunt, non ignorasse tamen ipsum esse Verbum & Sapientiam a Patre indivisibilem? Queritur deinde quod accusatores sententias suas non integras referant, sed truncatas, & quod non bona conscientia, sed mala pro libidine loquantur: quos similes ait beati Apostoli epistolarum calumniatntibus. Hæc porro viri expostulatio sinistram nmnem amovet suspicionem. Si enim Pauli calumniatores sui similes arbitratur, nihil sane aliud declarat quam se cum Paulo sentientem ita scripsisse. Certe singulis accusatorum verbis occurrens, omnibus eorum argumentis snlutionem adhibet; cumque Sabellium prioribus illis scriptis planissime confutarit, his posterioribus fidem suam omnino piam declarat. Affirmantibus igitur illis hanc esse Dinnysii sententiam: Deus non fuit semper Pater; Filius semper nnn fuit: sed Deus aliquando Verbo caruit; ipse vero Filius, non erat antequam gigneretur: sed fuit aliquando cum non esset: non enim æternus est, sed postmodum esse incœpit: animadverte quomodn ad hæc ille respondeat. Verba autem ejus quamplurima, quibus res in quæstionem adductas expendit, aut ex allatis ratiociniis quædam colligit, aut interrogatos adversarios coarguit, vel nbtrectatores suos criminatur, nb librorum prolixitatem omittens, ea solum proponam quæ eorum spectant accusationem. Itaque sui purgandi causa, in primn libro cui titulus, Elenchus & Apologia, quibusdam præmissis, sic ad verbum scripsit.

„ 15. Nunquam enim fuit quando Deus non erat Pa-
„ ter. Et in sequentibus profitetur, Christum semper
„ fuisse, ac Verbum, Sapientiam, & Virtutem extitisse.
„ Neque enim Deus cum his antea caruisset, postea Fi-
„ lium genuit. Neque a seipsn Filius, sed a Patre habet
„ esse. Et paucis interjectis, eadem de re iterum dicit.
„ Cum sit splendor lucis æternæ, & ipse omnino æter-
„ nus est. Lnce enim semper existente, manifestum est
„ & splendorem semper existere; eo enim ipso lucem
„ esse intelligitur quod splendeat: ac fieri nequit ut lux
„ non luceat. Rursum enim ad exempla veniamus. Si
„ sol est, est quoque splendor, est & dies: si vero horum
„ nihil est, multum abest adesse solem. Quod si æternus
„ snl esset, dies etiam nunquam cessaret: nunc autem
„ (neque enim ita se res habet) incipiente sole incipit
„ & dies, ac desinente, desinit. Deus autem æterna lux

Filius Patri coævus ut splendor luci.

„ est quæ nunquam iocœpit, ounquam desinet. Æternus ergo splendor ipsi prælucet ac coexistit, qui absque initio est, & ab æterno genitus ante eum emicat: quique ipsamet est Sapientia quæ dicit: *Ego eram qua gaudebat, & delectabar quotidie ante faciem ejus, omni tempore*. (Prov. 8. 30.) Pauloque postea de eodem resumit his verbis: Cum igitur æternus sit Pater, æternus est & Filius, lumen de lumine. Nam si genitor est, est & filius: quod si filius non est, qua ratione & cujus potest esse genitor? Atqui ambo sunt, & semper sunt. Deinde hæc addit: Cum igitur Deus sit lux, Christus est splendor; cum autem ipse Spiritus quoque sit: nam, *Spiritus*, inquit, *est Deus*; (Joan. 4. 24.) congruenterq; rursum Christus vapor dictus est: *est enim*, inquit, *vapor virtutis Dei*. (Sap. 7. 25.) Et iterum ait: Solus autem Filius qui Patri semper coexistit, & illo, qui est, plenus, ipse quoque est ex Patre. „

16. Hæc si ambigue dicta fuissent, interprete npus haberent: at cum palam & plerumque hæc in scriptis suis pertractarit; Arius quidem dentibus strideat, quod suam hæresim cernat a Dionysio eversam, audiatque vel invitus hæc illius verba: „ Semper Deus Pater fuit; & Filius non absque causa æternus dicitur; sed quia æternus est Pater, æternus est & Filius, illique coexistit, quemadmodum splendor luci. „ Ii vero qui vel leviter suspicantur Dionysium cum Ario sensisse, hanc sinistram de eo existimationem deponant. Quid, quæso, illi inter se affinitatis habent, Ario dicente: Filius non erat priusquam gigneretur, sed fuit aliquando cum non erat; Dionysio contra hæc docente: „ Deus autem æterna lux est, quæ nunquam incœpit, nunquam desinet: æternus ergo splendor ipsi prælucet ac coexistit, qui absque initio est, & ab æterno genitus ante eum emicat. „ Porro ad alteram quorumdam suspicionem qui ajunt: Cum Patrem dicit Dionysius, Filium non nominat; & vice versa, Cum Filium dicit, Patrem non memorat, sed dividit, amovet, & separat Filium a Patre; ita respondet Dionysius, hominesque pudore suffundit in secundo libro, his verbis.

17. „ Singula nomina a me prolata a se invicem nec separari nec dividi queunt: Patrem dixi, & priusquam Filii meotionem facerem, jam illum io Patre significaram: Filium adjunxi, ac etiamsi Patrem non prius nominassem, is tameo in Filii nomine comprehensus fuerat: Spiritum sanctum addidi, sed simul & unde & per quem processerit adjunxi. Illi vero ignorant neque Patrem qua Pater est a Filio alienari posse, nam nomen illud est origo conjunctionis; neque Filium a Patre separari, namque Patris vocabulum commune quidpiam indicat. * In manibus autem illorum est Spiritus, qui neque a mittente, neque a ferente separari potest. (Insignia verba de Trinitate.) Quomodo igitur ego qui talibus utor nominibus, illa a se invicem separata & omnino divisa existimem? Et paucis interjectis hæc addit: Sic quidem nos indivisibilem Unitatem in Trinitatem dilatamus, & Trinitatem iterum quæ imminui nequit, in Unitatem contrahimus.

18. Hinc accusatores suos qui eum mentiebantur dixisse, Filium inter res factas computari, & nequaquam esse Patri consubstantialem; iterum io primo libro coarguit his verbis: „ Ceterum ubi res factas, & opificia quædam consideranda dixi, eorum exempla ut minus utilia cursim protuli, cum dixi: neque planta idem est quod agricola, neque scapha idem quod navium faber: deinde in congruis & naturæ rei accommodatioribus magis sum immoratus; ac pluribus ea quæ certioris fidei erant expo- sui, variis excogitatis exemplis quæ tibi in alia epistola scripsi, quibus criminationem eorum depuli mendacemque ostendi, qua ajebant me Christum negare esse Deo consubstantialem. Tametsi enim fateor me hoc vocabulum nusquam in Scripturis sacris vel invenisse vel legisse, attamen argumenta mea, quæ subsequuotur, quæque isti tacuerunt, ab hac sententia oihil discrepant. Etenim humanam prolem in exemplum attuli, quam patet esse ejusdem generis ac genitorem: dixique revera in hoc solum parentes differre a filiis, quod ipsi noo sint filii: alias necesse fore neque parentes existere, neque filios. Epistolam autem, ut ante dixi, ob præsentem rerum conditionem, penes me non habeo; alioquio ipsa tibi quæ tunc scripsi verba, imo epistolę totius exemplar misissem, mittamque si quando mihi ejus copia fuerit. Memini porro me plurimas ex rebus inter se cognatis similitudines coaglobasse. Etenim plantam sive ex semine sive ex radice succrescentem, aliam dixi esse ab eo unde pullulavit, etsi ejusdem omnino sit naturæ: fluviumque a fonte fluentem, aliam formam & nomen accipere: neque enim aut fontem fluvium, aut fluvium fontem dici; sed utrumque existere: ac fontem quasi Patrem esse, fluvium vero, aquam ex fonte manantem. Sed hæc quidem & similia scripta se non videre quasi cæcutientes dissimulaot: duabus autem voculis inconnexis, quasi lapidibus eminus me impetere conantur: non advertentes, perobscuris rebus quæ ut intelligantur additione indigent, plerumque non modo aliena, sed & contraria exempla lucem afferre. In tertin autem libro ait: Vita ex vita genita est, quemadmodum flumen a fonte emanavit, & a luce inextincta splendida lux accensa est. „

19. His auditis, quis non insaniæ deinceps eos accusabit, qui Dionysium Arianice sentire suspicantur? Næ ille, his argumentis ab ipsa veritate profectis, totam Arii proterit hæresim. Nam illud, Non erat priusquam gigneretur, &, Erat quando non erat, splendoris vocabulo confutat, necnon his verbis: Pater ejus nunquam absque prole fuit. Illud autem quod ajunt, ex non-exstantibus, resellit, dicendo, Verbum esse quasi fluvium ex foote, ut germen ex radice, filium ex parente, lumen ex lumine, & vitam ex vita. Quod autem illi separant & dividunt Verbum a Deo, id ille improbat cum ait, Trinitatem, quæ nec dividi nec minui potest, in Unitatem cootrahi. Quod vero ajunt, alienum esse Filium a substantia Patris, aperte respuit cum dicit, consubstantialem Patri esse Filium. Hic sane summopere miranda impiorum hominum impudentia, Dionysio namque quem doctrinæ suæ paria sensisse affirmant, dicente, consubstantialem esse Filium, ipsi tamen haud secus quam culices circumquaque susurrant, quasi Synodus Consubstantialis vocem haud recte scripto mandarit. Si enim sibi amicum Dionysium existimant, ne doctrinam negent viri secum sentientis. Quod si putant id non recte dictum fuisse, quare Dionysium, qui idipsum ait, quasi secum sentientem jactitant: cum præsertim is non obiter hoc dicat, sed aliis antea missis epistolis, eos qui se insimulabant quasi diceret Filium noo esse Patri consubstantialem, mendacii coarguat: illos vero qui putabant se dixisse, Verbum esse factum, refellat, negans se prout illi existimant sentire: sed tametsi voces illas protulit, eo solum illud se dixisse testatur, ut ostenderet non Patrem sed Filium esse qui conditum, creatum, & factum corpus induit: quo-

circa

* Confer hæc sodes cum his quæ habentur supra in Expositione Fidei versus finem.

circa Filius conditus, factus & creatus fuisse dicitur.

20. Certe cum illa verba prius scripserit, Arianis quidem facessere jussis, benevolum animum ab iis postulat, ad quorum aures hæc pervenerint; ut animadversa harum quæstionum difficultate, imo potius incomprehensibilitate, noo verba, sed Scriptoris animum judicareot, cum potissimum alia complurima veram ejus mentem aperiant. Ait igitur ipse: „ Ejusmodi exempla ut minus utilia cursim protuli, „ nimirum de planta & agricola: naturæ accommo„ datiora fusius pertractavi, ac veriora pluribus ex„ posui. „ Jam qui hæc loquitur, ostendit, verius dici Filium æternum & ex Patre esse, quam esse factum: nam hoc quidem vocabulo, quod corporeum est in Domino indicatur; illis vero æternitas divinitatis ejus. Eos igitur qui se accusabant, ut qui negaret Filium esse Patri consubstantialem, his argumentis a se confutatos declarat, haud levi modo, sed sapientissime, & cum vera demonstratione, dum hæc ait: „ Etsi hanc vocem in Scripturis non inveni; at„ tamen earumdem Scripturarum mentem colligens, „ agnovi, ipsum, cum Filius & Verbum sit, non „ posse a Patris substantia esse alienum. „ Quod autem Filium non senserit esse rem creatam aut factam, ut illi pervulgarant, in secundo libro testatur his verbis: „ Si quis autem ex sycophantis, eo quod Deum, „ omnium dixi factorem & creatorem, existimat me „ etiam Christi creatorem dixisse, advertat me prius „ Patrem ipsum appellasse, in quo vocabulo Filius „ adscriptus est. Postquam enim dixi Patrem facto„ rem esse, subdidi: Neque pater eorum est quorum „ factor est, si proprie pater intelligatur esse is qui „ genuit: (latitudinem enim vocabuli hujus, pater, „ in sequentibus inquiremus) oeque factor pater est, „ si solus opifex factor dicatur: apud Græcos enim ii „ qui sapientes suot, suorum librorum factores vo„ cantur: Apostolusque ait, *factor legis*: nam rerum „ etiam iotrinsecarum, cujusmodi sunt virtus & vi„ tium, factores sunt homines, ut dixit Deus: *Ex„ pectavi ut faceret judicium, fecit autem iniquita„ tem.* „

Filius ipso Patris vocabulo indicatur.

Rom. 2. 13. & Jacob. 4. 11.

Esa. 5. 7.

21. Qui hæc audit, divini sane oraculi meminerit, dicentis: *Quocumque se vertat impius, evanescit*. Eteoim quam se cumque in partem quotidie convertant impii illi, evanescunt, ne in hoc quidem ullam rationem invenientes Dionysii sibi conciliandi: quippe qui aperte doceat, Filium nec factam nec creatam rem esse; carpit autem appositeque refellit eos qui se calumniabantur, quasi dixisset, factorem esse Deum, quod non adverterint se aote dixisse, Patrem esse Deum, in quo & Filius adscriptus est. His autem verbis declarat, Filium non esse ex numero rerum factarum, & Deum non factorem, sed patrem proprii Verbi esse. Quibusdam autem * imperite ipsi reponentibus, quod Deum dixisset Christi factorem, sui purgandi causa varia adhibuit argumenta. Neque sic, aiens, reprehendenda esse sua verba: se enim factoris nomine usum affirmat, propter carnem quam Verbum assumserat, utique factam. „ Quod si quis illud de Verbo dictum fuis„ se suspicetur, eo etiam modo absque contentionis „ studio audisse oportuit: ut enim Verbum rem fa„ ctam esse non sentio, & Deum non factorem, sed „ patrem ejus dico; si quando de Filio differens De„ um obiter dixero factorem ejus; etiam tunc res de„ fensione non caruerit: nam * sapientes Græci se suo„ rum librorum factores appellant, tametsi iidem „ propriorum librorum patres sunt: divina autem „ Scriptura nos cordis motuum factores nuncupat, „ cum nos dicit, factores legis & judicii & justitiæ. Itaque quacumque ex parte res spectetur, probe commonstrat Filium nec creatam nec factam rem esse, seque a prava Arianorum doctrina alienum.

Prov. 12. 7.

* vel, mala conscientia.

22. Verum ne quis Arianorum eum suspicetur dixisse, Filium ita Patri coexistere, ut nomina quidem sibi invicem cohæreant, res autem a se invicem plurimum disteot, &, neque Filium semper Patri coextitisse: ex quo autem Filius esse cœpit, ex eo Deum dictum fuisse Patrem, & dehinc illi coexistere, ut fit apud homines. Sed meminerit eorum quæ supra dicta sunt, tumque Dionysii fidem rectam agnoscet. „ Nam cum dicat, non enim erat cum Deus „ non esset pater: & iterum: Deus autem æ„ terna lux est, quæ nunquam incœpit, nun„ quam desinet: æternus ergo splendor ipsi præ„ lucet & cnexistit, qui absque initio est, & „ ab æterno genitus ante eum emicat: „ par sane fuit neminem talia de illo suspicari. ** Exempla quoque fontis ac fluvii, radicis & germinis, spiritus & vaporis, Christi hostes qui contraria de illo disseminant, pudore suffundunt.

23. Cum autem Arius ad cetera sua mala hanc quoque senteotiam quasi ex sterquilinio sibi consarcinarit, & hæc adjecerit: „ Verbum non est propri„ um Patri, sed aliud est io Deo Verbum: hic vero „ Dominus, extraneus quidem & alienus est a Patris „ substantia, & duntaxat secundum cogitandi mo„ dum, dicitur Verbum, & non est secundum „ naturam, ac verus Dei filius; sed per adoptionem „ hic quoque filius dicitur, utpote creatura. „ Et dum hæc ait, apud eos qui rei veritatem ignorant gloriatur, quasi in hoc Dionysius secum sentiat: tute quæso videas quæ de iis fuerit Dionysii fides, & qua vi illos Arii oppugnet errores; in primo enim libro sic scribit. „ Dictum est superius Deum esse „ fontem omnium bonorum, Filius vero dictus est „ fluvius ab ipso emanans: verbum quippe est men„ tis emanatio, &, (ut humano more loquamur) ex „ corde per os emittitur. Mens vero quæ per linguam „ prosilit, diversa est a verbo quod in corde existit: „ istud enim postquam illud præmiserit, remanet, & „ est quale antea erat: illud vero præmissum evolat „ & circumquaque fertur: & sic est utrumque in al„ tero, tametsi diversum est ab altero: & unum „ sunt, licet duo sint. Sic namque Pater & Filius u„ num sunt, & in se invicem illos esse comprobatum „ est. In secundo autem libro hæc habet: Ut enim „ mens nostra eructat a seipsa verbum, ut ait Prophe„ ta: *Eructavit cor meum verbum bonum*: estque utrum„ que alterum ab altero, proprium & ab altero distin„ ctum obtinens locum, cum illud quidem in corde, „ istud in lingua & ore commoretur & moveatur: non „ tamen alterum ab altero distat, nec se invicem pri„ vantur: neque mens sine verbo est, neque verbum sine „ mente: sed mens verbum facit, & in ipso apparet, „ & verbum mentem exhibet, in qua factum est: mens„ que est quasi verbum immanens, verbum autem qua„ si mens prosiliens: mens in verbum transit, verbum „ mentem in circumstantes auditores insinuat: & sic „ mens per verbum in auditorum animis collocatur, „ & una cum verbo intrat. Ac mens quidem est quasi „ pater verbi, in seipsa existens: verbum autem qua„ si filius mentis, non ante ipsam quidem, sed ne„ que extra ipsam factum esse potest, sed cum i„ psa

Arii impia dicta.

Psal. 44. 2.

* Quod ait sapientes suorum librorum patres esse, Clemens item Alexandrinus initio Stromatum, ψυχῆς ἔγγονοι οἱ λόγοι, *animæ liberi sunt libri*,

** Tertullianus adversus Praxeam hæc ipsa profert exempla: *Nec frutex, ait, a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur, sicut a Deo sermo.*

„ psa existit, & ab ipsa germinavit. Eodem quoque modo Pater ille maximus, & mens illa universalis, ante omnia Filium habet, Verbum, Interpretem, & Angelum suum. „

24. Hæc vel nunquam audivit Arius, vel si audivit non intellexit homo indoctus: nam si intellexisset, non tanta mendacia de episcopo pervulgasset; imo potius illum, ut nos, ob insitum in veritatem odium Joan. 15. 20. convitiis insectatus fuisset. Nam cum Christi sit hostis, libentissime persequetur illos, qui quæ Christi sunt sapiunt, ut ipse prædixit Dominus: *Si me persequuti sunt, & vos persequentur*. Aut si putant impietatis patroni, secum sentire Dionysium, eadem quæ B ille scribant, eadem profiteantur; scribant exempla illa, de vinea nempe & agricola, de scapha & fabro; & una confiteantur quæ ipse consubstantialitatis propugnandæ causa tradidit: sententiam item qua dicit, Filium esse ex substantia Patris, necnon æternitatem ejus, cognationem mentis cum verbo, fontis cum fluvio, & cetera; ut vel ex ipsa rerum discrepantia noverint, quomodo priora quidem illa per œconomiam dixerit; hæc vero, ut piæ fidei postulat ratio. Ac deinceps hæc profitentes, suas his adversantes sententias repudient. Quid e- C nim vel proximum habuerit Arii malignitati Dionysii fides? Nonne Arius secundum cogitandi modum duntaxat Verbum esse dicit, Dionysius autem vere & natura sua Verbum Dei esse? Ille Verbum Patri extraneum dicit: hic docet esse proprium, & indivisibile a Patris substantia, sicut verbum a mente, & flumen a fonte. Si quis igitur poterit dividere & alienare verbum a mente, vel fluvium a fonte separare, & quasi muro exstructo dirimere; vel ausit dicere fluvium diversæ substantiæ a fonte, ac diversam ab eo aquam commonstrare; vel splendorem a luce dirimere, & affirmare ex aliena sub- D stantia esse splendorem, nec a luce prodire, is cum Ario insaniat, ejusmodi quippe homo ne mentem quidem humanam habere ultra videbitur. Quod si hæc indivisibilia esse ipsa novit natura, eorumque proles ipsis propria est; ne quis igitur deinceps cum Ario sentiat, aut Dionysium calumniari ausit; sed magis hinc ejus cum sermonis perspicuitatem, tum rectam fidem admiretur.

25. Quod spectat autem illam Arii insaniam, qua dicit, aliud esse quod in Deo est Verbum, & Joan. 1. aliud de quo loquutus est Joannes: *In principio erat Verbum*: & aliam propriam esse in Deo sapientiam, E aliam vero quam his verbis indicat Apostolus: 1. Cor. 1. 24. *Christus Dei virtus & Dei sapientia*; illud summa vi impugnat Dionysius, pravamque illam sententiam strenue insectatur: vide, quæso, quo pacto in secundo libro his de rebus verba faciat: „ *In principio erat* „ *Verbum*: sed non erat Verbum quod Verbum pro- „ tulerit; erat enim Verbum apud Deum: Domi- „ nus sapientia est; non erat igitur sapientia qui sa- Prov. 8. 30. „ pientiam produxit: nam, *ego eram*, inquit, *qua* 3. Esdr. 4. 4. „ *delectabatur*. „ Veritas est Christus: *Benedictus autem*, ait, *Deus veritatis*. Ibi una Sabellium & Arium F evertit, ambasque hæreses paris impietatis declarat: neque enim Verbum est Verbi pater, neque factum est quod ex Patre procedit, sed propria ejus substantiæ proles. Rursumque Verbum procedens non est Pater: nec Verbum istud, unum ex multis est, sed solus est Patris Filius, verus & natura genuinus, qui & nunc in ipso exsistit, & in æternum atque indivisibiliter ex eo est. Sic & Sapientia & Veritas est Dominus, & non est ab alia sapientia secundus; sed solus hic est per quem omnia Pater condidit, in ipsoque multiplices rerum constituit substantias; per quem etiam quibus vult innotescit: in A ipso item omnium providentiam gerit, omnia agit. Hoc enim unicum Dei Verbum agnovit & Dionysius. Hæc est Dionysii fides. Pauca enim ex ejus epistolis collecta conscripsi; quæ tamen plura addendi tibi occasionem præbeant: Arianos vero maximo pudore suffundant, ob suam adversus Episcopum calumniam. In omnibus quippe scriptis suis eorum malitiam coarguit & hæresim traduxit.

26. Ex his itaque patet epistolam ad Euphranorem & Ammonium alia mente & ex œconomia quadam ab ipso scriptam esse: quod item ex ejus apologia comprobatur. Et est vere apta persuadendi forma, ad insaniam Sabellii evertendam, ut qui sequaces ejus cito coarguere velit, non ab argumentis ejus divinitatem indicantibus initium ducat; nempe Filium esse Verbum, Sapientiam, & Virtutem, nec ab illo: *Ego & Pater unum sumus*; ne illi quæ recte Joan. 10. 30. dicta sunt ad pravum sensum detorquentes, impudentis contentionis occasionem hinc arripiant, dum audiunt: *Ego & Pater unum sumus*, &, *Qui vidit me*, Joan. 10. 30. *vidit & Patrem meum*: sed Salvatoris exemplo præ- Joan. 14. mittat ea quæ humano more de illo dicta habentur: cujusmodi sunt, esurire, laborare, quod vitis sit, quod oraverit & passus sit: quanto enim hæc dictu sunt humiliora, tanto liquidius demonstratur Patrem non esse factum hominem. Necessum est enim cum Dominus vitis appelletur, agricolam exstare: & cum oret, esse qui exaudiat: cum denique petat, esse qui concedat. Hujusmodi quippe dicta longe facilius Sabellianorum insaniam commonstrant, quod necesse omnino sit alium esse qui orat, alium qui exaudit: alium vitem, alium agricolam. Quotquot enim verba Filium quasi alienum a Patre declarant; hæc ad carnem attinent, quam nostri causa gestavit. Opificia quippe secundum naturam a Deo sunt aliena: ideo cum caro opificium sit, *Verbum*, quod, ut ait Joannes, *caro fa-* Joan. 1. *ctum est*, licet secundum naturam proprium sit Patri, & ab eo indivisibile; attamen si caro spectetur, Pater dicitur ab illo remotus: quæ enim carni propria sunt, ipse concedit ut de se dicantur; quo hinc palam fiat, non alterius, sed suum proprie corpus fuisse. Cum itaque hæc eo modo sint intelligenda, citius Sabellius convincetur, non esse Patrem qui caro factus est; sed ejus Verbum quod illam redemit, Patrique obtulit. Et ubi quis illum ita coarguerit, ac persuaserit, hinc Divinitatem quoque Verbi facilius edocebit: ipsum nempe esse Verbum & Sapientiam, Filium & Virtutem, splendorem & figuram. Necesse quippe est jam denuo colligere, cum Verbum exsistat, & Verbi Patrem esse oportere; Sapientia cum sit, ejus parentem esse; & splendor cum sit, esse quoque lucem, atque ita Patrem & Filium unum esse.

27. Hæc cum probe sciret Dionysius, illa edidit scripta, prioribusque verbis Sabellium compressit: his vero Arianam prosternit hæresim. Ut enim humana Salvatoris apta sunt ad Sabellium evertendum, e converso in Ariomanitas, non ex humanis, sed ex iis quæ Verbi Divinitatem indicant, argumenta sunt mutuanda; ut ne illi, quæ de Domino corporis causa dicuntur, pravo interpretantes, existiment ejusmodi esse Verbum, quales nos homines sumus, ac demum in insania sua perseverent. Qui si de Divinitate doceantur, suum ipsi errorem improbabunt: cumque didicerint Verbum carnem factum esse, humana in posterum facilius distinguent ab iis quæ ad Divinitatem attinent. Hæc cum ita se habeant, Dionysiusque Episcopus ex suis scriptis pius demonstratus sit; quid jam acturi sunt Ariomanitæ? Quem ultra falso accusare audebunt, cum ex supradictis mendacii convicti sint? Necesse enim est illos a fundamento Apostolorum lapsos, fluctuantique mente præditos, sustentaculum quærere,

& cum

& cum non inveniant, Patres in posterum falso accusare. Sed nemo illis ultra fidem adhibebit, etiamsi nitantur calumnias spargere: ab omnibus enim eorum hæresis damnata est: nisi forte de diabolo deinceps loquantur, is enim solus cum illis consentit, imo potius ipse est qui hæresim illis suggessit. Quis igitur etiamnum eos quorum diabolus dux est, Chri-
A stianos nominarit, & non potius diabolicos? ut non solum Christi hostes, sed & diabolici audiant. Nisi forte mutata sententia, quam excogitaverunt impietatem abnegent, veritatemque agnoscant: hoc enim e re illorum fuerit. Nos autem decet pro cunctis errantibus hæc precari.

IN EPISTOLAM AD DRACONTIUM

MONITUM.

I. DRACONTIUS *Monachus, Monachorumque præfectus in Episcopatum Alexandrini agri seu Hermopolis parvæ cooptatus; tum ut mox futuram persequutionem declinaret, tum quod tantum subire munus pertimesceret, aufugit seseque occultavit. Quod ubi Athanasio allatum est, Dracontium ille ad impositum onus revocare nititur, & ad calamitates Christi gregisque sui causa perferendas cohortatur. Tum adfert exempla Mosis, Heliæ, Helisæi, & Apostolorum, qui gravissima olim pro populo Dei subire certamina non abnuerant. Monachos item recenset qui ad Episcopatum promoti, id oneris cum laude populorumque emolumento perferrent. His Athanasii monitis morem gessisse Dracontium palam est. Initio namque persequutionis ab Georgio Ariano concitatæ, Episcopus cum esset, exulare coactus est. Ac in exilii sui loco, Clysma nomine, aliquot annis commoratus, demum post obitum Constantii, data Ecclesiæ pace, Synodo interfuit Alexandrinæ. Sed hæc alias.*

II. *Imminente autem Constantii postrema persequutione, instanteque Paschatis solemnitate, scriptam fuisse hanc epistolam, suadent complurimi ejusdem loci. Quare ad annum 354 vel 355 referenda videtur. Nequit enim ultra annum 355 hujus epistolæ tempus differri: nam initio anni 356 ante Quadragesimam grassari cœpit immanis illa Arianorum persequutio. Nec potest illa ante annum 354 scripta fuisse: quippe sub finem duntaxat anni 353 diu post Quadragesimam, Ariani insidias conspirationesque in Athanasium & in Catholicos aperte machinati sunt. In alterutram ergo annum 354 vel 355 conferenda videtur: ad utrum pertineat, incertum.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

Epistola ad Dracontium.

Scripta anno 354. vel 355. 1. HÆSITO quid ad te scribam; te-ne quod Episcopatum recuses vituperem, an quod temporis spectes conditionem, Judæorumque metu te occultes? Quocumque sane modo res spectetur, non culpa vacat id quod egisti, carissime Draconti. Non decuit enim te cum gratiam accepisses, latebras quærere: nec debuisti, prudens cum sis, aliis exemplum capessendæ fugæ præbere. Multis enim, qui hæc audiere, scandalo fuisti: non quod sic agas quidem, sed quod tempus ac impendentes Ecclesiæ calamitates prospiciens, sic agas. Ac vereor ne dum tui causa fugis, aliorum causa apud Dominum pe-
Matt. 18. 6. riclitere. Si enim ei *qui unum de pusillis scandalizaverit, optabilius sit ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*; quid de te futurum est, qui tam multis scandalo fueris? Etenim admirandus ille Alexandrini agri in te eligendo consensus, ob tuum secessum necessario in complurimas dividetur factiones: estque hujus loci Episcopatus a multis invadendus; iisque non probis viris, sed quos tute probe nosti. Dehinc Ethnici qui in tua ordinatione se Christianos fore polliciti sunt, in Gentilitate permanebunt, tua pietate gratiam sibi datam vilipendente.

2. Quamnam igitur es pro istis excusationem allaturus? Quibus verbis istiusmodi culpas abluere vel abstergere poteris? Quod illis es remedium adhibiturus, qui te auctore lapsi sunt & scandalizati? Aut quomodo ruptam pacem denuo componas?
B Carissime Draconti, pro gaudio mœrorem nobis, pro consolatione luctum attulisti. Sperabamus enim te nobis consolationi futurum: at nunc te fugientem conspicimus; futurumque prævidemus ut in judicium vocatus, convincare, inque periculo constitutus, te facti pœniteat. Ecquis tibi, ut ait Propheta, veniam tribuat? Quis ad pacem tibi concedendam animum inducat, cum fratres videat, pro quibus mortuus est Christus gravi ob fugam tuam detrimento affectos? Nosse te ac nihil ambigere convenit, te antequam ordinarere tibi ipsi vixisse; ordinatum, iis quibus es ordinatus. Ac prius-
C quam gratiam Episcopatus accepisses, nulli notus eras: jam vero, ordinatus cum sis, te populi expectant, ut cibum illis subministres Scripturarum nempe doctrinam. qui si dum expectant fame laborent, teque solum ipse alas, ac interim veniat Dominus noster Jesus Christus, nosque ejus conspectui sistamus; quam, quæso, invenias tui purgandi rationem, cum ipse esurientes suas oves conspiciat? Si denarios
D non accepisses, nequaquam te ille objurgasset: cum autem acceptos suffoderis atque occultaris, jure ac merito te increpaturus est, his adhibitis verbis, quæ absit ut tua pietas audiat: *Oportuit te projicere denarios meos trapezitis, ut ego veniens ab illis repeterem.*

Hierem. 15. 5.

Matt. 25. 27. Luc. 19. 23. eadem sententia, sed non iisdem verbis.

3. Obsecro, tibi nobisque parcas; tibi, ut ne in periculum adducare; nobis, ne ad te lugendum compellamur. Ecclesiæ curam habeto, ne tui causa multi ex pusillis damno adficiantur: neu alii tuo exemplo ca-

ptent occasionem secedendi. Si temporis calamitatem pertimescens, ac metu perculsus id egeris; nequaquam generosi animi illud fuerit: par fuit enim tuum pro Christo studium, in his calamitatibus exhibere, ac potissimum in hujusmodi temporibus assumta fiducia, hæc Pauli verba proferre, *in his omnibus superamus*: cum maxime nos deceat non tempori sed Domino servire. Sin tibi minime placet Ecclesiarum constitutio, nec arbitrare Episcopatus ministerium sua mercede donandum: sed eo usque animum appulisti ut Salvatorem qui hujusmodi res constituit, vilipendas. Obsecro ne res hujusmodi animo verses, neu toleres eos qui tibi hujus consilii auctores sunt: non enim hæc digna sunt Dracontio. Etenim quæ Dominus per Apostolos constituit, hæc bona, hæc firma perseverant. Eo autem modo futurum est ut fratrum formido compescatur.

Rom. 8. 37.

4. Si enim omnes eadem semper mente fuissent, qua nunc consiliarii tui sunt; qua ratione Christianus tu fuisses, non exstantibus Episcopis? Si etiam qui postmodum futuri sunt, ejusdem animi fuerint, qua ratione constare poterunt Ecclesiæ? An arbitrantur consiliarii tui te nihil accepisse, qui contemnere videantur? Sed hallucinantur sane. Restat enim ut Baptismi gratiam nihili pendant, si quidam reperiantur qui eam despiciant. Sed revera accepisti, dilectissime Draconti. Ne toleres hujusmodi consiliarios, neu temetipse decipias. Est quippe illud a Deo, qui dedit, repetendum. Annon audisti Apostolum hæc loquentem: *Noli negligere gratiam quæ est in te?* An non legisti, quomodo eum qui pecuniam duplicasset, cum laude suscepit; qui abscondisset, condemnavit? Utinam quamprimum revertare, ut ex eorum numero sis qui laudabuntur. Aut dicito mihi, cujus te esse imitatorem volunt hujus consilii auctores? Oportet quippe nos juxta Sanctorum scopum vitam nostram moderari, illosque imitari. Nec ignorandum, si ab illis secedamus, fore nos ab eorum communione alienos. Cujusnam te imitatorem esse suadent illi? Ejusne qui hæsitat, & sequi optat, sed rem differt, & ob propinquos suos consilia agitat; an beati Pauli qui accepto dispensandi munere, non ultra adhæsit carni & sanguini? Nam tametsi dixisset, *Non sum dignus vocari Apostolus*, cum nosset tamen quod acceperat, nec ignarus datoris esset, hæc scripsit: *Væ enim mihi est, si non evangelizavero*. Ut autem væ illi fuisset si non evangelizasset, sic docenti ac prædicanti, gaudium & corona discipuli fuere. Hinc illa sancto viro cura fuit usque ad Illyricum prædicandi; nec dubitavit vel Romam proficisci, vel usque ad Hispanias properare, ut quo magis laborasset, eo ampliorem mercedem consequeretur. Gloriabatur ergo se bonum certamen certasse: sperabatque magnam se coronam accepturum. Itaque, carissime Draconti, quemnam hoc agendo imitare? Illumne, an eos qui ipsi sunt dissimiles? Ego sane te & meipsum omnium Sanctorum imitatores esse peroptarim.

1. Tim. 4. 14.

1. Cor. 15. 9.

1. Cor. 9. 16.

Rom. 15. 19.

5. An forte quidam tui occultandi ideo auctores fuere, quod non solum verbo sed etiam juramento affirmaris, te si ordinaris nequaquam remansurum? Hæc enim illos audio tuis auribus obmurmurare, imo in ea re se religiosos existimare: sed si vere religiosi essent; Deum in primis qui hoc tibi ministerium contulit, timerent. Quod si divinas legissent Scripturas, non adversus illas id consilii darent. Restat autem illos ipsum Hieremiam coarguere, magnamque Moysen insimulare, quod consilio suo non obtemperarint, sed Deum veriti, ministerium suum impleverint, atque prophetantes sint consummati. Illi siquidem missi, acceptaque prophetiæ gratia, recusabant statim: at præ timore postea, mittentem se vilipendere, abnuereque ausi non sunt. Sive igitur es gracili voce, sive tardiore lingua, at tui conditorem Deum metuito: si te juniorem ad prædicandum dicas, at time eum qui te noverat antequam formarere: si verbum adversum protuleris, estque verbum Sanctis pro juramento; lege Hieremiam, qui cum dixisset, *Non nominabo nomen Domini*, at postea cum intra se accensum ignem reformidaret, nequaquam dictis suis standum censuit, nec quasi juramento illigatus sese abdidit; sed eum qui sibi ministerium tradiderat veritus, prophetandi munus implevit. An ignoras, dilecte, fugienti Jonæ ea quæ tute probe nosti accidisse, sed eum postea nihilominus prophetasse?

Exod. 4. 10.

Hier. 20. 9.

6. Ne igitur diversa ab istis consilia sequare. Melius enim quam nosipsi quæ nos spectant, novit Dominus: nec ignorat quibusnam suas committat Ecclesias. Nam si quis dignus non fuerit, is ne præteritam spectet vitæ rationem, sed officium impleat suum; ne juxta vitæ suæ, atque negligentiæ maledictionem referat. Hæc cum scias, carissime Draconti, prudensque cum sis, num animo non compungeris? Non curas ne quis eorum qui tibi commissi sunt pereat? Non ardes quasi conscientiæ igne? Annon diem judicii reformidas, in qua nullus horum consiliatiorum opitulator aderit? Singuli namque de sibi concreditis rationem redditurи sunt. Quid enim profuit ei qui denarium occultaverat, sua excusatio? Aut quid profuerunt Adamo verba illa, *Mulier me decepit?* Tametsi revera infirmus es, dilectissime Draconti; sed te hanc curam suscipere convenit, ne deserta Ecclesia, ab inimicis, occasionem ex fuga tua nactis, lædatur. Par est ut te accingas, ne nos solos in certamine deseras: decet te una cum aliis laborare, ut cum omnibus debita mercede doneris.

Genes. 3.

7. Matura igitur, dilecte, ne ultra moreris, neve eos qui tibi impedimento sunt, toleres: sed memento ejus qui hoc tibi ministerium tradidit. Et huc propera ad nos qui te diligimus, qui tibi quæ Scripturarum sunt suademus; ut a nobis cum honore deducare, & dum in Ecclesiis sacra facies nostri memoriam agas. Neque enim tu solus ex Monachis es ordinatus: neque tu tantum Monasterio præfuisti, vel solus a Monachis dilectus es: sed nosti Serapionem Monachum esse, & tam multis præfuisse Monachis. Nec te præterit quot Monachorum pater fuerit Apollos. Nosti Agathonem, nec ignoras Aristonem, ac meministi Ammonii cum Serapione peregre profecti. Fortassis etiam ad te pervenit fama Muiti in superiori Thebaide commorantis, atque discere potuisti quid Paulus qui Lati degebat, egerit: ac similiter alii complurimi, qui tamen ordinati, non repugnarunt; sed Elisæi exemplo ducti, nec ignorantes quid egerit Elias; gnari quoque rerum ab Apostolis gestarum, hanc suscepere curam, nec ministerium aspernati sunt, vel propterea seipsis deteriores facti sunt; sed potius cum laboris mercedem exspectent, ipsi in melius proficiunt, dum alios ad profectum cohortantur. Quot illi quantosque ab idolorum cultu revocarunt? Quot a dæmoniaca consuetudine monitis suis averterunt? Quot Domino adduxere servos, adeo ut qui ista signa videant, admiratione capti sint? Annon ingens signum, puellam ad virginitatem; adolescentem ad continentiam, idololatram ad Christi cognitionem deducere?

Monachi complures episcopi ordinati.

8. Ne tibi igitur Monachi impedimento sint, quasi vero solus ex Monachis ordineris: neque ipse excusationem adferas, quod hinc sis deterior evasurus: potes enim etiam melior fieri, si Paulum imiteris, & Sanctorum æmulere gesta. Nosti enim illos, ubi dispensatores mysteriorum constituti fuere, rectiore via ad supernæ vocationis bravium contendisse. Quandonam Paulus

mar-

martyrium subiit, & coronam se accepturum exspectavit, nisi cum fuisset ad docendum missus? Quandonam Petrus confessus est, nisi cum Euangelium prædicaret, ac ubi piscator hominum factus est? Elias quando assumtus est, nisi cum universam prophetiam suam adimplesset? Quandonam Elisæus in spiritu dupla obtinuit, nisi postquam, omnibus relictis, Eliam sequutus est? Cur discipulos elegit Salvator, nisi ut illos mitteret?

9. Quapropter, cum tales tibi viri in exemplum sint propositi, dilecte Draconti, ne dicas, neu credas iis qui dicunt Episcopatum esse peccati causam, atque hinc peccandi occasiones oboriri. Licet tibi etiam in Episcopatu esurire & sitire, quemadmodum egit Paulus. Potes vinum non bibere, ut Timotheus: frequentissime jejunare, uti solebat Paulus; ut dum ejus exemplo jejunas, alios doctrina tua satiare valeas: & dum abstinendo a potu sitim toleras, aliis docendo potum præbeas. Ne tibi igitur talia objiciant consiliarii tui. Novimus enim & Episcopos qui jejunent, & Monachos qui comedant. Novimus Episcopos qui vino abstineant, ut & Monachos qui bibant: Episcopos etiam novimus qui signa edant, & Monachos qui id minime præstent. Sunt quoque ex Episcopis multi qui nunquam nupserint, Monachi autem reperiuntur qui filios suscepere: quemadmodum vicissim Episcopos filiorum parentes, Monachos vero nullam posteritatem habuisse cernimus. Vidimus rursum Clericos qui famem tolerarent, & Monachos qui jejunarent. Hoc enim modo licet agere, & alio nihil vetat. Sed o-

A mnes ubique decertent: corona quippe non pro loci, sed pro factorum ratione tribuitur.

10. Ne audias itaque eos qui his adversa tibi dant consilia, imo potius matura, neve comperendines, cum potissimum instet sacra solennitas, ne in tui absentia hunc festum diem populi concelebrent, in maximum sane tui capitis periculum. Quis enim te absente Paschatis festum prædicabit? Quis illis resurrectionis diem te latente annuntiaturus est? Quis te fugiente hortaturus ut congrua pietate festum agant? O quam multis utilis adventus tuus! quam multis noxia fuga tua futura est!
B Ecquis te hæc agentem approbarit? Cur tibi auctores sunt, ut ne Episcopatum acceptes, cum peroptent ipsi presbyteros habere? Si enim malus es, ne tecum versentur; sin te idoneum agnoscunt, ne aliis invideant. Nam si ex illorum sententia docere ac præesse occasio peccandi fuerit; ne doceantur ipsi, neque presbyteros habeant; ne cum ipsi tum eorum doctores deteriores evadant. Verum tu ne humanis hujusmodi verbis animum adhibeas, neque hujus consilii auctoribus aurem præbeas, uti sæpius dixi: sed potius festina, ad Dominumque revertere, ut dum ovium ejus cu-
C ram geres, nostri quoque memoriam facias. Hae de causa dilectos nostros Hieracem presbyterum, & Maximum lectorem monui, ut te adeant, qui te verbis etiam cohortentur, ut ediscere valeas quo hæc scripserim affectu: & quod sit illud periculum, Ecclesiasticæ obsistere ordinationi.

A D M O N I T I O

IN EPISTOLAM ENCYCLICAM

SEU CIRCULAREM

AD EPISCOPOS ÆGYPTI ET LIBYÆ

CONTRA ARIANOS.

I. HÆc *Epistola in aliquot Græcis manuscriptis codicibus, ut in editis Latinis, inscribitur* Oratio prima contra Arianos: *sed perperam, ut jam doctis omnibus est persuasum. Hæc enim distincta penitus est a quatuor Orationibus contra Arianos, nihilque eam inter & illas est connexionis; sed & hæc Epistola per se est omnino absoluta, & quatuor illæ Orationes ita sibi cohærent, ut nec prima aliam indicet præpositam, sed novi sit Operis initium, & quarta duntaxat trium aliarum sit finis ac conclusio. Verum fusius hac de re disseretur in Admonitione in easdem quatuor Orationes.*

II. *De tempore quo hæc scripta est Epistola, nullus plane est ambigendi locus. Nam certum est ex numero* VII. *missam fuisse, cum jamjam in Sedem Alexandrinam intrudendus esset Georgius Cappadox, quod contigit anno* 356. *tempore Quadragesimæ, ac proinde ante diem* 7. *Aprilis, in quem diem eo anno Pascha incidebat. Constat item conscriptam fuisse post diem* 9. *mensis Februarii, postquam nempe S. Athanasius, Syriano in ecclesiam S. Theonæ hostiliter irruente, Arianorum manus atque insidias divinitus effugerat, secesseratque Alexandria, ac cum jam in alienis peregrinaretur regionibus, ut ipse scribit numero* V. & XX.

III. *Nec vero ignoramus Baronium ad annum Christi* 306. *num.* XLIV. *ex hac Epistola schisma Meletianum ad annum* 306. *revocare, ipsamque anno* 361. *scriptam esse concludere ex his S. Athanasii verbis num.* XXII. οἱ μὲν (Μελετιανοὶ) πρὸ πεντήκοντα πέντε ἐτῶν σχισματικοὶ γεγόνασιν· οἱ δὲ (Ἀρειανοὶ) πρὸ τριάκοντα καὶ ἓξ ἐτῶν αἱρετικοὶ ἀπεδείχθησαν, καὶ τῆς ἐκκλησίας ἀπεβλήθησαν ἐν κρίσει πάσης τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου. *Id est*, Meletiani ante quinque & quinquaginta annos facti sunt schismatici: & Ariani ante sex & triginta annos hæretici sunt declarati, iidemque ab Ecclesia, totius generalis Synodi judicio, rejecti sunt. *At cum ipse Baronius ex Testificatione Populi Alexandrini, quæ pridie Idus mensis Februarii post Consulatum Arbæthionis & Lolliani, hoc est, post annum* 355. *edita est, recte colligat Georgium anno* 356. *intrusum fuisse: cumque ex numero* VII. *ut jam diximus, exploratissimum sit scriptam fuisse hancce Epistolam, cum nondum Sedem Alexandriæ Georgius occuparet, sed cum brevi in eam esset invasurus: fatendum necessaria est illam hoc ipso anno* 356. *esse compositam.*

IV. *Non dubium autem quin errandi causa Baronio fuerit hæc Nannii versio:* Illi (Meletiani) abhinc

abhinc ante quinquagesimum quintum annum schismatici facti sunt: isti (Ariani) vero ante trigesimum sextum annum hæretici declarati, & ab Ecclesia summoti, idque judicio Synodi universalis. *Ex his enim concludit Baronius triginta sex fuisse annos a Concilio Nicæno, cum ista scriberet Athanasius, ac proinde hanc Epistolam esse anni 361. Verum hunc locum par est ita distinguere, ut verbum,* ἀνεδείχθησαν, sunt declarati, *ad Alexandrum Alexandrinum referatur, qui nimirum in Synodo Alexandrina Arium hæreticum primus declaravit; cetera autem quæ sequuntur, Nicænæ attribuantur Synodo. Sic nempe num.* XII. *&* XIII. *Arius blasphemias proferens dicitur hæreticus declaratus esse ab Alexandro,* αἱρετικὸς ἀνεδείχθη. *Oratione item prima contra Arianos num.* III. *sanctus Præsul testatur, postquam ab Alexandro damnatus Arius est, ejus asseclas non amplius Christianos fuisse appellatos, sed Arianos.*

V. *Porro hoc est Epistolæ argumentum. S. Athanasius Episcopos Ægypti & Libyæ vehementer obsecrat, ut Arianorum conatibus & fraudibus validissime animoseque obsistant, præsertim cum audierit aliquos ex illis simul convenisse, ut de fide scriberent, eo animo ut ad ipsos mitterent litteras, quibus si vellent subscribere, secari degerent; sin auderent contradicere, mitterentur in exilium. Arianorum item mire exagitat inconstantiam, qui scilicet singulis annis conveniebant ut de fide decernerent, ipsique nihilominus ea rescindebant quæ antea definierant. Variis quoque argumentis impietatem eorumdem necnon Meletianorum, dolumque ac vim retegit ac repellit. Monet insuper cavendum maxime esse ab illorum scriptis, quæ idcirco verbis Scripturæ solebant exornare, quo facilius incautos deciperent. Paulo ante finem, mortem Arii enarrat: ac postremo ardore vere Apostolico illos Episcopos ad invictam animi fortitudinem hortatur, & ad quidvis potius constanter tolerandum, quam ut a Nicæna fide & veritate propugnanda desistant.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Ad Episcopos Ægypti & Libyæ

EPISTOLA ENCYCLICA

Contra Arianos.

Scripta anno 356. Ath. 1.

I. OMNIA quidem quæ Dominus & Salvator noster Jesus Christus, ut scripsit Lucas, & fecit & docuit, nostræ salutis, propter quam & venerat, procurandæ causa peregit. Nam, ut ait Joannes, [*Joan. 3. 17.*] venit non ut judicaret mundum, sed ut mundus per ipsum salvaretur. Inter omnia tamen quæ gessit, in eo præcipue admiranda est ejus benignitas, quod de his qui bellum nobis erant indicturi non solum non siluerit, sed etiam luculenter prædixerit, ut cum illa evenerint, mentem nostram ejus doctrina munitam offendant, qui nobis ea his verbis prænunciavit: [*Matth. 24. 24.*] *Exsurgent pseudoprophetæ & pseudochristi, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi: ecce prædixi vobis.* Multa sane ac supra hominem sunt præcepta & beneficia quæ illi in nobis placuit recondere; ea scilicet sunt cælestis vitæ forma, potestas adversus dæmones, adoptio, & quod omne beneficium superat præcipuumque est, Patris & ipsius Verbi cognitio, atque Spiritus sancti donum. Verum humana mens ad malum valde proclivis est: adversarius quoque noster diabolus [*1. Pet. 5. 8.*] tanta nobis bona invidens circuit & vigilat, ut quæ in nobis existunt verbi semina auferat. Hinc ergo Dominus sua præcepta, veluti proprium thesaurum, in nobis prædictione obsignans ait, [*Luc. 21. 8.*] *Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum: & tempus appropinquavit. Nolite ergo ire post eos.* Magnum sane aliquid nobis præstitit Verbum, ut scilicet ex ipsa rerum specie non deciperemur; sed potius, licet hæc operta sint & obtecta, Spiritus gratia possemus discernere. Quia enim totus per se odio dignus est malitiæ inventor & magnus dæmon diabolus, statimque ac apparuerit, ab omnibus repellitur, ut

A serpens, ut draco, ut leo quærens quos rapiat & devoret: idcirco quod ipse quidem est celat & occultat; at nomen, quod omnes habent desiderio, astute præ se fert, ut cum homines falsa specie deluserit, jam deceptos propriis adstringat vinculis. [*Dæmon ut homines decipiat, solet alienam induere speciem.*] Nempe quemadmodum si quis alienos liberos in captivitatem attrahere cupiens, absentium parentum similem indueret speciem, eoque artificio filios, utpote parentum desiderio flagrantes, illectos procul abduceret, miserosque interimeret: ita profecto improbus dæmon, tortuosusque & malignus diabolus, se per seipsum exhibere quidem non audet; sed cum

B non ignoret quam homines sint veritatis amantes, hanc specie tenus in se fingit, atque hoc pacto proprium venenum in sequentes se spargit.

2. Sic ille Evam olim decepit, non propria scilicet loquens, sed verba Dei ficte usurpans, eorumque adulterans sensum. Sic etiam uxorem Job subornavit, illi nempe suadens ut amorem viri præ se ferret, at revera eam docens blasphemias in Deum ipsum proferre. Sic denique homines externa rerum specie versutus deludit & decipit, singulosque in proprium malitiæ puteum surripit & trahit. Itaque postquam olim primum hominem circum-

C venit, omnes per illum in sua potestate & ditione tenere ratus, ferox & superbus hujusmodi verbis insultabat: *Universum orbem velut nidum manu comprehendam, & tanquam derelicta ova tollam, nec est qui me effugiat aut contradicat.* [*Esa. 10. 14.*] Verum ubi advenit Dominus, humanamque ejus dispensationem experientia inimicus cognovit; cum non posset carnem decipere, quam gestabat Christus; tunc ille qui universum orbem se comprehensurum pollicitus sibi fuerat, jam inde propter Christum etiam pue-

ris,

ris, tanquam passer, superbus cœpit esse ludibrio. [*Esa.* 11. 8.] Nunc enim pueri infantes manu in foramen aspidum injecta, illum qui Evam fefellit, deridebunt, omnesque qui recte in Dominum credunt, [*Esa.* 14. 14.] conculcant eum qui dixit: *Supra nubes ponam solium meum, ascendam & ero similis Altissimo*. Hæc igitur ille non sine rubore patitur, qui si rursus pro ea qua pollet impudentia, formam mutare audeat, nihilominus infelix illis latere nusquam potest, qui signum in fronte gerunt, sed ab eis eo etiam acerbius repellitur cum magno sui dedecore & pudore. Licet enim nunc, instar colubri serpentis, fictam angeli lucis formam induerit, [B] nihil tamen ipsi prodesse poterit hujusmodi simulatio: quippe cum [*Galat.* 1. 8.] edocti simus, licet Angelus e cælo nobis euangelizet præter id quod accepimus, anathema illum esse.

3. Quod si iterum proprium velit tegere mendacium, & veritatem labiis loqui simulet; qua mente id faciat non ignari, quæ a Spiritu sancto [*Psal.* 49. 16.] in illum dicta sunt merito usurpabimus: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias* [*Eccli.* 15. 9.] *meas?* &, *Non est speciosa laus in ore peccatoris*. Nam nec etiamsi veritatem dicat, ulla fide dignus est versipellis, ut ex Scriptura discimus, quæ per[C]versitatem, qua adversus Evam usus est, commemorat. Ejus quoque audaciam repressit Dominus, ac primum quidem in monte, ubi varios ejus pectoris sinus explicavit, ostenditque quisnam esset veterator ille, nempe non eum aliquem e Sanctis, sed esse Sa[*Matth.* 4. 10.]tanam tentantem, hincque ait: *Abi post me, Satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: nec non item, cum dæmones e monumentis vociferantes silere jussit. Verum quidem erat quod illi clamabant, nec mentiebantur [*Matth.* 8. 29.] tunc ajentes, *Tu es Filius Dei & Sanctus Dei*: at [*Marc.* 1. 24.] nolebat per os immundum maximeque per illos ve[D]ritatem proferri, ne hujus occasione propriam suæ malitiæ voluntatem admiscentes, eam dormientibus [*Matth.* 13. 25.] hominibus superseminarent. Idcirco neque ipse eos ita loqui passus est, neque nos hæc ferre permittens, [*Matth.* 7. 15.] per seipsum his verbis præmonuit: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Et per sanctos Apo[1. *Joan.* 4. 1.]stolos: *Nolite omni spiritui credere*. Ea siquidem est indoles adversariæ operationis, nec alia est hæresum coagmentatio: singulæ enim proprii commenti patrem & auctorem mendacem Dæmonem habent, qui ab initio perversus, homicida factus est: cujus cum [E] detestandum nomen ipsas proferre pudeat, præclaro omnibusque præstantiore Salvatoris nomine se falso insigniunt, & verbis Scripturarum se audent adornare. At voces quidem proferunt, verum autem celant sensum: atque hoc pacto singulæ, proprio commento insidiose obtecto, eorum, quos in errorem inducunt fiunt homicidæ.

[Nihil Marcioni & Manichæo vetus testamentum rejicientibus, novum prodesse potest.] 4. Enimvero quid Marcioni & Manichæo, qui Legem negant, profuerit Euangelium; siquidem ex veteribus nova sunt exorta, & vicissim veteribus nova perhibent testimonium? Qui ergo vetera rejiciunt, quomodo quæ ex illis emanavere possunt admittere? Ni[F]mirum Paulus factus est Apostolus Euangelii Dei, [*Rom.* 1. 2.] *quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis*. [*Joan.* 5. 39.] Ipse quoque Dominus dixit: *Scrutamini Scripturas, quia ipsæ sunt quæ testimonium perhibent de me*. Quomodo igitur Dominum poterunt confiteri, si quæ de illo scripta sunt non prius scrutentur? Nam de quo Moyses & Prophetę scripserunt, eum se invenisse affirmant [*Joan.* 1. 45.] discipuli. [Saducæis, qui Prophetas repudiant, Lex est inutilis.] Quid etiam Legem Saducęi retinent, qui ipsi Prophetas repudiant? Deus enim qui Legem dedit, ipse se in Lege Prophetas excitaturum est pollicitus, ita ut ipse & Legis & Prophetarum sit Dominus, at[A]que adeo qui horum unum rejecerit, alterum quoque rejicere necesse sit. [Nihil Judæis Christum negantibus prodest vetus testamentum.] Quid item Judæis emolumenti possit esse vetus testamentum, qui Dominum, cujus adventus in eo prædicitur, non agnoverunt? Nam si Moysis scriptis crederent, verbis quoque Domini [*Joan.* 5. 46.] credidissent. *De me enim*, inquit, *ille scripsit*. [Nihil Paulum Samosatensem vel Arianos juvant Scripturæ sanctæ.] Quid similiter utilitatis e Scripturis percipiat Samosatensis, qui Dei Verbum, corporeumque ejus adventum utroque vetere & novo testamento significatum ac indicatum negare non veretur? Quid denique Arianos juvant Scripturæ? quid ipsi illas proponunt; ipsi, inquam, qui Dei Filium rem creatam esse contendunt, [B] & non secus ac Gentiles, rei creatæ potius quam Crea[*Rom.* 1. 25.]tori Deo serviunt? Nempe illæ hæreses in sua quæque impietate nihil commune cum Scripturis habent; quod sane non ignorant illarum patroni, Scripturas scilicet plurimum, imo vero penitus adversari cujusque illarum hæresum doctrinæ. Ipsi nihilominus ut in fraudem impellant simpliciores, quales illi sunt de quibus in Proverbiis scriptum est, [*Prov.* 14. 15.] *Innocens credit omni verbo*; [Solent hæretici Scripturæ verbis dolose uti.] Scripturæ voces meditari & usurpare simulant, non aliter quam ipsarum pater Diabolus, ut scilicet ex verborum sono recte sentire videantur, deinde[C]que miseros homines inducant ut sententias a Scripturis alienas amplectantur. Certe sic se Diabolus in singulis hæresibus simulate gerens, voces dolo plenas ipse subministravit; hincque ait Dominus: [*Matth.* 24. 24.] *Exurgent pseudochristi & pseudoprophetæ, ita ut multi in errorem inducantur*. Itaque venit Diabolus, & per singulas hæreses dixit: Ego sum Christus, & apud me est veritas; cunctasque prorsus cum separatim tum communiter mentiri coegit veterator: & quod profecto mirum est, cum omnes hæresas adversus seipsas dimicent, ut unaquæque ea quæ commenta est tueatur, solum in mentiendo inter se consentiunt: nimirum u[D]num omnes patrem habent, qui mendacium ipsis su[*Matth.* 13. 25.]perseminavit. Igitur quisquis fidelis est & Euangelii discipulus, ac dono spiritualia discernendi præditus, quique suam fidei domum in petra ædificavit, stat [*Matth.* 7. 24.] firmus, & tutus ab illorum fraude manet. At qui simplex est, ut dixi, nec valde instructus; is ad verba dumtaxat attendens, nec sensum perspiciens, confestim hæreticorum artificiis attrahitur. Quocirca orare & convenit & necesse est, ut gratiam discernendi spiritus consequamur, ut unusquisque, quemadmodum monet Joannes, cognoscat, quinam quidem rejiciendi, quinam ve[E]ro tanquam amici & ejusdem fidei consortes, sint admittendi. Multa sane in hanc rem liceret scribere, si cui ista accurate tractare esset animus. Nam facile apparebit, quam multa variaque sit hæresum impietas ac perversitas, quamque metuenda fallentium astutia. Verum quia divina Scriptura longe ceteris omnibus præstat, idcirco his qui plura hac de re habere voluerint, auctor ipse sum ut divinos libros sedulo legant: ego vero nunc, quod instat properavi indicare, idque potissimum me impulit ut hæc ita scriberem.

[F] 5. In hisce regionibus commorans audivi, uti germani & orthodoxi fratres nuntiarunt, aliquos ex Arii sectatoribus simul convenisse, ac de fide, prout voluerunt, scripsisse, velleque ad vos litteras mittere, ut vel, quemadmodum ipsis placet, seu potius ut illis suggessit Diabolus, subscribatis; vel qui contradixerit, in exsilium ejiciatur. Namque ipsis etiam Episcopis harumce regionum molesti jam esse incipiunt: quod utique mores scribentium manifeste prodit. Qui enim ita scribunt, ut suarum litterarum finis sit exsilium aliave pœnæ: quinam hujusmodi homines censendi sunt quam Christia-

norum inimici, amici vero Diaboli, ejusque Dæmonum, præsertim cum contta meotem Constantii piissimi clementissimique Imperatoris, quæ ipsis placent audeant promulgare? Quod & ipsum summa cum calliditate faciunt, duabusque, ut mihi quidem videtur, potissimum de causis. Prima est, ut vobis subscribentibus, ipsi infami Arii nomine notari desinant, nec cum Ario sentire existimentur. Altera est, ut ita scribendo, Nicænam Synodum & fidem quæ in ea adversus Arianam hæresim est exposita, videantur obscurare. Verum id etiam evidentius perversitatem illorum pravamque doctrinam arguit: si enim recte crederent, fide, quæ Nicææ ab universe generali Synodo exposita est, essent contenti. Similiter si per calumniam & immerito Arianos se vocari arbitrarentur, non tantis conatibus contendereot ea immutare quæ cootra Arium sunt decreta, oe videlicet quæ in illum sunt definita, ea tanquam adversus se sancita fuerint. Nunc autem id quidem non agunt, sed quasi ipsi Arius essent, pro. seipsis pugnant. Nam, quæso, attendite nihil illos de veritate curare, sed omnia Arianæ hæresis propugnandæ causæ & dicere & facere. Qui enim ea quæ recte definita sunt, audent reprehendere, aliaque præter illa statuere conantur, quid aliud agunt quam quod Patres ipsos eccusant, & ejus hæresis patrocinium suscipiunt, adversus quam illi steterunt & æquam pronunciarunt sententiam? Nam quæ modo scribunt, non veritatis studio, uti jam dixi, sed potius astu & dolo scribunt, ut homines in errorem possint inducere, ut scilicet in mittendis epistolis, vulgi aures hisce rebus occupent, interimque temporis prorogatione eccusatinnem ipsi evitent, suaque hoc pacto occultata impietate, hæresis, quæ instar gangrænæ omnia consumit, propagandæ locum habeant.

Ariani singulis annis conveniunt, ut de fide decernant.

6. Itaque omnia movent & conturbant, nec tamen suis decretis ipsi sunt contenti: nam singulis annis, velut qui pacta scribunt, ipsi quoque conveniunt, & de fide statuere simulant, ut etiam inde nihil nisi risum & dedecus referant, quippe quorum decreta non ab aliis sed ab ipsis rescindantur. Si enim his quæ prius definierunt confidereot, nollent profecto alia definire: nec rursus illis dimissis, ea nunc definirent quæ, ut ipsi certe meditaotur, post aliquod tempus sunt immutaturi, cum novem scilicet ansem insidias, ut assolent, alicui struendi nacti fuerint. Siquidem tunc in primis cum insidias alicui parant, finguni se de fide scribere, ut, quemadmodum Pilatus maous lavit, sic & illi scribendo, pios Christi cultores interimaot, & ut, quod quidem sæpius dixi, tamquam qui in fide definienda sint distenti, hæresis accusationem possint declinare. Verum nec latere, nec fugere poterunt: quandiu enim se ipsi sibi dumtaxat purgabunt, sui semper erunt accusatores, & merito quidem, cum illis non respondeant a quibus coarguuntur, sed sibi tantum quidquid voluerint persuadeant. Quis igitur unquam reus absolvitur, qui sui ipsius sit judex? Hinc ergo nusquam cessant scribere, etque ita sua perpetuo mutantes, incertam fidem vel potius certam manifestamque infidelitatem & pravitatem habent, quod quidem haud immerito illis accidere mihi videtur. Quia enim desciscentes a veritate, & fidem, quæ Nicææ recte edita est, abrogare in animo habentes, dilexerunt, quemadmodum scriptum est, *movere pedes suos*: ideo illi, non secus ac olim Jerusalem, moliendis mutationibus sudant & laborant, aliasque aliud scribunt, eam tantum ob causam ut tempus lucrentur, & Christi hostes permaneant, homineSque abducant a veritate.

Jerem. 14. 10.

7. Quis ergo cui veritas maxime cordi est, illos adhuc ferre poterit? Quis eos scribentes non jure aversabitur? Quis illorum oon condemnabit temeritatem? Illi nimirum pauci numero, sua plus omnibus valere volunt, qui & suos consessus in angulis habitos suspectosque vim habere exoptentes, nervos nmnes contendunt ut generalem, sinceram & puram Synodum solvant, ac irritam reddant; illi, inquam, qui quod hæresis Christo adversariæ patrocinium susceperint, ab Eusebianis fueruot promoti, de fide audent decernere; & qui tamquam rei judicari deberent, hi, ut nlim Caiphas, ad judicandum aggrediuntur, sibique Thaliam componentibus credi volunt, qui nec ipsi quidem sciunt quomodo credant. Quis enim ignorat Secundum Pentapolitanum, qui olim ob insanam Arii hæresim sæpius fuit depositus, ab ipsis susceptum esse: promotos item Georgium, qui nunc Laodiceæ est Episcopus, & Leontium castratum, & ante eum, Stephanum, & Theodorum Heracliensem Episcopum? Quin etiam Ursacius & Valens, quos eb ipso etiam initin, utpote juniores, religionis rudimentis imbuit ipse Arius, cum de gradu Presbyterii fuissent entea dejecti, postmodum ob impietatem Episcopi sunt designati. His adde Acacium * Patrophilumque & Narcissum, viros ad omnem impietatem audacissimos; qui quidem omnes in magna Sardicensi Synodo fuerunt depositi. Eustathius quoque, qui modo Sebastes est Episcopus, Eudoxius & Basilius impietatis patroni ad idem munus sunt evecti. Nam de Cecropin, & eo quem vocant Auxentium, & Epicteto histrione dicere supervacaneum fuerit, cum omnibus notum sit, quomodo, quamque ob causam & a quibus hostibus & isti fuerint promoti, ut nimirum celumnias adversus orthodoxos Episcopos, quibus tenduot insidias, fingerent. Hi enim octoginta licet mansionibus distantes, nec populo noti, tameo suam propter impietatem Episcopi nomen sibi sunt lucrati. Hioc ergo etiam quemdam Georgium ex Cappadocia mercede conductum ad vos nunc volunt mittere. Sed nulla hujus ratio haberi debet: siquidem fama est in hisce regionibus, illum ne Christianum quidem esse, sed potius idololatriæ addictum barbarisque esse moribus & carnificis propriis; quæ sane causa fuit cur huncce hominem sibi acciverint, ut scilicet injuste agere, rapere, occidere possit: in his enim ille se potissimum exercuit: at quæ ad fidem Christi spectant, nullo modo novit.

Ariani depositos & indignos ad Episcopatum promovent.

* Vide supra pag. 63. in nota.

Georgium ex Cappadocia in Sedem Alexandrinam intrudere volunt Ariani.

8. Eo igitur quæ illi adversus veritatem machinantur: quo autem animo id facient, omnibus perspicuum futurum est, etiamsi sexcenties, enguillarum instar, varils contortionibus elabi conentur, nihilque non tentent ut Christi hostes non habeentur. Quocirca vos ego præmoneo: nemo vestrum decipiatur, nemo surripiatur; sed potius veluti Judaica impietete in Christi fidem irrumpente, omnes zelo pro Domino ardete, singulique reteota fide quam a Patribus accepimus, quamque hi qui Nicææ coovenerunt, scripto comprobavere, eos qui nova contra illam moliuntur, ferre nolite. Nem etiamsi voces ex Scripturis mutuentur, scribeotes nihilominus repellite: licet orthodoxæ fidei verba protulerint, nec sic loquentes velitis attendere. Nec enim recta mente loquuntur, sed his verbis velut ovium pelle induti, intus eadem ac Arius seotiunt; qua in re ducem hæresum imitantur Diabolum. Nemque ille quoque vocibus ex Scriptura excerptis utebatur; sed tamen silentium ei a Salvatore est impositum. Si enim vere ita sensisset, ut dicebat, nunquam certe e cælis cecidisset. Jam vero veterator ille qui, eo quod prave sentiret, cecidit, simulate subdoleque loquitur: sæpe etiam improbus profanam adhibet eloqueotiam ejusque argutias, quo homines in errorem conetur inducere. Itaque si quæ scribunt, ea scriberent

Causa casus Diaboli.

rent

rent orthodoxi, ut magnus & confessor Hosius, & Maximinus Galliæ aut ejus successor: Philogonius & Eustathius Orientis, vel Julius & Liberius Romæ Episcopi, Cyriacus Mysiæ, Pistus & Aristæus Græciæ Episcopi, Sylvester & Protogenes Daciæ, Leontius & Eupsychius Cappadociæ Episcopi, Cæcilianus Africæ, Eustorgius Italiæ, Capito Siciliæ, Macarius Jerosolymæ, Alexander Constantinopolis, Pæderos Heracleæ, magni Meletius & Basilius, & Longianus, aliique ex Armenia & Ponto; ut item Lupus & Amphio Ciliciæ episcopi; vel Jacobus ceterique ex Mesopotamia; vel denique ut etiam noster beatus Alexander, aliique qui idem ac illi sentiunt: si, inquam, illi his essent similes, nullus profecto in illorum scriptis esset suspicionis locus: simplex enim ac candidum est virorum Apostolicorum ingenium.

Hæreticorum scripta caute sunt legenda.

Prov. 12. 6.

Ibid. 15. 28.

Ibid. 22. 5.

9. Quia vero scripta illa auctores eos habent qui pro propugnanda hæresis causa mercede sunt conducti, & juxta divinum proverbium, *sermones impiorum sunt dolosi*, &, *os impiorum respondet mala*, &, *impii dolos gubernant*: vigilandum & cavendum est, fratres, ut monuit Dominus, ne qua fraus ex verborum elegantia astutiave oriatur; ne, inquam, quis veniat nomine tenus dicturus, Ego Christum annuntio; & paulopost idem Antichristus agnoscatur. Antichristi porro isti sunt habendi, qui ad vos audent accedere ut vesanam Arii hæresim disseminent. Quid enim tandem est quod apud vos desit, ut quis ad vos aliunde adveniat? Vel cujus indigent Ægypti, Libyæ & Alexandriæ ecclesiæ, ut hi qui pro lignis & sarcinis Episcopatum mercantur, in ecclesias, quæ nihil ad se pertinent, irruant? Quis nescit, quis non clare videt hæc omnia illos agere, ut Arianam stabiliant impietatem? Quocirca licet se mutos ipsi præbeant, licet fimbrias majores quam Pharisæi sibi alligent, & se sermonibus dilatent, quantumvis voce contendant; nulla tamen illis habenda est fides. Non enim verba, sed recta sententia & pia vita fidelem commendat. Hinc Saducæos & Herodianos, quamvis Legem præ labiis haberent, Salvator his verbis repressit: *Erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei*. Hincque palam factum est illos etiam qui verbis Legis niti videbantur, sententia hæreticos & Dei hostes esse. Alios quidem illi hujusmodi sermonibus in errorem induxerunt: at Dominum hominem factum non potuerunt fallere. Verbum enim caro factum est; Verbum, inquam, cui non latet vanas esse hominum cogitationes. Sic enim & Judæos insidiantes ipse confutavit: *Si Deus pater vester esset, me utique diligeretis: ego enim ex Patre exivi, & venio ad vos*. Idem nunc & isti mihi agere videntur: quæ enim sentiunt, ipsi occultant, ac deinde ut scribant, voces a Scripturis callide mutuantur, ut nimirum his tanquam esca illectos ignaros in propriam attrahant nequitiam.

Matth. 22. 29.

Psal. 93. 11.

Joan. 8. 41.

10. Nam, quæso, attendite an non ita se res habeat? Si enim nulla impellente causa de fide scribunt, rem agunt certe inutilem forteque periculosam, quippe cum nulla mota quæstione, ansam ipsi contentionis suppeditent, atque ita candida fratrum corda perturbent, eaque disseminent quæ in illorum mentem nunquam venere. Sin autem ut sese de Ariana hæresi purgarent, scribere voluerunt, profecto semina malorum quæ exorta sunt, prius erant evellenda, hique damnandi qui hujusmodi semina subministrarunt; ac proinde licebat hoc pacto adversus eos recta scribere: vel certe satius fuisset Arii sententiam aperte asserere, ut scilicet non clam sed palam ipsos Christi hostes esse appareret, cunctique ab illis non aliter quam a conspectu serpentis procul diffugerent. Nunc vero Arii quidem doctrinam celant, seque simulant de aliis rebus scribere; ac quemadmodum si quis medicus ad saucium aliquem & ægrotum accersitus, de vulneribus nihil diceret, sed de sanis membris dissereret, næ ille valde stupidus haberetur, utpote qui de his sileret quorum gratia venisset, & de aliis quæ illo minime indigerent, præpostere disputaret: sic & illi agunt, qui nempe ea quæ ad hæresim spectant, omittunt, & plane alia scribere moliuntur. Verum si aliqua illis de fide cura esset, Christumve diligerent, impia in eum vocabula primo fuissent tollenda, ac deinde illorum loco sani dicendi scribendive sermones. Atqui neque istud ipsi faciunt, neque alios permittunt facere, idque vel præ ignorantia, vel quia dolo & artificio utuntur.

11. Quod si præ ignorantia hoc agant, temeritatis & inconsiderantiæ sunt accusandi qui ea asseverent quæ ipsi ignorant. Sin autem scientes simulant, majori damnatione sunt digni, qui nimirum cum de suis rebus deliberant, nihil supervacaneum æstimant: cum autem de fide in Dominum nostrum tractant, ludunt, & quidvis potius agunt quam verum dicant, dum scilicet & ea dissimulant ob quæ illorum hæresis reprehenditur, & voces e Scripturis selectas proferunt: quod utique patet esse veritatis furtum, omnique iniquitate plenum: nec dubito quin vestra pietas id ex his recte possit intelligere. Nemo enim de adulterio accusatus, de furto se purgat: neque qui cædis aliquos accusaverit, patietur reos in sui defensione respondere: Non pejeravimus, sed etiam depositum servavimus. Siquidem hoc potius ludus est, quam criminis excusatio & veritatis patefactio. Quid enim cædi cum deposito, aut adulterio cum furto? Quamvis anim vitia ex eodem corde exorta inter se cohærescant; tamen ad crimen commissum diluendum, nihil habent commune. Hinc Achar, ut apud Jesum Nave filium scriptum est, furti accusatus, bellicæ indulgentiæ excusatione minime usus est; sed in furto convictus, lapidibus ab omnibus est obrutus. Saul quoque de negligentia & de violata lege reprehensus, nihil profecit cum alia prætenderet. Nec enim de aliquo crimine purgatio, alius est absolutio: sed ut omnia juste ac legitime agantur, oportet eum qui de re aliqua accusatur, de eadem respondere, atque vel probare se id non fecisse, vel convictum polliceri se non amplius facturum. Quod si id de quo accusatur, fecerit & commiserit, nec tamen fateri velit, sed ut factum occultet, alia pro aliis responderit; perspicuum est eum nihil boni egisse, sed potius violatæ legis sibi conscium esse. Verum quid longa oratione opus est, cum ipsi Arianæ hæresis sint accusatores? Si enim impias illorum voces proferre non audent, sed tegunt: hoc ipso testantur se non ignorare hanc hæresim a veritate alienam remotamve esse. Quando vero rem celant illi & vulgare verentur, necesse est nosipsos impietatis velum detrahere, omniumque oculis hæresim exponere: novimus siquidem quæ tunc Ariani responderint, quove modo ex Ecclesia expulsi fuerint & e Clero ejecti. Veniam tamen a vobis ante petimus, si spurca vocabula sumus prolaturi: nec enim hæc divulgamus quod ita sentiamus, sed tantum ut hæreticos refellamus.

Josu. 7.

12. Itaque beatæ memoriæ Episcopus Alexander Arium ab Ecclesia projecit, hæc quæ sequuntur & sentientem & ajentem: „ Non semper Deus fuit Pater,
„ Non semper fuit Filius: sed cum omnia sint ex nihi-
„ lo, Filius quoque est ex nihilo: cum item res omnes
„ sint creatæ, ita ille creatus & factus est. Præterea ut
„ res omnea cum antea non essent, sunt postea exortæ:
„ Sic

Arii blasphemiæ ob quas a B. Alexandro ex Ecclesia expulsus est.

„ Sic ipsum Dei Verbum fuit aliquando cum non esset, nec fuit priusquam genitum est, sed existendi habet initium. Tunc enim factum est, cum illud creare voluit Deus: siquidem ipsum quoque unum est ex omnibus operibus. Est etiam ex sua natura mutabile, proprioque suo arbitrio, perinde ut vult, bonum manet: cum autem voluerit, potest & idem mutari, uti ceteræ res omnes. Namque idcirco Deus ipsum bonum futurum prænoscens, hanc illi gloriam, præveniendo, concessit, quam ex virtute postea habuit. Proinde ex ejus operibus, quæ prænovit Deus, ipsum nunc tale factum est. Dicunt itaque neque verum Deum esse Christum; sed eum, ut & alios omnes, Deum communicatione appellari. Illud quoque addunt, illum non esse natura in Patre, neque proprium ejus naturæ Verbum esse vel propriam Sapientiam, in qua hunc mundum effecit, sed aliud esse in Patre proprium ejus verbum, & aliam in Patre esse propriam ejus sapientiam, in qua sapientia hoc quoque Verbum effecerit, ipsum autem istum Dominum cogitatione Verbum sive Rationem dici, propter res ratione præditas; Sapientiam item cogitatione dici propter res sapientia ornatas. Certe iidem inquiunt, cum res omnes secundum naturam alienæ & diversæ sint a Patre, ita illum esse quoque omnino alienum & diversum a Patris natura, & ad res factas ac creatas pertinere, unamque illarum esse, quippe cum ipse res creata & facta, atque opus sit. Rursus contendunt Deum non nos propter illum, sed illum propter nos creasse. Deus enim, ajunt illi, solus erat, nec Verbum cum illo erat: sed cum nos voluit producere tunc illud fecit, quod quidem, a quo factum est, Verbum & Filium ac Sapientiam nominavit, ut nos per ipsum produceret. Insuper quemadmodum omnia Dei voluntate constituta sunt, cum antea non essent: sic idem cum antea non esset, Patris voluntate factum est. Non enim Verbum proprius & naturalis est Patris fetus, sed gratia id illi quoque est tributum. Deus enim qui semper est, Filium, qui non erat, eadem voluntate fecit, qua cetera omnia fecit, produxit, creavit & existere voluit. Nam & istud addunt, Christum non esse naturalem & veram Dei potentiam, sed, ut eruca & bruchus potentia dicuntur, sic & ipsum Patris potentiam appellari. Præterea ajebat Patrem Filio esse ineffabilem, nec ab eo perfecte & accurate videri aut cognosci posse: nam cum existendi initium habeat, eum qui sine initio est videre non posse; quod autem cognoscit & videt, modo sibi convenienti cognoscere & videre, quemadmodum nos pro nostris viribus cognoscimus & videmus. Hoc item subjungebat, Filium non solum proprium Patrem accurate non cognoscere, sed ne propriam quidem sui naturam. „

Joel. 2. 25.

13. Hæc & similia cum Arius diceret, hæreticus est declaratus. Ego certe vel solum dum hæc scriberem, memetipsum expurgabam, tum contraria cogitando, tum rectam fidem firmissime retinendo. Etenim ipsi quoque omnes Episcopi in Nicæna synodo undique congregati, ad hæc verba aures continebant, omnesque propterea uno consensu hanc hæresim condemnavere, atque anathemate percussere, eamque ab ecclesiastica fide alienam & remotam esse sancivere. Nulla autem necessitas judices ad hanc sententiam adduxit, sed omnes sua sponte veritatem ulti sunt, idque jure & merito. Siquidem ex hujusmodi opinionibus summa impietas vel potius Judaismus adversus Scripturas inducitur, quem propius sequatur Gentilitas: adeo ut qui ita sentit, ne Christianus quidem amplius debeat appellari. Hæc enim omnia Scripturis sunt contraria. Nam Joannes quidem dicit: *In principio erat Verbum:* Illi autem dicunt: Non erat antequam genitus est. Idem quoque Joannes scripsit: *Et sumus in vero, in Filio ejus Jesu Christo: ipse est verus Deus & vita æterna.* Illi vero tamquam reluctantes ajunt Christum non esse verum Deum, sed ut res ceteras ipsum quoque nonnisi communicatione Deum vocari. Præterea Apostolus Gentiles, quod res creatas venerentur, his verbis reprehendit: *Servierunt creaturæ potius quam Deo creatori.* At illi cum Dominum creatum esse pugnant, eique tanquam creato serviunt, quid, quæso, a Gentilibus differunt? Qui enim, si ita sentiunt, ad illos non pertinent hæc verba & objurgatio beati Pauli? Dominus præterea dicit: *Ego & Pater unum sumus:* &: *Qui me vidit, vidit Patrem.* Ipse quoque Apostolus ab eo ad prædicandum missus scribit: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* At illi contra, eum dividere alienumque a Patris substantia & æternitate dicere, atque mutabilem fingere audent impii, qui non animadvertunt se his verbis eum non unum cum Patre, sed cum rebus creatis facere. Quis enim non videt splendorem a luce non esse separabilem, sed cum illa tamquam ipsius propriam natura simul existere, nec posterius exoriri? Deinde, cum Pater dicat, *Hic est Filius meus dilectus*; cum item Scripturæ declarent ipsum esse Patris verbum in quo & *cæli firmati sunt, omniaque* prorsus *per ipsum facta sunt:* illi novorum dogmatum & commentorum inventores aliud inducunt verbum aliamque fingunt esse sapientiam Patris; illum vero nonnisi cogitatione, rerum scilicet ratione præditarum causa, Verbum sive Rationem & Sapientiam appellari. Verum quæ inde oriantur absurda, profecto non perspiciunt.

Ariana hæresis sacris Scripturis penitus adversatur. *Joan. 1. 1.*

1. Joan. 5. 20.

Rom. 1. 25.

Joan. 10. 30. *Joan. 14. 9.*

Hebr. 1. 3.

Matth. 17. 5.

Psal. 32. 6.

Joan. 1. 3.

14. Si enim nostri causa, Verbum & Sapientia cogitatione dicitur, quidnam ipse fuerit, numquam utique sunt dicturi. Nam si hæc illum esse testantur Scripturæ, illi vero hæc eadem Dominum esse nolunt; certe ne existere quidem eum manifeste volunt impii Scripturarumve adversarii. Sane Fideles id possunt discere tum ex ipsa paterna voce, tum ex Angelis qui illum adorant, tum etiam ex Sanctis qui de eo scripsere. Verum illi quandoquidem puram non habent mentem, nec divinos & theologos viros queunt audire, possunt saltem idem ipsum a sui similibus Dæmonibus edoceri, qui nimirum non quasi multi essent filii, sed solum hunc agnoscentes exclamabant: *Tu es sanctus Dei & Filius Dei.* Is enim qui hanc hæresim ipsis suggessit, cum eum in monte tentaret, non dixit: Si & tu Filius Dei es, quasi nempe alii essent filii: sed, *Si tu es Filius Dei*, utpote quem solum esse constaret. Verum egregii illi viri, non secus ac Gentiles qui ab unius Dei notitia aberrantes, in Deorum multitudinem sunt delapsi, sic & ipsi, dum unum Patris Verbum nolunt credere, in hunc errorem ceciderunt, multa scilicet esse Dei Verba. Eum itaque qui vere Deus & verum Verbum est negant, ipsumque rem creatam esse audent cogitare: quæ sententia quanta sit impietate plena, omnino non attendunt. Nam si creatus ipse est, quomodo rerum creatarum opifex est? vel quomodo ipse Filius & Sapientia & Verbum est? Nam Verbum non creatur, sed gignitur; quodque creatum est, non filius est, sed opus. Insuper, si res creatæ per ipsum factæ sunt, ipse autem creatus quoque est, per quem, quæso, factus est? Siquidem necesse est ut res creatæ per aliquem fiant, quemadmodum utique per Verbum factæ sunt, quia scilicet non opus sed Verbum Patris est. Præterea, si sapientia quæ in Patre est, alia est præter Dominum, certe Sapientia in sapientia facta est; ac proinde si Sapientia Dei, Verbum est, sequetur Verbum in ver-

Unus est verus Dei filius; non plures.

Marc. 1. 24. *Mat. 8. 29.*

Luc. 4. 3.

Quia Filius Dei, ejus est Verbum, idcirco non est quid creatum.

verbo factum esse; & rursus, si Verbum Dei, Filius est, Filium in filio factum esse intelligetur.

Joan. 14. 10. 15. Quomodo ergo Dominus dixit: *Ego in Patre, & Pater in me est*; cum in Patre sit alius, in quo & ipse Dominus factus est? Qui vero Joannes, *Joan. 1. 3.* illo dimisso, de isto ita loquitur: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil?* Si porro omnia, quæ voluntate sunt facta, per eum facta sunt, quomodo ipse una est e rebus factis? Quomodo item Aposto- *Hebr. 2. 10.* lo dicente, *Propter quem omnia & per quem omnia*; ipsi non verentur dicere, Non nos propter ipsum, sed ille propter nos factus est? Si enim ita esset, prorsus illi dicendum fuisset: [B] propter quos factum est Verbum. Cum autem id minime dicat, sed, *propter quem omnia & per quem omnia*, illos hæreticos & sycophantas esse ostendit. Alioqui si aliud in Deo Verbum esse audeant asseverare; cum clara ex Scripturis argumenta nulla ipsis suppetant, saltem unum ejus opus, vel Patris opus aliquod sine hoc Verbo factum indicent, ut aliqua ratione suum commentum defendere posse videantur. Opera quidem veri Verbi omnibus sunt manifesta, adeo ut ex his ipse convenienter conspiciatur. Ut enim res creatas intuentes, harum creatorem intelligimus Deum: ita cum in rebus factis nihil [C] inordinatum, sed omnia certo ordine & providentia moveri & servari cernimus; recte inde colligimus esse Dei Verbum, quod omnibus præsit & dominetur. Verum id etiam Scripturæ divinæ testantur, quæ asserunt ipsum esse Dei Verbum, omniaque per ipsum facta esse, & sine illo nihil esse factum. Illius autem verbi, de quo illi loquuntur, nullum sane vel dictum vel factum possunt ostendere. Etenim ipse *Matth. 17. 5.* Pater qui dicit, *Hic est Filius meus dilectus*, nullum alium præter eum esse significat.

16. Hinc ergo etiam cum Manichæis jam consociantur egregii isti viri. Illi enim nomine tenus De- [D] um bonum appellant, nullumque ejus opus sive aspectabile sive non aspectabile possunt commonstrare. Cum autem verum vereque existentem Deum, cæli & terræ, omniumque rerum invisibilium effectorem negant, nihil nisi meras narrant fabulas. Idem profecto maleficis istis accidere mihi videtur. Nam licet veri Verbi, quod & unum est in Patre, opera videant, ipsum nihilominus negant, aliudque verbum sibi ipsis fingunt, quod neque ex factis neque ex auditione demonstrare queunt; nisi forte Deum concipiant compositum, qui more hominum loquatur, priorésque sermones immutet; quem quidem si ita cogi- [E] tantem & intelligentem suspicentur, vere fingunt commenta, nec animadvertunt quantum hæc a ratione sint aliena. Si enim succedentia sibi verba habeat, næ eum plane hominem arbitrantur. Quod si præterea ex ipso verba proferantur, ac postea evanescant; eo major illorum est impietas, qui nempe ea, quæ sunt ex illo qui est, in nihilum resolvant. Nam si omnino existimant a Deo gigni Verbum: melius & religiosius est Deum dicere unius Verbi esse genitorem, quod & ejus divinitatis plenitudo est, & in quo thesauri omnis cognitionis sunt absconditi, idemque dicere simul esse & existere cum suo Patre, [F] per quod & omnia facta sunt; quam Deum multorum nusquam apparentium patrem esse opinari, vel eum, qui natura simplex est, tanquam ex multis compositum, hominum similem variumque comminisci. *1. Cor. 1. 24.* Præterea cum dicat Apostolus: *Christus Dei virtus & Dei sapientia*; illi eum aliis multis virtutibus una annumerant, quodque pejus est, illum scelerati cum eruca & aliis bestiis, quas ad homines puniendos ipse misit, non verentur comparare. Insuper cum Domi- *Matth. 11. 27.* nus dicat: *Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius*: & i- *Joan. 6. 46.* terum, *non quod Patrem quis vidit, nisi qui est a Pa-* [A] *tre*: qui fieri potest, ut illi Dei hostes non censeantur, qui dicunt Patrem a Filio perfecte nec videri nec cognosci? Nam si Dominus dicit, *Quemadmodum cognoscit me Pater, & ego cognosco Patrem*: si nec ipse Pater Filium ex parte dumtaxat cognoscit; an non illi insani sunt habendi, cum effutiunt Patrem non plene sed ex parte a Filio cognosci? *Filius Patrem perfecte cognoscit. Joan. 10. 15.* Deinde si existendi principium habet Filius: si item omnia sui ortus initium habent; quid primum extiterit dicant. Verum nihil profecto est quod queant dicere: nec tale Verbi initium indicare possunt improbi veteratores. Siquidem verus & proprius ipse est Patris fetus, & *in princi-* *Joan. 1. 1.* [B] *pio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Nam quod ajunt Filium suam ipsius naturam nescire, responsione sane indignum est, sed satis fuerit eos insaniæ condemnare. Num enim seipsum non novit Verbum, quod Patris suique ipsius cognitionem omnibus impertit, illosque reprehendit qui ipsos non cognoscunt?

17. At scriptum est, inquiunt, *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*. *Verbum homo factum recte creari dicitur. Prov. 8. 22.* Ineruditi sane vereque stupidi! Scilicet servus quoque in Scripturis & ancillæ filius, & agnus & ovis dictus est, ut & la- [C] borasse, sitivisse, vapulasse & passus esse: sed hæc quæ ex Scripturis memorantur, non sine causa aut ratione dici liquido constat, quia scilicet homo & Filius hominis factus est, forma servi accepta, quæ est humana caro. *Verbum* enim, inquit Joannes, *caro factum est*. *Joan. 1. 14.* Quod si homo factus est; nemo hujusmodi vocibus offendi debet: siquidem hominis proprium est creari, nasci, formari, laborare, pati, mori, & a mortuis excitari. Ac quemadmodum ut Verbum & sapientia Patris, omnia quæ sunt Patris habet, nempe æternitatem, immutabilitatem, perfectissimamque cum illo secundum omnia & in omnibus simili- [D] tudinem, ita ut nihil prius vel posterius in illo sit, sed una cum Patre existat, eademque ipse sit divinitatis forma, & vi efficiendi pariter præditus, nec denique creari possit: nam cum Patris secundum naturam sit similis, non creatus sed creator est, uti ipse dixit, *Pater meus usque ad hoc tempus operatur; & ego operor*. *Joan. 5. 17.* Ita plane homo factus & carne indutus, necessario & creari & fieri dicitur, ut & cetera quæ ad carnem proprie pertinent, etiamsi isti vinum cum aqua, ut Judaici caupones, commisceant, cum Verbum de- *Esai. 1. 22.* primunt, & ejus divinitatem notionibus rerum factarum subjiciunt. Idcirco enim jure & merito indignati [E] Patres impiissimæ hæresi anathema dixere, quam illi quia refutatu facilem & futilem undique esse sentiunt, timent & dissimulant. Namque nos quidem hæc pauca ad illos confutandos scripsimus: si cui vero eosdem placuerit copiosius refellere, istam hæresim a Gentilibus non procul abesse, aliarumque hæresum extremam & fæcem esse reperiet. Illæ scilicet varie errant vel circa corpus & humanam naturam a Domino assumtam, cum aliæ alia mendacia proferunt; vel cum Dominum advenisse penitus negant, qui quidem error fuit Judæorum. Hæc autem sola, majori incitata furore, ausa est ipsam etiam divinitatem [F] aggredi, quatenus nempe contendit Verbum omnino non fuisse, nec Deum semper fuisse Patrem; quocirca non immerito quis dixerit adversus eos scriptum esse hunc Psalmum, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis.* *Psal. 52. 1.*

18. Atqui, inquiunt, valemus & possumus fallaciis defendere nostram hæresim. Verum melius ipsi se defenderent, si non quodam artificio nec profanis sophismatis, sed simplici fide eam possent propugnare. Itaque si hanc Ecclesiasticam esse confidunt & existimant, suam sententiam aperte declarent. Nemo enim accensam lucernam sub *Matth. 5. 15.* mo-

modio ponit, sed supra candelabrum, ut omnibus venientibus luceat. Si ergo suam illi hæresim tueri possunt, scribant quæ supra allata sunt, suamque hæresim nudam omnibus, tamquam lucernam, exhibeant: Alexandrum beatæ memoriæ episcopum aperte criminentur, Arium ea dicentem ejecisse injuste: conquerantur de Nicæna Synodo, quæ impietate rejecta piam substituit & edidit fidem. Verum id eos non facturos pro certo habeo. Nec enim adeo sunt ignari malorum quæ commenti sunt & spargere nituntur: sed probe sciunt, licet initio simpliciores vano surripuerint artificio, suam tamen sententiam illico tamquam impiorum lumen, extinguendam, seque ubique velut veritatis hostes ignominia esse notandos. Hinc est igitur quod illi, qui stulte agunt omnia, & ut stulti loquuntur, in eo tantum se prudenter, ut filii sæculi, gerant, quod sub modium lucernam abscondant suam, ut apparere existimetur, & ne, si appareret, cognita & reprobata extingueretur. Namque ipse Arius dux hujusce hæresis, & Eusebii socius, Eusebianorum opera a beatæ memoriæ Constantino Augusto vocatus, suamque fidem jussus scripto exponere, obtemperavit quidem, sed proprias impietatis voces occultavit, ficteque, ut Diabolus, nuda Scripturarum vocabula, uti scripta sunt, usurpavit. Deinde dicente beatæ memoriæ Constantino, „ Si nihil aliud præter hæc in mente retines, da testem veritatem: te enim, si „ pejeraveris, ulciscetur Dominus: „ juravit miser nihil se aliud in mente habere, nec unquam alia dixisse aut sensisse præter ea quæ modo scripserat. Verum statim ille egressus, tamquam pœnas persolvens decidit, & præceps factus crepuit medius.

Luc. 16. 8.

Act. 1. 18.

Mortis Arii narratio. Vide eadem de re Epistolam præcedentem ad Serapionem.

19. Omnibus quidem hominibus mors est communis vitæ finis, nec cuiquam insultare licet, quamvis fuerit inimicus, qui e vita decesserit, cum incertum sit utrumne ad vesperam victuri simus. Attamen cum Arii obitus non consueto more contigerit, idcirco narratione dignus esse videtur. Minitantibus nempe Eusebianis se Arium etiam in Ecclesiam introducturos, repugnabat Alexander Constantinopolis Episcopus: Arius autem vi & minis Eusebii confidebat: sabbatum quippe erat, & se sequenti die ad communionem admittendum sperabat. Itaque vehem[illegible] erat contentio: minabantur illi, Alexander vero orabat. Sed Dominus judex factus, adversus iniquos sententiam tulit. Nondum enim sol occiderat, cum Arius impellente necessitate in secretum locum digressus, ibidem corruit, & re utraque communione scilicet & vita continuo privatus est. Quo confestim audito beatæ memoriæ Constantinus non sine admiratione vidit illum perjurii fuisse convictum. Tunc profecto omnes intellexerunt fractas esse Eusebianorum minas, inanemque fuisse spem Arii. Palam item factum est, Arianam hæresim hic & in cælesti Primogenitorum ecclesia fuisse communione a Salvatore exclusam. Quis igitur non miretur illos adeo inique litigare, quos Dominus condemnavit, eamque tueri & vindicare hæresim, quam ipse Dominus communione indignam esse convicit, qui nempe ejus ducem in Ecclesiam ingredi noluerit sinere: nec denique quod scriptum est formidare, sed ea aggredi quæ fieri non queunt? *Quis enim possit dissolvere quæ Deus sanctus decreverit?* vel quis eum audebit defendere quem damnavit Deus? Scribant ergo illi quæ voluerint, ut qui propriis tuendis opinionibus delectantur. Vos vero, fratres, vos qui Domini vasa fertis, & Ecclesiæ dogmata propugnatis: vos, inquam, hortor ut rem perpendatis: & si quidem alias præter supra memoratas Arii voces scripserint, inde illos condemnate tanquam hypocritas, qui nimirum sententiæ suæ venenum occultant, serpentisque exemplo labiorum verbis blandiuntur. Namque etiam dum hæc scribunt, illos secum habent qui cum Ario tunc fuere expulsi, Secundum scilicet Pentapolitanum, & Clericos qui quondam in Alexandriæ ecclesia sunt convicti, iisdemque ipsis apud Alexandriam scribunt: quodque permirum est, nos & eos qui nobiscum sunt vexandos curarunt, quamvis piissimus Imperator Constantinus nos ad patriam & ecclesiam cum pace redire jusserit, maximæque curæ haberet populorum concordiam. Iidem ipsi nunc etiam effecere ut istis ecclesiæ traderentur, quo utique facto cunctis probavere omnes insidias quas nobis & aliis ab initio tetenderunt, nonnisi illorum gratia paratas fuisse.

Esa. 14. 27.

20. Qui igitur illi qui ita agunt, hæc scribendo fidem possint facere? Si enim recte scripsissent, Thaliam quam composuit Arius delevissent, proculque surculos hæresis rejecissent. Hi sunt enim discipuli & consortes cum impietatis tum pœnæ Arii: ac proinde cum illos non repellant, omnibus est perspicuum recte eos non sentire, etiamsi sexcenties scripserint. Quocirca vigilandum est ne qua fraus in litterarum ornatu delitescat, & aliquos a pia fide abducant. Quod si prospera se uti fortuna videntes, Arii opiniones scriptis defendere ausi fuerint, nihil jam amplius restat quam ut multa cum libertate agamus, memores prædictionum Apostoli quas ob hujusmodi hæreses litteris, præmonendi causa, mandavit. Nobis ergo hæc convenit respondere: Scimus scriptum esse: *In extremis temporibus discedent quidam a sana fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum veritatem refugientium.* & , *Quicumque pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Mali autem homines & seductores, proficient in pejus, errantes & in errorem inducentes.* Verum nihil horum nos allicere poterit, vel separare a caritate Christi, licet mortem ipsam nobis hæretici minitentur: nam Christiani, non Ariani sumus. Utinam autem qui ista scripserunt, cum Ario non sentirent. Ita sane est, fratres: hujusmodi libertate nunc maxime opus est. Non enim accepimus spiritum servitutis iterum ad timorem: sed in libertatem vocavit nos Deus: vereque turpe est, & valde turpe, si fidem quam a Salvatore per Apostolos accepimus, propter Arium aut Arianos Ariique fautores amittamus. Hinc jam complures harumce regionum homines, audita scribentium astutia, parati sunt illorum artificiis usque ad sanguinem resistere, præsertim postquam de vestra animi firmitate certiores sunt facti. Purro quandoquidem hæresis confutationem ipsi divulgastis, eamque, tamquam serpentem, e latebris eduxistis: certe infantem, quem occidendum quærebat Herodes, conservastis, vivitque in vobis veritas, & apud vos sana perstat fides.

1. Tim. 4. 1.

1. Tit. 1. 14.

2. Tim. 3. 12.

Rom. 8. 15.

Galat. 5. 8. 13.

21. Quamobrem vos oro, ut Nicænam fidem a Patribus editam præ manibus habentes, eamque summa animi alacritate & fortitudine ac constanti in Dominum fiducia propugnantes, omnibus exemplar efficiamini, cunctisque ostendatis nunc pro veritate adversus hæresim esse certandum, variasque artes inimici esse. Nec enim solum thus aris idolorum non offerre, martyres efficit: verum etiam fidem non negare, illustre est conscientiæ martyrium. Nec ii tantum qui idola adoravere, ut alieni sunt condemnati, sed etiam qui veritatem prodidere. Hinc Judas ab Apostolica dejectus dignitate est, non

Constantia in fide, illustre est martyrium.

quod

1. Timoth. 1. 20.

quod sacrificavit, sed quod proditor fuit. Hymenæus A quoque & Alexander a Christo defecere non ad idola abeundo, sed facto in fide naufragio. Similiter Abrabam Patriarcha, tametsi non occisus, coronatus tamen est, quia Deo fidelis fuit. Alii item sancti viri,

Hebr. 11. 32.

de quibus Paulus loquitur, Gedeon nimirum, Barac, Samson, Jephte, David & Samuel, ceterique, non sanguine effuso mortem obierunt, sed per fidem justi sunt effecti, atque ad hoc usque tempus admirationem movent, quod pro sua in Dominum pietate mortem subire fuerint parati. Si vero id etiam liceat addere B quod nostro tempore accidit, nostis quo pacto beatæ memoriæ Alexander usque ad mortem contra hanc hæresim certaverit, quotque afflictationes quantosve labores, quamvis senex, toleraverit, quibus perfunctus, in extrema senectute appositus est & ipse ad patres suos. Quot item alii, se se eidem impietati opponentes, quam valde laboravere, qui quidem suæ confessionis gloriationem in Christo habent. Nos igitur similiter, quandoquidem de summa rerum nostrarum agitur, fidesque nunc vel neganda proponitur vel servanda, hoc simus animo & voluntate, ut quæ accepimus custodiamus, eo- C rumque veluti monumentum fidem Nicææ scriptam teneamus: ita ut repudiatis novitatibus, doceamus populos, ne spiritibus erroris attentos se præbeant, sed ut ab Arianorum impietate & a societate quam cum illis inierunt Meletiani, omnino declinent.

Meletiani & Ariani (licet antea inter se inimici) ineunt societatem adversus Christum Dominum.

22. Quæso enim, perspicite, ut ii, qui inter se antea pugnabant, nunc, ut olim Herodes & Pontius, contra Dominum nostrum Jesum Christum consensere: quam certe ob causam meritissimo sunt odio ha- D bendi, quippe qui, cum de propriis commodis agitur, inimicitias secum gerant; cum autem est contra veritatem dimicandum, & impietas adversus Deum fovenda, amici fiant, seseque invicem comiter tractent, & quidvis præter mentem facile ferant, voluptate scilicet illecti, quam ex suo quique fine consequendo percepturos sperant.

Meletiani præsidendi cupidi & avari.

Nam Meletiani quidem præsidendi cupiditate & insana avaritia ducuntur: Arianos autem sua sola impellit impietas. Hinc fit ut in hujusmodi conjuratione suam mutuo sibi commodare possint improbitatem; ita ut Meletiani quidem Arianorum simulent impietatem, Ariani vero Meletianorum pravitatem nequitia tueantur; ac denique

Apocal. 18. 6.

E propria sua simul flagitia, veluti Babylonis poculum, commiscentes, iis parent insidias, qui Dominum nostrum Jesum Christum vera pietate colunt. Erat quidem jam antea omnibus nota perversitas & calumnia Meletianorum: jam diu quoque ubique cunctis manifesta est impietas Deoque infensa Arianorum hæresis. Nec enim parum temporis intercessit, a quo sumsere exordium: sed Meletiani ante quinquaginta quinque annos facti sunt schismatici; & Ariani ante triginta sex annos hæretici sunt declarati, iidemque sunt ab Ecclesia, totius generalis Syn- A odi judicio, rejecti. Ex his autem quæ modo egerunt, etiam ipsis, qui illos aperte fovere videntur, perspicuum jam est eos nullam aliam ob causam nobis omnibusque orthodoxis episcopis tetendisse ab initio insidias, quam ut impiam suam hæresim defenderent. Ecce enim nunc tandem factum est, quod olim Eusebiani sunt moliti: nobis Ecclesias tolli curarunt; Episcopos & Presbyteros, qui cum ipsis non communicant, in exsilium pro suo arbitratu miserunt; populos, qui ab illis fugiunt, ecclesiis B excluserunt, easque tradiderunt Arianis, qui a tanto tempore fuerunt condemnati; ut scilicet Meletianorum simulatione cum ipsis conspirante, illic secure possint suæ impietatis verba evomere, atque Antichristo, qui hanc in illis seminavit hæresim, viam erroris, ut quidem sperant, præparare.

23. Hæc itaque illi dormitantes inaniter cogitent. Nos enim non dubitamus quin benignus Imperator, re audita, illorum impietates sit prohibiturus; ac proinde non diu illi perstabunt, sed, ut scriptum est, corda impiorum cito deficient. Nos au- *Prov. 10. 20.*
C tem divinarum, ut scriptum est, Scripturarum in- *4. Reg. 17. 9. juxta lxx.*
duti sermonibus, illis non secus ac apostatis, qui furorem in domo Domini collocare cupiunt, resistamus, nec pertimescamus corporis mortem, neque vias eorum æmulemur: sed potius præ omnibus valeat veritas.

Eusebiani frustra Athanasium in suas partes attrahere minis conati sunt. Vide Apologiam contra Arianos num. 50. 3. Reg. cap. 21.

Enimvero nos quoque tunc ab Eusebianis, ut nemo vestrum ignorat, rogati ut vel cum eis impietatem simulate amplecteremur, vel ab ipsis insidias expectaremus, illis noluimus assentiri, sed potius elegimus ab ipsis vexari quam Judam imitari. Utique D præstitere quod fuerant minati, Jesabelemque imitati, sibi paravere Meletianos, quorum fraude uterentur: non ignari scilicet quonam modo illi sese adversus beatum Petrum Martyrem, deindeque adversus magnum Achillam, ac denique adversus felicis recordationis Alexandrum gesserint, ut etiam hoc pacto adversum nos, uti meditati sunt, hi quidem quidquid ipsis suggestum fuerit, fingant, illi vero ansam inde arripiant nos persequendi atque ad necem quærendi.

Ariani, Athanasii necem sitiunt.

Hoc enim est quod sitiunt, neque hactenus voluntatem abjecerunt nostrum effundendi sanguinem. Verum hæc ego minime curo; siquidem exploratum persuasumque mihi est, quod tolerantibus dabitur merces a Salvatore, vosque, ut Patres, sustinendo, E facti plebi exemplum, eversaque hujusmodi externa & aliena impiorum astutia, jure gloriari poteritis, dicentes: Fidem servavimus; ac postremo vitæ co- *2. Timoth. 4. 7.*
ronam, quam Deus se diligentibus promisit, estis *Jacob. 1. 12.*
recepturi. Utinam vero ego quoque vobiscum hæres fiam promissionum, quæ non solum Paulo dictæ sunt, sed etiam omnibus qui adventum Domini & Salvatoris, Dei, summique nostrum imperatoris JESU CHRISTI dilexere, per quem Patri gloria & imperium in Spiritu sancto nunc & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN APOLOGIAM SEQUENTEM

MONITUM.

I. APOLOGIA *ad Imperatorem Constantium, si vim argumentorum spectes, validissima: si salem & leporem, elegantissima: si rerum varietatem, jucundissima censenda est, atque inter præcipua Athanasii opera jure computanda. Nam quod eam esset coram Constantio recitaturus Athanasius, ut liquet ex multis ejus locis, elaboravit illam accuratius. Intercluso tamen Arianorum insidiis omni ad Constantium aditu, haud licuit Athanasio sæpius iter instituenti, Imperatorem convenire, ut testatur ipse sub finem hujus Apologiæ. Quare ad ipsum Constantium missa, an ad eum usque pervenerit, vel ab Arianis intercepta sit, ignoratur. Porro eam postrema Constantii ineunte persequutione, paulo post fugam Athanasii, perscriptam esse, certissimum est: ideoque ad annum 356. eam haud dubitanter referimus. Prior autem ejus pars ante Paschale ejusdem anni festum scripta est, ut liquet ex ipsis Athanasii verbis, posterior post eam solennitatem.*

II. Eam vero conscripsit Athanasius ut varias Arianorum calumnias, ad Constantium ab Arianis delatas, depelleret. Implacabiles namque illi Athanasii adversarii, has confinxerant criminationes. 1°. Quod Athanasius Constantem Imperatorem in Constantium fratrem suum concitasset. 2°. Quod Magnentio Tyranno cui, ajebant, addictissimus erat, litteras misisset. 3°. Quod in Ecclesia, κυριακὸν, seu Dominicum *dicta, conventus egisset, ædificio nondum completo, necdum celebrata ejusdem templi dedicatione. 4°. Quod concessa a Constantio se adeundi facultate, obsequutus non esset, atque Alexandria secedere renuisset. Has omnes calumnias validissime propulsat Athanasius: oculatis sæpe testibus in innocentiæ testimonium adductis, ut nulla superesset injectorum criminum suspicio.*

III. Abstinemus porro cum in hac monitione, tum in notis, a gravibus implicatisque quæstionibus, quæ Athanasii gesta, chronologiamque spectant: commodius quippe ea in Athanasii vita indagantur.

SANCTI PATRIS NOSTRI

A T H A N A S I I

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ,

Ad Imperatorem Constantium

A P O L O G I A.

1. CUM probe norim te a multis jam annis Christianum, & ab abavis usque tuis religiosum esse, meam alacri animo jam propugno causam. Atque ideo beati Pauli verbis orsus sum, ut eo apud te utar intercessore. Scin quippe, religiosissime Auguste, illum veritatis esse præconem, te illius prædicantis studiosum auditorem. Quod spectat autem cum res ecclesiasticas, tum in me conflatam conspirationem, sat per se sunt tot tantorumque Episcoporum scripta, ad ea tuæ pietati declaranda: ipsa quoque Ursacii & Valentis pœnitentia sufficit, ut notum sit omnibus, nullam veram esse eorum in nos criminatinnem. Quod enim aliorum testimonium horum rescriptn conferri queat? * Mentiti sumus, ajunt, confinximus, & omnia, quæ sunt contra Athanasium delata, meræ sunt calumniæ. At ecce novam his licet evidentissimis argumentis accessinnem (si modo illud etiam ediscere digneris) præsentibus scilicet nobis, nihil probasse accusatores adversus Macarium presbyterum; absentibus, arbitrio suo rem gessisse. Cujusmodi acta

(Margin: Act. 26. 2.)

A minime valere, primo divinis, deinde ** nostris legibus decernitur. Hinc sane futurum est, ut pietas tua, Dei juxta ac veritatis amantissima, nos omni suspicione liberos deprehendat: adversarios nostros sycnphantas esse pronuntiet.

2. Calumnia autem ab inimicis meis ad tuam pietatem delata, propter piissimum Augustum ac beatæ æternæque memoriæ virum Constantem fratrem tuum; licet ab illis ubique pervulgata ac scripto tradita sit, vana tamen futilisque, vel priorum criminationum falsitate demonstratur. Equidem si ab aliis deferrer, res in jus vocari posset, multaque probatione opus esB set, atque coram convincendus essem; sin a priorum calumniarum auctoribus hæc quoque prodiit, qui, quæso, hinc palam non erit, hoc merum eorum esse commentum? Quapropter clam me hæc obloquuntur, rati se tuam posse decipere pietatem. At res secus illis cessit: nequaquam enim pro eorum libidine aurem præbuisti, sed pro tua animi tolerantia depellendæ criminationis copiam fecisti. Quod enim non statim commntus es, nec

(Margin: Prima Arianorum calumnia in Athanasium.)

* Hæc verba quæ ab Ursacio & Valente scripto tradita referuntur, non habentur in eorum litteris quas pœnitentia ducti Julio Romano, & Athanasio misere: videntur autem hæc ipsa verba ex eorumdem libello in Concilio Mediolanensi anni 349. tradito, desumta: qui libellus nusquam exstat. Vide in Apol. contra Arianos, num. 58.

** *Nostris legibus*. Hujusmodi lex habetur in Constitutionibus Apostolicis lib. 2. c. 51. cujus titulus sic habet, ὅτι ὁ χρὴ μονομερῶς τὰς κρίσεις ποιεῖσθαι. dehinc ita incipitur, Εἴπομεν δὲ, ὅτι τὰς κρίσεις οὐ δίκαιον μονομερῶς ποιεῖσθαι. Qui locus haud recte ab Interprete intellectus, ita vertitur ibi. Coteler. PP. primi sæculi, p. 297. *Quod non oporteat in judicando uni parti favere*: cum vertendum sit: *quod non oporteat altera absente parte judicia reddi*. Exordium autem capitis ita interpretatur idem: *Diximus jam, æquum non esse, ut ea judicia exerceantur in quibus altera pars judicem occupat*. At hæc est sententia: *Diximus autem, æquum non esse, ut judicia altera absente parte reddantur*. Quod ex sequentibus ipsa luce lucidius est: ἐὰν γὰρ τοῦ ἑνὸς προσώπου ἀκούσητε μὴ παρόντος τοῦ ἑτέρου. *Si enim alteram personam, altera absente, audiatis &c.* Vox μονομερῶς ea sententia sæpissime usu venit supra in Apologia contra Arianos.

nec pœnas expetiiſti, nihil aliud illud eſt quam quod, ut æquum decet Imperatorem, viri injuſte delati defenſionem expectaſti: quam ſi audire dignatus fueris, confido fore ut eorum temeritatem damnes, qui Deum non metuunt, prohibentem, ut ne mendacium apud Regem ore proferant.

3. Haud ſine pudore eas depellere calumnias aggredior, quas ne ipſum arbitror accuſatorem, coram nobis proferre ultra auſurum. Næ ille probe novit & ſe mentiri, & me non uſque adeo inſanum ac mente captum fuiſſe, ut talia vel cogitaſſe in ſuſpicionem venire poſſim. Quamobrem aliis ſciſcitantibus nequaquam reſpondiſſem, ut ne vel ipſo defenſionis meæ tempore auditores animi penderent. Verum apud tuam pietatem clara & magna voce meam propugno cauſam:
2. Cor. 1. 23. extenſaque manu, ut ab Apoſtnlo didici, *Deum teſtem advoco in animam meam*: &, ut in Hiſto-
1. Reg. 12. 5. riis Regum ſcriptum habetur: *teſtis eſt Dominus, teſtis eſt & Chriſtus ejus* (quod & mihi, quæſo, dicere concedas) me nunquam de tua pietate in malam partem verba feciſſe apud fratrem tuum beatæ memoriæ Conſtantem, piiſſimum Auguſtum: neque illum, ut calumniantur iſti, in te concitaſſe. Immo ſi quando nobis ipſum adeuntibus, de tua humanitate mentinnem ipſe faceret; tunc autem fecit cum Thalaſſus Pitybionem ſe contulit: quo tempore nos Aquileiæ verſabamur. Teſtis eſt mihi Dominus, eorum quæ tunc de tua humanitate protuli: ac utinam ea Deus animæ tuæ revelare velit; ut hinc explorata tibi ſit meorum obtrectatorum calumnia. Ignoſce, quæſo, mihi talia dicenti, humaniſſime Auguſte, plurimamque mibi veniam concedito. Non enim ita facilis erat vir ille Chriſti amantiſſimus, neque tanti eram ego, ut de rebus hujuſmodi colloquia invicem miſceremus: utque fratrem apud fratrem ſuum calumniari auderem: nihilque vererer de Imperatore apud Imperatorem in malam partem loqui. Neqnaquam inſanio, Imperator, nec
Eccleſ. 10. 20. fui divinæ vocis ignarus dicentis: *& in conſcientia tua Regem ne exſecreris, & in receſſibus cubiculi tui ne maledixeris diviti; quia volucris cæli vocem tuam portabit, & ales annunciabit ſermonem tuum*. Quod ſi ne illa quidem quæ adverſum vos Imperatores clam proferuntur, celari queunt, annon incredibile erit præſente Imperatore, tantoque adſtante cœtu, me adverſum te verba feciſſe? Nunquam enim fratrem tuum ſolum vidi, nec me ille unquam ſolum eſt alloquutus; ſed ſemper comite Epiſcopo urbis in qua tunc degebam, aliiſque qui tum forte aderant, ipſum adii: iis inquam comitibus acceſſi, iis comitibus receſſi. Hujuſce rei teſtis eſt Fortunatianus Aquileiæ epiſcopus: hoc ipſum poteſt Patris Hoſii teſtimonio confirmari. Teſtis item Criſpinus Patavii, Lucillus Veronæ, Dionyſius Leidis, & Vincentius in Campania epiſcopus. Et quia defuncti ſunt Maximinus Trevirenſis, & Protaſius Mediolanenſis; poteſt idipſum teſtificari Eugenius tunc Magiſter: qui quoniam ante velum tum temporis ſtabat, cum poſtulata noſtra, tum quæ nobis ille dignatus eſt dare reſponſa, audire potuit. Hæc tametſi ſatis ſunt ad rei demonſtrationem, concedito tamen ut peregrinatinnis meæ rationem ordine tibi recenſeam; ut hinc futiles obtrectatorum meorum criminationes deprehendas atque condemnes.

4. Alexandria profectus ſum, non ut ad exercitum A fratris tui vel ad alios quoſdam me conferrem; ſed ut Rnmam peterem: atque ibi cum ea quæ mea intererant Eccleſiæ commendaſſem, (quod unum mihi curæ erat) eccleſiaſticis conventibus vacabam. Fratri autem tuo nequaquam ſcripſi, niſi poſtquam Euſebiani miſſis adverſum me litteris, neceſſitatem mihi adtulere cum adhuc Alexandriæ degerem, eorum calumnias propulſandi: iterumque, cum jubente illo, ut divinarum Scripturarum * tabellas adornarem, confectas eas ad ipſum tranſmiſi: par quippe eſt me qui meam propugno cauſam, tuæ pietati vera dicere. Triennio exacto, quarto anno miſſis litteris me accivit, B quo tempore ille Mediolani verſabatur. Ego vero ſciſcitabar quid cauſæ eſſet quod accerſerer, non noram enim, teſtis mihi Dominus eſt: didicique quoſdam epiſcopos, qui eo conceſſerant, rogaſſe illum, ut tuæ Pietati pro Synodo cogenda ſcriberet. Crede mihi, Imperator, ſic geſta res eſt, neque mentior. Medinlanum igitur cum acceſſiſſem, magnam ejus expertus ſum humanitatem: me quippe dignatus eſt ad conſpectum admittere ſuum: indicavitque mihi ſe ſcripſiſſe, & ad te miſiſſe, rogaſſeque ut ſynodus convocaretur. Me autem poſtea in prædicta urbe degentem iterum miſit in Gallias, eo enim pater quoque Ho- C ſius conceſſerat, ut una inde Sardicam peteremus. Poſt peractam vero Synodum litteras mihi tum Naiſſo degenti miſit: atque hinc profectus, Aquileiæ poſtea commoratus ſum, ubi redditæ mihi ſunt tuæ Pietatis litteræ. Accitus inde rurſum a beatæ memoriæ Viro, in Gallias iter inſtitui: hincque demum tuam adii Pietatem.

5. Quo igitur loco, aut quo tempore, me accuſator ejuſmodi protuliſſe verba criminatur? aut quo præſente, eo inſaniæ progreſſus ſum, ut ea loquerer quæ me ille dixiſſe mentitur? Quiſnam illi D talia dicenti adſtipulatur? quis cum illo adverſum me teſtis adeſt? Nam quæ oculi ejus viderunt hæc Prov. 25. 8.
dicere debet, ut divina præcipit Scriptura. Sane rerum numquam geſtarum ne unum quidem ille teſtem reperiet. Me autem nequaquam mentiri, teſtis una cum veritate, ipſa quoque Pietas tua. Cum enim Athanaſius ter Conſtantium convenit.
te memoriæ tenaciſſimæ norim, recordare, quæſo, verborum quæ tum tecum habui, cum me vultum ſubire tuum dignatus es: primo Viminacii; ſecundo, Cæſareæ Cappadociæ; tertio, Antiochiæ; an vel de Euſebianis, quamquam me acerbe vexaſſent, in malam partem apud te verba fecerim: vel ſi E quoſpiam qui me injuſte læſiſſent, accuſarim. Quod ſi ne illos quidem criminatus ſum, quos criminandi cauſa aderat, quanam inſania ductus Imperatorem apud Imperatorem accuſaſſem, fratremque concitaſſem in fratrem ſuum? Obſecro vel me coram convinci jubeas, aut calumnias agnoſcas atque condemnes, Davidemque imiteris qui ait: *detrahen-* Pſal. 100. 5.
tem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar. Siquidem quoad obtrectatoribus licuit, cædem illi perpetrarunt: nam *os quod mentitur occidit animam*. At tua Sap. 1. 11.
vicit patientia, dum mihi fiduciam præbuit ad criminis remotionem; ut hinc adverſarii mei ut con- F tentioſi ac ſycophantæ damnari poſſint. Hæc de piiſſimn fratre tuo, beatæ memoriæ viro dicta ſint: nam pro ſapientia a Deo tibi data, ex paucis iſtis plurima præoccupare poteris, confictamque accuſationem deprehendere.

6. Quod vero adtinet ad ſecundam calumniam, an Secunda calumnia Arianorum.
ſcilicet litteras Tyranno miſerim (nomen quippe ejus ne proferre quidem velim) tute, quæſo, ut volueris & per quos æquum cenſueris, rem inquiras ac dijudices: calumniæ enim atrocitas in ſtuporem me ingen-

* Sunt qui tabellas iſtas exiſtiment eſſe Synopſin Scripturæ ſacræ. Sed vide ſis quæ in Admonitione in Synopſin, ea de re diſputamus.

gentem, in magnamque caliginem conjicit. Crede mihi, religiosissime Imperator, id sæpe mecum perpendens, vix mihi persuadere valebam, quempiam eo insaniæ devenisse, ut rem ejusmodi comminisceretur. At quia id effutiebant Ariani, ac se exemplar epistolæ tradidisse jactitabant, vehementi sum horrore perfusus: insomnesque noctes ducens, cum obtrectatoribus concertabam, quasi tum illi coram fuissent: ac derepente ingentem edidi clamorem, statimque cum lacrymis ac gemitibus Dominum rogavi, ut propitiæ mihi forent aures tuæ. Quod cum sim divina gratia consequutus, rursum hæsito quodnam apologiæ initium faciam: nam quotiescumque loqui aggredior, obstat in me delati facinoris horror. Enimvero quod fratrem tuum spectat, aderat sycophantis aliquis saltem haud vero dissimilis obtentus; quod nempe dignatus ille sit nos ad conspectum admittere suum; quod pro nobis ad fraternum tuum affectum litteras miserit: quod præsentes sæpe nos honorarit, absentes acciverit. Diabolum autem Magnentium, testis mihi est Dominus, testis & Christus ejus, me prorsus ignorare, ac nullatenus nosse. Quænam igitur consuetudo ignoti cum sibi ignoto? aut quanam ductus occasione viro hujusmodi litteras misissem? Ecquod fecissem epistolæ ad talem virum mittendæ exordium? num illud? Probe fecisti eum occidendo qui me cum honore excipere solebat, & cujus beneficiorum numquam obliviscar: teque laudo quod viros nobis familiares, eosque Christianos, ac fidelissimos sustuleris. Te acceptissimum habeo, quod eos Romæ obtruncaris a quibus perhumaniter exceptus sui; beatam nempe materteram tuam re & nomine Eutropium, id est probis ornatam moribus, Abuteriumque ingenuum illum, necnon Sperantium fidelissimum, aliosque frugi homines permultos.

7. Annon furibundi est accusatoris, quod ejusmodi a me peractum facinus vel suspicetur? Quinam mihi apud scelestum illum fiduciæ locus? Ecquidnam in ejus animo securitatis adverterim? Num quod Dominum suum obtruncarit? quod erga amicos suos perfidus fuerit, juramenta violarit, erga Deum impius fuerit? quod contra Dei jussum veneficis incantatoribusque sit usus? Quanam conscientia salutem illi dixissem, cujus furor atque crudelitas, non me solum, sed & totum terrarum orbem summo affecit dolore? Magnam scilicet plurimamque illi gratiam habui, quod beatæ memoriæ fratrem tuum, qui ecclesias donis suis cumularat, muneraque miserat, jugularit. Qui homo, sane sceleratissimus, cum hæc ipsa conspiceret, nihil tamen est veritus: nec eum absterruit gratia beatæ memoriæ Viro in baptismate data: sed quasi dæmon quidam exitiosus, diabolicusque, furiose illum adortus est: quo factum est, ut faustæ Vir memoriæ martyrium sit consequutus. At ille deinceps quasi vinctus, velutque Cain gemens ac tremebundus undique pulsus est, ut Judam in morte imitatus, suique ipse carnifex effectus, duplici supplicio hic & in futuro judicio plecteretur.

8. Hujusmodi viro me calumniator amicum arbitratus est, aut forte nequaquam ita arbitratus; sed utpote inimicissimus rem illam quantumvis incredibilem commentus est, licet apprime norit se mentitum esse. Peroptarim sane ut ille homo, quisquis tandem sit, hic coram adesset, ut eum per ipsammet veritatem interrogarem (quæcumque enim quasi Deo præsente loquimur, hoc nobis Christianis juramenti loco est) uter nostrum de beatæ memoriæ Constantis incolumitate gauderet: uter impensius pro illo oraret: id sane vel priori in me delata criminatione declarari, ac nulli non planum esse arbitror. Quod si ut bene novit ipse sycophanta, absurdum esset cogitare hominem sic affectum ac beatæ memoriæ Constantis amantissimum, illius adversario amicum fuisse; certe qui alio ac nos animo affectus fuerit, vereor, ne quæ ipse, utpote Constanti inimicus, machinatus est, eadem mihi falso adfinxerit.

9. Equidem atrocitate calumniæ perculsus hæreo quid ad eam depellendam adferre debeam, ac me ipse ad sexcentas mortes damno, si vel minima hujusce rei in me cadat suspicio. Apud te autem, veri studiose Imperator, cum fiducia meam propugno causam: rogoque te, uti jam dixi, rem diligenter explores; cum potissimum testes habeas legatos, ad te olim ab illo missos; * Servatium scilicet & Maximum episcopos cum comitibus suis: Clementium item & Valentem. Disce, quæso, num litteras ad me detulerint: illæ quippe occasio mihi fuissent ad eum rescribendi. Quod si nec mihi ille scripsit, neque me novit, quare ad ignotum virum misissem litteras? Sciscitare an viso Clementio, beatæ memoriæ Viri mentionem non fecerim: an uti scriptum est, lacrymis meis vestimenta non perfuderim, dum humanitatem ejus, animamque illam Christi amantissimam in mente versarem. *Psal. 66.* Disce, quæso, quanta formidine perculsus sim, audita belluæ illius feritate, cum Valentem per Libyam iter habere conspicerem, veritus scilicet ne quidpiam ille facinoris aggrederetur, neu quasi latro illos obtruncaret, qui beatum Virum amore & memoria complecterentur: inter quos me nulli secundum affirmo.

10. Cum reformidarem itaque ne eo illi animo essent, an potui pro tua humanitate ferventius non orare? An parricidæ amicus, tibi vero occisi Constantis fratri, ac necis ultori, infestus fuerim? An mihi tam immane facinus cordi cum esset, tuæ erga me beneficentiæ oblitus sum; quam post beatæ memoriæ Viri obitum talem erga me fore, qualis illo superstite fuerat, litteris tuis mihi indicare dignatus es? Quibusnam oculis homicidam illum respexissem? Aut qui fieri queat ut cum pro tua salute vota facio, beatum illum me conspicere non putarim? Fratres quippe ob naturæ affinitatem mutua sunt specula. Quamobrem cum te in illo intuerer, nunquam possem te calumniis vellicare: illumque rursus cum in te conspicerem, nequaquam voluissem ad eum qui inimicus illi fuerat litteras mittere, sed potius pro tua salute Dominum precari. Horum mihi testes sunt, primo Dominus, qui exaudivit me, ac totum tibi a majoribus devolutum tradidit imperium; testes quoque qui tum

* Existimat Baronius ad annum 350. §. 28. hunc Sarvatium, seu Servatium Episcopum esse Tungrensem: quod sane est vero simillimum: unus quippe Servatius inter Galliæ episcopos legitur in subscriptionibus Sardicensibus Apologia contra Arianos, n. 50. quem opinamur hunc ipsum esse. Sequentem vero Maximum putat Baronius esse Maximinum Trevirensem: at præterquam quod nomen non omnino consentit; exstat in iisdem subscriptionibus inter Galliæ episcopos Maximus qui postremus ibi legitur: quique fortassis hic ipse est. Maximianus vero qui primus illic habetur, videtur esse Maximinus Trevirensis, qui cum Trevirorum Galliæ metropoleos Episcopus esset, eo nomine primas illic habeat. Hermantius porro in Athanasii vita lib. 6. c. 15. putat Paulinum qui Ursacii & Valentis ad Julium litteras Athanasio misisset, circa annum 350. fuisse ep. Trevirensem: unde colligit, jam eo tempore defunctum Maximinum Trevirensem fuisse. Sed in omnibus editis & mss. Athanasii, Apol. contra Arianos, legitur Τιβίων: vertitque Nannius, *Paulino episcopo Tyburis*, quem sequutus est Baronius. At Parisienses editores suo marte *episcopo Trevirensi posuerunt*. Vero sane similius est Tyburensem, quam Trevirensem episcopum litteras Julio Romano datas Athanasio transmisisse, licet res omnino explorata non sit, ut fateri videtur Hermantius ipse. In subscriptionibus Sardicensibus inter Italiæ episcopos, legitur quidam Paulianus, forte idem qui Paulinus.

tum aderant Felicissimus olim Dux Ægypti, Rufinus, & Stephanus, quorum ille Catholicus, hic Magister ibi erat: Asterius item Comes, Palladius qui fuit Palatii Magister, Antiochus & Evagrius, * Agentes in rebus. Hæc enim solum protuli: Oremus pro salute piissimi Augusti Constantii. Omnisque populus una voce statim acclamavit, Christe auxiliare Constantio: & hæc precando diu perseveravit.

11. Quod autem litteras nunquam vel ad illum miserim, vel ab eo acceperim, Deum & Verbum ejus unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum in testem advoco. Accusatorem, quæso, meum, concede, ut hac de re quoque paucis interrogem: undenam ad hujusce rei notitiam devenit? An epistolæ exemplaria se habere dixerit? hunc enim rumorem ut spargerent Ariani summopere conati sunt. Primo quidem litteras saltem nostris similes proferat. At nequaquam tutum illud fuerit, falsifici enim sunt, vestras quippe Imperatorum manus sæpe sunt imitati: unde similitudo illa scriptis auctoritatem minime dederit, nisi qui ejusmodi litteras scribere consueverunt, scripta testimonio suo comprobent. Libet rursum ex sycophantis sciscitari: quisnam illas dedit litteras, & undenam illæ sunt deprehensæ? Nam & mihi scriptores fuere, & Tyranno ministri, qui a tabellariis litteras acciperent, ipsique traderent. Adsunt nostri; & illos, quæso, arcessas, quos verisimile est adhuc esse superstites: ac de litteris illis sciscitare, ita rem inquiras, ac si tibi ipsa coram adesset veritas. Ille quippe Imperatorum, in primis Christianorum, est præsidium: illa comite vos imperare tutissimum est, cum divina Scriptura
[Prov. 20. 28.] dicat: *misericordia & veritas Regi custodia est: & circumdabit in justitia thronum ejus*. Hanc cum Zorobabel sapiens ille vir, ceteris anteferret, alios superavit: universusque populus in hanc vocem prorupit: *magna est veritas & prævalet*. [4. Esdræ. 4. 41.]

12. Si essem itaque apud alios delatus, tuam sane pietatem appellarem: quemadmodum tunc
[Act. 25. 11.] Apostolus Cæsarem appellavit, sedatæque sunt inimicorum ejus insidiæ; at quando apud te me ausi sunt insimulare, quem, amabo, alium a te
[Joan. 14. 6.] appellem, nisi patrem ejus qui dixit, *Ego sum veritas*; ut cor ille tuum ad clementiam vertat? Domine omnipotens, Rex seculorum, Pater Domini nostri Jesu Christi; tu per Verbum tuum hoc Imperium famulo tuo Constantio contulisti: illumina cor ejus, ut deprehensa calumnia adversum me structa, perhumaniter ille defensionem meam excipiat: omnibusque notum faciat aures suas esse in veritate firma-
[Prov. 19. 13.] tas. Et ut scriptum est: *sola labia justa*
[Prov. 25. 5.] *Regi accepta sunt*. Eo enim modo thronum Regni prosperum fieri per Salomonem nos docuisti. Quapropter sciscitare, quæso; discant accusatores tibi veritatis indagandæ esse curam. Et observa, num vel ipso vultus colore calumniam prodant: est enim illud
[Prov. 15. 13.] conscientiæ indicium, scriptum quippe est: *corde gaudente exhilaratur facies: dum autem in*
[Gen. 42. 21.] *mœrore est dejicitur*. Sic homines qui Josepho insidiati fuerant, ipsa conscientia prodidit: Labani
[Gen. 31. 5.] vero pravus in Jacobum animus ex vultu deprehensus est. Tute igitur cernis cum illorum trepidationem, quippe qui fugiant & latebras quærant, tum nostram in depellenda calumnia libertatem. Nulla jam de fortunis controversia est, sed de Ecclesiæ existimatione. Qui lapide percutitur quærit medicum: ictus calumniæ sunt lapidum ictibus acerbiores: *Clava est calumnia, & gladius & jaculum acutum*, ait Salomon: [Prov. 25. 18.] hisque sola veritas mederi potest: quæ si negligatur, graviora evadunt vulnera.

13. Hæc sane sunt quæ tantam rebus ubique terrarum ecclesiasticis adferunt perturbationem. Occasiones illi excogitarunt, hincque factum ut tot & tam grandævi episcopi, quod mecum communicarent, in exsilium sint acti. Quod si eo usque solum res processerit, bona spes esset, humanus rum sis. Ut autem malum non ulterius pervadat, veritas apud te vigeat. Ne quæso permittas, huic suspicioni, in grave totius Ecclesiæ dedecus, locum esse; quod scilicet Christiani viri, ac potissimum Episcopi, tam nefaria machinentur, ejusmodique res scribere nihil vereantur. Quod si graveris rem indagare, æquum sane fuerit ut nobis potius qui calumnias depellimus fidem habeas, quam calumniatoribus. Illi quippe pravo, utpote nobis inimici, animo hæc movent: nos vero nostri causa concertantes legitima adferimus argumenta. Per mihi mirum sane est, ubi nos cum metu ac reverentia scribimus, illos eo impudentiæ processisse, ut etiam apud Imperatorem mentiri ausint. Sed inquire, quæso, ad veritatem explorandam: & prout scriptum est: *scrutando* [Joel. 1. 7.] *scrutare* coram nobis, undenam isti hæc quæ dicunt acceperint: aut ubinam sint litteræ repertæ. Sed neque ex nostris quispiam convincetur, neque ex Tyranni ministris ullus hæc dixerit: res quippe merum est commentum. Ac forte nihil ulterius indagare par esset, quod ne illisquidem placeret, veritis scilicet ne earum scriptor litterarum necessarie deprehendatur. Is quippe solis sycophantis nullique alii notus est.

14. Quod autem mihi in crimen vertunt, in [Tertia* calumnia Arianorum.] magna Ecclesia habitam fuisse synaxin, priusquam completum ædificium esset: age, eam quoque apud tuam pietatem propulsabo criminationem; eo enim compellunt qui inimicissimo erga nos animo sunt. Ita se res habet, id fateor: ut enim hactenus nihil mendacii protuli, hoc jam non inficias ibo. Sed alio prorsus modo, quam criminantur illi, gesta res est. Bona, quæso, venia hæc dicam, nequaquam dedicationis diem festum celebravimus, Religiosissime Auguste: id namque ante jussum tuum agere nefas fuisset: neque consulto ad id animum appulimus. Nullus Episcopus, nullus fuit Clericus vocatus; ædificii quippe plurima deerant. Immo vero nulla prævie monitione synaxis coacta est; ut ne inde illi calumniandi occasionem aucupentur. At rem uti gesta est nullus ignorat: ausculta tamen, rogo te, pro tua mansuetudine & tolerantia. Festum quidem erat Paschatis: populique ingens aderat multitudo, tantaque Christianorum turba, quantam in singulis urbibus exstare Imperatores Christo addicti peroptare debeant. Cum igitur Ecclesiæ paucæ numero essent & angustissimæ, ingenti edito tumultu rogabant populi, ut in magna Ecclesia conventus ageretur: ibique omnes preces funderent pro tua salute. Sicque acta res est. Me contra hortante, ut rem tantisper differrent, & quolibet modo etiam cum compressione in aliis ecclesiis cœtus agerent, morem illi non gessere: imo parati erant ex urbe egredi, ut in desertis locis sub dio conventus celebrarent; satius ducentes itineris perferre laborem, quam cum mœrore festum peragere.

15. Nam crede mihi, Imperator, & hujus quoque rei testem accipe veritatem; in Quadragesimæ synaxibus, ob locorum angustiam, ingentemque populi frequentiam, pueri complures, nec paucæ juniores mulieres, multæ aniculæ, adolescentes plurimi, com-

* Hi erant Palatii officiales, quorum munus describitur in Codice Theodosiano a Jacobo Gothofredo illustrato. VI. Cod. Tit.

compressi, domum delati sunt: Deo tamen dante extinctus nullus est. Sed universi haud sine murmuratione postularunt ut in magna Ecclesia conveniretur. Quod si diebus festum præcedentibus tanta fuerit compressio, quid in ipso die festo futurum erat? Sane iis acerbiora contigissent. At non decebat pro gaudio mœrorem, pro lætitia luctum, pro festo die fletum populis oboriri: cum maxime non ignorarem Patrum mihi exempla suppetere. Beatæ quippe vir memoriæ Alexander ob aliorum locorum angustiam, dum ipse ecclesiam, quæ omnium maxima tunc putabatur, Theonæ dictam, exstrueret; in ea tamen ob populi frequentiam conventus egit, neque interim ob populi conventum ædificii constructionem intermittebat. Rem similem Treviris & Aquileiæ factam vidi: ubi item ob populorum frequentiam, dum templa exstruerentur, in illis nihilominus conventus agebantur: nullusque tamen exstitit qui factum hujusmodi in crimen vocaret. Quinetiam beatæ vir memoriæ frater tuus, hujusmodi conventui Aquileiæ cum aliis interfuit. Idipsum me egisse fateor, ita tamen ut non dedicatio, sed synaxis ad orandum celebrata sit. Perspectum itaque habeo te utpote pium, populorum alacritatem approbare, mihique veniam concedere, quod tam multi populi precibus non obstiterim.

16. Ego vero peroptarim hoc etiam ex sycophanta sciscitari: ubinam populum orare æquum fuit, in desertisne locis, an in orationis loco, etiam dum exstrueretur? Ubinam sanctius condecentiusque populus responderet, amen; in desertis, an in templo quod jam appellabatur Dominicum? Quonam in loco malles, religiosissime Imperator, populum manus extendere ac pro te orare? illicne ubi pertranseuntes Gentiles gradum sisterent; an in loco cui jam tuum inditum est nomen: quem nunc, imo a jactis fundamentis Dominicum omnes vocant? Certum sane habeo te tuum anteferre locum: subrides enim, ac subridendo assensum significas. Sed ait obtrectator, in ecclesiis illud actum oportuit. At omnes omnino, uti jam dictum est, pro populi frequentia erant angustiores. Deinde quo pacto Dominum precari decuit, quidve satius fuit; separatimne populum cum periculosa compressione convenire, an in loco qui totius multitudinis jam capax esset; ut una illic eademque populorum vox cum consonantia audiretur? Præstabat certe istud, hinc enim multitudinis unanimitatem cernere erat, hincque Deus est ad exaudiendum promtior. Si nam-
Matth. 18. 2. que juxta ipsius Salvatoris promissionem, duobus ob quamlibet causam convenientibus, quodcumque petierint dabitur illis: quid si tanti populi convenientis una vox proferatur, qua Deo dicunt, Amen? Cuinam hoc ipsum non admirationi fuit? Quis te beatum non prædicavit, cum tantam populi frequentiam uno in loco coactam cerneret? Ecquod illud populorum gaudium, qui cum hactenus in sejunctis locis convenissent, mutuo jam conspectu fruerentur? Id omnibus lætitiæ causa fuit, soli sycophantæ, mœroris.

17. Restat ut alteri ejus objectioni quæ adhuc superest occurram. Siquidem ajet forte obtrectator ille: ædificio nondum completo, haud licuit illic
Matth. 6. 6. orationes fundere. At Dominus ait: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & claude ostium.* Quid ergo dixerit calumniator? Imo potius, quid prudentes ac veri Christiani dixerint? Hos interroga,
Esai. 32. 6. Imperator: nam de illis quidem scriptum est: *Stul-*
Tob. 4. *tus stulta loquetur:* de his vero, *ab omni sapiente consilium accipe*. Cum tam angustæ ecclesiæ, cum tanta esset populi frequentia, ut ad deserta loca proficisci pararent; quid facto opus erat? Solitudo absque januis, ac quibusvis volentibus pervia; Dominicus autem locus muris cinctus est, januisque clausus: adestque illic conspicuum pios inter prophanosque discrimen. Nonne, Imperator, quivis sapiens cum tua Pietate hoc eligendum annuit? Quippe norunt hic legitimam esse orationem, illic inconditæ turbæ suspicionem: nisi forte deficientibus locis, solitudinem ii dumtaxat qui orant, incolant, ut Israelitis contigit: immo vero illis quoque exstructo tabernaculo, locus orationis circumscriptus in posterum fuit. O Domine, ac vere Rex regum Christe, Fili Dei unigenite, Verbum & Sapientia Patris, in crimen ecce vocor, quod clementiam tuam populus deprecatus sit, ac per te Patrem tuum, qui est super omnia Deus, obsecrarit, pro salute famuli tui piissimi Constantii. Sed tuæ bonitati gratias ago, quod mihi vitio vertatur legum tuarum observatio. Graviori enim criminationi ansam dedissem, ac fuisset legitima accusandi causa, si loco, quem Imperator exstruxerat prætermisso, eremum ad orandum petiissemus. Quam multum accusator tunc deblaterasset! quam fide dignus visus fuisset dicendo: Locum tuum contemsit: opus non probat tuum: derisit prætereundo: desertum indicavit quod loci necessitati suppleret: populos orandi cupidos impedivit. Hæc ut sibi dicenda suppeterent peroptabat inquirebatque: quod cum assequutus non sit, mœrore affectus criminationes deinceps comminiscitur. Et sane si illa dicere posset, pudore me suffunderet, ut me jam injuria afficit, cum diaboli mores imitatus, eos qui vacant orationi observat: Danielis quip- Dan. c. 6.
pe historiam legendo spe falsus est: putavit enim ignarus ille, Babyloniorum mores apud te vigere, neque novit esse te beati Danielis studiosissimum, ac eumdem quem ille Deum adorare nec impedire, imo potius summopere optare ut omnes orationi incumbant: cum scias omnium orationes & vota ea esse, ut incolumis & cum pace perpetuo imperes.

18. Equidem hæc adversus obtrectatorem conqueror. Tu vero, religiosissime Auguste, utinam multis annorum circulis vixeris, ac dedicationis solemnia celebraveris. Nam certe preces ab omnibus pro tua salute fusæ, nihil obstant Dedicationis celebritati. Ne talia imperiti illi homines mendacia proferant: sed a Patribus id ediscant, Scripturasque evolvant, vel potius a te ipso litterarum studiosissimo edoceantur: Jesum scilicet sacerdotem Josedeci filium & fratres ejus, Zorobabelem filium Salathielis sapientem illum virum, Esdram item sacerdotem & Legis 1. Esdr. c. 3.
scribam, cum Templum post captivitatem ædificaretur, instaretque Scenopegia, id est festum Tabernaculorum; magna solennitas, in qua orationes publicæ in Israel offerebantur; populum in latiori vestibulo primi ostii versus Orientem siti, unanimi sententia congregarunt, dispositoque Domini altari, illic obtulerunt: eodemque in loco completa celebritas est. Eo item modo in posterum hostias in Sabbato & Neomenia solitas offerebant, populusque Dominum precabatur. Testaturque palam Scriptura nondum exstructo Dei templo hæc acta fuisse: imo potius illis ita orantibus exstruebatur domus, accrescebatque in dies; ita ut nec propter Encæniorum exspectationem intermissæ orationes: neque propter conventus orantium Encænia sublata sint: sed licet antea illic populus orasset; nihilominus post absolutum ædificium celebrata dedicatio est, donaque pro illa offerentes, omnes pro consummatione operis solennitatem egerunt. Idi-

ipsum

psum a beatæ memoriæ Alexandro & ab aliis Patribus factum vidimus, qui cum jam illic populum coegissent, consummato tameo opere, gratias Domino egeruot, ac dedicationem celebrarunt. Id te quoque facere convenit, paratus enim locus, præmissisque orationibus expiatus, tuæ Pietatis præsentiam postulat: id enim illi ad perfectum ornatum deest. Hoc utinam expleas, ac vota tua Domino reddas, cui hanc domum excitasti: hæc quippe omnium vota sunt.

Quarta calumnia.

19. Verum, quæso te, aliam disquiramus calumniam, ejus quoque propulsandæ veniam concedito. Ausi sunt enim me calumniari, quasi mandatis tuis, quibus jussum ajunt ut ecclesia excederem, non obtemperarim. Equidem noo possum non mirari eos minime defatigari in confingendis criminibus: nec sic tamen ego deterreor, imo potius lætor io ea depellenda criminatione: quanto eoim plures edam apologias, tanto facilius eorum malignitas deprehendi damnarique poterit. Nequaquam obstiti pietatis tuæ mandato, absit: non tanti quippe sum ego ut obsistam vel Quæstori Urbis, nedum tanto Imperatori. Neque opus ut hac de re multa verba faciam, testis quippe mihi est tota civitas. Concede tamen ut ab initio rem uti gesta est enarrem: nam te, si audieris, miraturum arbitror inimicorum meorum temeritatem.

Venit Montanus sub finem anni 353.

Montanus Palatinus epistolam ad me detulit, quasi ego a te scripto postulassem ut in Italiam mihi concedere liceret; ut quæ rebar ecclesiasticis rebus deficere instaurari possent. Et sane gratias ago Pietati tuæ, quod litteris quas a me profectas arbitratus es perhumaniter annueris, curamque gesseris ut commode ac sine labore iter instituerem, ad teque pervenirem. At certe miror rursum, quod vel ad aures tuas mentiri nihil sint veriti, cum tamen mendacium diabolo sit proprium, mendacesque ab eo alieni sint qui ait: *Ego sum veritas*. Noo enim scripsi, nec istiusmodi epistolam accusator unquam proferre poterit.

Joan. 14. 6.

Ac etsi par mihi fuisset litteris a te quotidie postulare, ut benignum vultum tuum conspicere liceret; verumtamen nec fas est ecclesias deserere, nec me decuit pietati tuæ molestum esse, cum potissimum, nobis etiam absentibus, soleas ecclesiasticis petitionibus annuere. At quæ * Montanus jussit, me recitare jubeto, nam hæc ipsa sunt. * * * * * *

20. Sed undeoam ejusmodi epistolam nacti sunt obtrectatores mei? nosse velim quisnam ipsis eam tradidit. Jube, quæso, ut respondeant: hinc enim edisces ipsos hanc commentos esse criminationem; quemadmodum illam quæ spectat exsecrandum Magnentium falso pervulgarunt. Quod si in hoc quoque sycophantæ deprehendantur, ad quam in posterum nos pertrahent defensionem? Hoc curant enim: hoc, uti perspectum habeo, moliuntur, ut omnia moveant & perturbent. Fortasse plurimis te verbis adversum nos exasperant: sed ejusmodi viros aversari, & odio habere æquum est, quod quales ipsi sunt, tales existiment eos qui se auscultaot, suasque calumnias etiam apud te valere posse arbitrentur. Olim certe cootra Sacerdotes Dei, Doegi calumnia vim habuit; sed Saul erat qui aurem præbuit vir sane iniquus. Et Jezabel calumniis suis religiosissimum Naboth lædere potuit; sed Achab erat, scelestus ille & apostata, qui uxori morem gessit. Sanctissimus autem David, cujus te, ut omnes peroptant, imitatorem esse convenit, hujusmodi viros non admittit, sed quasi canes rabidos aversabatur, dicens: *detrabentem secreto proximo suo, hunc persequebar.* Præceptum quippe illud observavit: *vanum rumorem non admittes*. In cassum certe illi apud te mendacia loquuntur, qui velut Salomon a Domino postularis, quod te accepisse credas; ut nimirum verbum vanum & mendax longe sit a te, uti par est.

1. Reg. 22. 9.

3. Reg. 21.

Psal. 100. 5.

Exod. 23. 1.

Prov. 30. 8.

21. Quapropter cum sola calumniatorum opera data fuisset epistola, nec me ipsa juberet ad te proficisci; perspectum sane habui eam non esse Pietatis tuæ voluntatem ut te coovenirem. Etenim cum non omnino jusseris ut accederem, sed ita scripseris quasi id ego a te litteris postulassem, ut quæ deficere videbantur instaurare liceret; palam fuit (nemine licet indicante) perlatam ad me epistolam non e sententia mansuetudinis tuę fuisse scriptam. Hoc nulli notum non est: hoc scripto indicavi: ac novit ipse Montanus non recusasse me ad te accedere; sed ita accedere, ac si ego litteris meis proficiscendi licentiam postulassem, certe id non decere arbitratus sum, ne hinc occasionem iterum captarent sycophantæ, quasi Religioni tuæ molestus fuissem. Et sane jam me viæ committere parabam, ut ipse novit Mootanus; ut si ad me scribere tibi placuisset, iter quamprimum instituerem: promtoque animo jussum tuum anteverterem. Nequaquam enim eo insaniæ deveneram, ut hujusmodi præcepto tuo repugnarem. Cum nullas itaque ad me litteras miserit Pietas tua, qui repugnarim cum nihil jussum fuerit? Aut quomodo me non obsequutum affirmant, cum nullum fuerit mandatum? Quid aliud illud est quam mera sycophantia adversariorum meorum, qui quæ gesta non sunt, gesta comminiscuntur? Vereor sane etiam si causam meam propugnarim, ne deblaterent ipsi, quasi non sim eam propugnare dignatus: usque adeo sum eorum criminationibus idoneus, illique ad calumniandum parati: adeo ut Scripturam nihili faciant, quæ ait, *ne ames obloqui ne evellaris*.

Prov. 20. 13.

Initio anni 356.

22. Cum profectus itaque Montanus esset; accessit post sex & viginti menses Diogenes Notarius: qui ne ipse quoque epistolam tradidit, neque in mutuum venimus conspectum; nec quidpiam a te jussum mihi ille significavit. Imo cum Syrianus Dux exercitus Alexandriam ingressus est, Arianis rumores quosdam spargentibus, ac se arbitratu suo acturos denuntiantibus; sciscitabar ex eo, num eas quas illi jactitabant litteras haberet: fateor quippe me jussionis tuæ litteras postulasse. Cum autem se non habere dixisset, rogavi ut vel ipse Syrianus, vel Maximus Præfectus Ægypti hoc mihi jussum scripto traderent. Hoc autem ideo postulavi, quod tua mihi humanitas scripsisset, ut a nullo turbarer, neque iis qui me terrere vellent attenderem: sed in ecclesiis degerem citra ullum metum vel solicitudinem. Qui autem eam epistolam detulere, suot Palladius olim Palatii Magister, & Asterius qui fuit Dux Armeniæ. Exemplar autem epistolæ ot perlegam concede, sic enim babet.

23. Exemplar epistolæ quod sic habet.

* Epistola Montani de qua hic, forte excidit, vel quod vero similius est ab Athanasio nunquam huc adjecta fuit; nam cum coram Constantio sui purgandi causa esset oraturus; potuit hujus epistolæ exemplar ab Apologia sejunctum deferre, ut Constantio perlegeret. Alias quid causæ esset quod omissa fuisset?

CONSTANTIUS VICTOR

Augustus, Athanasio.

* Optasse me semper ut omnia fausta defuncto fratri meo Constanti acciderent, prudentiæ tuæ latere non arbitror. Quem cum sceleratissimorum virorum dolo sublatum cognovissem, quo mœrore affectus sim, facile vestra prudentia judicaverit. Verum quia hoc tempore nonnulli, te tam luctuoso negotiorum decursu terrere conantur; has litteras ad tuam Reverentiam mittendas existimavi. Hortorque te, ut, quemadmodum episcopum decet, populum doceas ad legitimam convenire religionem, & cum illo de more orationibus incumbas: id enim nobis placet. Nam quod spectat sententiam nostram, te omni tempore in tuis sedibus episcopum esse volumus.

Et alia manu: Divinitas servet te plurimis annis, Pater dilectissime.

24. De hac epistola illi quidem cum judicibus verba fecere. Ego vero cum epistolam haberem ejusmodi, nonne jure litteras postulavi, nec temere eorum machinationibus adhibui animum? Illi autem cum jussa tuæ Pietatis nequaquam proferrent; nonne plane contra hujus epistolæ sententiam agebant? Equidem cum litteras illi non darent, haud simile vero putabam verba sine litteris ad me transmitti: hujusmodi quippe verbis ne animum adhiberem litteris suis jusserat tua humanitas. Jure igitur illud egi, religiosissime Auguste: ut sicut cum epistolis ingressus sum in patriam, sic ex mandato tuo ab illa discederem: ne utpote qui ab Ecclesia aufugissem, in judicium aliquando vocarer: sed jussus, profectionis causam proferre possem. Hoc ipsum omnes populi cum presbyteris, & cum illis maxima civitatis pars, ne quid amplius dicam, Syrianum adeuntes postulabant: illicque tum aderat Ægypti Præfectus Maximus. Hoc autem impense rogabant, ut vel scriberentur mitterenturque ad me litteræ, vel non amplius illi ecclesias conturbarent, donec ipsi populi hac de re legatos ad te misissent. Cum igitur vehementer instarent, perspectum habens Syrianus quam æqua esset postulatio, tuam salutem contestatus pollicitus est, præsente tunc Hilario, se nihil amplius conturbaturum, sed rem ad tuam religionem delaturum. Hoc item probe norunt cohors Ducis, cohors item Præfecti Ægypti. Præfectus autem Urbis hoc monumentum apud se reservat, unde exploratum habeas nec me, nec alium quempiam jussis obstitisse tuis.

25. Rogabant igitur omnes ut proferrentur tuæ Pietatis litteræ. Etenim licet sola Imperatoris verba, eadem qua scripta ejus sint auctoritate, ubi maxime qui illa defert rem jussam scripto tradere audet; at cum illi neque aperte dicerent jussum illud fuisse, neque, ut rogabant, jussionem describere vellent, sed omnia agerent quasi suo nomine; fateor, & hoc cum fiducia dico, me illos suspectos habuisse. Multi quippe ipsis aderant Ariani comites, quibuscum una epulabantur & consilia inibant: nihilque palam & cum fiducia agebant; sed adversum me insidias machinabantur & dolos. Nihil egerunt quasi ex Imperatoris placito: sed ut ex eorum gestis deprehendere licuit, ea solum quæ adversarii nostri postularent, quæ mihi potissima causa fuit litteras ab illis postulandi; suspecta quippe mihi erant eorum molimina atque consilia. Neque decebat me qui cum tot litteris in patriam rediissem, absque litteris ab Ecclesia discedere. ** Syriano itaque fidem dante, populi omnes cum gaudio in ecclesiis conventus agebant, omni deposito metu ac suspicione. Sed post dies tres & viginti a data fide cum militibus ille in Ecclesiam irrumpit, nobis de more orantibus, quod etiam viderunt ii qui in Ecclesiam ingressi sunt, sequentis quippe synaxeos tunc pervigilium celebrabatur. Illa autem nocte ea gesta sunt quæ Arianis placuere, quæque illi antequam evenirent futura prænuntiarant, iis enim stipatus accessit Dux exercitus: erantque illi præfecti & auctores illius invasionis. Quod sane incredibile non est, religiosissime Auguste, cum ipsi minime latuerint, sed undique vulgata res sit. Ego itaque perspecta ejusmodi invasione, populosque ut discederent prius hortatus; post illos demum Deo occultante ac ducente, ut ab omnibus qui mecum aderant conspectum est, isthinc me proripui, exindeque occultus mansi, fiduciam, meique purgandi locum habens, primo apud Deum, deinde apud tuam pietatem: cum non ut populos desererem aufugerim: sed testem persequutionis habeam ipsam Ducis irruptionem: quod omnes vehementer mirati sunt. Oportuit quippe illum aut fidem non dedisse, aut datam non fallere.

26. Quorsum igitur hoc eorum consilium? Aut quid causæ est quod dolis insidiisque nos adorti sunt, quibus & jubendi & jussionem scripto tradendi facultas esset? Imperatoris enim jussio magnam præbet confidentiam. Sed quod ipsi clam rem agere optarent, illud sane suspicionem augebat, ipsos a te nullum accepisse mandatum. Quid absurdi postulabam, veri studiosissime Imperator? Quis non fateatur hanc petitionem Episcopo esse consentaneam? cum Scripturas legeris, nosti quantum sit illud criminis, Episcopum ecclesiam suam deserere, Deique ovilia non curare: Pastorum enim absentia gregis invadendi occasionem lupis præbet. *Episcopo non licet Ecclesiam deserere.* Hoc autem quærebant Ariani, & alii omnes hæretici, ut absentibus nobis locum opportunitatemque nacti, populum ad impietatem deducerent. Si ergo fugissem, qualem apud veros episcopos; imo potius apud eum qui mihi gregem crediderat attulissem excusationem? Est autem ille, qui judicat omnem terram, verus universorum Rex & Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei. Annon merito mihi populorum incuria imputanda fuisset? Nonne me tua ipsa pietas jure objurgasset his verbis: quare cum litteris reversus ingressusque, absque litteris abscessisti, ac populos deseruisti? Nonne ipse populus, haud injuria, in die judicii, sui incuriam in me conjecisset, dicens: is qui apud nos episcopi munere fungebatur aufugit, nosque interim neglectui habemur, nullus cum sit qui recta moneat. Quid, quæso, talia loquentibus responderem? Hæc illa est Ezechielis expostulatio cum priscis illis pastoribus. *Ezech. 34. 2.* Id cum probe nosset Beatus Apostolus Paulus, unicuique nostrum per Discipulum

* Hæc Constantii epistola habetur quoque in Epist. ad Solitarios, sed non iisdem verbis. A Constantio enim latine scripta, bis Græce versa est ab Athanasio: cujus prima hæc est versio: secunda vero in Epistola ad Solit. legitur.

Ait Lucifer Calaritanus lib. 2. pro sancto Athanasio p. 232. Constantium litteris suis jurasse Alexandrinis, se nihil deinceps mali facturum Athanasio.

** Historia hæc enarratur item in Apologia sequenti.

1. Tim.4.14. lum suum hoc tradit præceptum: *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi, cum impositione manuum presbyterii*. Idipsum cum reformidarem, fugere nolebam, sed tuam expectabam jussionem; si tamen illud fuisset Pietatis tuæ placitum. At nequaquam id quod juste a me postulatum est, accepi: jamque apud te falso sum delatus, nam Pietatis tuæ mandato minime repugnavi: neque Alexandriam ingredi conabor donec humanitati tuæ id placuerit. Hoc mature denuntio, ne hinc rursum sycophantæ occasionem captent nos insimulandi.

27. Hæc cum mecum perpenderem, in culpa me esse non arbitrabar: sed cum hac Apologia mea ad tuam Pietatem properabam, tuam compertam habens clementiam, memorque tuarum certissimæ fidei promissionum, confidens item huic divinorum
Prov.26.13. proverbiorum sententiæ: *apud benignum Regem accepti sunt justi sermones*. Jam me iter instituente, relictaque eremo, fama quædam derepente percrebuit: quæ initio quidem supra fidem visa, post vera deprehensa est. Rumor undique pervagabatur, Liberium Romanum episcopum, magnumque illum Hosium in Hispaniis episcopum, Paulinum Galliarum, Dionysium quoque & Eusebium Italiæ, Luciferum Sardiniæ, & alios quosdam Episcopos, Presbyteros & Diaconos, quod adversum nos subscribere renuissent, in exsilium missos. Vincentium vero Capuanum, Fortunatianum Aquilejensem, Heremium Thessalonicensem, omnesque Occidentales Episcopos, vi non minima, imo maxima violentia, gravibusque injuriis adfectos esse, donec pollicerentur se in posterum nobiscum non communicaturos. Hinc nobis stupentibus, ac ea de causa hæsitantibus, altera ecce fama perlabitur, eos scilicet qui in Ægypto & Libya essent, * episcopos prope nonaginta persequutionem passos: Ecclesias Arii sequacibus traditas: in exsilium pulsos sedecim episcopos: alios vel sponte aufugisse, vel ad simulandum adactos esse. Tantam enim illic persequutionem fuisse narrabant, ut dum Alexandrini fratres in Paschali solennitate & Dominicis, in loco deserto prope cœmeterium orationi incumberent, Dux cum magna manu plus quam trium millium militum, arma, districtos gladios, telaque ferentium, in Christianos irruperit: ac postea talia illic perpetrata facinora fuisse, qualia solent in ejusmodi invasione: eaque contra mulieres & parvulos gesta, qui nihil aliud mali admisissent, quam quod Deum precarentur. Hæc nunc enarrare forte non decet; ne sola horum memoria omnibus lacrymas moveat. Tanta quippe illa fuit immanitas, ut virgines ipsæ nudarentur, corpora autem eorum qui vi plagarum exstincti fuerant, non statim ad sepulturam traderentur, sed foris canibus projicerentur, donec cum ingenti periculo cognati suorum corpora clam subducerent: qui haud sine magno labore curarunt, ne cuipiam nota res esset.

28. Reliqua autem flagitia ejusmodi sunt ut incredibilia forte videantur, omnibusque ob facinorum atrocitatem stuporem adferant. Necesse tamen est ea enarrare, ut tua Christo addicta cura religioque discat, criminationes calumniasque non alio spectare, quam ut nos ex ecclesiis deturbent, suamque impietatem introducere valeant. Nam postquam veri & grandævi episcopi, alii in exsilium pulsi, alii in fugam versi essent, Ethnici deinceps, Catechumeni, & qui primas in senatu sedes occuparent, ac qui divitiarum fama celebres essent, Christianorum vice, jubentur piam ab Arianis fidem ediscere. Nec ultra, juxta Apostoli præceptum, quærebatur, num quis *irreprehensibilis* esset. Sed, 1. Tim.3.2.
more impiissimi Jeroboami, qui plus auri penderet 3. Reg.12.31.
is nominabatur episcopus. Nihil curabant impii, si vel Ethnicus ille esset, aurum modo daret. Pulsi itaque sunt qui Episcopi ** ab Alexandro ordinati fuerant, Monachi & Ascetæ. Illi autem, callidi sane calumniarum artifices, Apostolicam constitutionem quantum licuit violarunt, Ecclesiasque contaminavere. Idque suis effecere calumniis, ut vel ipsis tuis temporibus leges violare, atque ejusmodi facinora admittere facultas esset: ut eos spectare videatur illud Scripturæ dictum: *Væ per quos* Rom.2.24.
nomen meum blasphematur in gentibus.

29. Itaque hi cum rumores essent, ac sus deque omnia abirent, ne sic quidem meam minui alacritatem, sed pergebam ad tuam Pietatem: eoque diligentius quo confiderem ea præter Pietatis tuæ sententiam perpetrari: atque ubi res gestæ humanitati tuæ compertæ forent, te ne in posterum ea fierent curaturum: ratus nequaquam id religiosi esse Imperatoris, ut Episcopos exulare, Virgines nudari, aut ullo modo ecclesias turbari patiatur. Sed hæc nobis animo versantibus, atque iter peragere festinantibus, ecce tertio quidam increbuit rumor, litteras Auxumeos Tyrannis esse datas, ut curarent Frumentium Auxumeos Episcopum illinc abduci: me quoque perquirerent usque ad Barbarorum terras, & ad præfectorum Commentaria, ut vocant, transmitterent: populos ac Clericos omnes adigerent ad communicandum cum Ariana hæresi: si qui non morem gererent, illos interficiendos satagerent. Ut autem palam sit, hanc famam, non verbo tantum, sed rebus gestis comprobatam esse; cum bona humanitatis tuæ venia, en ipsam profero epistolam, quam illi necem unicuique interminantes frequenter lectitarunt.

30. Exemplar Epistolæ.

VICTOR CONSTANTIUS

Maximus Augustus, Alexandrinis.

URBS quidem vestra, patrio more, non immemor virtutis conditorum suorum, se obsequentem, uti solebat, etiamnum exhibuit. Nos vero nisi ipsum Alexandrum benevolentia in vestram urbem superaremus, non mediocriter nobis peccare videremur. Sicut enim temperantiæ proprium est, se modestum in omnibus præbere: sic Imperatoriæ dignitatis est, virtutem (sinite quæso dicere) maxime omnium vestram amplecti: quod primi sapientiæ magistros constitueritis: primi Deum qui est agnoveritis: qui Magistros longe præstantissimos elegistis, decretum nostrum libenter excepistis; & ab deceptore quidem illo & impostore jure aversi, iis qui supra miraculum venerabiles & ornati erant, ut decuit, adhæsistis. Quis enim vel extremi orbis incola contentiosam in rebus nuper gestis simultatem ignoraverit? quibus, nescio quid ex iis quæ umquam contigerint, com-

* Hæc enarrantur etiam in sequenti Apologia: sedecimque illi episcopi exules nominantur.

** Forte sic intelligatur: qui a tempore Alexandri episcopi erant.

comparari poſſit. Siquidem plerique in urbe cæcutiebant: prævalebat vir ex infimis barathris emerſus, qui velut in tenebris, veritatis cupidos ad mendacium abducens, ſermonem quidem ſructuoſum ounquam tribuebat, ſed præſtigiis temere animas corrumpebat. Aſſentatores quidem acclamare, applaudere, obſtupefieri: quos etiamnum veriſimile eſt ſub dentibus muſſitare. Plurimique e ſimplicioribus, ipſis conſentiebant. Res autem fluxu quodam ferebantur quaſi in diluvio, cum omnes id prorſus negligereot. Præerat autem vir e turba (quid verius dicere poſſim) qui nihil a ſellulariis differebat, quique in hoc ſolum civitati opem ferebat, quod cives ejus in barathra noo impelleret. Sed generoſus & præclarus ille vir judicium de ſe ſerendum non expectavit: ſed in hac cauſa exiſtimavit ſibi fuga conſulendum: quem e medio tolli e re Barbarorum ipſorum eſt: ne quibuſdam eorum impietatem ſuadeat, dum quaſi in ſcena apud primum occurrentes vicem ſuam dolet. Ille igitur ſaceſſere jubeatur. Me autem convenit, vos cum paucis ſociare; quin & ſolos præ aliis honorare quibus tanta virtus, tanta mens ineſt, quantam res geſtæ prædicant, quæ per univerſum fere orbem celebrantur. Macte prudentiam! Quod ſi denuo tot nuncios audierim qui res a vobis geſtas enarrent & laudibus celebreot: O qui majores veſtros virtutis ſtudio longe ſuperatis, quique coævis & poſteris præclarum exemplum futuri eſtis! ſoli enim in morum, verborum & operum ducem, præſtantiſſimum virorum cooptaſtis. A Nec tantillum quidem temporis hæſitantes, viriliter mutata ſenteotia, reliquo cœtui vos ſociaſtis: & ab infimis iſtis & terrenis vos erexiſtis ad cæleſtia, anteſignano uſi præſtantiſſimo Georgio, viro in hujuſmodi rebus omnium mortaliom exercitatiſſimo: cujus opera in ſuturo cum bona ſpe degetis; & in præſenti tranquillam agetis vitam. Utioam omnes ſimul qui in iſta urbe degunt, ab ejus voce, tanquam a ſacra anchora, pendeant: ne ſectionibus & aduſtionibus indigeamus, adverſus eos quorum animæ corruptæ ſunt: quos ſummopere hortamur ut a ſtudio erga Athanaſium abſiſtant, nec recor- B dentur ſuperfluæ illius garrulitatis, aut ſero animadvertent ſe in extremis verſari periculis: ex quibus neſcimus an quis ex graviſſimis viris ſeditioſos eripiet. Abſurdum quippe eſt, perditiſſimum Athanaſium, in turpiſſimis ſceleribus deprehenſum, a regione in regionem expelli, ut aliquando debitum ſupplicium luat: ſi tamen id præſtari poſſit, etiamſi quis illum decies occidat: aſſentatores autem ejus & miniſtros, præſtigiatores, taleſque homines, ut eos vel nominare turpe ſit, exultantes negligere: quos occidi jamdiu judicibus præceptum eſt. Et fortaſſe morituri non ſunt, ſi a prioribus delictis ſero tandem re- C ſipiſcant. Quibus ſceleratiſſimus Athanaſius ſe ducem præbuit, nam & rem publicam labefactavit, ac ſanctiſſimis viris impias & neſarias manus intulit.

31. De * Frumentio autem Auxumis epiſcopo, hæc ad ejuſdem urbis Tyrannos ſcripta ſunt.

VICTOR CONSTANTIUS

Maximus Auguſtus, Æzanæ & Sazanæ.

MAXIMÆ nobis curæ ac ſtudio eſt, ut Deus cognoſcatur; hoc in negotio enim arbitror, parem pro communi hominum genere ſollicitudinem gerendam eſſe, ut ad Dei notitiam deducti, vitam cum ſpe tranſigant, in nulloque diſcrepent circa juſti ac veri diſquiſitionem. Cum tali igitur vos providentia dignos habeamus, pariaque vobis & Romanis præbeamus, unam eamdemque doctrinam apud utroſque in Eccleſiis vigere præcipimus. Quare Frumentium Epiſcopum quamprimum mittite in Ægyptum, apud honoratiſſimum Georgium epiſcopum & alios Ægypti epiſcopos, quibus io primis ordinandi, ac ejuſmodi res dijudicandi auctoritas ineſt. Noſtis enim & meminiſtis, oiſi quæ apud omnes in coofeſſo ſunt, ſoli ignorare ſimuletis, Frumeotium in huoc vitæ gradum promotum eſſe ab Athanaſio ſexcentis criminibus obnoxio; qui cum nullam e ſibi illatis accuſationibus probe diluere potuiſſet, ſtatim quidem cathedra excidit: ac cum nullibi vivendi locum reperiat, errabundus ab alia in aliam regionem vagatur, quaſi eo pacto ſe malum eſſe effugere poſſit. Si igitur ſponte Frumentius obtemperet, univerſi rerum ſtatus rationes redditurus; compertum omnibus erit eum ab Eccleſiæ legibus, & a fide quæ jam obtinet, nullatenus diſcrepare: cumque judicatus fuerit, totiuſque vitæ ſuæ experimentum dederit, ejuſque rationem apud eos reddiderit ad quos pertinet hujuſmodi negotia judicare, ab eis conſtituetur: ſi tamen verus Epiſcopus juxtaque leges ordinatus haberi velit. Quod ſi procraſtinaverit, ac judicium ſubterfugerit, palam certe erit ipſum ſceleſtiſſimi Athanaſii ſermonibus ſeductum impie de D Deo ſentire, ita nempe affectum ut ille affectus declaratus eſt, ſceleſtus cum ſit. Verendumque eſt ne Auxumim profectus, veſtrates neſariis & impiis ſermonibus corrumpat: nec ſolum eccleſias conſundat & turbet, in Deumque blaſphemet, ſed etiam ſingulis nationibus hinc vaſtationis & excidii auctor ſit. Certum quippe habeo ipſum Frumentium non pauca edoctum, magnamque in publicum bonum utilitatem conſequutum, venerabiliſſimi ſcilicet Georgii conſortio, necnon reliquorum qui in iis docendis apprime verſati ſunt, ad ſuas ſedes reverſurum, in omnibus eccleſiaſticis rebus apprime eruditum. E Deus vos cuſtodiat, fratres honoratiſſimi.

32. His auditis & propemodum perſpectis, per ea quæ nuntii fuſis lacrymis enarrabant, fateor me in eremum retuliſſe pedem, id animo perpendens, quod tuæ quoque religioni perſpectum arbitror, ſi nos quæreremur, ut deprehenſi adduceremur ad præfectos, fore illud impedimentum ne tuam adiremus benignitatem. Nam ſi ii qui adverſum nos ſubſcribere recuſarunt tot tantiſque malis ſunt affecti: ſi laici qui cum Arianis communicare noluerunt capitis damnati ſunt; nihil dubium erat recentiora ac ſexcenta necis genera a F ſycophantis adverſum me excogitatum iri: meque obtruncato adverſarios noſtros quidlibet in quoslibet machinaturos eſſe, eoque libentius audaciuſque mentituros, quo nulli aderunt qui ſe ſalſi arguant. Non enim ob Pietatis tuæ formidinem aufugi: explorata quippe mihi eſt tua clementia & humanitas; ſed quod ex geſtis facinoribus inimicorum furorem præ oculis haberem: mecumque reputarem fore ut veriti illi ne de rebus præter probita-

* Hujus Frumentii hiſtoriam vide apud Ruffin. l. 1. c. 19. & Theodor. l. 1. c. 23. & in Athanaſii vita a nobis adornata.

bitatis tuæ sententiam gestis coarguerentur; mei interficiendi causa nihil noo agereot. Næ illa dumtaxat fuit tuæ humanitatis jussio, ut Episcopi ex urbibus & ex Eparchia ejicerentur: verum illi admirandi viri, plus quam tu jusseras ausi, ultra tres eparchias, in deserta, inculta & horribilia loca senes homines & grandævos episcopos expulere. Nam qui ex Libya erant, in magnam Oasin, & qui ex Thebaide, in Ammoniacam Libyæ sunt relegati. Neque rursum formidine mortis effugi, ne quis illorum jure timiditatis me arguat; sed quia illud Salvatoris præceptum est, ut cum persequutionem patimur, fugiamus; dum inquirimur, nos abscondamus, nec in apertum nos periculum immittamus: ne dum nos offerimus, persecutorum iram magis accendamus. Par quippe crimeo est, sibi manus inferre, & seipsum inimicis interficiendum tradere. Etenim fugere, ut jussit Salvator, illud est tempus agnoscere, ac revera persequutorum curam gerere: ut ne illi ad sanguinem usque desævientes, rei fiant violati illius præcepti: *Non occides*. Tametsi illi dum nos calumniantur id maxime spectant, ut nos malo adficiamur. Nam quæ nunc illi denuo gessere, idipsum esse illorum studium, ac sanguinarium propositum ostendit. Quæ si audieris, religiosissime Auguste, te miraturum arbitror: etenim stupore digna est illorum audacia. Quanta autem illa sit, paucis ausculta.

33. Dei Filius, Dominus & Salvator noster Jesus Christus, propter nos homo factus, qui mortem abrogavit, nostrumque genus a servitute corruptionis liberavit, cum aliis omnibus donis suis illud quoque nobis impertivit, ut Angelorum imaginem in terra haberemus, nempe virginitatem. Eas sane quæ hac virtute præditæ sunt, sponsas Christi vocare consuevit Catholica Ecclesia: has Ethnici cum vident, ut templum Verbi admirantur: certum quippe est ousquam hanc venerandam ac cælestem professionem excoli, nisi duntaxat apud nos Christianos. Hoc enim maximum est argumentum, certam ac veram apud nos esse religionem. Has præ aliis beatæ memoriæ piissimus Pater tuus Constantinus Augustus honorabat. Has tua quoque Pietas io litteris suis venerandas & sanctas plerumque nuncupavit. Verum nunc mirabiles illi Ariani, qui nos calumniari audent, quorum opera multi ex Episcopis insidiis circumveoti sunt; judicibus ipsis sibi hac in re ministrantibus obtemperantibusque, has oudatas in Hermetariis (ut vocant) suspendi jussere, & sic illarum latera ternis usque vicibus laceraruot, ut ne viri quidem scelestissimi talia umquam sint experti. Pilatus olim ut Judæis assentaretur, lancea unicum Salvatoris latus perforavit: hi vero ipsum Pilati furorem superavere, non unum quippe latus, sed ambo lacerarunt: membra enim virginum, præ aliis, membra Salvatoris sunt. Omnes certe quibus hujusmodi facinora nunciantur, ad solum rei auditum, exhorrescunt. Hi vero soli noo modo nihil veriti sunt impolluta membra nudare & lancinare, quæ uni Salvatori nostro Christo Virgines dedicaverant; sed, quod nequissimum est, dum ab omnibus, ob tantam suam immanitatem vituperantur, cum erubescendum esset, hoc tuæ Pietatis mandatum esse prætexunt: ita sunt in omnibus audaces, pravique consilii. Nihil sa-

Virgines magnum argumentum sunt ad Catholicæ fidei veritatem probandam.

ne hujusmodi, vel in persecutionibus olim gestum audivimus: ac etiamsi tale quidpiam aliquando gestum fuerit; non decuit tamen, te imperante qui Christianus es, virginitatem tali injuria & dedecore affici, illosque suam crudelitatem tuæ Pietati adscribere. Solis enim hæreticis istiusmodi malignitas propria est, erga Dei Filium impie se gerere, & in sanctas ejus Virgines desævire.

34. Cum itaque tot & talia facinora ab Arianis admissa sint; non mea me fefellit opinio, cum divinæ Scripturæ obtemperavi, dicenti: *Sed abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio Domini*. Et hæc mihi quoque secedendi occasio fuit, religiosissime Auguste, nec piguit me vel in desertum proficisci, vel si opus fuisset, iu sporta a mœnibus demitti. Omnia enim sustinui, & cum feris habitavi, donec vos pertransiretis, nam opportunum tempus expectabam, quo hæc verba facere liceret: confidebamque calumniatores convincendos esse, manifestamque fore tuam humanitatem. O beate ac Deo dilectissime Auguste, quid maluisses? mene ad te accedere ardentibus sycophantis meis, ac me occidere quæreotibus, an, uti scriptum est, me tantisper abscondi, ut interim sycophaotæ quidem hæretici deprehenderentur, humanitas vero tua innotesceret. Num voluisti, o Imperator, ut tuis me judicibus sisterem, ut licet tu comminatorie tantum scripseris, illi tamen senteotiæ tuæ ignari, & ab Arianis concitati, ex litteris tuis me interficereot; homicidiumque illud tibi ob litteras datas imputarent. Non decuit certe, vel me sponte illos adire, & ad necem memetipsum tradere: vel tibi Christo devoto Imperatori, Christianorum, præsertim Episcoporum, cædes adscribi.

Esa. 26. 20.

2. Cor. 11. 33.

35. Satius itaque fuit ut me occultarem, & hanc temporis opportunitatem expectarem. Certe novi te, divinarum Scripturarum peritus cum sis, annuere, factumque meum probare. Nam viris qui te concitabant desistentibus, apparuit religiosa tua clementia: omnibusque notum fuit, te ne antea quidem Christiaoos persequutum fuisse; sed illos ipsos ecclesias devastasse, ut suam impietatem ubique disseminarent: cujus causa etiam nos nisi aufugissemus, jamdiu essemus insidiis eorum circumventi. Qui enim ejusmodi calumnias apud tantum Imperatorem adversum me proferre noo dubitant: qui tam nefaria adversus Episcopos & Virgines ausi sunt; haud dubium qoin nostram quoque molirentur necem. Sed gratia Domino, qui tibi Imperium tradidit, quod omnes certiores facti sint, cum de tua benignitate, tum de illorum malitia, cujus causa ab initio fugam feci; ut mihi postea te alloquendi facultas esset, tuque invenires quem humaniter exciperes. Obsecro igitur, ut quandoquidem scriptum est: *Responsio humilis avertit iram*, &, *acceptæ sunt Regi justæ cogitationes*, hanc admittas Apologiam: omnesque Episcopos & alios Clericos patriæ, & ecclesiis suis restituas, ut calumoiatorum quidem malignitas palam fiat: tu vero nunc & in judicii die cum fiducia Domino & Salvatori nostro ac omnium Regi Jesu Christo hæc dicas: *Non perdidi ex tuis quemquam*: sed isti omnibus insidiati sunt. Ego autem de iis qui interemti sunt, de laceratis Virginibus, deque aliis quæ adversum Christianos gesta sunt, dolore sum affectus, pulsos reduxi, propriisque Ecclesiis restitui.

Prov. 15. 1.

Joan. 18. 9.

ADMONITIO

IN APOLOGIAM S. ATHANASII

DE FUGA SUA.

I. Percelebris est hæc Apologia apud Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, qui haud exiguas ejus partes scriptis suis inseruere: maximeque omnium Theodoretus lib. 2. in quo passim occurrunt excerpta ex hoc opere fragmenta. Laudata ea ipsa fuit in Concilio Duziacensi I. sed mendose ibi nuncupatur Epistola Julii, ut infra monemus.

II. Hujus conscribendæ causam enarrat Athanasius in ipso Apologiæ exordio: nimirum, Leontius Antiochenus, Narcissus Neroniadis, & Georgius Laodicenus Arianorum antesignani, cum ægre ferrent Athanasium, quem de medio sublatum peroptabant, fuga sese proripuisse, ac cruentas Syriani Ducis evasisse manus: fugam ejus criminari aggressi, timiditatis illum arguebant, animumque in periculis pro populo suo subeundis ignavum exprobrabant. Quam ut propulset contumeliam Athanasius, præmissis quibusdam de persequutione adversus Liberium, Hosium & alios, exemplum adfert veterum Patrum, Prophetarum, necnon Apostolorum; imo ipsius Christi, qui non solum verbo docuit esse in persequutione fugiendum ab una civitate in aliam; sed & ipse ad necem conquisitus, haud semel sese subduxit. Demum S. Doctor epistolam claudens enarrat quo pacto obsessa a Syriano Duce ecclesia, in qua ille tum versabatur, Deo opitulante, tantum evaserit periculum.

III. Arbitramur porro anno 357. vel 358. eam scriptam fuisse: non potest quippe ante annum 357. edita fuisse, cum eo ipso anno contigerit Hosii lapsus in hoc opere memoratus. Nequit etiam ultra annum differri 358. cum Leontius qui eo anno diem obiisse creditur, hic haud semel superstes fuisse dicatur. Qua de re fusius in Epistola ad Solitarios.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

APOLOGIA

* *De fuga sua, cum a Syriano Duce persequutionem pateretur.*

Scripta anno 357. vel 358.

1. Audio Leontium jam Antiochiæ Episcopum, Narcissum Neroniadis, & Georgium nunc Laodiceæ episcopum, ceterosque Arianos, multa adversum me spargere, meque probris insectari, ac timiditatis accusare; quod cum ab ipsis de medio tollendus inquirerer, non dedititium me illis obtulerim. Verum etiamsi multa mihi ad convitia & calumnias eorum depellendas, scribenda suppetant, quæ ne ipsi quidem inficias ire possint, quæque omnibus ad quos horum fama pervenit comperta sunt; non animum tamen inducam ut quidpiam obloquar, nisi Domini sententiam & Apostoli dictum: *Mendacium ex diabolo est*: &, *Maledici regnum Dei non possidebunt*. Satis quippe est, quod hinc comprobetur, nihil eos juxta Euangelii normam vel sapere, vel agere, sed arbitratu suo quæ placent recta existimare.

1. Joan. 2. 21. 1. Cor. 64.

2. At quandoquidem me timiditatis incusare videntur, operæ pretium fuerit pauca hac de re scribere: hinc enim palam erit eos & improbis esse moribus, & Scripturas divinas minime legisse, aut legisse quidem, sed earum eloquia divinitus inspirata non credere: nam si crederent, nunquam adversus earum doctrinam tanta facinora admisissent, neque fuissent Judæorum qui Dominum occiderunt malignitatem æmulati. Etenim cum hoc præceptum dedisset Deus: *Honora patrem tuum & matrem tuam*: &, *qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur*; adversam illi induxere legem, versoque in ignominiam honore, pecuniam quæ parentibus a filiis eroganda erat, in suam distraxerunt utilitatem: cumque Davidis gesta legerent, contra tamen illi senserunt, innoxiisque hominibus vitio vertebant quod in die Sabbati spicas vellerent confricarentque: cum tamen ipsi nec leges curarent nec Sabbatum; in illo enim iniquius tesa gerebant. Sed cum pravis essent moribus, Discipulorum saluti invidebant, idque solum spectabant ut sua prævaleret sententia. Atque illi quidem injustitiæ suæ præmia nacti sunt, profani jam effecti, in posterumque principes Sodomorum, & populus Gomorrhæ appellati. Isti vero non minore quam illi pœna jam multati mihi videntur, vesaniæ nempe suæ ignorantia. Neque enim intelligunt quæ loquuntur: quin etiam quæ ignorant se nosse arbitrantur. Una autem est illis scientia, maligne agere, ac quotidie pejora pejoribus comminisci. Nostram quippe fugam non eo criminantur quo velint nos cum virtute ac fortiter agere: nam unde inimicis votum ejusmodi, pro viris qui non uno secum malignitatis cursu feruntur? At improbi cum sint, simulatione usi, hæc ubique spargunt: rati, ita nempe stulti sunt, nos metu ejusmodi illorum convitii aliquando ipsis occursuros. Id peroptant scilicet, eaque de causa ubique circumcursant: & dum sese amicos simulant, ut inimici tamen pervestigant; quo aliorum sanguine jam satiati, nos quoque tollant de

Ariani Judæis similes. Matth. 15. 4. Matth. 12. 1. Esai. 1. 10.

* In Concilio Duziacensi I. Tomo 2. Concil. p. 1569. sic perperam legitur: *Ex Epistola Julii Papæ in Athanasii pro fuga defensione*: locusque ibi adfertur qui infra habetur.

de medin; ideo nempe quod adversus eorum impietatem semper senserimus & jam sentiamus, eorumque hæresim confutantes traducamus.

3. * Quem enim unquam persequuti ubi comprehenderunt, cootumeliis non oneravere? quemnam ubi conquisitum deprehenderunt, non ita tractarunt ut vel misere ioteriret, vel undique male haberet? Nam quæ e judicibus agi vulgo existimantur, hæc illorum sunt opera: quin ipsi judices illorum consilii sunt & malitiæ ministri. Quisoam igitur locus qui eorum improbitatis aliquod non præferat vestigium? In quemnam qui adversum se senserit, caussas more Jezabelis commenti, non conspirarunt? Quæ Ecclesia non jam in luctu est, propter illorum adversum episcopos suos insidias? Antiochia propter ** Eustathium Confessorem & orthodoxum virum: Balaneæ ob Euphrationem, mirabilissimum hominem: Paltus & Antaradus propter Cymatium & Carterium: Adrianopolis ob Eutropium Christi amentissimum, ac deinde ob Lucium, qui ipsorum opera catenas sæpe gestavit & sic interiit: item Ancyra propter Marcellum: Beroea ob Cyrum: Gaza propter *** Asclepam. Et hos quidem, homines illi sane fraudulenti, contumeliis prius affectos in exsilium mittendos curarunt: Theodulum vero & Olympium io Thracia episcopos, nos item & presbyteros nostros, undique perquirendos jusserunt, eo scilicet animo ut deprehensos capite plecterent. Atque talis forte nobis vitæ exitus fuisset, nisi præter eorum senteotiam tunc aufugissemus. Id enim ferebant litteræ adversus Olympium ad Proconsulem Donatum, litteræ item adversum me ad Philagrium datæ. Enimvero Paulum Constantinopolis episcopum persequuti, cum reperissent, Cucusi in Cappadocia palam strangulari curaruot: carnifice usi Philippo olim Præfecto: erat quippe ille hæresis eorum patronus, pravorumque minister consiliorum.

Episcopi ab Arianis pulsi.

4. Num igitur tot tantisque facinoribus satiati, jam quieti se dediderunt? Nullatenus. Non cessarunt enim, sed instar sanguisugæ, de qua in Proverbiis, magis magisque desæviunt, sceleribusque suis megnas paroecias adoriuntur. Quis enim pro rei gravitate eorum flagitia enarrarit? **** Quis eorum res gestas sermone complecti valeat? Ecclesiis enim jam in pace degeotibus, orantibusque populis in synaxibus, Liberius Romanus episcopus, Paulinus Galliarum Metropolis episcopus, ***** Dionysius Italiæ Metropolis episcopus, Lucifer insularum Sardiniæ Metropolis episcopus & Eusebius io Italie episcopus, omnes probi episcopi, veritatisque præcones abrepti in exsilium pelluntur: nulle prorsus alia de causa, quam quod Arianæ hæresi noo sint adstipulati, neque subscripserint calumniis sycophantiisque quas adversum nos illi commenti sunt.

Prov. 30. 15.

5. Nam de magno ac felicis senectutis viro & confessore revera Hosio, id est, Sancto, loqui supervacaneum fuerit: fortasse quippe compertum omnibus est, hunc quoque ipsis auctoribus io exsilium pulsum fuisse. Haud enim obscurus, sed omnium clarissimus senex ille est. Quæ synodus eoim, cui non ille præfuerit? Quandonem sapientibus dictis suis non in suam omnes perduxit sententiam? Quænam Ecclesia illius patrocinii pulcherrima noo servat monumenta? Quis illum moestus adiit, quin lætus ab eo recesserit? Quis aliquo egens ab eo postulavit, optatumque noo abiit assequutus? Hunc tamen tantum virum vexare ausi sunt: gnarus quippe cum esset earum quas impietatis suæ cause confingunt calumniarum, insidiosis eorum adversum nos rescriptis subscribere noluit. Quamvis enim tandem ob vim plagarum, quibus eum immanissime & ultra modum lancinarunt, & ob conspirationes adversum cognatos ejus conflatas, utpote senex ac corpore imbecillus, ad quoddam temporis spatium illis cesserit; attamen illorum malitia ex iis quoque eorum gestis innotescit: nam id omoino curant, ot se non veros esse Christianos comprobeot.

Hosii laudes.

6. ****** Post hæc enim Alexendriam rursus invadunt, nosque denuo ad necem perquirunt: factaque sunt præsentia prioribus pejora. Milites quippe derepente Ecclesiam obsedere: bellicusque tumultus vice precum exortus est. Dehinc Quadragesimæ tempore ingressus Georgius e Cappadocia, mela quæ a magistris illis edoctus fuerat adauxit. Eteoim post hebdomadam Paschetis, Virgines in carcerem conjici, Episcopos a militibus vinctos abduci, orphanorum viduarumque domos & panes diripi, irruptiones in domos fieri, noctu Christienos dejici, domos obsignari, fratres Clericorum pro fratribus periclitari. Hæc quidem etrocie, sed etrociora deinde consequuta sunt facinora: nam hebdomade post sanctem Pentecosten, cum populus, expleto jejunio, orandi causæ ad ******* coemeterium egressus esset, quod omnes a Georgii communione abhorrerent; re comperta sceleratissimus ille, Sebastianum Ducem Manichæum hominem concitat: qui mox cum turme militum, arme, strictos gladios, arcus & tela ferentium, ipsa Dominica die io populum irrupit. Paucisque illic in oratione repertis, plurimi namque adveoiente hora recesserant, talia commisit facinora, qualia virum decebat Arianis obtemperantem. Nam accenso rogo Virgines igni admotas adigebat ut dicerent, se Arianicæ fidei esse: ut autem eas vim superare, ignemque nihil curare animadvertit, nudatas iterum ita io faciem cædit ut per aliquaotum temporis vix dignosci possent.

Arianorum persequutio in Georgii intrusione.

7. Viros autem quadraginta comprehensos, insoleotiore modo verberavit: nam virgis palmarum recens amputatis, quibus adhuc aculei hærebaot, sic eorum terga laceravit, ut nonnulli ob infixos aculeos medici opera sæpius eguerint: immo quidam vim plagarum non ferentes extincti sint. ******** Porro quotquot apprehenderant una cum Virginibus ad magnam relegarunt Oasin. Neque initio concesserunt ut defunctorum corpora cognatis suis traderentur; sed ipsa arbitratu suo occultarunt abjeceruntque insepulta: rati sic posse suam letere crudelitatem. Qua in re vecordes illi magno mentis errore tenebantur: nam cum defunctorum cognati de suorum quidem confessione gauderent, lugerentque tamen ob subducta corpora, hæc sane causa fuit ut magis magisque vulgarentur eorum impietatis crudelitatisque argumenta. Verum illi mox ex Ægypto & Libyis in exsilium miserunt

Ægypti Episcopi pulsi & vexati.

* Hæc habentur apud Theodoretum l. 2. Hist. c. 15.

** Episcopi isti memorantur item sub initium Epistolæ ad Solitarios: sed qui dicitur hic Euphration Balanearum, ibi Εὐφρατίων ὁ ἐν Καλανέαις perperam vocatur.

*** Hæc habentur apud Theodoret. l. 2. c. 5. & apud Niceph. l. 9. c. 30.

**** Hæc item apud Theodoret. Hist. l. 2. c. 15.

***** Dionysium hic memoratum Sozom. lib. 4. c. 9. ait fuisse Episcopum Albæ, Sed haud dubie Mediolanensis præsul fuit ille. Erat tamen in Mediolanensi Episcopatu urbs nomine Alba Pompeia, quæ forte causa fuit Sozomeno Dionysium Albæ Episcopum nuncupandi.

****** Quæ hic enarrantur, habes etiam sub finem Apologiæ præcedentis, & in Epist. ad Solit.

******* Ritus orandi in coemeteriis apud Ecclesiasticos Scriptores sæpe occurrit: sic in constitutionibus Apostol. lib. 8. c. 30. circa quod vide notas Cotellerii.

******** Hæc item enarrantur in Epist. ad Solit.

ferunt episcopos Ammonium, Muium, Gaium, Philonem, Hermen, Plenium, Psenosirim, Nilammonem, Agathum, Anagamphum, Marcum, * Ammonium, alterum Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum; & presbyteros, Hieracem & Dioscorum, quos tanta acerbitate expulerunt, ut illorum quidam in itinere, quidam in exsilii loco interirent. Episcopos vero plus triginta in fugam verterunt: ea enim illis quemadmodum Achabo cura fuit; ut si modo fieri posset, veritatem de medio tollerent. ** En illa ipsa sunt impiorum facinora.

8. Hæc cum illi agant, nec pudeat malorum quæ adversum nos moliti sunt, nos etiamnum ideo criminantur, quod sanguinarias illorum manus effugerimus; imo potius acerbe lugent, quod me non e medio prorsus sustulerint: ac deinceps simulate timiditatem exprobrant: non intelligentes se dum ita obmurmurant, in se potius ipsam vertere criminationem. Nam si turpe est fugere, multo deterius persequi: qui fugit enim, mortis vitandæ causa se subducit; hic autem ideo persequitur, ut perimat quem inquirit. Quod autem fugere liceat, id Scripturæ testantur: qui autem interficiendi animo inquirit, is legem transgreditur, imo ipse est qui fugiendi causam præbet. Si igitur fugam exprobrant, se magis pudeat quod persequantur. Desinant insidias tendere, mox gradum sistent qui fugiunt. Sed numquam illi suæ finem imponent malitiæ: nihil certe non agunt ut nos comprehendant, non advertentes fugam eorum qui persequutionem patiuntur permagnum esse in persequutores argumentum: nemo enim humanum fugit aut mansuetum hominem, sed immanem & moribus improbum. Idcirco *omnes qui erant in angustia constituti & oppressi ære alieno*, Saulem fugientes ad Davidem se conferebant. Illi vero ideo eos qui se occultant interficere satagunt, ut nulla supersint malitiæ suæ vestigia. Verum illi ut semper errant, videntur in hoc etiam cæcutire: quanto enim fuga clarior, tanto etiam liquidius insidiis eorum patratæ cædes, irrogataque exsilia explorata erunt. Si namque occidant, ipsa mors gravius in carnifices resonabit; sin pellant in exsilium, quaquaversum emittunt iniquitatis suæ monumenta.

1. Reg. 22. 2.

9. Si igitur sanæ mentis essent, sese adverterent malis hujusmodi complicari, ac in propria impingere consilia. Verum quia mente capti sunt, impetu ad persequendum feruntur, dumque cædes perpetrare student, suam impietatem perspectam non habent. *** Immo forte ipsam criminari audebunt providentiam (nihil enim illis inausum) quod viros quos inquirunt sibi non tradat: cum palam tamen sit, testante Salvatore, ne passerculum quidem sine Patre nostro qui in cælis est posse in laqueum incidere. At ubi aliquem apprehenderint sceleratissimi illi, & aliorum & sui in primis statim obliviscuntur, elatisque ex sola arrogantia superciliis, nec cognoscunt temporis opportunitatem, nec vel minima naturæ reverentia cohibentur ab injuriis inferendis: sed more Babylonici tyranni efferatius insurgunt citra ullam in quemlibet misericordiam: sed *senis jugum aggravant*, &, *super dolorem vulnerum* immites illi *addiderunt*. Quod si ejusmodi facinora non admisissent: si eos qui suas calumnias in nos conflatas impugnarent, non loco expulissent, eorum fortasse dictis saltem nonnulli fidem adhibuissent. At cum sint tot tantisque episcopis insidiati, nec magno Hosio Confessori, neque Episcopo Romano, ac tot Hispaniarum, Galliarum, Ægypti, Libyæ, aliarumque Regionum episcopis pepercerint, sed tantis malis affecerint eos qui ullatenus se nostri causa arguerent; nonne prius quam alios insidiis nos suis aggressi fuissent? annon putandum eos id jam peroptare, ut nos immani nece post alios obtruncent? In hoc quippe advigilant, ac secum injuste agi putant, si quos illi vivere nolint, superstites cernant.

Esaie 47. 6.
Ps. 69. 26.

10. Cuinam igitur illorum non est perspecta vafrities? cuinam id planum non est, ipsos non virtutis studio timiditatem nobis exprobrare; sed sanguinem sitientes, veluti sagenis, malis suis uti artibus, arbitrantes se sic eos quos occidendos perquirunt comprehendere posse? Eo autem illos animo esse, operibus ipsis comprobatur, arguiturque eorum mores feris ipsis efferatiores Babyloniisque crudeliores esse. Porro quamvis hæc satis sint ad illos confutandos; attamen quia more patris sui diaboli molles voculas simulate proferunt, ut nos timiditatis accusent, ipsi interim leporibus timidiores; age; quæ in Scripturis sacris hac de re scripta habentur perpendamus. Propalam enim hinc erit illos haud minus cum Scripturis quam nobiscum pugnare, ac ipsas Sanctorum virtutes calumniari. **** Nam si vituperant eos qui ab inquirentibus ad necem sese occultant: si calumniantur eos qui fugiunt ut a persequutoribus declinent; quid, quæso, acturi sunt si videant Jacob fratrem suum Esau fugere? Quid si Moysem in terram Madiam metu Pharaonis secedere? Quid illi qui talia effutiunt, pro Davide respondebunt, domo fugiente cum Saul sicarios ad eum confodiendum misit, in spelunca latente, vultum suum immutante, quoad Abimelechum ejusque insidias declinaret? Quidnam illi dixerint, homines sane verbis semper suis temerarii, cum magnum Heliam adverterint Deum quidem invocare ac mortuum excitare, sese tamen, ut Achabum declinaret, abscondere, & ob Jezabelis minas aufugere? quo tempore item filii Prophetarum absconditi in speluncis, Abdiæ ope delitescebant.

Probatur licere in persequutione fugere.

Exemplo Sanctorum veteris legis.

11. ***** At fortasse hæc utpote antiqua nunquam legerunt, nec eorum quæ in Euangelio leguntur, ullatenus recordantur. Etenim ipsi Discipuli metu Judæorum sese occultarunt. Et Paulus Damasci a Præfecto quæsitus. per murum in sporta demissus est, atque ita inquirentis se manus effugit. Cum hæc igitur Sanctorum exempla Scriptura referat, quem temeritatis suæ obtentum invenire poterunt? Si namque illis timiditatem exprobrent, furentium sane ausus ille fuerit; sin contra Dei voluntatem illos egisse criminentur, sese Litterarum sacrarum prorsus ignaros exhibebunt. In Lege quippe jussum fuit, ut constituerentur refugii urbes, quo hominibus ad necem quæsitis aliquod saltem salutis perfugium relinqueretur. In consummatione autem sæculorum, cum advenit Verbum Patris quod Moysi olim loquutum est, quid sit agendum præcipit dum hæc loquitur: *cum autem persecuti vos fuerint in civitate ista, fugite in aliam*. Et paulopost ait: *cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: & qui supra tectum non descendat tollere quæ in domo sua sunt: & qui in agro, non re-* ver-

Exemplo Apostolorum.

Exod. 21. 13.

Matth. 24. 15.

* Apud Socratem legitur tertio Ammonius. Sed male: nam septemdecim tunc forent episcopi pulsi, cum tamen sedecim tantum memoret Athanasius sub finem Apologiæ præcedentis. Hæc item in epist. ad Solit.

** Hæc habentur apud Socratem lib. 3. cap. 8. & apud Niceph. lib. 10. cap. 16.

*** Multa hic omittuntur a Socrate, & Nicephoro.

**** Hic resumunt Socr. & Nic.

***** Hæc citantur in Concilio Duziacensi 1. Tomo 8. Conc. p. 1569.

vertatur tollere tunicam suam. Hæc cum scirent Sancti, hujusmodi vitæ rationem sectati sunt. Nam quæ jam præcepit Dominus, hæc ipsa ante suum in carne adventum ore Sanctorum præfatus est. Et hæc est norma quæ homines deducit ad perfectionem, ut nempe Dei jussa compleant.

Exemplo Christi.

12. Quapropter ipsum Verbum propter nos homo factum, dum inquireretur, ut nos jam agimus, sese occultare, itemque persequutores fugere & insidias declinare voluit. Decebat enim eum, ut esuriendo, sitiendo, patiendo, sic & sese occultando ac fugiendo, ostendere se carnem gestare, atque hominem factum esse. Nam ab ipso statim initio quo factus est homo, dum adhuc puer esset, per Angelum ipse suum Josepho præcepit: *Surgens, tolle puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: futurum est enim ut Herodes quærat animam pueri*. Defuncto autem Herode, ut Archelaum filium ejus declinaret, in Nazaret secedit. In subsequenti vero tempore, ubi sese Deum exhibuit, manumque aridam sanam fecit; cum egressi Pharisæi consilium inirent qua ratione perderent eum: id cum Jesu notum esset secessit inde. Et vero quando Lazarum suscitavit a mortuis: *ab illo*, inquit, *die cogitaverunt ut interficerent eum. Jesus ergo jam non in palam ambulabat, sed abiit inde in regionem juxta desertum*. Deinde postquam dixisset Salvator, *antequam Abraham fieret ego sum, Judæi quidem lapides tulerunt, ut jacerent in eum, Jesus autem abscondit se, & exivit de Templo*. Et, *transiens per medium illorum ibat*: itaque se subduxit.

Matth. 2. 13. & sequ. — Matth. 26. 4. — Joan. 11.53. — Joan. 8. 58. — Luc. 4. 30.

13. Hæc ergo cum videant, seu potius audiant, nihil quippe vident; quomodo, uti scriptum est, non optant igne comburi, cum gestis doctrinæque Domini adversa ipsi consilia ineant verbaque profundant? Etenim cum Joannes martyrium subiisset, & discipuli ejus corpus humassent, his auditis Jesus, *recessit inde in navicula in locum desertum seorsum*. Hæc erant igitur Domini gesta: hæc ejus doctrina. Utinam illi vel ita saltem erubescerent, & homines solum sua temeritate aggrederentur, nec majore ducti insania ipsum Salvatorem timiditatis incusarent: eo enim tandem illi devenere, ut contra illum ausint blasphemare. Sed ita furibundos homines nemo ferat. Quin etiam hinc evincetur Euangelia illos minime capere. Causa autem secessus ac fugæ Salvatoris, quam Euangelistæ memorant, rationi consentanea ac legitima est, eamque nos decet omnibus Sanctis accommodare, (quæ enim de Salvatore secundum humanitatem scripta sunt, ea par est communi hominum generi referre: nostrum quippe corpus ille gestavit, & humanam in se exhibuit infirmitatem) quam fugæ causam ita Joannes descripsit: *Quærebant eum tenere, & nemo misit in illum manum, quia nondum venerat hora ejus*. Etenim antequam illa veniret ajebat ipse matri suæ: *nondum venit hora mea*: iisque qui fratres sui vocabantur: *tempus meum nondum advenit*. Ac rursum cum advenisset tempus, Discipulis ajebat: *Dormite jam & requiescite: ecce enim appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum*.

Esai. 9. 5. — Matth. 14. 10. — Joan. 7. 4. — Joan. 2. 4. — Matth. 26. 45.

14. Enimvero ut Deus & Verbum Patris, tempus non habuit; ipse enim creator temporum est. Cum autem homo factus hæc sit loquutus, ostendit singulis hominibus tempus suum esse dimensum. Ac tempus non ex fato, ut quorumdam fabulantium Græcorum fert opinio; sed quod ipse qui creator est juxta Patris placitum singulis definivit. Res sane illa & scripta & nulli non explorata est: quam A vis enim ignotum sit, omnesque homines lateat, quomodo vita sit claudenda, aut quantum unicuique temporis spatium sit definitum; attamen unusquisque novit, sicut veris, æstatis, autumni, & hyemis stata sunt tempora; ita quoque, ut scriptum est, tempus moriendi esse pariter ac vivendi. Quapropter generationis quæ ætate Noe fuit, vitæ tempus concisum est: & quasi omnium tempus adfuisset anni contracti sunt. Ezechiæ autem annis quindecim sunt superadditi. Cum vero Deus iis qui se legitime coluerint hoc pollicitus sit: numerum dierum tuorum adimplebo; Abraham plenus dierum moritur: B David autem hoc postulabat: *ne revoces me in dimidio dierum meorum*: & unus ex amicis Job Eliphaz, hoc cum probe nosset, ajebat: *Venies autem in sepulcrum ut seges matura suo tempore demessa, aut sicut acervus areæ suo tempore comportatus*. Et Salomon hujus sermonem obsignans, ait: *Tolluntur ante tempus animæ impiorum*. Quocirca in Ecclesiaste his verbis admonet: *ne impie agas multum: & noli esse durus, ne moriaris in tempore non tuo*.

Tempus vitæ hominum a Deo definitum. — Eccle. 3. 2. — Psal. 91. 16. — Gen. 25. 8. — Psal. 102. 24. — Job. 5. 26. — Prov. 10. 26. — Eccl. 7. 18.

15. Hæc cum scripta sint, commonstrat ratio probe scire Sanctos, unicuique hominum suum tempus esse dimensum. Quod autem nemo illius temporis C terminum norit, argumento illud est, quod David dicat: *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi*: rei namque cujus ignarus erat notitiam postulabat. Quamobrem dives ille qui se diu victurum existimabat, hæc audivit: *Stulte hac nocte repetent animam tuam: quæ autem parasti cujus erunt?* Ecclesiastes vero cum Spiritui sancto confideret, hanc protulit sententiam: *Et nescit homo tempus suum*. Ideoque Patriarcha Isaac hæc filio suo Esau loquebatur: D *Ecce ego senui, & ignoro diem mortis meæ*. Itaque Dominus, utpote Deus ac Verbum Patris, gnarus quot cuique annos esset ipse dimensus, nec ignorans quodnam proprio corpori ad patiendum tempus præfinivisset; quoniam pro nobis homo factus erat, diebus statum tempus præcurrentibus, more nostro, sese dum quæreretur occultabat, insidiasque declinans, sic præteribat, ac *per medium illorum ibat*. Cum autem definitum a se tempus adduxisset ipse, quo corporaliter pro omnibus pati decreverat, de hoc ipso tempore Patrem alloquitur, his verbis: *Pater, venit hora: glorifica filium tuum*: nec sese ultra ab E inquirentibus abscondit, sed stabat ut comprehenderetur. Nam dixit, ait Euangelium, iis qui se adibant: *Quem quæritis?* Illisque respondentibus: *Jesum Nazarenum*: ait illis: *Ego sum* quem quæritis: Neque semel duntaxat, sed & iterum illud egit: atque ita deinde adduxerunt eum ad Pilatum. Porro neque ante tempus permisit se apprehendi: neque cum tempus adesset sese occultavit: sed insidiantibus seipsum obtulit, ut palam omnibus faceret, hominum vitam juxta ac mortem a superno pendere judicio: & sine Patre nostro qui in cælis est, ne capillum quidem hominis aut album aut nigrum F fieri, neque passerculum in laqueum incidere.

Psal. 102. 23. — Luc. 12. 20. — Eccl. 9. 12. — Genes. 27. 2. — Luc. 4. 30. — Joan. 17. 1. — Joan. 18. 5. — Matth. 5. 36. 10. 29.

16. Dominus ergo ita se ipse pro omnibus, uti supra dictum est, obtulit. Sancti autem hac a Salvatore accepta norma (ab ipso enim antehac, immo semper omnes edocti fuere) cum adversus persequutores decertarent, aufugiebant, uti fas erat: dumque ab illis perquirerentur, sese abdebant. Cumque, utpote homines, definiti sibi a Providentia temporis terminum ignorarent, nolebant se ipsos insidiatoribus dedititios offerre. Cumque item nossent illud quod scriptum est, nempe in manibus Dei esse sortes hominum, & Dominum mortificare & vivificare, ideo ad finem usque expectarunt, ut ait Apostolus: *Circumeuntes*

Ps. 30. 16. — 1. Reg. 2. 6. — Hebr. 11. 37

tes in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, in solitudinibus errantes, in speluncis & in cavernis terræ latentes, donec definitum mortis tempus adveniret, aut qui tempus definierat Deus eos alloqueretur, ac insidiatores sedaret, aut certe persequutoribus persequutionem patientes traderet, ut sibi congruum visum foret. Hoc ex Davide cum primis pulcre ediscere est; cum enim illum Joab adversum Saul concitaret, ait ipse: 1. Reg. 26. 10. *Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut venerit dies mortis ejus, vel descenderit in prælium, & obierit apud adversarios, non immittam manum meam in christum Domini.*

17. Si quando verò dum fugerent, conversi deinde quærentibus sese offerrent, non temere hoc agebant; nam religiosi cum essent, jussu Spiritus Sancti occurrebant illis: quo pacto obsequentiam alacritatemque suam commonstrabant. Hujusmodi erat He- 3. Reg. 18. 17. lias, qui jussu Spiritus Achabo coram adstitit: Michæas 3. Reg. 22. 13. item propheta qui ipsum adiit Achabum: Prophe- 3. Reg. 13. 2. ta etiam qui altare Samariæ compellavit, Jeroboam- Act. 25. 11. que pudore suffudit: & Paulus qui Cæsarem appellavit. Non enim præ formidine fugiebant, absit; imo potius fuga illis pro certamine & meditatione mortis erat. Sed recte sibi consulentes hæc duo servabant, ut scilicet nec seipsi temere offerrent, fuisset enim illud mortem sibi consciscere, propriæque necis reum fieri, ac Domino repugnare Matth. 19. 6. dicenti: *quæ Deus conjunxit, homo non separet*; neque in ignaviæ crimen incurrere vellent, quasi se tæderet fugæ ærumnas ipsa morte duriores gravioresque perferre. Nam qui mortuus est, miseriis levatur: qui vero fugit, cum quotidie anxius inimicorum expectet incursus, mortem fuga leviorem existimat. Quapropter qui in fuga intereunt, haud inglorii moriuntur, sed ipsi quoque gloriam consequuntur martyrii. Quocirca Job fortitudine animi magnus comprobatus est, quod vivus tot tantasque ærumnas pertulerit, quarum si mortuus fuisset ne minimum quidem sensum percepturus erat. Quamobrem etiam ipsi beati Patres hoc vivendi instituto sunt usi: persequentes enim se nequaquam reformidabant, imo potius cum ita se in angustiis & tenebrosis locis includerent, cum aspero vivendi genere uterentur, sui ostendebant animi fortitudinem: ubi vero mortis tempus aderat eam minime recusabant. Id enim curæ illis erat ut nec præsentem mortem pertimescerent, nec definitum a providentia decretum anteverterent, aut divinæ obsisterent dispensationi, ad cujus se nutum reservatos sciebant; ne temere agendo ipsi sibi formidinis essent auctores: sic e- Prov. 13. 3. nim scriptum est: *qui præceps est labiis, seipsum terrebit.*

18. Ac revera ad fortitudinis virtutem ita erant comparati, ut nemo quicumque tandem sit hac de re ambigere possit. Etenim Patriarcha Jacob qui prius a Genes. 46. facie Esau fugerat, præsentem mortem nequaquam timuit: quin potius eo ipso tempore singulis Patriarcharum pro cujusque meritis benedictionem impertivit. Magnus item Moyses qui se ante a Pharaone occultarat, ac illius formidine in terram Exod. 3. 10. Madian secesserat, bis auditis: *Vade in Ægyptum*, absque metu jussum implevit. Atque iterum jussus Deut. 32. 49. in montem Abarim conscendere, ut illic obiret, nequaquam ex metu substitit, sed libenter eo contendit. David quoque qui antea a Saule fugerat, non præ formidine recusavit belli periculis pro populo subeundis sese cum primis offerre: sed ubi mortis vel fugæ optionem sibi esse audiisset, cum perinde liceret aut fugere aut mori, sapiens ille vir mortem præoptavit. Magnus autem Helias qui se a Jezabele olim occultarat, minime reformidavit, jubente Spiritu sancto, Achabo occurrere, Ochoziamque redarguere. Petrus vero qui sese metu Judæorum absconderat, & Paulus Apostolus qui in sporta demissus sic evaserat, his auditis verbis: Oportet vos Romæ martyrium subire, profectum non distulere suum, imo potius gaudentes abierunt, & ille quidem ut ad suos properans, de nece sua gaudebat: hic vero cum tempus adesset nequaquam exhorruit, sed gloriabundus ait: *Ego enim jam* 2. Tim. 4. 6. *delibor, & tempus resolutionis meæ instat.*

19. Hæc autem recte declarant, nec priorem illorum fugam ex metu fuisse susceptam, nec quæ in præsenti agebant vulgaris cujusdam facinoris testimonium, sed magnæ virtutis, fortitudinis scilicet, argumentum esse. Neque enim per ignaviam secedebant, sed tunc impensius augebant suam in virtute exercitationem. Neque ob fugam improbati, vel timiditatis accusati sunt ab hujusmodi viris, cujusmodi sunt isti ad criminandum promti; imo vero beati ab ipso Domino prædicati sunt, his verbis: *Beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam.* Matth. 5. 10. Nec iste labor illis fructu vacabat: nam sicut aurum in fornace probatos, ut ait Scriptura, invenit illos Dominus dignos se. Et ipsi tum magis quasi scintillæ refulgebant: erepti a persequutoribus, ab eorumque insidiis liberati, eoque pacto servati, ut populos edocerent. Itaque quod fugerint, & quod quærentium se furorem evaserint, illud ex Domini dispensatione factum est: eo enim modo tunc Deo cari redditi, & pulcherrimum fortitudinis suæ testimonium sunt consequuti.

20. Patriarcha certe Jacob dum fugeret, plu- Genes. c. 31. & 32. ribus visionibus, ipsisque divinis dignus est habitus: imo dum ipse in quiete degeret, Dominum opitulatorem habuit, qui Laban pudore suffudit, & Esau coercuit. Is quoque post hæc pater fuit Judæ ex quo secundum carnem ortus est Dominus: benedictionesque ipse Patriarchis dispensavit. Moyses item Deo carus tum magnam illam visionem conspexit cum fugeret, & a persequentibus liberatus, Propheta in Ægyptum missus, tantorumque minister signorum effectus, Populi tandem in eremo Dux fuit. Et David cum persequutionem pateretur hæc docuit: *Eru-* Psal. 45. 2. *ctavit cor meum Verbum bonum*: &, *Deus noster* Psal. 50. 3. *manifeste veniet: Deus noster, & non silebit.* Imo magis invaluit cum hæc dixit: *Inimicos meos despexit* Ps. 54. 8. *oculus meus*: & rursum: *In Deo speravi, non timebo* Ps. 56. 11. *quid faciat mihi homo.* Cum autem fugeret, a facieque Saulis in speluncam declinaret, hæc ait: *Misit de* Ps. 57. 3. *cælo & salvavit me, dedit in opprobrium conculcantes me. Misit Deus misericordiam suam & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum.* Atque ita servatus ipse per Dei providentiam in Regem postea fuit cooptatus; promissumque fuit illi ex semine ejus Dominum nostrum oriturum. Magnus autem Helias dum ad Carmelum montem secederet, Deum invocavit. Isque ipse Baalis prophetas numero quadringentos, imo plures, una delevit: duos vero ad se legatos quinquagenarios cum centum viris, hæc proferendo, *descendat ignis de cælo*, sic 4. Reg. 1. 10. illos ultus, ipse servatus est, ut vice sui Eliseum inungeret, seque ipse in exemplum ad virtutis exercitationem filiis prophetarum exhiberet. Beatus 2. Tim. 3. 11. vero Paulus cum hæc scripsisset: *Quales persequutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus, & eripiet.* Dehinc magis invaluit hæc aiens: *sed in* Rom. 8. 37. *his omnibus superamus: nihil enim nos separabit a caritate Christi.* Tunc enim temporis usque ad tertium cælum raptus, & in paradisum delatus, illic audivit arcana verba quæ non licet homini loqui. Id-

eoque

eoque ille tunc servatus est, ut ab Jerosolymis, us- A que ad Illyricum Euangelii prædicationem impleret.

21. Nequaquam vituperanda igitur est aut inutilis sanctorum fuga: nam si a persequutoribus non declinassent, quomodo ex semine David ortus esset Dominus? aut quinam prædicassent Verbum veritatis? Persequutores quippe ea de causa Sanctos perquirebant, ut nullus superesset doctor veritatis, prout Judæi Apostolis præcepere: qui tamen nihil non pertulere, ut Euangelium prædicaretur. Næ illi dum ita decertarent, tempus fugæ suæ haud sine fructu impendebant: nec in persequutione alienæ utilitatis obliti, imo boni verbi ministri cum essent, eam omni- B bus impertire non abnuebant: in ipsa quippe fuga sua Euangelium annuntiabant. Cumque futuros insidiatorum dolos prædicerent, fideles nihilominus adhortationibus suis confirmabant. Beatus itaque Paulus id experimento cum didicisset, hoc prænuntiavit: *Quotquot volunt pie vivere in Christo, persequutionem patientur*: statimque eos qui fugerent alloquutus, his verbis incitabat: *per patientiam curramus propositum nobis certamen*. Quamvis enim assiduæ sint tribulationes, at *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem: probatio vero spem: spes autem non confundit*. Propheta item Esaias C cum ejusmodi calamitates exspectarentur, his verbis alta voce hortatus est: *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostium tuum, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio*. Ecclesiastes vero non ignarus earum quæ adversus pios tendi solent insidiarum, qui hæc ait: *si videris calumniam pauperis, & direptionem judicii & justitiæ in provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est ad observandum, & illis quoque alii eminentiores; & abundantia terræ*; patrem habuit David qui persequutionum ærumnas experimen- D to didicerat, & qui afflictos his verbis confortat: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino*. Nam eos qui talia patiuntur, non homo, sed ipse *Dominus*, inquit, *adjuvabit & liberabit eos, quia speraverunt in eum*. Etenim & ego *expectans expectavi Dominum, & intendit mihi: & exaudivit deprecationem meam, & eduxit me de lacu infimo, & de luto fæcis*. Utilis ergo populis nec infructuosa Sanctorum fuga comprobatur; etiamsi secus Arianis videatur.

1. Tim. 3. 12.
Heb. 12. 1.
Rom. 5. 4.
Esai. c. 26. 20.
Eccle. 5. 7.
Ps. 31. 24.
Ps. 37. 40.
Ps. 40. 1.

22. Sic igitur Sancti, ut dictum est, dum fugerent, maxima providentia & cura, quasi medici E in usus indigentium servabantur. Aliis autem & plane omnibus nobis hominibus hæc posita lex est; ut fugiamus persequutores, nosque occultemus dum inquirimur, neque ita præcipites & temerarii simus, ut tentemus Dominum: sed exspectemus, ut supra dixi, donec definitum mortis tempus adveniat: aut judex ipse id de illis statuat quod sibi visum fuerit: sintque parati, ut vocante eos statuto tempore, apprehensi, ad usque mortem decertent pro veritate. Hæc observarunt beati Martyres in persequutionibus quæ suis occurrere temporibus; in persequutione scilicet fugere solebant, in latebrisque permane- F re, deprehensi autem martyrium fortiter subire. Quod si ex illis quidam persequutoribus se se offerrent; non temere illud agebant: martyrium quippe statim perferebant, palamque omnibus erat eam alacritatem eumque ad persequutores accessum Spiritum sanctum auctorem habere.

23. Hæc itaque cum sint Salvatoris præcepta, hujusmodique Sanctorum gesta; dicant mihi illi, quos digne pro factis compellare nequimus, undenam ipsi didicerint persequutiones movere. Illud sane nequaquam Sanctis acceptum referent; restat igitur ut a diabolo illud acceperint, qui ait, *persequar & comprehendam*: fugere siquidem Dominus injunxit, & Sancti ipsi fuga se proripuere: persequi vero diaboli proprium est facinus, qui id postulat ut sibi omnes persequi liceat. Cuinam igitur obsequendum, jam iterum respondeant, Dominine verbis, an vanis suis sermocinationibus? Quorum vero opera sunt imitanda? Sanctorumne, an eorum quos illi arbitrio suo cooptarint? Quandoquidem autem ne illi fortasse hoc discernere valent, obcæcati quippe mente & conscientia, ut ait Esaias, arbitrantur amarum esse dulce, & dulce amarum; quivis ex nobis Christianus pertransiens pudore illos suffundat, magna hæc voce clamans: Melius est confidere in Domino, quam illorum stultiloquiis attendere. Domini enim verba vitam æternam habent: verba autem ab illis prolata doli & sanguinis plena sunt.

Exod. 15. 9.
Esai. 5. 20.

24. Hæc sint igitur satis ad impiorum insaniam evertendam, & ad demonstrandum nihil aliud curæ illis esse, quam & convitiis & blasphemiis contendere. Sed quia semel Christi hostes effici ausi, deinde curiosi indagatores effecti sunt; * nostri secessus rationem sciscitentur a suisque ediscant. Ariani certe sese militibus adjunxerant, ut illos concitarent, nosque illis ignotos indicarent. Qui si ita omnis commiserationis sunt expertes, saltem dum hæc audiunt, pudore affecti conquiescant. ** Nox jam erat & quidam e populo pervigilium agebant sequentis synaxis: cum Dux exercitus Syrianus derepente cum militibus irrupit plus quinque millibus, qui armis, strictis gladiis, arcubus, telis & fustibus instructi erant, uti superius dictum est: Ecclesiamque densis collocatis militibus circumsedit, ne quis posset ab Ecclesia egressus evadere. Ego vero cum non æquum existimarem in tanto tumultu populum deserere, satiusque ducerem me priorem periculo offerre; in throno sedens jussi Diacono ut psalmum legeret, populoque ut *** responderet: *quoniam in sæculum misericordia ejus*: ac omnes ita recederent abirentque domum. Verum cum Dux vi in Templum invasisset, militesque sacrarium, ut nos comprehenderent, obsedissent; quotquot e Clero & populo istic aderant, clamare & obsecrare ut me subducerem. Ego contra negare me recessurum, nisi omnibus singulisque egressis. Surgens itaque, ac injuncta oratione, id enixe rogabam, ut omnes prius discederent, satius esse me periclitari, quam lædi quempiam e populo. Egressis ergo plurimis ceterisque subsequentibus, qui nobiscum illic aderant Monachi & ex Clericis quidam ascendentes, nos pertraxere: atque ita, testor ipsam veritatem, licet e militibus alii sacrarium cingerent, alii Ecclesiam obsiderent, Domino tamen duce pertransivimus, ipsoque custode clam illos discessimus: Deum magnopere glorificantes, quod populum non prodidissemus, sed ipso præmisso, inquirentium manus evadere licuisset.

Invasionis a Syriano factæ descriptio.
Psal. 136. 1.

25. Cum igitur divina providentia nos eo modo ac mirabiliter liberarit, quis nobis illud jure vitio

ver-

* Hæc referuntur a Theodoret. lib. 2. Hist. c. 13.

** Hæc enarrantur etiam in Apologia ad Constantium sub finem, & in Epistola ad Solitarios.

*** *Respondere*, ὑπακούειν. Minus recte Nannius vertit, *auscultaret*, cum sit vertendum, *responderet*. Valesius in notis ad Theodoretum ad pag. 88. putat legendum ὑπηχεῖν. Sed recte habet contextus: vocis quippe ὑπακούειν is usus est apud Græcos, non modo Ecclesiasticos sed etiam profanos. Exempla multa vide sis in Lexico Constantini, Francisci Porti additionibus aucto, excuso anno 1592. Epiphanius Scholasticus hunc locum vertit, *populi responderent*. Vide quæ supra diximus in Apologia ad Constantium num. 16.

vertat, quod inquirentibus nos ultro non tradiderimus, aut reversi non ipsis coram steterimus? Esset plane illud se Deo ingratum præstare, & præter ejus mandatum agere, cum actisque Sanctorum pugnare. Aut si quis est qui hoc crimini det, is audeat & magnum Apostolum Petrum incusare, quod in carcere reclusus & a militibus custoditus, vocantem se Angelum sequutus sit: e carcereque egressus, atque liberatus, non seipsum traditurus redierit, etsi Herodis facinora comperisset. Illud quoque furiosus Arianus Paulo Apostolo vitio vertat, quod e muro demissus sententiam non mutarit, nec reversus seipse tradiderit: Moysi item quod ex terra Madian in Ægyptum regressus non sit, ut a quærentibus se apprehenderetur: Davidi quod dum in spelunca esset, Sauli non venerit obviam: sed & Prophetarum filiis, quod in speluncis remanentes se se Achabo non dediderint; fuisset enim illud contra præceptum agere, dicente Scriptura, *non tentabis Dominum Deum tuum*. [*Deut. 6. 16. Matth. 4. 7.*]

26. Id ego veritus & hæc edoctus, ita agendum putavi, nec aspernor gratiam & opem mihi a Domino præstitam: etiamsi illi furibundi dentibus in nos strideant. Ea enim fuit nostri secessus ratio; nec arbitror ullam hac in re culpam esse apud sanæ mentis homines, quandoquidem secundum divinam Scripturam, hoc exemplum nobis a Sanctis ad institutionem traditum est. Verum illis, ut videtur, nihil inausum, nihil non tentatum est, neque ullam malitiæ crudelitatisque suæ commonstrandæ rationem prætermittunt. Ejusmodi quippe eorum vita est, cujusmodi sunt eorum sententia & garrulitas: neque posset quispiam tam multa tamque gravia contra illos dicere, qualia quantaque illi absque ullo rubore perpetrant. Nam Leontius accusatus quod cum juniore quadam muliere versaretur nomine Eustolio, prohibitusque cum illa habitare, sese castravit, quo sibi cum illa vivendi esset facultas. Neque tamen ita eam levavit suspicionem, ea enim maxime de causa, Presbyter cum esset, damnatus depositusque est: tametsi Constantius hæreticus vi & potestate sua illud effecit, ut is nominaretur Episcopus. Narcissus vero ad multa quibus oneratus est mala, ter in diversis Synodis depositus est, apud illos tamen degit, omnium sane sceleratissimus. Georgius item, Presbyter cum esset, improbitatis suæ causa depositus; cum sese tamen Episcopum nominasset iterum abdicatus est in magna Sardicensi Synodo. Cui id quoque inest mali, quod cum intemperanter vivat, nec id agens lateat, a suis quoque improbatur, quod vitæ finem & animi tranquillitatem rebus turpissimis metiatur.

27. Alter igitur alterum suis sceleribus superat: communis autem omnium ea est macula, quod hæresis suæ causa in Christum decertent: nec amplius Christiani, sed potius Ariani vocantur. Næ illi hæc traducere debuissent, nam a Christiana fide sunt aliena. At hæc occultant, quod ad suos adtineant: nihilque mirum si cum hac sint sententia, totque implicentur malis, eos qui non secum in impiissima sua hæresi conveniunt, persequantur & inquirant: & si, cum illos sustulerint, gaudeat: si vero quos exoptant, non apprehenderint, doleant, ac secum injuste agi existiment, quod, ut dixi, illos superstites, videant, quos ipsi cuperent enectos. Utinam ita cum illis injuste agatur, ut ipsi in irrogandis injuriis infirmi evadant: qui vero persequutionem illorum patiuntur Domino gratias agant, & hæc vigesimi sexti Psalmi dicant: *Dominus illuminatio mea & Salvator meus, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ a quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas: qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt*. [*Psal. 26. 1.*] Et rursum in trigesimo Psalmo: *salvasti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos*. [*Psal. 30. 7.*] In Christo Jesu Domino nostro per quem Patri & Spiritui sancto gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN EPISTOLAM AD SERAPIONEM

DE MORTE ARII,

ET IN EPISTOLAM AD MONACHOS

ADMONITIO.

I. EPISTOLA AD SERAPIONEM *de Morte Arii, tametsi scripta est post Epistolam ad Monachos, priorem tamen hic locum occupat, perinde atque in antiquioribus manuscriptis, veroque simile est illas eo ad nos ordine pervenisse, quo ad Serapionem missæ sunt. Rogatus quippe ab ipso Serapione Athanasius, ut rerum suo tempore gestarum Historiam, Arianicæ impietatis confutationem, Ariique obitus rationem ad se transmitteret; priora duo postulata, subnexis scriptis suis ad Monachos nuncupatis, explevit: tertium vero in sua ad eumdem Serapionem Epistola, quam ceteris præposuit, exsequutus est. Mortem igitur Arii, quam paucis in Epistola ad Episcopos Ægypti & Libyæ attigerat, hic fusius prosequitur S. Doctor, prout eam a Mazario Presbytero, oculato teste, didicerat. Hac absoluta narratione, rogat Serapionem, ut perlectis suis adversus Arianos scriptis, illa ad se quamprimum curet transmittenda; sicque hanc claudit epistolam.*

[Athanasium sequuti hanc Epistolam inscripsimus, ad Monachos. Vide infra in Epist. ad Serapionem de Morte Arii num. 1. & 5.]

II. EPISTOLA AD MONACHOS *est veluti prologus ad historiam rerum gestarum ab initio Arianismi ad annum 357. & ad Arianicorum dogmatum confutationem, quod utrumque opus postulantibus Monachis conscripsit Athanasius. In hac autem Epistola enarrat S. Doctor, quantum in iis quæ Verbi divinitatem spectant conscribendis, ob argumenti sublimitatem, elaborarit: rogatque Monachos ut ne aliis illa communicent, neque sibi transcribant, non tutum esse aiens, ut balbutientis & imperiti hominis scripta ad posteros perveniant; ita sobrie & moderate de se ipse sentiebat: quæ animi temperantia elucet item in toto operum ejus decursu.*

III. *Ista porro quæ ad confutandam Arianam hæresim, & ad Verbi Divinitatem propugnandam scripta sunt, an jam supersint, incertum. Quod ajunt enim nonnulli, idipsum esse quod quatuor Orationes contra Arianos, id difficultate non vacat. Nam in eo quod ad Monachos missum est rescripto, paucis Arianorum hæresis impugnabatur, ut ipse testatur Athanasius num. 1. Orationes autem*

con-

contra Arianos adeo prolixæ sunt, ut vix credatur, eas Athanasium paucis conscriptas dixisse, qui nullum tantæ prolixitatis opus, quod sciamus, unquam edidit. Quod vero putant quidam viri eruditissimi, Epistolam ad Serapionem quæ prima habetur in superioribus editis, quaque jam suo ordine restituta secundum obtinet locum, quasi synopsin esse rescripti ad Monachos missi, quod eorumdem rogatu fuerit in epitomen redactum; illud, inquam, verum non esse patet ex ea ipsa & ex sequenti ad Serapionem, epistola: ubi hoc unum ait Athanasius, postulasse fratres ut ea quæ fusius in prima sua ad Serapionem, de Spiritu sancto disputarat, paucis ad commodiorem Fratrum usum perscriberet. Quod antequam ageret S. Doctor, primo quæ Filii divinitatem spectant brevissime pertractavit; ut illis præmissis, facilius exinde de Spiritu sancto in Tertia sua ad Serapionem Epistola, breviusque dissereret. Nec ullatenus ibi meminit Athanasius prolixioris tractatus de Verbi divinitate ad Monachos missi. Itaque superstitne, an penitus interierit illa Arianismi confutatio ad Monachos data, valde dubium. Postremum sane Athanasius suadere videtur, dum Monachos & ipsum Serapionem impense rogat, nulli ut tradant rescriptum suum, neque transcribant sibi: sed post lectum opus, continuo ad se transmittant, ne imperiti hominis (sic ille) scripta tam altis de rebus ad posteros perveniant. Quo forte innuitur ab Athanasio ipso suppressum opusculum fuisse.

IV. Historiam Arianismi quod spectat, quæ item Monachorum rogatu scripta est, ad illosque missa initio mutilam esse, res ipsa per se clamat; sic enim inchoatur: Αὐτοὶ δὲ ὧν ταῦτα ἐμηχανήσαντο χάριν, ubi particula adversativa δὲ innuitur præmissa quædam fuisse. Immo vero ex subsequentibus palam est longe altius ductam fuisse narrationem. Cur autem totum amissum sit initium, haud difficile est augurari. Nempe amanuenses cum cernerent illam priorem Historiæ partem, eamdem aut fere similem esse posteriori Apologiæ contra Arianos parti num. 59. ubi ab exordio Arianismi res gestas recenset Athanasius, editaque monumenta refert, ab ea describenda supersederunt: quia nempe iisdem aut fere similibus verbis conscripta erat. Illud enim perpetuo observarunt, ut quod jam in superioribus descriptum haberetur, non iterum transcriberent. Fatemur tamen solere illos initium repetitarum Epistolarum apponere monereque haberi illas superius descriptas: sed quandoque nihil admonent, ac ne verbo quidem apposito, totum opus prætermittunt. Quod in fine hujus Historiæ advertere est, ubi Athanasius se Sardicensis Synodi epistolas conscripsisse testatur, quarum tamen ne vestigium ibi comparet, quia scilicet superius, nempe in Apologia contra Arianos, descriptæ fuerant.

V. Opinamur itaque a secunda Apologiæ parte initium hujus Historiæ duxisse Athanasium: seriemque narrationis eamdem prorsus cum servasset usque ad Synodum Hierosolymitanam anni 335. ibi diversam narrandi viam iniisse. In hac quippe Historia sic habet: Αὐτοὶ δὲ ὧν ταῦτα ἐμηχανήσαντο χάριν, οὐκ εἰς μακρὰν ἐπλήρωσαν· ἅμα γὰρ ἐπεβούλευσαν, καὶ εὐθὺς τοὺς περὶ Ἄρειον εἰς κοινωνίαν ἐδέξαντο. id est, Illi vero ea, quorum gratia hæc moliti sunt, non diu postea impleverunt: statim enim post paratas ejusmodi insidias, Arium cum suis ad communionem receperunt: in Apologia vero sic num. 84. ταῦτα δὲ οἱ τοιαῦτα συνθέντες, εὐθὺς καὶ τὴν αἰτίαν δι' ἣν αὐτὰ ἔπραξαν, ἐφανέρωσαν· ἀναχωρήσαντες γὰρ, ἀπήγαγον μεθ' ἑαυτῶν τοὺς Ἀρειανοὺς εἰς τὴν Ἱερουσαλὴμ, κἀκεῖ αὐτοὺς εἰς κοινωνίαν ἐδέξαντο. id est, Hujusmodi res machinati, talia agendi causam mox palam fecere: inde namque profecti, Arianos secum Hierosolymam adduxere, eosque illic ad communionem admisere. His accinunt quæ in libro de Synodis, post epistolam ejusdem Hierosolymitanæ Synodi, leguntur: ubi dicitur Arium cum sociis Ἄρειον καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ, admissum ad communionem fuisse. Notandum autem licet apertissimum sit, truncatam ab initio esse hanc ad Monachos missam Historiam; attamen cum eorum quæ jam supersunt initium a re percelebri ducatur, integraque prorsus sit sententia, certum videri, non casu sed consilio prætermissa priora fuisse. Nulla autem sese offert hæc omittendi causa, quam quæ a nobis superius allata est.

VI. Unum tamen est quod quidpiam negotii facessere possit; nempe, paulo post medium hujus historiæ, ubi agit Athanasius de secunda persequutione Alexandrina sub Constantio, ait, ἃ μικρῷ πρόσθεν δι' ὀλίγων εἴρηται, quæ paulo ante paucis pertractata sunt, quo innuit se jam ante in hac Historia de illa persequutione verba fecisse: unde infert Felckmannus, cum in iis quæ jam exstant persequutionem illam non enarrarit, in iis quæ ab initio amissa sunt, enarratam illam fuisse: unde forte quis colligat, cum in secunda Apologiæ parte ne verbum quidem de illa persequutione compareat, non fuisse illam huic Historiæ ab Athanasio adnexam, sed aliud ab illa diversum initium adtextum fuisse. At etiamsi secundæ Apologiæ parti, de secunda persequutione Alexandrina nonnihil addidisset Athanasius, non obstitisset illud quin amanuenses hæc cum ceteris omitterent; exempla enim hujusmodi omissionum vide sis in Apologia contra Arianos num. 44. & 78. ubi amanuenses non modo epistolas ante descriptas omittunt; sed & si quid posteriores a prioribus discrepent, plerumque nihil monendo, id cum aliis prætermittunt. Observandumque notas omissionum quæ a prioribus amanuensibus appositæ fuerant, fuisse a posterioribus prætermissas: quod haud semel apud Athanasium animadvertimus. Arbitramur tamen illud μικρῷ πρόσθεν, referri non posse ad eam Historiæ partem quæ initio omissa est. Nam qui, quæso, paulo ante enarrata illa diceret, quæ plus quam quadraginta ante paginis haberentur. Itaque illud paulo ante referendum videtur ad ea quæ media ante pagina de Alexandrina persequutione, δι' ὀλίγων, paucis scilicet, memorat Athanasius & ad ea quæ num. 32. de Syriani irruptione leviter attingit.

VII. Circa superius allatum hujusce Historiæ initium, prout scilicet jam exstat, ingentes induxere controversias viri quidam eruditissimi, qui cum Alexandri Constantinopolitani obitum ad annum 331. referant, hinc consequenter colligunt non Arium hæresiarcham admissum fuisse in Hierosolymitana Synodo anno 335. celebrata, sed alium hæresiarchæ cognominem ejusque sequacem. Alibi autem Arium dicunt pro Arianis eo loci ab Athanasio nominari. Sed utraque illa sententia ne minimum quidem probabilitatis habet. Nam primum quod spectat, quis unquam sibi persuaserit, Athanasium in Apologia contra Arianos, & in Libro de Synodis, postquam in serie narrationis sexcenties hæresiarcham Arium nominavit, ubi ad Synodi Hierosolymitanæ narrationem pervenit, derepente alium substituere Arium; ita ut nec moneat, nec vel minimo signo indicet esse illum alium ab hæresiar-

resiarcha; ut omnes omnino in errorem inducat. Quid vero absimilius? Quid alienius a sapiente accuratoque Scriptore, qualem fuisse Athanasium nemo eat inficias: ruit sane illud vel primo prudentis lectoris aspectu. Nec plus habet firmitatis quod ajunt, Arianos ibi Arii nomine indicatos esse; testatur quippe Athanasius Libro de Synodis, receptum illic fuisse Ἄρειον ϗ τοὺς σὺν αὐτῷ *quasi diceret Arium & Arianos: ubi cum aperte distinguat Arium a sequacibus, manifestum est Arium ipsum, tum superstitem, cum Arianis admissum ad communionem fuisse.*

VIII. *Quod Eruditos viros ad eam amplectendam sententiam compulit, verba sunt Philippopolitanæ Synodi ab Arianis celebratæ anno 347. cujus Epistola habetur in Fragmentis Hilarii. Ibi ajunt heretici, num. 13. Paulum Constantinopolitanum Athanasii expositioni, seu depositioni interfuisse, illumque damnasse. Unde arguunt illi, jam tempore Tyriæ Synodi ubi damnatus Athanasius fuit, Paulum fuisse Constantinopolis Episcopum: atque adeo tempore Synodi Tyriæ, ac consequenter Hierosolymitanæ quæ post Tyriam celebrata est, defunctum Arium fuisse, quippe qui ante Alexandrum Pauli decessorem obierit. Sed qua fides habenda huic hæreticorum epistolæ, quæ calumniis, & mendaciis respersa est: cum præsertim eodem loci dicatur, Asclepam ab Athanasio damnatum fuisse, quod falsissimum est, impudenterque sub ipsum epistolæ initium dicant heretici, se Sardicæ Synodum celebrasse, quod a vero abhorrere, nulli notum non erat. De his iterum in vita Athanasii.*

IX. *Aliud autem adferunt argumentum, Arium scilicet hæresiarcham diu ante celebratam Synodum Hierosolymitanam fuisse ad communionem admissum; atque adeo non eumdem receptum fuisse in prædicta Synodo. Sed omnino repugnat illud Athanasio, qui Apologia contra Arianos num. 59. ait, Eusebio instigante jussisse sibi Constantinum ut Arium reciperet; idque denegante Athanasio, atque sibi fas non esse, Imperatori suadente; ideo Eusebianos in Athanasium calumnias struxisse. Postea vero num. 84. ait, eos in Synodo Hierosolymitana palam fecisse, se hæc omnia esse machinatos Arii cum suis recipiendi causa, atque eum ibi revera ad communionem fuisse admissum, ut testatur etiam ipse in Libro de Synodis post epistolam ejusdem Synodi Hierosolymitanæ. Ex his Athanasii locis ipsa luce clarius est ipsum hæresiarcham in Synodo Hierosolymitana anni 335. ad communionem fuisse admissum. Mirum sane ejusmodi loco innixos eruditos viros, incredibilem & Athanasio adversantem statuisse sententiam. Cetera quæ adferunt nullius sunt momenti, nec confutatione egent. Duo tamen monitu digna supersunt. 1.° Alium revera fuisse Arium hæresiarchæ sequacem, qui una cum illo ab Alexandro Alexandrino damnatus fertur in Epistola ejusdem Alexandri inferius edenda; sed nullius nominis hominem, qui ne semel quidem apud Athanasium memoratur. 2.° Hilarium duos Arios nominasse Fragm. 2. n. 26. sed solet Hilarius Arianos Arios nuncupare, ut observarunt nostri in postrema Hilarii editione: ubi item ajunt hoc Hilarii loco deceptos Severum Sulpitium & Vigilium Tapsensem duos induxisse Arios. Ibid. vide sis.*

X. *Postquam Hierosolymitanæ Synodi gesta leviter attigit Athanasius, recenset Episcopos ab Arianis dire vexatos, extorresque factos. Hinc enarrat res gestas ab anno 338. ad annum 357. ac intermissa plerumque narrationis serie, acriter in Constantium & in Arianos invehitur. Huic Historiæ sese acta Sardicensis Synodi, Obtestationesque populi Alexandrini circa Syriani irruptionem, subjunxisse memorat S. Doctor. Sed ibi ob superius allatam rationem, Sardicensis Synodi Epistola minime comparent. Ex Obtestationibus vero secunda tantum ibi subnectitur: prima vero vel ab Athanasio nunquam illic apposita est, quia cum in eremo tum versaretur cum hæc scripsit, illam fortasse nancisci nequiverit: aut forte cum subsequenti omnino similis esset, eademque Syriani irruptio ibi enarraretur, ut palam est ex secunda quæ jam superest, ab amanuensibus de more omissa fuit.*

XI. *Restat ut annum statuamus quo hæc scripta sunt. Valesius in notis ad Socratem Baronium secutus, Leontium Antiochenum existimat obiisse anno 356. illisque favet Socrates, qui ait lib. 2. cap. 37. Eudoxium Germaniciæ Episcopum mortem Leontii didicisse dum Romæ degeret cum Constantio; sub initium scilicet, aut saltem ante mensem Majum anni 357. Nam initio Maji ut tardius Roma profectus est Constantius ut Sirmium se conferret. Quare cum Historia ad Monachos missa Leontium ut superstitem memoret, si Socratem sequamur, scripta fuerit anno 356. aut ad summum sub initium anni 357. Sed evidentissime repugnat huic sententiæ Athanasius, qui de Hosii obitu in ea loquitur. Obiit certe Hosius ut citius sub finem anni 357. nec videtur eo ipso anno fama mortis ejus ex Hispania ad Ægypti deserta usque pervenisse. Quare ad annum 358. hæc Athanasii scripta referenda sunt: cum alioqui certum sit labi sæpissime Socratem, ut alias monuimus. De Marcello Ancyrano agimus infra num. 4.*

SAN-

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

EPISTOLA

AD SERAPIONEM FRATREM.

Athanasius Serapioni fratri & comministro, in Domino salutem.

Scripta anno 318.

1. LEGI pietatis tuæ litteras, quibus hortaris nos, ut tibi quæ nos spectant, quæque hoc tempore gesta sunt, enarremus: & una scribamus de impiissima Ariana hæresi, cujus causa hæc mala pertulimus: necnon quisnam fuerit vitæ Arii exitus. Cum tria igitur postulata fuerint, duo quidem libenter exsequutus sum, misique ad tuam pietatem mea ad Monachos scripta: ex his enim poteris cum res nostras, tum eas quæ ad hæresim attinent, ediscere. Tertium vero quod spectat, nempe Arii mortem, multa mecum perpendi, veritus ne me quis hominis interitui insultare arbitretur. Verumtamen cum, disputatione apud vos circa hæresim habita, huc quæstio desierit, num Ecclesiæ communione junctus obierit Arius; idcirco, cum ex obitus illius historia quæstio solvatur, necesse duxi accurate rem vobis enarrare: ratus perinde esse hoc indicare, atque disputantes compescere. Existimo enim, cognito illius mortis miraculo, ne eos quidem qui ante hac de re quæstiones movebant, ausuros ultra ambigere, Deone odiosa sit Ariana hæresis.

2. * Equidem Constantinopoli non aderam, cum ille vita functus est: sed aderat Macarius Presbyter, a quo narrante rem comperi. Ab Imperatore Constantino, Eusebianorum opera, accitus Arius fuerat: ingressum autem Arium Imperator interrogavit, num Ecclesiæ Catholicæ fidem servaret: is vero se recte credere jurejurando affirmavit, ac rescriptum fidei suæ tradidit, quo iis occultatis quorum causa ab Alexandro episcopo Ecclesia pulsus fuerat, Scripturarum verba dolose proferebat. Cum jurasset itaque se non eam tenuisse sententiam cujus causa ab Alexandro exactus fuerat; illum Imperator dimittens, si recta, ait, est fides tua, bene jurasti; sin impia, & tamen jurasti, Deus ex juramento causam tuam judicet. Illum igitur ab Imperatore ita digressum Eusebiani, solita usi violentia, in Ecclesiam introducere voluerunt: obsistebat Constantinopolitanus Episcopus beatæ vir memoriæ Alexander, non debere, ajens, hæresis auctorem in Ecclesiam recipi. At Eusebiani minis adhibitis, ajebant: Ut, repugnantibus licet vobis, obtinuimus ut illum Imperator arcesseret; sic die crastina, etiamsi id non e sententia sit tua, Arius in hac ecclesia nobiscum synaxi aderit. Sabbatum autem erat cum hæc illi effutirent.

3. Quibus auditis Episcopus Alexander, magno mœrore perfusus, in Ecclesiam ingressus est, extensisque ad Deum manibus, collacrymans in vultum procidit in Sacrario: humique jacens orabat. Aderat Macarius, qui & ipse orabat, orantisque vocem audivit. Alterum autem his verbis enixe rogabat Episcopus: Si Arius crastina die ad conventum accedet, me servum tuum ex hac vita dimitte, & ne pium cum impio perdideris; sin Ecclesiæ tuæ miserearis, misereberis autem, hoc bene novi, respice in Eusebianorum verba, & ne dederis in exitium & in opprobrium hæreditatem tuam; ac tolle Arium, ne ingrediente illo in Ecclesiam, hæresis cum illo introire videatur: neve deinceps impietas pro pietate habeatur. Hæc precatus Episcopus, multum anxius recessit: & res mira incredibilisque contigit. Eusebianis quippe minitantibus, Episcopus orabat, Arius vero Eusebianis fretus, ac multa nugatus, ingressus in latrinas quasi alvi exonerandæ causa, derepente, uti scriptum est, pronus factus crepuit medius, prolapsusque statim exspiravit, utroque simul, vita scilicet & communione privatus. Act. 1. 18.

4. Ejusmodi fuit Arii exitus: Eusebianique ingenti pudore suffusi, conjurationis suæ socium sepeliere. Beatæ vero vir memoriæ Alexander, gaudente Ecclesia synaxin cum pietate & sana fide celebravit, precesque fudit pro fratribus omnibus, ac Deum magnopere glorificavit: non quo gauderet de illius interitu, absit: nam *statutum est omnibus hominibus semel mori*; sed quod Heb. 9. 27. ea res humana judicia visa fuerit superare. Ipse namque Dominus inter Eusebianorum minas & Alexandri preces judicem sese constituens, hæresim damnavit Arianam, declaravitque esse illam Ecclesiæ communione indignam. Palam item fecit omnibus, licet Imperator universique homines ejus patrocinium suscipiant, ab Ecclesia tamen illam condemnatam fuisse. Exploratum itaque est, Christo adversariam Arianorum officinam, non Deo caram, sed impiam esse. Certe plerique illorum qui ante circumventi fuerant, sententiam commutarunt. Non enim quivis alius, sed ipse Dominus in quem illi blasphemabant, adversum se insurgentem hæresim condemnavit. Propalamque fecit, licet etiamnum Imperator Constantius, illius gratia Episcopis vim inferat, esse nihilominus eam & a communione Ecclesiæ segregatam, & a cælo alienam. Quamobrem cesset in posterum hujusmodi vestra quæstio, sic enim inter vos pactum fuit; nemoque hæresi adjungatur: sed resipiscant qui decepti sunt. Quam enim Dominus damnavit, quis recipiet? & cujus ille communionem prohibuit, quomodo qui admittet non maximæ impietatis reus, & palam Christi hostis erit?

5. Hæc sint igitur ad contentiosos confundendos satis: hæc legito iis qui hujus quæstionis auctores

* Hæc habentur apud Theodoret. lib. 1. Hanc item Historiam refert Socrates, sed multum variat ab Athanasii narratione.

ctores fuere, necnon ea quæ adversus hæresim paucis ad Monachos conscripta sunt, ut Arianorum inde impietatem malitiamque magis improbent. Cave nemini horum exemplar edas, aut tibi ipse transcribas: nam idipsum Monachis quoque significavi: sed pro tua ingenuitate, si quidpiam scriptis deerit, id addas, statimque illa ad nos remittas velim. Ex mea quippe ad Fratres epistola, poteris quidnam scribendo passus sim ediscere: atque hinc noveris, ideo tutum non esse imperiti scripta edere, præsertim A de supremis ac præcipuis dogmatibus, ne si quid per imbecillitatem, obscuritatemque sermonis minus absolute dictum sit, noxam id lectoribus adferat. Plerique enim, nec fidem, nec scopum scriptoris attendunt: sed aut ex invidia, aut contentionis studio, pro sua jam in mente recepta sententia, arbitratu suo verba accipiunt, & scripta pro libidine detorquent. Faxit Dominus ut in omnibus, ac potissimum quibus hæc legis, veritas & sana in Dominum nostrum Jesum Christum fides obtineat. Amen.

Modestia Athanasii.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

EPISTOLA

Omnibus ubique monasticam vitam agentibus, & in fide Dei firmatis, sanctificatisque in Christo, ac dicentibus: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, *dilectis ac desideratissimis fratribus, in Domino salutem plurimam.*

Matth. 19. 27.

Scripta anno 358.

1. UT vestræ caritati morem gererem, postquam me frequenter hortati estis, demum nostras Ecclesiæque calamitates paucis conscripsi, & quoad facultas tulit exsecrandam Ariomanitarum hæresim confutavi, ostendique quam sit illa a veritate aliena. Quid autem in scribendo perpessus sim, vestræ pietati indicandum putavi, ut hinc ediscatis quam vere beatus Apostolus dixerit: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, mihique homini natura imbecillo ignoscatis. Quo enim magis scribere aggrediebar, mihique ipse ad intelligendam Verbi divinitatem vim inferebam, eo longius cognitio a me recedebat: agnoscebamque me tanto magis rei assequendæ imparem esse, quanto magis eam attigisse mihi videbar. Etenim ne hoc ipsum quod me intelligere putabam, scribere poteram; imo quod scribebam minus erat quam concepta, licet pusilla, veritatis umbra.

Rom. 11. 33.

Quam ardua res sit de Verbi Divinitate disserere.

2. Cum adverterem itaque in Ecclesiaste scriptum esse: *Dixi, sapiens efficiar, & ipsa longius recessit a me, multo magis quam erat.* Et, *alta profunditas, quis inveniet eam?* Et illud in Psalmis: *mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Et quod Salomon ait: *Gloria Dei est celare verbum:* sæpe volui subsistere, atque a scribendo desinere: ita credite. Ne autem videar aut vobis molestus esse, aut eos qui illud a vobis postulant, iisque de rebus disceptant, per silentium meum in impietate detinere, mihi ipse ad hæc pauca scribenda vim intuli: & hæc misi vestræ pietati. Etsi enim comprehensio veritatis ut in se est, nunc ob carnis infirmitatem procul a nobis sit, at potest agnosci, ut ait Ecclesiastes, impiorum stultitia, quam qui invenerit, dicere potest ipsa morte amariorem eam esse. Quamobrem id cum nossem & assequi valerem, hæc scripsi: gnarus, impietatis confutationem, fidelibus esse ad pietatis cognitionem satis. Etenim tametsi comprehendi nequeat, quid sit Deus, dici ta- B men potest, quid non sit; scimus autem eum non esse ut hominem, nec fas esse quidquam e rebus factis illi adscribere. Eo prorsus modo etiam de Filio Dei cogitandum: etsi multo longius natura ab eo simus, quam ut eum comprehendere valeamus; possumus tamen, imo facile est ea confutare quæ ab hæreticis proferuntur, ac dicere, non esse illa Filium Dei: neque fas esse, qualia ipsi loquuntur de ejus divinitate vel cogitare, nedum labiis proferre.

Eccle. 7. 24.

Psal. 138. 6.

Prov. 25. 2.

Eccles. 7. 26.

3. Sic equidem pro facultate scripsi: vos autem, dilecti, hæc accipite, non quasi perfectam de Di- C vinitate Verbi explicationem complectantur: sed ut quæ dumtaxat Christi hostium impietatem arguant, & quæ volentibus occasionem præbeant ad piam sanamque in Christo fidem assequendam. Quod si quid omissum est (puto autem omnia omissa esse) cum conscientia, quæso, pura veniam mihi tribuite, tantumque velim audax meum pro pietate propositum approbetis. Ad perfectam enim Arianorum hæreseos confutationem, sufficit latum de Arii morte a Domino judicium, quod jam ab aliis antea didicistis. Quæ enim sancti Dei ju- D dicio statuta sunt, quis irrita faciet? & quem Dominus condemnavit, quis justificabit? Nam quia ex hujusmodi signo non agnoscit Deo odiosam esse illam hæresim, etiamsi homines patronos nacta sit. Cum igitur hæc legeritis, orate pro nobis, & invicem vos ad illud cohortamini. Et quamprimum hæc ipsa ad nos remittite: nulli prorsus hujus exemplar tradatis, nec vobis ipsis transcribatis, sed ut probis trapezitis sat vobis sit horum lectio, sæpius repetita si libeat. Non enim tutum est nostrum balbutientium & indoctorum litteras ad posteros pervenire. Salutate vos invicem in cari- E tate, & omnes qui ad vos in pietate & fide accesserint. *Si quis enim*, ut ait Apostolus, *non amat Dominum, anathema sit. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum. Amen.*

Esaia 14. 27.

1. Cor. 16. 22.

HISTORIA ARIANORUM

Usque ad annum 357. initio mutila.

Hæc gesta sunt anno 335.

1. ILLI vero ea quorum gratia hæc moliti sunt, non diu postea impleverunt. Nam statim a structis ejusmodi insidiis, Arium in communionem recepere. Et cum judicia tam multa contra se lata vilipenderent, Imperatoriam potestatem pro se obtendebant: nec veriti sunt in litteris suis dicere: Athanasio afflicto, invidia cessavit, Arianos autem jam recipiamus: hoc ad terrorem auditorum addentes: Hoc enim jussit Imperator. Dehinc non puduit homines illos hoc adjicere: Ariani quippe recte sentiunt: non metuentes quod scriptum est: *Væ qui dicitis amarum, dulce: ponentes tenebras lucem*. Ad omnia enim pro hæresi toleranda parati sunt. Nonne hinc omnibus plane perspicuum est, non ecclesiastico judicio, sed Imperatoriis minis, & nos tunc ob pietatem erga Christum hujusmodi malis affectos fuisse, & vos jam persequutionem excitasse? Nam alios quoque Episcopos insidiis, confictisque criminibus aggressi sunt: quorum alii quidem in exsilio obdormierunt, Christi confessionis gloriam adepti: alii etiamnum exulant, fortiusque contra eorum hæresim decertant, & ajunt: *Nihil nos separabit a caritate Christi*.

Esa. 5. 20.

Rom. 8. 35.

2. Hac item nota eam hæresim dignoscere, imo potius confutare licet, quod quisquis ipsis amicus est, & impietate socius, etiamsi aliis sceleribus & sexcentis criminibus obnoxius sit, quamvis reus & convictus, licet probationes evidentissimæ adversus eum suppetant; hic tamen apud illos probus, statimque Imperatoris amicus efficitur, ex sua scilicet impietate commendatus: magnoque hinc pecuniarum quæstu facto, a judicibus etiam facultatem obtinet quidvis ad suum placitum agendi. Qui antem impietatem eorum confutat, & sincere Christi causam agit, is tametsi purus in omnibus, tametsi nihil sibi conscius sit, quamvis a nemine accusetur, attamen, illis causas comminiscentibus, statim abripitur, & Imperatoris judicio, in exsilium mittitur, quasi obnoxius iis quæ ipsi voluerint criminibus: vel quasi Imperatori contumeliam dixerit, ut Naboth. Qui autem hæresi patrocinatur, inquiritur, & statim in illius Ecclesiam mittitur. Hinc bonorum proscriptiones, contumeliæ, omneque vexationis genus in eos qui invasorem non recipiunt. Et quod maximum stuporem adferat, quem populi cupiunt, & *irreprehensibilem* agnoscunt, hunc tollit Imperator, in exsiliumque mittit; quem vero nec volunt nec norunt, hunc e longinquo cum militibus & litteris suis mittit. Ac dehinc magna vi coguntur populi, eum odio habere, quem utpote suum in Religione magistrum & Patrem diligunt: illum vero diligere, quem nolunt: ac ei liberos suos concredere, cujus mores & vitæ institutum, imo quem quisnam sit ignorant: aut denique pœnas luere si Imperatori non obtemperent.

3. Reg. 21. 10.

3. Hæc nunc sunt impiorum gesta, hæc olim etiam contra Orthodoxos perpetrarunt: suæque malitiæ ac impietatis argumenta apud omnes ubique pervulgant. Nam esto, Athanasium accusaverint, sed quid mali admisere alii Episcopi? quis adversus illos obtentus? quis apud illos Arsenius mortuus repertus est? quisnam a- A pud illos Macarius Presbyter, aut calix confractus? quis Meletianus insimulavit? Sed ut ex eorum gestis liquet & quæ contra Athanasium dixere falsa ostenduntur: & ex iis quæ contra Athanasium moliti sunt patet, quæ aliis imputavere similiter esse conficta. Ingens quædam bellua in terram exivit, hæc nempe hæresis: quæ non solum verbis quasi dentibus innocentes lædit; sed & ad insidias parandas externam potentiam mercede conduxit. Et quod stupendum est, uti jam dixi, nullus eorum accusatur, aut si accusatur, non judicatur, vel si interrogari videatur, damnatis iis qui se convincebant, ipse declaratur innoxius. Potiusque accusa- B tor qui reum convincit insidiis petitur, quam ipse reus pudore aliquo suffundatur. Apud illos itaque nemo est quin sordibus scateat: eorumque catascopi, id est exploratores, haud enim Episcopi nuncupandi, omnium sordidissimi sunt. Si quis apud illos optat Episcopus esse is hæc non audit: *Oportet Episcopum, irreprehensibilem esse*: sed solum: Contra Christum sentias, nec de moribus cures: est enim illud tibi satis, ut commendatus Imperatorisque amicus evadas. Hæc de iis qui cum Ario sentiunt. Veritatis autem sectatores, quantumvis sancti, C quantumvis puri videantur, uti supra dixi, rei habentur, illis arbitratu suo crimina comminiscentibus: eamque rem, ut dictum est, ex eorum gestis deprehendere licet.

1. Tim. 3. 2.

4. * Eustathius quidam fuit Antiochenus Episcopus, confessor ac fide pius. Is cum veritatem summo studio tueretur, essetque Arianæ hæresi infensissimus, hæreticosque illos non admitteret, apud Constantinum Imperatorem insimulatur, conficta criminatione, quod scilicet matri ejus contumeliam fecisset: statimque ipse cum multa Presbyterorum D Diaconorumque turma extorris factus est, ac demum quos ille impietatis causa in Clerum non admittebat, hos postquam Episcopus in exsilium est actus, non solum in Ecclesiam introduxere, sed plerosque ex illis ordinarunt Episcopos, ut eos suæ pro impietate conjurationis socios haberent. Ex quorum numero est Leontius castratus, qui nunc Antiochiæ Episcopus est, & qui ante ipsum ibidem Episcopus fuit Stephanus, Georgius Laodiceæ, Theodosius olim Tripolitanus Episcopus, Eudoxius Germaniciæ, Eustathius nunc Sebastes.

Persequutiones Arianorum in varios Episcopos. In Eustathium Antiochenum.

5. An hic saltem substiterunt? Nequaquam. Eutropius enim olim Adrianopolitanus Episco- E pus, vir bonus, ac omni ex parte perfectus, quod pluries Eusebium coarguisset, & illac transeuntibus auctor suisset, ne impiis Eusebii verbis obtemperarent, easdem quas Eustathius calamitates patitur, & civitate, Ecclesiaque sua pellitur: † Basilina enim contra illum summopere urgebat. Euphration item Balanearum, Cymatius Palti, alter Cymatius Taradi, Asclepas Gazæ, Cyrus Berœæ in Syria, Diodorus in Asia, Domnion Sirmii, & Hellanicus Tripolis, statim atque hæresim odisse comperti sunt, alii ob conficta crimina, alii nulla allata causa, Impe- F ratoriarum litterarum auctoritate translati, & ab illis civitate pulsi sunt: aliosque illi eorum

In Eutropium Adrianopolitanum.

† Uxor Julii Constantii, mater Juliani Apostatæ.

In Euphrationem Balaneæ, Cymatium Palti, &c.

* Aliam depositionis Eustathii causam adferunt Hieronymus, Socrates, Sozomenus & Theodoretus, quod nempe a muliercula delatus fuerit, quæ se filium ex Eusthathio suscepisse mentiebatur. Ajunt item Socr. & Sozom. illum Sabellianismi fuisse accusatum. Sed nihil repugnat varia crimina sancto Præsuli ab Hæreticis imposita fuisse. Hac de re fusius in Athanasii vita. Chrysost. t. 1. Homiliam integram in hunc Eustathium habuit.

vice quos impios noverant, in ipsorum Ecclesiis constituere.

In Marcellum Ancyranum.

6. * De Marcello autem Galatiæ Episcopo, superfluum fortasse fuerit mentionem facere: omnibus enim compertum est, Eusebianos ab eo antea impietatis accusatos, eum vicissim accusasse, eorumque opera senem illum exulasse. Ille autem Romam profectus sese purgavit, fidemque suam illis exigentibus scripto tradidit, quam Sardicensis ipsa Synodus approbavit. Eusebiani vero neque se purgarunt, neque puduit eos ex scriptis suis impietatis fuisse convictos: sed audacius adversus omnes insurrexerunt. Nam apud Imperatorem mulierum commendatione plurimum valebant, omnibusque formidini erant.

In Paulum Constantinopolitanum.

7. Quod Paulum vero spectat Constantinopolis Episcopum, neminem ignorare arbitror, quo enim clarior urbs, eo minus obscuræ fuerint res ibi gestæ. ** Itaque adversus hunc etiam causas commenti sunt, Etenim Macedonius qui nobis præsentibus eum accusavit, quique jam Episcopus ejus loco creatus est, cum eo communicavit & sub eodem Paulo presbyter fuit. Attamen cum Eusebium illius urbis Episcopatus invadendi (ita enim jam Beryto Nicomediam se transtulerat) cupido incessisset; illa in Paulum accusatio perduravit, nec illi insidias suas neglexere, sed in calumniis suis perstitere. Et primo quidem Paulus a Constantino in Pontum relegatus est: secundo autem a Constantio ferreis catenis vinctus, Singaris Mesopotamiæ exulavit: illinc postea Emesam translatus: quarto Cucusum Cappadociæ, ad deserta Tauri, & istbic ut renunciarunt qui cum eo erant, ab ipsis strangulatus, obiit. His ita gestis, nihil veriti sunt, homines illi in nullo veraces, post mortem ejus falso ac subdole pervulgare, illum morbo extinctum fuisse, licet res omnibus qui eum locum incolunt comperta sit. Etenim Philagrius qui tunc temporis eorum locorum Vicarius erat, & omnium fabularum, arbitratu eorum, histrio, cum tamen ideo fortasse stupore perculsus ac mœstus esset, quod non ipse sed alius id sceleris perpetrasset, permultis, ac quibusdam ex notis nostris, imo ipsi Episcopo Serapioni renuntiavit, Paulum ab illis in angusto & tenebroso quodam loco inclusum fuisse, ut fame illic interiret: deinde post sex dies, cum eo ingressi, illum adhuc spirantem invenissent, demum irruentes hominem strangulasse: talemque revera illius exitum fuisse. Illius autem carnificem fuisse ajebant Philippum olim præfectum. At hoc facinus divina vindicta inultum non præterivit; anno quippe nondum elapso, cum multo dedecore Philippus a præfectura deturbatus est: ita ut tamquam privatus, quibus minime volebat ludibrio esset. Itaque admodum tristis, ac velut Cain gemebundus ac tremens, cum in dies expectaret qui se procul patria suisque confoderet, veluti attonitus, quod hæc minime placerent, interiit. Cæterum illi ne ipsis quidem mortuis parcunt, quos dum viverent confictis criminationibus adoriebantur. Ita enim sese omnibus terribiles exhibere satagunt, ut viventes in exsilium agant, & nulla erga defunctos misericordia moveantur: sed etiam præter hominum omnium morem, defunctos odio habent, eorumque affinibus insidiantur, inhumani illi ac bonorum inimici homines vel immanissimis hostibus efferatiores: eaque omnia impietatis suæ causa agunt, non enim veris, sed confictis criminationibus, nobis aliisque omnibus insidiantur.

8. Hoc cum adverterent tres fratres, Constantinus, Constantius, & Constans, post obitum Patris sui omnes in Patriam & Ecclesiam suam reverti jusserunt: qui de aliis Episcopis, ad singulorum Ecclesias rescripsere: de Athanasio autem ista, quæ & vim hoc in negotio allatam comprobant, & Eusebianorum sanguinarium animum arguunt.

Athanasius ab exsilio revertitur an. 338.

Exemplar Epistolæ Constantini Cæsaris populo Catholicæ Ecclesiæ urbis Alexandrinæ.

† Hoc ordine habetur in Regiis codice.

NEc sacræ mentis vestræ notitiam præteriisse arbitror, ideo Athanasium venerandæ legis interpretem, &c. (*Scripta supra in Tractatu † septuagesimo quinto absque ullo discrimine.*) *Vide p.* 81.

Hæ sunt illæ litteræ. Conjurationis autem eorum, quis alius illo fide dignior exstiterit? ita quippe ille scripsit, cum rem exploratam haberet.

9. Itaque cum adverterent Eusebiani frangi hæresis suæ vires, litteras Romam, litteras item ad Imperatores Constantinum & Constantem mittunt adversus Athanasium. Ut autem Athanasii legati eorum scripta falsi arguerunt, cum maximo pudore ab Imperatoribus illi repulsam tulere. Romanus vero Episcopus Julius litteris suis indicavit, quo vellemus loco, cogendam synodum esse; ut accusationes illi suas, veras comprobarent, sibi vero illatas cum fiducia depellerent. Idipsum Presbyteri ab illis missi rogarant, cum sese falsi convictos adverterent. His ita gestis, cum perspectum haberent illi in omnibus suspecti homines, se nequaquam ecclesiastico judi-

Anno 340.

cio

* Exstant adhuc libri Eusebii Cæsariensis adversus Marcellum Ancyranum, ubi confutatur ejus Hæresis de Verbo a Maria originem ducente. Sed in Synodis Romana anni 342. & Sardicensi anni 347. examinatis ejus scriptis, illum recte sentire declaratum est: Athanasius autem honorifice semper Marcellum memorat in iis quæ supersunt ejus operibus. At secus reliqui Patres, qui Marcellum ut Hæreticum vehementer exagitant, illumque Photinianæ Hæreseos auctorem agnoscunt: erat quippe Photinus patria Ancyranus, Marcellique discipulus. Ait autem Epiphanius Hæresi 72. fuisse suo tempore qui Marcellum pro hæretico haberent, alios qui eidem patrocinarentur, ut probo & Orthodoxo viro. Libet tamen hic apponere quæ se ipse ab Athanasio audisse testatur, memoratu sane digna: [illegible] Sciscitatus ego aliquando beatæ memoriæ Papam Athanasium, quid de hoc ipso Marcello sentiret: ille neque purgavit hominem, neque aperte infestatus est; sed subridens non procul ab improbitate fuisse significavit; agnoscere tamen sese purgasse virum.

** In hoc loco explanando deludarunt viri doctrina celeberrimi, quorum nonnulli vitium in contextu suspicati sunt, sed immerito: nam locus bene habet, dum recte explanetur. Ecce, nostro quidem judicio, veram Athanasii sententiam. Ait, a Macedonio delatum fuisse Paulum, se præsente, id est anno 338. cum ab exsilio revertens Athanasius Constantinopoli pertransiret: sed nihilominus postea ipsum Macedonium cum Paulo communicasse, ac sub ipso presbyterum fuisse. Verum cum Constantinopolitanæ sedis invadendæ cupido Eusebium incessisset, redintegratam fuisse criminationem. Quod autem subsequitur: *Et primo quidem*, &c. illud, inquam, non innuit, primum exsilium ob supra memoratam Macedonii accusationem irrogatum fuisse: accusatio quippe illa post mortem Constantini facta fuit; cum tamen, ut hic enarratur, primo exsularit Paulus tempore Constantini magni. Sed occasione secundi exsilii quod illam Macedonii accusationem subsequutum est, primum ibi memorat Athanasius. Et sane non insoliens illud est apud Athanasium, sic paulo infra [illegible] &c. *Olympium vero Ænorum, Theodulumque Trajanopolitanum ..... cum hæresi infensos cernerent, calumniati sunt, primo quidem Eusebius cum suis, litterasque dedit Imperator Constantius: secundo autem* &c. Ibi patet priorem calumniam non ad seriem historiæ pertinere; sed occasione secundæ memorari: quod item de superiore loco dicendum.

cio superiores fore, Constantium seorsim adeunt, apud quem, utpote hæreseos patronum fletus gemitusque profundunt: Miserare, ajentes, hæresim: cernis a nobis omnes defecisse: pauci demum relicti sumus: age, persequutionem incipe, quandoquidem vel a paucis illis relinquimur, desertique manemus. Iis enim, quos (post fugatos in exsiliumque missos Episcopos illos) ad nostras partes vi pertraximus, reversi illi ab exsilio, persuaserunt ut adversum nos sentirent. Litteras igitur scribe adversus omnes, Philagriumque secundo Ægypti præfectum mittito, qui strenuissimus est in persequendo, ut experientia compertum est, cum maxima sit apostata. Mitte etiam Gregorium Alexandriam Episcopum, idoneum sane hominem ad nostram stabiliendam hæresim.

Res in Gregorii intrusione gestæ anno 341.

10. Litteras itaque scribit Constantius, ac in omnes movet persequutionem Philagriumque mittit, cum Arsacio quodam eunucho. Mittit item Gregorium cum militari manu: resque superioribus similes gestæ sunt; * coacta quippe illi bubulcorum, opilionum, aliorum forensium, ac petulantium juvenum multitudine, cum gladiis & clavis in Ecclesiam Cyrini dictam irrupere: ibique alios occiderunt, alios pedibus calcarunt, alios plagis laniatos in carcerem truserunt in exsiliumque expulerunt; mulieres plurimas abductas ad tribunal palam pertraxere, crinibusque raptatas contumeliis affecere: alios proscripsere, aliorum panes abstulere: idque nulla alia de causa, quam ut eos Arianis adhærere, Gregoriumque ab Imperatore missum recipere cogerent.

11.** Athanasius porro his nondum actis, ad primum rei auditum Romam navigavit, quod hæreticorum furorem probe perspectum haberet: ut etiam, prout statutum fuerat, Synodus ibi celebraretur. Julius autem presbyteros Elpidium & Philoxenum cum litteris mittit, tempusque illis præstituit, ut intra illud Romam se conferrent, aut scirent se in omnibus suspectos haberi. At Eusebiani, ubi solum audiere, Ecclesiasticum illic fore judicium, ubi nec Comes adesset, nec milites pro foribus stantes: ubi nec Synodi acta ex Imperatoris jussu ederentur, (hoc enim solum modo in Episcopos semper prævaluerunt: iis deficientibus, ne mutire quidem audent) tanto sunt terrore perculsi, ut Presbyteros ultra præfinitum tempus detinerent, futilemque excusationem commenti, ob Persarum bellum nequimus, ajebant, jam accedere. Haud verus autem obtentus ille erat, sed conscientiæ metu detinebantur. Quid enim ad Episcopos bellum? Et quare Persarum bello præpedirentur, quin Romam peterent, longinquam & transmarinam urbem; illi, inquam, qui Orientis loca, etiam Persis finitima, tum temporis instar leonum circuibant, inquirendo quisnam ipsis adversaretur, ut calumniis eum suis in exsilium pellerent?

Anno 342.

12. Et sane post quam Presbyteros cum absurda illa excusatione dimisissent, hæc mutuo colloquuti sunt: Cum Ecclesiastico judicio prævalere nequeamus, solita audacia rem geramus. Litteris itaque Philagrio missis, auctores sunt, ut cum Gregorio brevi Ægyptum peragret. Hinc Episcopi flagellantur, vinculisque acerbe constringuntur: Sarapammonem igitur Episcopum & Confessorem pellunt in exsilium: Potammonem item Episcopum Confessoremque, cui oculus fuerat in persequutione effossus, tot plagis in cervicem cæciderunt, ut non ante finem facerent, quam hominem exstinctum putarent. Eo igitur modo abjectus, vix post aliquas horas, curatione adhibita flabellique ope, Deo vitam concedente, respiravit: ita tamen ut modico elapso tempore, plagarum dolore interierit, iteratique martyrii gloriam in Christo obtinuerit. Quot alii Monachi flagellis cæsi sunt, sedente Gregorio cum Balacio Duce nuncupato! Quot Episcopi plagis concisi! Quot Virgines verberatæ!

13. Post hæc improbus Gregorius omnes cohortatus est ut secum communicarent: Atqui si communionem eorum postulabas, non digni plagis erant illi; sin ut improbos lancinasti, quid ut sanctos eosdem hortabare? At nihil ille in proposito habuit, quam ut virorum qui se miserant res perageret, hæresimque stabiliret. Propterea homicida, carnifex, contumeliosus, fraudulentus, prophanus, unoque verbo, Christi hostis stultus ille effectus est. Episcopi materteram ita acerbe persequutus est, ut ne defunctam quidem sineret sepeliri, quod sane futurum erat, abjectaque fuisset insepulta; nisi qui eam sustulere, quasi proprium sibi cadaver asportassent: ita impiis hac in re moribus fuit. Præterea cum viduæ ceterique mendici eleemosynam accipere consuessent, jussit ea diripi quæ erogabantur, confringique vasa quibus oleum vinumque deferebatur; ut non solum rapiendo illa impie ageret, verum etiam gestis suis Dominum probro afficeret: brevi ab illo auditurus: Quantum hos inhonorasti, & me inhonorasti.

Matertera Athanasii vexatur a Gregorio.

14. Multa quoque alia fecit quæ omnem loquendi facultatem superant, quibus, qui audiret, fidem negaret. Talia autem agendi hæc illi causa fuit, quod scilicet neque juxta Ecclesiasticum canonem ordinatus fuisset, neque juxta Apostolicam traditionem vocatus fuisset Episcopus: sed ex Palatio cum militari manu & pompa missus fuisset, quasi sæcularis sibi magistratus traditus esset. Quapropter magistratuum potius amicus optabat esse, quam Episcoporum & Monachorum. Si quando igitur Pater Antonius illi ex monte scriberet, sicut pietas erga Deum peccatori abominatio est; sic ille Sancti viri litteras exsecrabatur. Sin vero Imperator, aut Dux exercitus, aut alius quispiam judex, litteras ad eum mitteret, tanta perfusus erat lætitia, quanta illi de quibus in proverbiis haud sine indignatione dicitur: *Væ qui derelinquunt vias rectas, qui lætantur in malis, & qui gaudent in conversatione malorum.* Eos certa qui hujusmodi sibi litteras deferebant pecuniarum dono remunerabat. *** Antonius vero cum aliquando scripsisset, auctor fuit ille ut Balacius Dux in epistolam spueret, illamque projiceret: sed rem haud inultam reliquit divina vindicta; siquidem non diu postea equo insidentem Ducem, & ad proximam mansionem iter instituentem, conversus equus in femore illum ita momordit, ut humi dejiceret, intraque triduum ille obiret.

Prov. 2. 13.

Mors Balacii Ducis.

15. Hæc erant illorum adversum omnes facinora. Romæ vero coacti Episcopi plus minus quinquaginta, Eusebium & socios utpote suspectos ac metuentes accedere, nequaquam receperunt, imo eorum rescripta irrita fecerunt: nos autem admisere nostramque communionem amplexi sunt. Hæc dum agerentur, ad notitiam Constantis Imperatoris devenere, cum Romana Synodus, tum res Alexandriæ in universoque Oriente adversus Ecclesias gestæ: scripsitque ille fratri suo Constantio, ac demum placuit utrique ut Synodus celebraretur, expenderenturque negotia: ut ne ultra vexarentur qui læsi fuissent, ac qui alios læserant, ne ejusmodi res perpetrare auderent. Conveniunt cum ex Oriente tum ex

Anno 342. Celebratur Romæ Synodus.

* Hæc enarrantur item per totam Epistolam Encyclicam anno 341. conscriptam, & in Epist. Julii, num. 41.

** Quæ hic referuntur, nonnihil difficultatis habent: quam in Athanasii Vita nos levasse speramus.

*** Hæc item enarrantur in Vita Antonii, sed cum nonnulla discrepantia. Ibi vide sis.

Anno 347. Synodus Sardicensis celebratur.

ex Occidente in Sardica urbe Episcopi plus minus centum septuaginta. Occidentales autem Episcopi soli erant, secum habentes patrem Hosium: Orientales vero pædagogos advocatosque secum adducebant, Musonianum Comitem & Hesychium Castrensem: quorum ope freti alacri animo accessere, rati se omnia deinceps eorum potentia acturos. Eo enim modo ac ejusmodi opitulatoribus subnixi, sese quibus libuit terribiles exhibuere, ac quibus placuit insidiari sunt. At ubi accedentes adverterunt Ecclesiasticum ibi fore judicium absque comite vel militibus: ubi ex singulis Ecclesiis urbibusque accusatores viderunt, cum paratis adversum se documentis: ubi * Arium conspexerunt & Asterium, venerabiles Episcopos, qui cum secum accessissent, a se recesserant, ad partesque nostras se contulerant, quique eorum vafritiem enarrabant; quantum scilicet in gestis suis suspecti essent, quam timerent illi ne judicium ferretur, neve a nobis sycophantæ deprehenderentur, ab iisque quos subornarant accusatoribus proderentur, quod ipsi scilicet omnia suggessissent, ejusmodique res moliti essent. Hæc animadvertentes, tametsi alacri animo isthuc se contulerant, rati nos præ formidine sui ne accedere quidem ausuros: ubi fiduciam conspexere nostram, se se recludunt intra Palatium, illic enim habitabant. Tum invicem colloquebantur: Ad alia venimus, alia conspicimus: accessimus cum Comitibus, & absque Comitibus judicium redditur: damnabimur haud dubie. Nostis omnes quænam jussa fuerint: habet Athanasius rerum in Mareote gestarum monumenta, quibus ille purgatur, nos dedecore afficimur. Quid moramur? quid comperendinamur? causas comminiscamur ad secedendum, ne hic manentes damnemur. Satius est fugientes erubescere, quam sycophantas deprehensos affici pudore. Si fugiamus, qualicumque modo possumus hæresi patrocinari: quod si nos fugientes damnarint, haud deerit patronus, Imperator scilicet, qui non finet nos ex Ecclesiis a populis exturbari.

16. Hoc illi modo invicem colloquebantur. Hosius vero ceterique omnes Episcopi, frequentius illis Athanasii & sociorum fiduciam significabant, declarabantque quam parati illi essent ad depellenda crimina, promittentes se probaturos sycophantas illos esse. Ajebant item, Si judicium pertimescitis, cur accessistis; oportuit enim aut non accessisse, aut postquam venistis non aufugere. His auditis illi, graviori perculsi terrore: cum absurdiorem, quam dudum Antiochiæ, adtulissent excusationem; quod scilicet ipsis Imperator litteris suis victoriam de Persis reportatam significasset, fugam fecerunt. Ejusmodique excusationem citra ullum pudorem miserunt per Eustathium Sardicensis Ecclesiæ Presbyterum. Verum ne ita quidem illis fuga ex sententia cessit: statim namque sacra Synodus cujus præses erat magnus Hosius, hæc aperte illis rescripsit: Aut occurrite vos purgaturi de quibus accusati estis, deque calumniis quas struxistis, aut notum sit vobis, ut noxios a Synodo vos esse damnandos, Athanasium vero & socios insontes ab omnique crimine puros declarandos. At illi conscientiæ metu exterriti, magis ad fugam impellebantur, quam litteris obtemperarent: cum enim viros a se læsos coram conspicerent, ne converso quidem ad legatos vultu, velocius fugiebant.

Ariani Episcopi Sardica aufugiunt.

17. Ita igitur illi turpiter & indecore fugam fecere. Sacra vero Synodus, ex plus triginta quinque provinciis coacta, animadversa Arianorum malignitate, Athanasium sociosque admisit, ut sese purgarent de allatis criminationibus, quarum causa tot fuerant calamitatibus afflicti. Postquam autem illas depulissent eo quo supra retulimus modo, a Synodo admissi ac summæ admirationi habiti sunt, adeo ut eorum communionem amplecterentur: ac missis ubique litteris, missis item in unamquamque parœciam, maximeque Alexandriam, in Ægyptum, & in Libyas, Athanasium & socios, puros, omnisque criminis expertes esse, declararunt: adversarios autem illorum, sycophantas, facinorosos, ac quidvis potius quam Christianos. Illos igitur cum pace dimisere; Stephanum vero, Menophantum, Acacium, Georgium Laodicenum, Ursacium, Valentem, Theodorum & Narcissum deposuere. Nam Gregorium ab Imperatore Alexandriam missum, ita proscripserunt, ut qui numquam Episcopus fuisset, nec vel Christianus esset vocandus. Ordinationes etiam quas fecisse putabatur irritas declararunt, jusseruntque, ut ne nominarentur quidem in Ecclesiis, ob prævaricationis insolentiam. Ita cum pace Athanasius & socii dimissi sunt. Litteræ vero eorum ob † Epistolæ prolixitatem in fine sunt adjunctæ. Sic porro soluta Synodus est.

Iidem in Sardicensi Synodo deponuntur.

† Epistolæ hic memoratæ habentur in Apol. contra Arianos. 41. ideoque non sunt ab amanuensibus ad calcem hujus operis appositæ.

18. Qui autem depositi fuerunt, quos vel tunc quiescere par fuit, post adeo turpem fugam, digressi, talia perpetrarunt scelera, ut levia priora facinora iis collata viderentur. Nam cum Adrianopolitani communicare cum ipsis nollent, quod scilicet a Synodo aufugissent, flagitiisque obnoxii essent, illos ad Imperatorem detulere, effeceruntque ut ex ** Fabrica, ita dicta scilicet, decem laici capite truncarentur: hac in re ministro usi Philagrio, illic tum Comite. Horum monumenta ante urbem sita, nos illac transeuntes vidimus. Deinde quasi rem præclare gessissent, quod scilicet propterea aufugissent ne sycophantæ deprehenderentur, quodcumque placuit ipsis, id ab Imperatore jussum est. Duos igitur Presbyteros, Diaconosque tres in Armeniam relegari curarunt: Arium vero & Asterium, illum Petrarum in Palæstina, hunc in Arabia Episcopum, quod abs se resiliissent, non modo in superiorem Libyam relegarunt, sed & operam dederunt ut contumeliis afficerentur.

Arianica persequutio post Synodum Sardicensem.

19. *** Lucium vero Adrianopolis Episcopum, cum magna adversum se loquendi fiducia utentem, suamque impietatem coarguentem cernerent, catenis ferreis iterum, quod jam prius egerant, collo & manibus vinciri curarunt: itaque illum in exsilium miserunt: atque illic, ut ipsi probe norunt, defunctus est. Diodorum item Episcopum loco pellunt. Olympium autem Ænorum, **** Theodulumque Tra-

Episcopi Thraciæ plurimi ab Arianis pulsi. Obiisse putatur Lucius ante annum 350.

* Qui hic Arius dicitur, Macarius vocatur in postrema Sardicensi epistola.

** De Fabrica Ammianus Marcellinus l. 31. c. 6. *Omnem plebem cum Fabricensibus, quorum illic (Adrianopoli scilicet) ampla est multitudo, &c.*

*** Quæ Lucium Adrianopolitanum spectant, nonnihil implicata sunt: putant quidam eum jam ante Romanam Synodum anni 342. his catenis vinctum fuisse, unde colligitur illud jam tertio, anno scilicet 347. contigisse. Sed minime certa res est: imo ex his Athanasii verbis, *quod jam prius egerant*, indicari videtur semel tantum eum antea vinctum fuisse. Licet enim in Apologia de Fuga num. 3. legamus *qui catenas plures gestavit*; at illud *plures* actum dici potest, quod bis contigerit. Admodum dubia res est.

**** Quæ de Theodulo hic habentur, putant aliqui non cohærere cum Encyclica Sardicensis Synodi Epistola, ubi Theodulus jam obiisse fertur, num. 45. qui enim, ajunt, post Sardicensem Synodum vexari ab Arianis potuit, qui jam ante Synodum extinctus esset? Verum nihil hic difficultatis erit si dicamus Theodulum, statim atque Ariani Sardica aufugientes in Thraciam pervenissent, fugatum ab Arianis, interiisse antequam soluta Sardicensis Synodus esset. Res certa videtur: nam hic Athanasius res statim a fuga gestas ab Arianis enarrat. Certumque est cœpisse Synodum post Arianorum fugam, & aliquantum temporis durasse. Licet autem quædam superius enarrarit Athanasius quæ nonnisi post solutam Synodum contigisse videntur, videlicet quæ paulo ante refert de Ario & Asterio Episcopis, hoc, inquam, nihil negotii facessat: non ordine quippe res gestas recenset ipse, sed prout memoriæ sese offerebant.

Trajanopolis, ambos Thraciæ Episcopos, probosque illos & orthodnxos viros, cum hæresi suæ adverterent esse insensissimos, calumniati sunt. Et illud primo egerant Eusebiani, eaque de re scripserat Imperator Constantius: secundo ipsi calumnias redintegrarunt. Illud autem litteræ ferebant, ut non modo ipsi urbibus Ecclesiisque suis pellerentur: sed ut capitali pœna; sicubi reperti fuissent, plecterentur. Hoc autem tametsi stupendum est, nequaquam alienum tamen ab eorum proposito; nam idipsum cum ab Eusebianis didicerint, hæredesque sint illorum impietatis, atque propositi; ut patres sui in Thracia, sic & illi Alexandriæ sese terribiles exhibere conati sunt: litterasque obtinuerunt quibus jussum erat, ut ad portus, ingressusque urbium custodiæ agerentur, ne ii quibus id concessum a Synodo fuerat, ad suas Ecclesias remigrarent. Auctores quoque fuerunt ut scripto significaretur Alexandrinis judicibus, circa Athanasium, & quosdam nominatim recensitos presbyteros; ut sive Episcopus, sive quispiam ex illis, vel in Urbem vel in fines ejus ingressus deprehenderetur, judici liceret istic repertos capite truncare. Ita scilicet Judaica nova illa hæresis, non modo Christum abnegat, sed etiam interficere didicit.

20. Verum ne ita quidem conquieverunt illi. Sed sicut ipsorum hæreseos pater tanquam leo circuit, quærens quem devoret; sic & illi accepta publici curriculi facultate, circumeuntes, si quos offenderent qui fugam sibi exprobrarent, Arianamque aversarentur hæresim, hos flagris cædunt, vinciunt, patria cogunt exsulare. Tantusque terror hominum illorum fuit, ut multi ad simulandum adacti fuerint: multi in solitudinem fugere mallent, quam ullo modo cum illis communicare. Hæc post fugam erant furentium hominum facinora. Immo vero novum quoddam scelus aggrediuntur, eorum sane hæresi consentaneum: verum quod nec ante auditum, neque forte unquam futurum sit, ne vel apud Gentilium petulantissimos, nedum apud Christianos. Nam cum sacra Synodus legatos Episcopos misisset, * Vincentium Capuæ, quæ metropolis est Campaniæ, Episcopum, & Euphratem Agrippinæ, quæ metropolis est Galliæ Superioris: ut, prout decretum a Synodn fuerat, Imperator Episcopos in suas reverti Ecclesias concederet, quos nempe expulisset ipse. Etsi commendatitias pro Episcopis litteras misisset fratri suo piissimus Constans; at admirandi homines, ad omneque scelus audacissimi, ubi illos Antiochiæ conspexere, una consilium ineunt, solus tamen Stephanus, utpote ad res hujusmodi probe comparatus, fabulam peragendam suscipit. Publicam itaque meretricem, ipsis sanctissimi Paschatis diebus mercede conductam, noctu ad Euphratem Episcopum nudatam immittunt. Meretrix quæ se initio a juvene accitam existimabat, promte sequebatur; ubi autem intromissa ab illis, dormientem vidit hominem, ac rei quæ agebatur ignarum, dehinc senem hominem, ac Episcopi formam conspicata, clamore statim edito vim sibi inferri conquerebatur. Rogare illi ut taceret, confictamque criminationem Episcopo imponeret. Die igitur illucescente pervulgata res est, accurritque universa civitas. At qui e Palatin erant, tanti rumoris stupore commoti, rogabant ut ne illud silentio tegeretur. In jus itaque res vocatur, hominesque qui meretricem acciverant leno prodidit: illi Stephanum: erant enim ejus Clerici. Stephanus ergo Episcopatu abdicatur, in ejusque locum Leontius castratus sufficitur, idque eo solum ne Arianæ hæresi patronus deesset.

Insidiæ ab Arianis in Legatos Sardicensis Synodi structæ, anno 348.

Exteriore ergo nota Episcopi jam tum dignoscebantur.

21. Porro Imperator Constantius, paulisper compunctus, ad se rediit: remque in Euphratem gestam secum reputans, ejusmodi esse illorum adversum ceteros molimina suspicatus est. Ac eos qui Alexandria in Armeniam relegati fuerant Presbyteros Diaconosque continuo liberos dimitti jubet: publicasque Alexandriam litteras mittit, ut ne ultra vexarentur Athanasii Clerici vel populi. Hinc post decem circiter menses defuncto Gregorin, Athanasium cum summo honore accivit, cui non unas, aut binas, sed ternas misit litteras amicitiæ plenas, quibus hortabatur illum ut cum fiducia accederet. Misit item Presbyterum Diaconumque ut majore animi securitate rediret: ratus me ob ante gestarum rerum formidinem, ægre reversurum. Scripsit etiam fratri suo Constanti, ut me & ille ad remigrandum cohortaretur. Affirmabat enim se anno integro Athanasium expectasse, neque concessisse, ut quidpiam novi aut ordinatio aliqua fieret quod Athanasio Episcopo suas Ecclesias servare vellet.

Gregorius Pseudo-episcopus Alexandrinus obit sub initium anni 349.

22. Cum eo itaque modo scripsisset ipse, multis illum verbis cohortatus: (nam Comites quoque suos jussit ad illum scribere, Polemium, Datianum, Bardionem, Thalassum, Taurum & Florentium, quibus præcipue habenda fides erat) Athanasius rem totam Deo acceptam referens, qui cor Constantii compunxerat, ut eam rem ageret, cum suis illum adiit; quem placido vultu Imperator intuitus est, dimisitque ut in Patriam & in Ecclesias suas ingrederetur, missis litteris ad varios per diversa loca judices, quibus ante præceperat aditus custodire, ut liberum jam præberent transitum. Deinde cum Episcopus de sibi illatis malis conquereretur, deque litteris ab ipsin Imperatore adversum se scriptis, rogaret insuper, ut ne calumnias adversariorum post discessum suum auscultaret: Arcesse, ajens, homines si lubet: per nos licet nt coram adstent, quo illos confutemus; hoc ille noluit, sed quotquot per calumniam scripta fuerant, auferri abradique jussit, fidemque dedit se calumniis postea minime aurem præbiturum; sed firmum immotumque fore hoc suum propositum. Hoc non tantum verbis protulit, sed etiam ** juramentis sermonem obsignavit, Deo super hac re teste advocato. Virum insuper multis aliis cohortatus, ut fiduciam haberet; has ad Episcopos & ad Judices mittit litteras:

Athanasius redit a secundo exsilio anno 349.

23. *Victor Constantius Maximus, Augustus, Episcopis & Clericis Catholicæ Ecclesiæ.*

NEqnaquam destitutus Dei gratia est reverendissimus. *** (*Descripta superius habetur in sexagesimo quinto tractatu, ubi huic prorsus similis est.*) *Vide pag. 68.*

Alia Epistola

**** *Constantii ad Populum Alexandrinum.*

CUm in proposito nobis sit vestra in omnibus tranquillitas. (*Descripta est hæc etiam in sexagesimo quinto tractatu.*) *Vide pag. 68.*

* Quæ hic de Vincentio & Euphrate narrantur, fusius habentur apud Theodoret. lib. 2. cap. 9. & in Vita Athanasii supra.

** Lucifer Calaritanus, uti monitum est in Apol. ad Const. ad n. 23. ait Constantium litteris suis jurasse Alexandrinis, se nihil deinceps mali facturum Athanasio. Lib. 1. pro S. Athanasio. p. 132.

*** Amanuenses quod hæ duæ epistolæ superius essent descriptæ, eas prætermiserunt, primis tantum appositis verbis, ut ipsi monent.

**** Hæc epistola habetur in Apologia contra Arianos n. 55.

ALIA EPISTOLA.

Victor Constantius Augustus, Nestorio Ægypti præfecto.

Certum est, datum ante a nobis decretum fuisse, rescriptaque reperiri contra Athanasii reverendissimi Episcopi existimationem, quæ in Sanctitatis tuæ commentario habentur. Placet itaque ut tua nobis spectata sobrietas, omnes epistolas circa prædicti viri nomen in commentario tibi commisso repertas, secundum præsens nostrum decretum, ad Comitatum nostrum transmittat.

24. Litteræ autem ab eo post beati Constantis obitum perscriptæ, hujusmodi sunt, Latine primum editæ, Græceque translatæ.

*VICTOR CONSTANTIUS

Augustus, Athanasio.

Votum meum semper fuisse ut omnia fratri quondam meo Constanti ex sententia cederent, neque prudentiæ tuæ latere arbitror. Quem ubi a quibusdam sceleratissimis sublatum cognovissem, quanto mœrore affectus sim, tua item prudentia æstimare valet. Ceterum quia nonnulli sunt qui te tam luctuoso temporis decursu terrere conantur; ideo hasce litteras ad tuam constantiam mittere æquum existimavi: hortorque te ut, quemadmodum Episcopum decet, quæ ad divinam Religionem pertinent populos doceas, ac cum illis de more precibus vaces: neque vanis rumoribus, quicumque tandem illi sint, fidem adhibeas. Hoc enim firmum in animo propositum habemus, ut juxta placitum & voluntatem nostram, in tuis semper sedibus Episcopus sis.

Divina te providentia multis annis conservet, Pater dilectissime.

25. His ita gestis, postquam vale dixisset Athanasius, seseque viæ commisisset, amici amicum videntes, læti: ex aliis vero quidam ad ejus conspectum pudore affecti sunt: nonnulli coram se sistere non ausi, sese abdebant: alii pœnitentia ducti, scripta adversus Episcopum sua repudiabant. Omnes itaque ** Palæstinæ Episcopi, † duobus vel tribus exceptis, iisque suspectis viris, ita Athanasium suscepere, ita ejus communionem amplexi sunt; ut etiam litteris sese excusarent, testarenturque se ea quæ ante scripserant, non motu proprio, sed vi adactos scripsisse. Nam quod spectat Ægypti & Libyarum episcopos, necnon earum regionum Alexandriæque populos, enarrare forte supervacaneum fuerit: accurrebant quippe omnes, erantque ineffabili gaudio perfusi: non tantum quod suos præter spem incolumes reciperent, sed etiam quod ab hæreticis quasi a tyrannis & rabidis canibus eriperentur. Ingens itaque fuit lætitia populorum sese invicem in Synaxibus ad virtutem cohortantium. Quot innuptæ ad nubendum tamen paratæ, Virgines Christo dicatæ permanserunt? quot adolescentes aliorum exemplo concitati, vitam monasticam amplexi sunt? quot patres filios suos hortabantur? quot patres a filiis rogati sunt, ut ne suam in Christo exercitationem interpellarent? quot uxores viris suis, quot viri uxoribus suis persuaserunt, ut orationi incumberent, quemadmodum, ait Apostolus? quot viduæ, quot orphani, qui prius esuriebant, nudique erant, ex ardenti populorum ad virtutem studio, non ultra esuriere, imo etiam induti prodiere? Tanta demum de virtute contentio fuit, ut singulas familias, singulas domos, ob probitatem inhabitantium, precesque ad Deum fusas, tot Ecclesias existimasses. Pax profunda admirandaque erat in Ecclesiis, cum Episcopi undique Athanasio scriberent, ab eoque mutuo acciperent consuetas pacis litteras.

† Acacius scilicet Cæsariensis & Patrophilus Scythopolitanus excipiendi, vide pag. 68.

Gaudium Ægyptiorum in Athanasii adventu.

1. Cor. 7. 5.

26. Quin etiam Ursacius & Valens quasi a conscientia perculsi, pœnitentiam egerunt, ac eidem ipsi Episcopo amicam pacificamque epistolam scripsere, tametsi nullas ab eo litteras acceperant. Romamque profecti, pœnitentiam egerunt, confitentes, quæcumque adversus eum fecissent dixissentve, falsa, ac meram esse sycophantiam. Neque sat illis fuit ita egisse; nam Ariana hæresi anathemate damnata, pœnitentiam suam scripto tradidere, per hasce litteras, quas Julio Episcopo Latine scriptas misere, quæque Græce translatæ sunt. *** Quarum exemplar Latine nobis a Paulo Trevirensi Episcopo transmissum est.

Ursacii & Valentis pœnitentia anno 349. vel 350.

Interpretatio ex Latino.

Domino meo beatissimo Papæ Julio Ursacius & Valens.

Quoniam constat nos antehac multa gravia, &c. *(Descripta est supra in tractatu 68. estque huic omnino ad verbum similis.) Vide pag. 69.*

Interpretatio ex Latino.

Domino meo fratri Athanasio Episcopo, Ursacius & Valens Episcopi.

Dedit se occasio fratris & compresbyteri, &c. *(Descripta est supra in eodem tractatu 68. estque tota & ad verbum huic similis.) Vide pag. 69.*

His datis epistolis, pacificis etiam litteris oblatis a Petro & Irenæo Athanasii Presbyteris, & Ammonio laico, subscripsere; cum tamen nullas Athanasii litteras ad illos directas afferrent ipsi.

27. Quis igitur his animadversis, tantaque Ecclesiarum pace conspecta, admiratus non est? Quis gavisus non est cernens illam tot tantorumque Episcoporum

* Hujus epistolæ latine primum editæ duplex exstat versio græca apud Athanasium, prima in Apologia ad Imperatorem Constantium num. 23. secunda hæc ipsa est.

** Quæ mox sequuntur vide fis in Apolog. contra Arianos num. 57. ubi Synodi Hierosolymitanæ epistola legitur.

*** Hæc *Quarum exemplar*, &c. desunt in Nanniana versione. In Apol. contra Arianos n. 58. legitur, παρὰ Παύλου ἐπισκόπου Τριβέρων, ubi Nannius vertit *a Paulino Episcopo Tyberis*. Circa quod vide quæ supra diximus in Apologia ad Constantium num. 9. ea de re item agitur in Athanasii Vita. Sequentes Ursacii & Valentis epistolas integras habes in Apol. contra Arian. n. 58. cum Hilarii contextu latino.

porum concordiam? Quis Domino gloriam non retulit, perspecta in Synaxibus tanta populi lætitia? Quot ex inimicis pœnitentiam egerunt? Quot prius calumniati, sese excusarunt? Quot qui cum ante oderunt, postea dilexerunt? Quot cum adversus illum scripsissent, palinodiam cecinerunt? Quot qui non proprio motu, sed vi ex Arianorum partibus stabant, noctu accedentes sese excusabant, hæresique anathemate damnata, rogabant sibi veniam dari, quod nempe ob conspirationes calumniasque ab illis structas, corpore tantum eorum conventibus interessent, cum tamen corde cum Athanasio convenirent, semperque cum illo essent? Ita rem se habere credite.

28. At his auditis visisque, hæredes sententiæ impietatisque Eusebii, Leontius castratus, qui ne laici quidem nomine ad communionem admittendus erat, quod sese ipse castrasset, ut sibi deinceps copia foret dormiendi cum quadam Eustolio, quæ cum mulier ejus opera esset, virgo tamen vocabatur: Georgius item, Acacius, Theodorus & Narcissus, qui depositi in Synodo fuerant; ingenti sunt pudore suffusi. Deinde cum animadverterent cum Athanasio concordiam & pacem servare Episcopos plusquam quadringentos, ex magna Roma, ex universa Italia, Calabria, Apulia, Campania, Bruttia, Sicilia, Sardinia, Corsica, ex tota Africa, ex Galliis, ex Britannia, ex Hispaniis, cum magno & Confessore Hosio: Episcopos etiam Pannoniarum, Norici, Sisciæ, Dalmatię, Dardaniæ, Daciæ, Mysię, Macedoniæ, Thessaliæ, totiusque Achaiæ, Cretæ, Cypri & Lyciæ, plurimos item Palæstinæ, Isauriæ, Ægypti, Thebaidis, totius Libyæ, & Pentapoleos. Hæc, inquam, cum viderent illi, invidia ac metu correpti sunt; invidia, quod tam multi tantique Episcopi cum illo communicarent; metu, ne qui a se decepti fuerant, tantæ tamque concordi multitudini sese adjungerent: neve in posterum sua hæresis infamata quasi in triumphum ubique duceretur.

2. Petr. 2. 22. 29. Primo quidem Ursacio & Valenti persuadent ut mutata sententia, quasi canes ad proprium vomitum revertantur, & tamquam porci in pristino impietatis luto volutentur, ac simulantes, hanc pœnitentiæ suæ causam comminiscantur; quod scilicet piissimi Constantis formidine ad id agendum compulsi essent. Atqui etsi formidinis causa erat, non decuit certe, si tamen gestis suis confidissent, illorum proditores esse. At quandoquidem metus nullus fuit, qui, quæso, non omni damnatione digni sunt? Nullo quippe milite præsente, nullis missis Palatinis vel Notariis, ut jam illi agunt, non coram Imperatore, a nulloque acciti hæc scripsere, sed ultro ipsi Romam profecti in Ecclesia, ubi nulla extranea formido, sed solus Dei timor est: ubi liberam quisque habet voluntatem, sua sponte pœnitentiam illi egerunt, scriptoque tradiderunt. Attamen Ariani iterum effecti, absurdum ejusmodi obtentum comminisci non erubescunt.

30. Deinde Imperatorem una omnes conveniunt, hisque verbis rogant: Cum primum te deprecaremur, fides nobis habita non est. Ajebamus quidem, ubi Athanasium accivisti, te nostram expellere hæresim: ab initio quippe ille adversarius ejus fuit, quam non cessat anathemate condemnare. Namque ille omnia ubique loca suis adversum nos litteris implevit: plurimique cum eo communione juncti sunt. Imo ex iis qui nostrarum esse partium putabantur, alii sese jam illi sociarunt, alii idipsum acturi sunt: nosque soli remansimus. Periculumque est ne dignoscatur hæresis, neve nos deinceps tuque similiter hæretici appellemur. Illud si accidat, tute, quæso, videas ne cum Manichæis computemur. Age itaque, persequutionem denuo incipe, hæresique patrocinare: nam te illa quoque Imperatorem habet. Hæc ipsa erant subdola eorum verba. Ille vero cum contra Magnentium properans pertransiret, conspecta Episcoporum cum Athanasio communione, quasi igne inflammatus, sententiam commutavit, juramentorumque immemor, suorum quoque scriptorum oblitus est, debiti item fratri suo officii ingratus ille recordatus non est. Nam in suis ad eum litteris, & cum Athanasium conspexit, juramento adfirmavit, sese nihil acturum, quam quod populo & Episcopo in optatis esset. Sed studium erga impietatem, omnium oblivionem adduxit. Neque mirum si post tam multas scriptas litteras, tam multa data juramenta, mutatus sit Constantius: nam ille olim Ægypti Tyrannus Pharao plerumque pollicitus, atque hinc pœnarum remissionem consequutus, sententiam mutabat, donec tandem cum sibi consciis hominibus interiret.

31. Hos igitur in singulis urbibus ad sententiam commutandam adigebat: cum autem Arelatem & Mediolanum advenisset, ibi ex hæreticorum consilio & cohortatu omnia agebantur, imo potius ipsi res gerebant, acceptaque potestate irruebant in omnes. Hinc statim jussa ac litteræ ad Præfectum, ut continuo frumentum Athanasio auferretur, dareturque iis qui Arianice sentirent: ac cuique volenti facultas esset, contumelias inferendi iis qui Athanasii conventibus interessent. Hinc minæ quoque judicibus intentatæ nisi cum Arianis communicarent. Erant autem hæc præludia rerum a Syriano Duce postea gestarum. In exteriores autem partes iterum jussa, Notarii item per singulas urbes & Palatini minas deferentes ad Episcopos & ad Judices mittuntur; ut Judices concitent, Episcopique vel Arianorum communionem amplexi contra Athanasium subscribant, aut exsilii pœnam sustineant: ac qui cum illis conveniunt populi, certo sciant se vincula, contumelias, plagas, bonorumque direptiones experturos. Neque mandatum neglectui habitum est: Legatis quippe comites dati sunt, Ursacii & Valentis Clerici, qui concitarent illos, remissioresque Judices ad Imperatorem deferrent. Cumque reliquas hæreses, utpote minores suas sorores, concederent in Dominum blasphemare, solis Christianis parabant insidias, quod indigne ferrent pios de Christo sermones audire. Quot igitur Episcopi, uti scriptum est, ad Duces & Reges ducti sunt, a Judicibusque hæc audiere: Aut subscribite, aut ab Ecclesiis recedite, nam jussit Imperator ut abdicemini? quot ab illis per singulas urbes exturbati sunt, ne illi ut Episcoporum amici accusarentur? Nam ipsis Magistratibus missæ litteræ sunt, minisque adhibitis, mulcta pecuniarum indicta, nisi singuli suæ urbis Episcopum adigerent ad subscribendum. Omnis denique locus, omnis civitas terrore ac tumultu replebatur, dum Episcopi traherentur, Judicesque conspicerent luctum gemitumque populorum.

Anno 355.

Immanis Arianorum persequutio. Marc. 13. 9.

32. Hæc erant missorum Palatinorum gesta. Admirandi autem illi homines, iis quæ nacti sunt patrociniis freti, hoc curarunt ut ex Episcopis alios ad Imperatorem accerserent, alios litteris suis fictisque criminationibus circumvenirent: ut illi præsentem Constantium reformidarent, hi Legatos intentatasque ex conficta calumnia minas pertimescentes, a recta piaque sua sententia desciscerent. Eo pacto itaque Imperator tantum Episcoporum numerum, cum minis tum promissis compulit ut dicerent: Non ultra

tra cum Athanasio communicamus. Illos enim qui se adibant, non ante ad conspectum admittebat suum, neque remissius tractabat, vel domo egredi sinebat, quam vel subscriberent, vel abnuentes pellerentur in exsilium. Id autem agebat, quod probe nosset invisam omnibus hæresim esse: eaque maxime de causa tam multos vi adegit ut paucis annumerarentur. Curaque illi fuit, vim nominum una cogere, cum ut invidiam Episcopo conflaret, tum ut Arianæ hæresi, cui ille patrocinatur, aliquam adferret dignitatis speciem; ratus se veritatem, perinde atque homines, subvertere posse. Ignorabat scilicet, neque legerat, Sadducæos Herodianosque, etiamsi sibi Pharisæos adscivissent, veritatem tamen offundere nequivisse: imo hinc illa in dies clarius elucet. Illi vero etsi clament: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*, ac Pilati decretum impetrarint, nihilominus deserti sunt, expectantque se cum omni turpitudine, instar * perdicis illius, tantum non nudatos fore, ubi Patronum suum morte sublatum viderint.

Joan. 19. 15.
Jerem. 17. 11.

33. Quod si indecorum omnino fuerit, Episcopos quosdam horum formidine sententiam mutasse; multo sane indecentius, hominumque suæ sententiæ diffidentium est, vim inferre, ac invitos cogere. Sic diabolus cum nihil veri habeat, in securi & ascia irruens confringit portas eorum qui se recipiunt: Salvator autem ea est mansuetudine, ut his verbis doceat quidem: *Si quis vult post me venire*, &, *qui vult meus esse discipulus*; sed ubi quempiam adierit, nullam inferat vim, sed potius pulsando hæc loquatur: *Aperi mihi soror mea sponsa*. Tunc si aperiant, ingreditur: sin negligant abnuantque, secedit. Non enim gladiis aut telis, non militum manu, veritas prædicatur, sed suasione & consilio. Quænam autem ibi suasio, ubi Imperatoris formido? Aut quodnam consilium, ubi qui abnuit, exsilio tandem vel morte multatur? David certe, rex quamvis esset, cum hostem præ manibus haberet, milites ejus interficiendi cupidos, nequaquam potentia sua vetuit: sed, ut ait Scriptura, viris suis David verbo persuasit, neque Saulis obtruncandi facultatem dedit. Hic vero nulla ratione præditus, potestateque usus omnibus vim infert: ut nulli non palam sit, illorum prudentiam, non secundum Deum, sed humanam esse, Ariique sectatores reapse non habere regem nisi Cæsarem. Ejus enim auctoritate freti Christi adversarii quæ placent omnia arbitratu suo perficiunt. Porro cum sese putant plurimis ejus opera insidias parare, non advertunt sane se multos efficere Confessores. E quorum numero sunt viri qui jam claram edidere confessionem, ipsique religiosi ac probi Episcopi, Paulinus Trevirorum Galliæ metropolis Episcopus, Lucifer metropolis Sardiniæ Episcopus, Eusebius Vercellorum Italiæ urbis, Dionysius Mediolani, est autem & ipsa metropolis Italiæ. Accitis enim illis præcepit Imperator, ut contra Athanasium subscriberent, ac cum hæreticis communicarent. Quibus rei insolentia stupentibus ac dicentibus, id Ecclesiastici non esse Canonis; statim ille: At quod ego volo, id pro Canone, inquit, habeatur: me quippe ita loquentem Syri Episcopi tolerant. Aut igitur obtemperate, aut vos quoque extorres futuri estis.

Ps. 74. 6.
Matth. 16. 24.
Cant. 5. 2.
1. Reg. 24. 8.
Episcopi in exsilium missi.

34. His auditis Episcopi remque summopere mirati, manibus ad Deum tensis, compellare virum, docereque non suum esse Imperium, sed Dei qui tradidisset: rogare ut eum timeret, ne derepente, datum adimeret: interminari Judicii diem, suadereque, ne Ecclesiasticas res pessumdaret, neu Romanum Imperium cum Ecclesiasticis statutis commisceret, vel Arianam hæresim introduceret in Ecclesiam Dei. Verum ille neque audivit, nec eos plura dicere permisit; quin & acrius districto adversum illos gladio comminabatur, imo ex iis nonnullos ad supplicium abduci jusserat: sed postea, uti Pharao, sententiam mutavit. Excusso itaque pulvere Sancti illi, erectisque ad Deum oculis, neque minas Imperatoris reformidarunt, neque stricti gladii metu veritatem prodidere: sed exsilium pro ministerii sui officio habuerunt. Dum enim per loca perque civitates transirent, etsi vinculis constricti, nihilominus euangelizabant, ac piam fidem prædicantes, Arianam hæresim anathemate damnabant, traducebantque Ursacii atque Valentis pœnitentiam. Quod contra quam rati erant cessit insidiatoribus: nam quanto longiore intervallo distabat exsilii locus, tanto majus in illos odium concitabatur. Sanctorumque virorum commigratio, vera fuit prædicatio adversus illorum impietatem. Quis enim dum peragrantes cerneret, non admiratus illos ut Confessores, Arianos non tantum ut impios, sed etiam ut carnifices & homicidas non aversatus exsecratusque est, & non quovis potius quam Christianorum nomine appellavit?

35. Satius certe esset, Constantium a principio hujus hæresis sectatorem non fuisse: aut si fuisset, non tantum impiis concessisse facultatis: aut si concessurus erat, hic saltem una cum illis substitisse, ut facinorum duntaxat hactenus gestorum commune subirent judicium. Sed, uti palam est, dum sese, amentium instar, impietatis vinculis constringunt, gravius in se judicium attrahunt. Nam neque Liberio Romano Episcopo ab ipso initio pepercere, sed usque ad ejus urbis cives suum propagarunt furorem, nihil reveriti, quod Apostolicus thronus ille sit, nihil quod Roma sit metropolis Romaniæ: nec recordati sunt, se antea illos Apostolicos viros in litteris suis nuncupasse. Sed omnia simul commiscentes, omnium una obliviscuntur, nec quidpiam illis nisi impietas cordi fuit. Cum enim illum cernerent sanæ fidei cultorem, Arianæque hæresis adversarium, auctoremque omnibus esse ut eam aversarentur, ab eaque declinarent, arbitrati sunt impii homines, se, si Liberium seducere possint, omnes illico superaturos: quare illum apud Imperatorem calumniantur. Ille sperans se Liberii opera quamprimum omnes sibi conciliaturum cum litteris spadonem quendam Eusebium nomine mittit, dona ferentem: ut blandiretur donis, litteris vero minaretur. Profectus Romam spado, principio auctor erat Liberio ut contra Athanasium subscriberet, cumArianisque communicaret: illud, ajens, Imperator exoptat, hoc te facere jubet. Hinc ostensis muneribus, hortabatur: manusque Liberii contrectans ajebat: Imperatori obtempera, & hæc accipe.

Persequutio in Liberium.

36. Episcopus contra monebat, hisque verbis docebat hominem. Qui, quæso, adversus Athanasium id agatur? Nam quem non una solum, sed & altera Synodus ex toto orbe coacta purum innoxiumque jure declaravit, quem Romana Synodus cum pace dimisit, quo pacto damnare possumus? Quis nos probaturus est, si quem præsentem amanter excepimus, ad communionemque admisimus, absentem aversemur? Non Ecclesiastici Canonis illud est, nec talem unquam a Patribus accepimus traditionem: quam videli-

Liberii ad Eunuchum responsio.

* Alludit hic Athanasius ad perdicem illam de quo apud Hieremiam c. 17. v. 11. hæc leguntur: *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit, parans sibi divitias absque judicio. In medio dierum ejus derelinquet eam, & in novissimis suis erit insipiens*: Deserendos ait Arianos, instar perdicis illius, post obitum Constantii sui Patroni.

delicet traditiones ipsi a beato & magno Apostolo Petro accepere. Sed si Imperator Ecclesiasticam curat pacem: si jubet abrogari quæ apud nos pro Athanasio scripta sunt; abrogentur item quæcumque ab illis adversus eum gesta fuerint, abrogentur quæ adversus alios sunt acta: ac demum Ecclesiastica Synodus procul Palatio cogatur, ubi nec Imperator compareat, nec Comes accedat, nec Judex comminetur, sed Dei timor sufficiat cum Apostolica constitutione: ut eo modo cum primis Ecclesiastica servetur fidea, prout a Patribus in Nicæna Synodo definita est. Ejiciantur Arii sectatores, anathemateque damnetur eorum hæresis. Ac demum judicio reddito de criminibus in Athanasium, vel in alium quempiam allatis: de criminibus item quibus accusantur illi; tunc demum rei expellantur, innoxii cum fiducia & securitate degant. Neque enim fas est eos Synodo annumerari, qui fide impii sunt: neque convenit fidei inquisitioni, alterius cujusque negotii inquisitionem anteferri. Primum quippe omnis de fide dissensio abscindenda, ac tum demum de aliis quæratur negotiis. Nam Dominus noster Jesus Christus non ante curavit ægrotos, quam ostenderent declararentque, quam erga se haberent fidem. Hæc a Patribus didicimus: hæc Imperatori renuntia: hæc & illi & Ecclesiæ ædificationi conducunt. Ne audiantur Ursacius & Valens: qui cum de rebus a se ante gestis pœnitentiam egerint, jam minime fide digni sunt.

37. Hæc Episcopus Liberius. At Eunuchus indignatus, non tam quod subscribere renueret, quam quod illum hæresi adversarium comperisset: oblitusque se coram Episcopo stare, acriter interminatus cum donis abit, nefariamque rem aggreditur, quæ a Christiania quidem abhorreat, majorisque sit audaciæ quam quæ spadonem deceat. Saulis quippe prævaricationem imitatus, profectusque ad Martyrium Petri Apostoli, ibi dona illa apposuit. Re comperta Liberius, adversus loci custodem graviter succensuit, quod non prohibuisset hominem: ipsaque dona ut illicitum sacrificium abjecit: quæ res castratum ad iram magis concitavit. Imperatorem igitur ille bis commovet dictis: Non id jam nobis sollicitudini est, ut Liberius subscribat: sed illud magis nos angit, quod contra hæresim ita sentiat, ut nominatim Arianos feriat anathemate. Ad ipsum loquendum ceteros spadones provocat, plerique etenim imo omnes apud Constantium * eunuchi sunt, peneaquos omnis est ibi potestas, nihilque nisi de illorum sententia geritur. Litteras igitur Romam mittit Imperator: iterumque Palatini, Notarii & Comites, litteræque ad Præfectum mittuntur, ut aut Liberium dolo Roma subductum in castra ad se transmitterent, aut vi hominem persequerentur.

Audacia Eusebii spadonis.

38. His itaque & ejusmodi missis litteris, metus exortus est, insidiæque per totam urbem paratæ. Quot igitur domibus insidiati sunt? quot viris quantæ pollicitationes factæ, ut adversus Liberium rem gererent? quot Episcopi his perspectis rebus sese abdebant? quot liberæ mulieres ob structas a Christi inimicis calumnias, per pagoasecesserunt? quot Ascetis insidiati sunt? quot illic commorantes homines, qui statum ibi domicilium nacti erant, expelli curarunt? quoties & quo studio portum exitusque portarum custodierunt, ut ne quis ingressus Orthodoxorum, Liberium inviseret? Tum Roma quoque Christi hostium immanitatem experta est, novitque demum, quæ ante non credidit, cum audiret, quantam ceteris Ecclesiis, singulisque urbibus vastitatem intulissent illi. Eunuchi porro erant qui hæc & alia in universos gesta movebant. Et quod in ejusmodi insidiis mirandum est, Ariana hæresis quæ Filium Dei abnegat, auxilio nititur Eunuchorum, qui ut natura, sic & anima ad gignendas virtutes steriles sunt, nec prorsus de Filio audire verba sustinent. Æthiops certe eunuchus cum non intelligeret quæ legebat, Philippo de Salvatore docenti credidit: at Constantii spadones, ne Petrum quidem confitentem tolerant, imo Patrem qui Filium suum declarat aversantur, furuntque in eos qui ajunt genuinum esse Dei Filium: atque ita spadonum ulciscuntur hæresim, quæ ait, nihil ex Patre genuinum ac verum esse. Quocirca vetat lex illos ad Ecclesiasticum consilium admitti. Attamen hos nunc Ecclesiasticorum judiciorum dominos reputant: eorumque arbitratu judicat Constantius, dissimulantibus illis qui Episcopi nomine vocantur. Heu quis res ejusmodi scripto traditurus est? quis narraturus generationi alteri? quis narranti fidem habeat, spadones scilicet quibus domestica via ministeria concredantur (voluptarium enim genus est, qui nihil aliud curant, quam ut quod sibi a natura negatum est, hoc illi in aliis impediant) illos inquam, Ecclesiasticis jam rebus imperare, Constantiumque illis subditum, insidias in omnes parasse, atque Liberium in exsilium misisse?

Persequutio Romæ facta anno 355.

Act. 8. 27.

Matth. 17. 5.

Vetat lex Eunuchos ad Ecclesiasticum consilium vocari.

39. Nam cum multus esset ille in scribendo Romam, cum minas intentaret, Legatos mitteret, insidiasque pararet, demum facta est Alexandrina persequutio: ** Liberiusque ad Imperatorem trahitur: multaque ille usus loquendi fiducia, Desine, inquit, Christianos persequi; ne nostra opera coneris impietatem introducere in Ecclesiam. Sumus sane ad omnia toleranda parati, potiusquam Ariomanitæ audiamus: ne nos qui Christiani sumus cogas Christomachos, id est, Christo inimicos effici. Hujus quoque tibi consilii auctores sumus, ne pugnes cum eo qui hoc tibi Imperium tradidit: neu pro gratiarum actione impietatem illi referas: ne persequare illos qui credunt in eum, ne tu quoque audias: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*. Sed utinam auscultes, ut tu quoque, quemadmodum beatus Paulus obtemperes. Ecce adsumus, accessimus priusquam illi criminationem comminiscantur. Ideo properavimus, gnari nobis a te exspectandum exsilium esse, ut ante confictam criminationem patiamur, omnibusque propalam sit, alios omnes eadem qua nos ratione perpessos esse, allatasque adversus illos criminationes, confictas ab inimicis fuisse: quorum omnia dicta, nihil nisi calumniæ, nihil nisi mendacia fuere.

Liberii ad Constantium verba.

Act. 9. 5.

40. Ita loquutus Liberius omnibus admirationi fuit; at ille nullum aliud responsum dedit, quam quod jussit illum mitti in exsilium: singulosque, ut antea fecerat, ab invicem disjunxit. Quam exsilii rationem adinvenit ipse; ut in pœnis irrogandis prioribus crudelior tyrannis & persequutoribus esset. Nam in superiori persequutione, plures una confessores relegari jussit Maximianus, ac per consortii consolationem pœnam mitigavit. At hic longe illo crudelior, viros in loquendi libertate, atque in confessione socios ab invicem semovit, illos disjunxit qui fide copulati erant, ut ne vel in morte mutuo fruerentur aspectu, ratus corporis segregationem, animæ quoque affectum disjungere, aut illos invicem sejunctos concor-

Liberii exsilium.

* Quanta apud Constantium fuerit eunuchorum potestas, haud sine querimoniis testantur Scriptores plurimi. Eusebium autem illum præfectum cubiculi memorat Ammianus Marcellinus lib. 14. cap. 11. lib. 15. cap. 3. & alibi. Atque ipse Ammianus eum a Juliano Imperatore morti addictum, atque ab Adrastia muliere præcipitatum fuisse, libro 22. capite 4.

** Hæc Ammianus refert lib. 15. cap. 7. pag. 91. Theodoretus item lib. 2. cap. 16. colloquium affert Liberii cum Constantio. Qua de re in Vita Athanasii.

diæ & unanimitatis oblituros. Ignorat scilicet, etiamsi singuli seorsum degant, adesse tamen unicuique Dominum quem una omnes confessi sunt, qui illud aget, ut multo plures singulis adsint

4. Reg. 6, 16.

(ut olim Elisæo Prophetæ præstitit) quam sint cum Constantio milites. Cæca plane res est malitia: dum enim se putant Confessores contristare, ubi illos invicem segregant, in hoc præcipue sese ipsi valde læserunt. Nam si una illi & in eodem loco fuissent, ex uno tantum loco impiorum scelus evulgatum fuisset: jam vero cum illos segregarint, illud effecere, ut impiæ suæ hæresis malitiæque fama omnem in locum pervaderet, ac ubique perspecta esset.

41. Hæc item illorum facinora quis si audiat, non arbitretur illos quidvis potius quam Christianos esse? Cum Liberius * Eutropium Presbyterum, & Hilarium Diaconum cum litteris misisset ad Imperatorem, quo tempore item † Lucifer cum sociis confitebatur;

† Vide supra num. 33.

Presbyterum statim illi in exsilium ablegarunt: Diaconum vero Hilarium, postquam nudassent, atque dorso flagris cæcidissent, in exsilium item miserunt. Dum flagellarent autem hæc vociferabantur: Quare Liberio non obstitisti, sed ejus detulisti litteras? Illud facinoris admisere Ursacius & Valens cum spadonibus. Diaconus porro dum verberaretur benedicebat Domino, memor illius dicentis: *Dorsum meum dedi ad flagella*.

Esaia 50, 6.

Illi vero verberantes, irridebant illudebantque viro: neque erubuere quod Levitam afficerent contumeliis: dumque cachinnos profunderent, rem sibi consentaneam agebant: illeque benedicendo perseverabat. Verberari nempe, Christianorum, Christianos autem verberare, Pilati & Caiphæ facinus est. Sic itaque a principio ipsam Romanam Ecclesiam labefactare conati sunt, optantes suam illi admiscere impietatem.

Liberii lapsus anno 357.

Porro Liberius extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit. Verum ea ipsa re comprobatur cum violentia eorum, tum Liberii in hæresim illam odium, ejusque pro Athanasio suffragium, quamdiu scilicet libere arbitrioque suo agere licuit. Nam quæ tormentorum vi præter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita. Nihil itaque hæresis suæ gratia non aggressi sunt. Populi vero per singulas Ecclesias quam didicere fidem retinentes, Magistros expectant suos, ac Christo adversariam hæresim, quam coacti recepere, omnes veluti serpentem aversantur.

Constantius Hosium aggreditur.

42. Post talia tamque multa facinora, nihil se perfecisse rati impii, quamdiu magnus Hosius eorum malignitatem expertus non esset; ad tam venerabilem senem furorem suum propagare studuerunt: non patrem Episcoporum, non Confessorem virum reveriti sunt, non Episcopatus tempus in quo plus sexaginta annos exegerat, erubuere: sed posthabitis despectisque ceteris omnibus, sola hæresis cordi fuit: homines sane qui nec Deum timent, neque hominem reverentur. Constantium igitur adeuntes, his sermonibus alloquuntur: Nihil non egimus: Romanorum Episcopum in exsilium ablegavimus, & ante illum permultos alios Episcopos: omnia loca formidine replevimus. Sed nihil nobis tanta tua gesta juvabunt, nihildum a nobis recte factum, quamdiu Hosius illæsus remanserit. Nam dum apud suos ipse degit, omnes in suis Ecclesiis remanent; potest quippe ille verbo fideque sua omnes adversum nos inducere. Hic & Synodis præesse solet, ejusque litteris ubique omnes obtemperant. Hic Nicænam fidem edidit, Arianosque ut hæreticos ubique traduxit.

Hosius Nicænam fidem edidit.

Si igitur remanserit ille, inutile nobis fuerit aliorum exsilium: mox enim de medio tollenda nostra hæresis est. Et hunc ergo persequi incipias: nec virum quamvis grandævum miserare, nescit quippe nostra hæresis vel senum canitiem venerari.

43. His auditis Imperator, nihil cunctatus, cum virum Senisque gravitatem probe nosset, litteris illi suis præcepit ut se conveniret, † quo tempore Liberium pertentare incipiebat.

† Nannius forte aliter legit, non vertit, quemadmodum.

Accedentem illum rogabat, solitisque verbis, quibus scilicet alios decipere consueverat, hortabatur, ut adversum nos scriberet, & cum Arianis communicaret. Senex qui rei hujusce vel auditum ægre ferret, indignatus quod hujusmodi quidpiam vel proferre ausus fuisset; Imperatorem verbis suis perculsum de sententia deduxit, atque ita in patriam & in Ecclesiam suam remigravit. Sed cum hæretici haud sine querelis & lamentis denuo instigarent, hortarentur Eunuchi, ac magis magisque concitarent, litteras demum Imperator mittit, interminaturque: hinc Hosius afficitur contumeliis, neque tamen insidiarum metu de sententia dimovetur. Sed cum perstaret firmus in proposito suo: cum fidei suæ domum supra petram ædificasset, nihiloque validiores quam stillas, ventorumque flatus, epistolarum minas reputaret, cum fiducia adversus hæresim loquutus est. Plerisque igitur a Constantio missis epistolis, ubi modo virum adulabatur quasi patrem, modo minabatur, exsulesque nominabat, hæc ajens: Tune solus etiamnum hæresi infestus permanebis? Obsequere, ac scribe contra Athanasium: quicumque enim adversus illum scripserit, hic plane Arianice nobiscum sentiet; nihil reformidavit Hosius, sed, tametsi contumeliis lacessitus, hæc scripsit. Ejusque nos epistolam legimus, & ** ad calcem ea ipsa descripta est.

HOSIUS CONSTANTIO

Imperatori in Domino salutem.

44. EGo jam pridem confessus sum, cum sub avo tuo Maximiano persequutio grassaretur. Quod si tu quoque me persequare, etiamnum ad quidvis potius tolerandum paratus sum, quam ut innoxium effundam sanguinem, veritatemque prodam: teque eo modo scribentem ac interminantem minime adprobo. Desine itaque talia scribere, ac cum Ario ne sentias, nec Orientales audias, neu Ursacio & Valenti habeas fidem. Nam quæ effutiunt illi, non Athanasii causa, sed hæresis suæ gratia loquuntur. Credo mihi, Constanti, qui per ætatem avus tuus esse possim: Sardicensi interfui Synodo, quo tempore tute ac beatæ vir memoriæ frater tuus Constans, nos omnes convocastis. Ipseque inimicos Athanasii provocavi, cum in Ecclesiam, ubi commorabar ego, advenissent, ut si quid in Athanasio culpandum haberent, id renunciarent. Fidem dedi, securitatemque promisi, ut nihil nisi rectum in omnibus judicium exspectarent. Id non semel tantum, sed & bis præstiti, hortatus, si nollent coram tota Synodo, mihi saltem soli rem deferrent. Id quoque pollicitus sum: Si reus deprehendatur homo, a nobis plane abjicietur; sin innoxius, vosque sycophan-

* Eutropium hunc, Hilarius Pancratium appellat Fragment. 5. n. 6. postremæ editionis.

** Hanc epistolam ad calcem conscriptam, huc transtulerant amanuenses.

cophantas probarit: si nihilominus illum recusaveritis, Athanasio persuadebo, ut mecum in Hispanias proficiscatur. Hisque conditionibus citra repugnantiam obtemperabat Athanasius. Illi vero rebus omnino suis diffisi, æque id abnuerunt. Iterumque ubi Athanasius ad tuum exercitum se contulit; cum tu illum litteris tuis accivisti, inimicos ille suos qui tum ibi, Antiochiæ videlicet, versabantur, vel omnes una, vel singulos advocari rogavit, ut aut se convincerent, aut convincerentur ipsi; & se vel coram qualem esse dicebant comprobarent, vel absentem non calumniarentur. Verum nec tu hæc dicenti morem gessisti, imo illi abnuerunt. Cur itaque etiamnum obtrectatores ejus audis? Cur Ursacium Valentemque toleras, tametsi illi pœnitentiam egerunt, calumniamque suam scripto confessi sunt? Confessi sunt, inquam, non vi coacti, ut obtendunt illi: non urgentibus militibus, non conscio fratre tuo: non talia quippe sub illo, qualia his temporibus, agebantur, absit; sed ultro ipsi Romam profecti, coram Episcopo & Presbyteris hæc scripsere, cum antea amicam & pacificam epistolam ad Athanasium misissent. Quod si vim sibi illatam obtendunt, quam illicitam agnoscant: sique vim tute non approbes, desine vim inferre, nec litteras, nec comites miseris; sed exsules remitte, ne cum tu vim redarguas, majorem illi vim exerceant. Quidnam ejusmodi a Constante actum est? quis Episcopus exsulavit? quandonam ille Ecclesiasticis judiciis medius interfuit? quis sub illo Palatinus contra quem subscribere coegit, ut Valens cum socio talia effutiat? Desine, quæso te, & memento te mortalem hominem esse: time judicii diem, teque ipse innoxium ad eam diem custodias. Ne te rebus misceas Ecclesiasticis: neu nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius hæc ediscas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi Imperium subripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue ne si ad te Ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias: *Reddite*, scriptum est, *quæ sunt Cæsaris*, *Cæsari*, *& quæ sunt Dei*, *Deo*. Neque nobis igitur terræ imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem. Hæc quod tuam curem salutem scribo: quod vero res spectat de quibus scripsisti, ecce meam sententiam: Arianis minime adjungor, imo eam hæresim ferio anathemate: nec contra Athanasium scribam, quem nos & Romana Ecclesia, imo tota Synodus insontem declaravit. Nam tute hæc cum perspecta haberes, hominem accivisti, ac concessisti, ut cum honore in patriam ille & in Ecclesiam suam remigraret. Quænam exstitit tantæ mutationis causa? Iidem enim ipsi sunt ejus inimici qui jam ante fuere: & quæ jam susurrant (non enim ea coram illo proferunt) hæc prius etiam quam Athanasium accires obloquebantur: hæc cum ad Synodum advenissent obmurmurabant: meque, uti supra dixi, probationes postulante, proferre ipsi nequivere: nam si habuissent, non ita turpiter aufugissent. Quis te induxit, ut post tantum temporis, litterarum juxta ac verborum tuorum obliviscerere? Cohibe te, quæso, & ne improbis hominibus morem geras, ut ne mutui commodi causa te ipse reum constituas. Quod enim jam illis indulges, de hoc in die judicii solus rationem es redditurus. Adversarium illi suum auspiciis tuis lædere optant, teque volunt esse malitiæ suæ ministrum, ut tua ope exsecrandam hæresim in Ecclesia disseminent. Non est prudentis, ob aliorum libidinem sese in manifestum conjicere periculum. Desine, quæso te, & mihi obtempera, Constanti. Hæc enim & me decet scribere, & te non vilipendere.

Imperatori non licet Ecclesiasticis rebus sese immiscere.

Matth. 22. 21.

45. Hæc illa fuit Abrahamici senis vere Hosii, id est, Sancti, sententia: hæ illius litteræ. Ille vero nec insidiarum finem fecit, neque desiit obtentum adversus illum perquirere; sed perstitit graviter interminando, ut eum aut vi a sententia deduceret, aut non obsequentem pelleret in exsilium. Ac quemadmodum Babylonici Duces & Satrapæ, cum incusandi Danielis occasionem captarent, nonnisi in lege Dei sui illam invenere; ita & nunc impietatis Satrapæ nullam aliam potuerunt adversus Senem vel comminisci. Nulli quippe notus non erat ille vere Hosius, id est, Sanctus, cujus inculpata vita erat, nisi eo nomine, quod hæresim odio haberet. Hunc itaque calumniantur, non perinde atque ille Dario delatus fuit, invitus quippe Darius criminationem in Danielem audivit; sed sicut Jezabel Nabothum, ac ut Judæi apud Herodem, his verbis: Non modo non subscribit ille adversus Athanasium, sed nos etiam ejus gratia damnat: itaque hæresim aversatur, ut ceteros litteris hortetur, necem ut potius subeant, quam veritatis proditores evadant. Nam, ait ille, veritatis causa dilectus noster Athanasius persequutionem sustinet, insidiæque tenduntur Liberio Romano Episcopo, aliisque universis. Hæc cum audisset impietatis patronus, hæresisque Imperator Constantius, maximeque cum comperisset, alios esse in Hispaniis qui ejusdem atque * Hosius sententiæ essent, tentatos illos ut subscriberent, cum non valuisset eo vi adducere, arcessit Hosium: quem, exsilii vice, anno integro Sirmii detinet, nec Deum metuens impius homo, neque patris erga Hosium affectum reveritus, improbus ille, neque senectutem (centenarius quippe erat) veneratus, vir inhumanus. Hæc namque omnia, hæreseos gratia, nihil fecit novus ille Achab, aliusque nostri ævi Balthasar. Tantam enim Seni vim intulit, tamdiuque illum detinuit, ut malis oppressus vix tandem cum Valente & Ursacio communicaret, neque tamen subscriberet contra Athanasium. Sed eam rem minime neglexit Senex: instante quippe morte, vim sibi illatam quasi testamento declaravit, Arianamque hæresim feriit anathemate, vetuitque ne quis illam reciperet.

Daniel. 6. 4.
3. Reg. 21. 7.
Luc. 23. 10.
Hosii lapsus anno 357.

46. Quis hæc si videat, vel solum audiat, non obstupescet, ad Dominumque clamabit: *Num ad internecionem dabis Israel?* Quis hæc animadvertens non opportune ad Dominum exclamabit: *Stupor & horribilia facta sunt super terram*, &, *obstupuit cælum super hoc*, *& terra vehementer exhorruit?* Patres populorum & fidei Magistri tolluntur, impiique in Ecclesias intruduntur. ** Quisnam, ubi vidit Liberium Romanum Episcopum in exsilium ejici, aut patrem Episcoporum magnum Hosium tantis affici malis: quis cum cerneret tam multos Episcopos ex Hispania & ex aliis partibus extorres fieri, non exploratum habuit, etiamsi modico sensu præditus esset, criminationes in Athanasium in aliosque allatas, confictas fuisse, omniaque calumniæ plena? Ideo enim illi omnia mala perferenda putarunt, quod insidias ex eorum sycophantia structas compertas haberent. Quod enim Liberii crimen? quæ adversus senem Hosium criminatio? quis Paulino, Lucifero, Dionysio & Eusebio, vel falsum scelus imposuit? aut quæ culpa aliorum exsulum, Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum? nulla sane fuit, absit.

Ezech. 11. 13.
Hierem. 5. 30.
Hierem. 2. 12.

* Quæ Hosium spectant fuse in Athanasii Vita pertractamus.

** Hæc habentur item in sua Apologia contra Arianos.

sit. Non enim criminis cujuspiam causa conspirationes conflatæ sunt, neque ob allatas criminationes singuli extorres sunt facti: sed nihil aliud illud est quam eruptio impietatis adversus pietatem, studiumque erga hæresim Arianam, præludiaque adventus Antichristi, cui viam præparat Constantius.

Persequutio secunda Alexandrina sub Constantio anno 356.

47. Nam postquam quæ libuit omnia adversus Ecclesias Italiæ aliarumque regionum peregisset: postquam hos in exsilium misisset, illos vi coegisset, ac omnia ubique formidine implesset, furorem denique suum, instar cujusdam morbi, vertit in urbem Alexandriam. Callide autem Christi hostes eam rem aggressi sunt: namque ut multorum Episcoporum subscriptionem ostentare possent, vexatusque Athanasius nullum haberet Episcopum apud quem conquereretur, omnia ubique terrore impleverunt: huncque terrorem succenturiatum in insidiis servarunt: non advertentes insani homines, se non Episcoporum propositum pro se obtendere; sed vim a se illatam exhibere: ac licet fratres deserant, licet amici & noti procul recedant, quamquam inveniatur nemo qui condoleat & consoletur, Dominum tamen idoneum, majusque ceteris omnibus esse persugium. Solus namque Helias erat in persequutione, sancto tamen viro Deus in omnibus omnia erat. Hanc item formam nobis tradidit Salvator, qui solus relictus, inimicorum insidiis appetebatur; ut si nos quoque in persequutione deseramur ab hominibus, ne despondeamus animum, sed in illo spem habeamus, neque prodamus veritatem: quæ licet initio videatur opprimi, at demum ipsi persequutores eam sunt agnituri.

3. Reg. 19. *Matth. 26. 56.*

48. Imperatorem itaque concitant, qui primum litteras mittit, minasque ad Ducem & ad milites. Leguntur item Notarii Diogenius, & Hilarius, & una cum illis Palatini: tumque gravia & immania adversus Ecclesiam edita sunt facinora, quæ paulo ante paucis perstricta sunt, omnibusque comperta ex iis quas populi edidere * contestationibus, quas ad calcem hujus Operis perscriptas, cuique volenti legere licebit. Hinc post illa Syriani gesta, post tanta admissa facinora, post illatas Virginibus contumelias; cum ejusmodi scelera ille probaret, litteras rursum mittit ad Senatum & populum Alexandrinum, juvenes sollicitans, ut vel una coacti Athanasium persequerentur, vel notum haberent ipsos sibi inimicos fore. At ille vel antequam hæc contingerent, ex quo Syrianus in Ecclesiam irrupit, abscesserat, cum sciret illud quod scriptum est: *Sed abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio*. Harum autem litterarum tabellarius fuit Heraclius quidam dignitate Comes, qui præcursor fuit cujusdam Georgii, quem Imperator Catascopum, id est exploratorem, mittebat, haud enim Episcopus is fuerit qui ab illo mittitur, absit; ut & res gestæ, & ipsa ingressus ejus præludia comprobant.

Hæc facinora narrantur in contestatione populi Alexandrini, infra. *Athanasii secessus anno 356.* *Esai. 26. 20.*

50. Litteras itaque promulgavit, quæ ingentem scribentis turpitudinem præferrent: cum enim, prout magnus scripserat Hosius, veri similem nullam mutationis suæ causam reperire posset, longe indecentiorem sibi & consiliariis suis comminiscitur. Fratris mei, ajebat, divinæ ac piæ memoriæ viri, amicitiam reveritus, Athanasium ad quoddam spatium temporis vos adire permisi. Illud autem eum & in promissis fallacem, & erga fratrem suum post obitum ejus ingratum comprobat. Deinde, divinæ illum ac piæ memoriæ, (ut revera se habet) dignum appellat, cujus mandatum & amicitiam (licet *Athanasii reditum*, in gratiam tantum beatæ memoriæ Constantis permisisset) servasse oportuit, nec sese inofficiosum erga fratrem exhibuisse, ut sicut Imperii, sic & sententiæ illius hæres foret. Sed ille cum jus suum repetere vellet, Vetranionem Imperio abdicavit, hæc ajens: Ad quemnam post fratrum obitum pertinet hæreditas? quamquam abominandæ Christi hostium hæreseos causa, nec quid juris sit novit; imo vero sese erga fratres suos ingratum præbet. Cujus item hæreseos gratia, ne patris quidem sententiam integram servare in animum induxit: sed quantum hæreticis libet, sese servare simulat; sin displiceat illis, debitam patri suo reverentiam servare nescit. Ille siquidem Eusebii & sociorum calumnia inductus, Episcopum amandavit in Gallias, ad tempus scilicet, ac ut insidiatorum immanitatem devitaret (id enim post patris obitum declaravit beatæ vir memoriæ Constantinus hujus frater, ut in ejus ** Epistola cernere est:) at nequaquam iisdem Eusebianis morem gessit, neque misit quem illi Episcopum eo mittere peroptabant; imo id volentes coercuit, atque rem aggressos, gravibus minis deterruit.

51. Cur itaque si patris sui, uti scribit, placita servare voluit, primo Gregorium, jam vero depeculatorem Georgium misit? aut cur Arianos, quos *** Porphyrianos ille nuncupavit, hic studet in Ecclesiam introducere, ac dum patrocinatur illis, alios pellit in exsilium? Nam etiamsi Arium pater ejus ad conspectum admiserit suum, at ubi post perjurium Arius disruptus est, patris ejus amisit benevolentiam: etenim re comperta ille, Arium deinceps ut hæreticum reprobavit. Quare dum se simulat Ecclesiasticum curare Canonem, omnia contra Canonem agere molitus est? Quis Canon præcipit ut e Palatio mittatur Episcopus? Quis Canon jubet milites invadere Ecclesias? Quis tradidit Comites inconsideratosque spadones Ecclesiasticis præesse rebus, aut edicto judicia eorum qui Episcopi vocantur promulgare? Nullo mendacio non utitur ille impiæ hæresis causa: nam & tum præter patris sententiam Philagrium secundo misit Præfectum & jam hæc facinora gesta sunt. Neque vera sunt quæ de fratre loquitur: siquidem post fratris obitum, non semel, neque secundo, sed ter litteras misit ad Episcopum, fidemque dedit se nunquam sententiam mutaturum: jussitque ut consideret, se a nullo unquam conturbandum fore; sed cum magna tranquillitate in Ecclesia mansurum: missisque Asterio Comite & Palladio Notario, jussit Felicissimo tunc temporis Duci, & Nestorio Præfecto; ut sive Philippus Præfectus, sive alius quispiam ausus esset Athanasio insidiari, arcerent ipsi.

52. Quapropter cum advenit Diogenes, insidiasque paravit Syrianus, tunc ille, nos item atque populi litteras postulabamus Imperatoris, rati, quoniam scriptum est, *Nullum mendacium apud Regem ore proferatur*, sic neque Imperatorem qui fidem dederit, eam violaturum unquam, aut sententiam mutaturum esse. Cur itaque si fratris tantum gratia nos remigrare concessit, post ejus obitum litteras misit? Quod si illius memoriæ gratia ea scripserit; cur tandem postea sese fratri ingratum præstitit, ubi hominem persequutus est, ac dum in litteris suis judicium obtendit Episcoporum, arbitrio ille suo

* Ex duabus itaque Contestationibus quæ ab Athanasio huic Operi adnexæ fuerant, prior ob allatam in Admonitione causam omissa videtur; secunda tantum superest.

** Eas litteras vide sub finem Apologiæ contra Arianos.

*** In Epistola Constantini ad Episcopos & populos quæ habetur apud Socrat. p. 32. jubet Imperator ut Ariani Porphyriani vocentur, nomine Porphyrii philosophi, Christianæ religioni infensissimi.

suo rem gerit? licet minime lateat, sed in proximo sint vafritiei illius argumenta? Si namque illud Episcoporum decretum est, quid illud adtinet ad Imperatorem? sin Imperatoriæ minæ sunt, quid opus hominibus nuncupatis Episcopis? Quandonam a sæculo res hujusmodi audita est? quandonam Ecclesiæ decretum ab Imperatore accepit auctoritatem, aut pro decreto illud habitum est? Multæ antehac Synodi coactæ sunt: multa prodiere Ecclesiæ decreta; sed numquam Patres res hujusmodi Imperatori suasere, numquam Imperator Ecclesiastica curiose perquisivit. Ex Cæsaris domesticis quidam Paulo Apostolo amici fuere, quorum nomine Philippenses ille in Epistola sua salutavit; sed nequaquam illos judiciorum consortes admisit. Jam vero spectaculum novum, quod Arianæ hæresis inventum est: hæretici cum Imperatore Constantio una convenere, ut ille Episcoporum obtentu, quos libuerit adoriatur, ac liceat persequatur, persequutor tamen minime audiat; hæretici vero Imperatoris auctoritate freti, quibus voluerint insidias tendant: tendunt autem illis qui non secum impie sentiunt. Porro hanc ab illis quasi in scena comœdiam agi videre est: ubi qui Episcopi nomine vocantur, histrionum partes gerunt: Constantius vero eorum res agit, qui quasi Herodes Herodiadi promissa dat. Hos rursum cernere est calumniis suis quasi saltitantes, idque ad exsilium & cædem virorum qui pie de Domino sentiunt.

Philip. 4. 22.

53. Quemnam igitur non calumniis læsere suis? cuinam illi oppugnatores Christi, insidias non pararunt? quem Constantius ab illis delatum non ablegavit in exsilium? quandonam non libentissime illis aurem præbuit? & quod prorsus stupendum est, quem unquam qui hæreticos deferret auscultavit, annon potius loquentes illos, quidquid tandem adferrent, libenter admisit? quænam Ecclesia est quæ jam libere Christum adoret? nam si pia quidem sit, in periculo versatur: sin simulet, reformidat. Omnia simulatione impietateque, quoad facultas tulit, replevit. Si quis ubivis pius homo Christique amans reperiatur (exstant sane ubique tales permulti, sicut Prophetæ, magnusque Helias) ejusmodi inquam homines delitescunt, sicubi tamen ipsi fidum hominem, veluti Abdiam, inveniant: vel si liceat in cavernas & in foramina terræ secedere, aut demum in desertis locis aberrantes commorari. Eas enim calumnias deferunt amentes illi, quales Jezabel adversus Nabothum, & Judæi in Salvatorem confinxere: ac denique patronus ille hæresis, cum veritatem immutare velit, haud secus quam Achab vineam convertit in hortum olerum, omnia pro eorum libidine agit, quia nempe ille quæ optavit ab illis audivit.

3. Reg. 18.

3. Reg. 21. 7.

54. Sic, uti supra dixi, veros Episcopos, quod nollent impia profiteri arbitratu suo, relegavit: ita adversus ipsum Athanasium, Heraclium misit Comitem, qui mandata publice proposuit, ac jussu Imperatoris denuntiavit, si non litteris obtemperarent, auferendum panem, subvertenda idola, plurimisque Magistratibus, popularibusque captivitatem plane expectandam fore. Deinde his denuntiatis minis, non puduit hominem hæc palam altaque voce proferre: Athanasium Imperator repudiat, Ecclesiasque Arianis tradi jussit. Hinc mirari super hac re omnes, nutus invicem dare, ac dicere: Num Constantius factus est hæreticus? Ille autem, ubi erubescendum erat Senatores contra, Ethnicorumque Magistratus idolorum æedituos urgebat ut iis subscriberent, profiterenturque se illum recipere Episcopum, quem mitteret Imperator. In hoc certe agendo Constantius Canones Ecclesiasticos egregie vindicabat: namque pro Ecclesiæ litteris, fori litteras, pro populorum scriptis, æedituorum scripta reposcebat; gnarus scilicet se non Episcopum Christianis, sed iis qui talia scriberent litigatorem mittere.

Constantius per Heraclium Comitem urget Ethnicos ut Georgium recipiant.

55. Ethnici itaque qui tali subscriptione redimebant idolis suis immunitatem, & nonnulli ex agricolis, ac si de Duce aut de alio quodam misso judice ageretur, licet inviti, ejus tamen minas veriti, subscripsere? nam Ethnici cum essent, quid acturi erant, quam quod Imperatori placeret? Populis autem in magna Ecclesia congregatis, quarta quippe Sabbati erat, postridie Heraclius Comes secum assumsit Cataphronium Ægypti Præfectum, Faustinum Catholicum, Bithynumque hæreticum hominem, ac illi una forensium juniores eosque idolorum cultores concitant, ajentes eam esse Imperatoris jussionem, ut in Ecclesiam irruerent, populosque lapidarent. Cum itaque jam e populo plurimi post dimissionem egressi essent, remanentibus paucis mulieribus: tunc uti præceperant gesta res est. Eratque miserabile spectaculum: nam cum paucæ, finita oratione, jamjam sedissent, derepente juvenes illi, cum lapidibus, & fustibus, nudi irruentes, alias lapidare, sacra vero Virginum corpora plagis impii concidere; detractisque velaminibus earum capita nudare, ex adversoque trahentes illas pedibus improbi percutere. Gravia certe illa & admodum atrocia: sed quæ consequuta sunt graviora, ac omni contumelia intolerabiliora. Cum enim Virginum modestiam, auriumque puritatem perspectam haberent, gnari libentius illas lapides, gladiosque, quam obscœna verba perferre, dum irrumperent talia proferebant, Arianique hæc adolescentibus suggerebant, quippe qui talia dicta, ejusmodique facinora cernentes cachinnos effunderent. Sacræ porro Virgines, aliæque honestæ matronæ, ab iisdem verbis, quasi a morsibus aspidum refugiebant. At Christi hostes, opem ferebant adolescentibus, imo forte ea ipsa cum illis verba proferebant: obscœna quippe dicta voluptati ipsis erant.

Immania in Christianos facinora.

56. Hinc quo prorsus mandatum exsequerentur, (hoc namque illis cordi erat, hoc item Comes, Catholicusque præcipiebant) subsellia, thronum, mensam, nam lignea erat, vela Ecclesiæ ac cetera quæ potuere direpta & asportata, ante ostium in magna platea combusserunt, thusque injecerunt in ignem. Heu! quis hæc audiens lacrymas non fuderit, imo aures non obturarit, ne alium narrantem ferat, ratus ejusmodi rerum vel auditum damno sibi fore? Nam Ethnici idola sua laudibus celebrabant, dicebantque: Gentilis Constantius effectus est, Arianique nostra approbant: nihil curant enim vel sese Ethnicos simulare, dummodo sua hæresis stabiliatur. Enimvero buculam, quæ hortos in Cæsareo sitos irrigabat, immolare sunt aggressi, atque immolassent, nisi fœmina ea fuisset, quas sacrificare sibi nefas esse ajebant.

57. Ejusmodi facinora impii Ariani cum Ethnicis admisere, rati ea in nostram vertere contumeliam. At divina ultio eorum coarguit improbitatem, magnumque ac præclarissimum signum edidit, quo palam fecit omnibus, eos ut impietate sua non alium quam Dominum oppugnant, sic jam suis facinoribus, ipsi Domino ignominiam inurere tentasse; quæ res ex miraculo tum edito liquidius commonstratur. Nam juvenis quidam ex petulantioribus, irruens ausus est in throno sedere. Sedensque scelestus meretricium quod-

Juvenes duo Ethnici violata Ecclesia pœnas luunt.

quoddam * naribus personabat. Inde cum surrexisset, A Thronum convellere ad seque trahere conatus est, 1. Reg. 5. 6. ignorans se sibi divinam attrahere vindictam. Quemadmodum enim Azoti quondam incolæ, Arcam tangere ausi, quam ne obtueri quidem sibi licebat, ab illa continuo, prius tamen anorum cruciatibus confecti, perimebantur; ita & ille miser, thronum avellere ausus, quod pertraxit, in suam traxit perniciem, & quasi ipsa divina ultio lignum immitteret, illo avulso ventrem suum percussit: & cum thronum avellere optaret, ictu suo ipse intestina foras emisit: magisque thronus vitam illi avul- Act. 1. 18. sit, quam ab illo avulsus sit. Effusa sunt igitur, uti de Juda scriptum est, viscera ejus, collapsusque asportatus est, & post unam diem interiit. Ingressus item alius qui thallos gestabat, cum, utpote Ethnicus, manu illos agitaret, cachinnosque profunderet, derepente tenebris offusus, nihil videbat, nec ultra sciebat, ubi terrarum esset: qui jamjam collapsurus, a comitibusque suis manu adductus ac sustentatus exivit: vixque postridie mentis compos effectus est, facinoris juxta ac casus sui immemor sceleratus ille.

58. His conspectis, Ethnici perterriti sunt, nihilque ultra agere sunt ausi: Arianos autem ne tum quidem gestorum puduit; sed, quemadmodum Judæi, cum signa viderent, non credebant tamen, adeo increduli erant; imo potius instar Pharaonis indurabantur: spem quippe suam in infimis sitam habebant, in Imperatore scilicet & in Eunuchis ejus. Ethnicos igitur, imo potius Ethnicorum petulantissimos, supra dicta facinora perpetrare sinebant. Aderat quippe illis in his agendis histrio quidam qui Ethnicos concitabat, Faustinus, qui Catholicus dicebatur, moribus tamen circumforaneus & animo petulanti. Ariani vero per se ipsi ejusmodi res aggressi sunt, ut sicut suam hæresim ex aliis hæresibus expresserant, sic & jam nefaria gesta cum petulantioribus dividerent. Cetera igitur, uti supra dixi, illorum opera perpetrarunt: quæ vero ipsi facinora per se admisere, qui non omnem exsuperant malignitatem, qui non cujusvis carnificis malitiam vincunt! Quam non diripuere domum? quas ædes pervestigandi causa non devastarunt? quem hortum non conculcarunt? quod sepulcrum non aperuere, specie quidem Athanasii perquirendi, cum nihil tamen curarent quam diripere, & obvios spoliare? quam multorum domus obsignatæ sunt? quam multa quæ in hospitalibus erant, ministris suis militibus dederunt? quis illorum improbitatem expertus non est? quis illis obvius non sese in foro occultavit? quis non, eorum metu relicta domo, in deserto pernoctavit? quis dum sua ab illis servare studeret, non plurima amisit? quis maris imperitus, non maluit illud ejusque pericula experiri, quam hos interminantes cernere? Multi namque domicilia permutarunt, & a vico in vicum, ab urbe in suburbis translati sunt. Quam multis quantæ multæ sunt irrogatæ, & cum nihil suppetaret, ab aliis ipsi fœnerabantur, eo solum ut eorum insidias effugerent?

59. Omnibus quippe terrori erant: Imperatorisque nomen proferentes, apud omnes sese venditabant, interminantes illius iram: nacti malitiæ suæ ministros Ducem Sebastianum, Manichæum hominem, petulantemque juvenem, Præfectum item & Comitem, histrionemque Catholicum. Multas certe Virgines quæ illorum impietatem damnabant, veritatemque profitebantur, ex ædibus suis dejecerunt, alias quæ ambulabant affecere contumeliis, earumque capita a junioribus qui secum erant nudari jusserunt, mulieribusque suis facultatem dedere contumelias arbitrio suo cuivis illarum inferendi. Honestæ itaque fidelesque matronæ declinabant. Illæ autem quasi bacchæ ac furiæ, circumcursantes detrimentum putabant, si quam non offenderent, cui inferrent injuriam: eamque diem cum mœrore agebant, in qua nullam lædere possent. Demum ita efferati acerbique in omnes erant, ut carnifices, homicidæ, nefarii, litigatores, malitiosi, nihilque non potius quam Christiani ab omnibus vocarentur.

60. Enimvero Scythas imitati, Eutychium Subdiaconum, virum probe Ecclesiæ ministrantem, rapuere: quem ubi taurinis scuticis a dorso ad necem ferme cædi curassent, rogarunt ad metalla mitti, ad metalla certa non quælibet, sed ad ea quæ ** Phæno appellantur, ubi homicida condemnatus, vix paucis diebus vivere queat. Et quod prorsus stupendum est, ne paucis quidem horis ejus curari vulnera concessere: sed continuo illum viæ commiserunt, ajentes: Si res ita fiat, reformidabunt omnes, ac nobis deinceps sociabuntur. At ille non multum progressus, cum ex vulnerum dolore ad metalla pervenire non valeret, in via interiit. Ac lætus quidem ille obiit, martyrii gloriam adeptus. Impii autem viri, ne ita quidem affecti sunt pudore, sed ut scriptum est, crudelia habentes viscera, postquam id sceleris moliti essent, satanicum quoddam facinus rursum designarunt. Nam cum supplices populi pro Eutychio deprecarentur, jusserunt illi, ut quatuor probi liberique viri arriperentur, inter quos Hermias erat, qui mendicorum pedes abluebat, quos gravibus ante plagis concisos Dux conjecit in carcerem. At Ariani vel ipsis Scythis immaniores, ubi illos plagarum dolore non exstinctos viderunt, expostulare, ac comminari: Eunuchis, ajentes, scribemus, indicabimusque eum non arbitrio nostro flagellare. His auditis perterritus ille, coactus est denuo verberare homines. At hi dum cæderentur, gnari cur ita vapularent, & a quibusnam insimulati essent, hæc tantum loquebantur: Propter veritatem vapulamus, nec communicamus cum hæreticis: verbera pro libidine, a Deo hac de re judicandus es. Impii porro optabant illos in carcere periclitari, atque interire: sed populus Dei cum nosset temporis opportunitatem, pro illis deprecatus est: atque post septem circiter aut plures dies, dimissi homines sunt.

Martyrium Eutychii Subdiaconi.

Prov. 12. 10.

61. At illi quasi eam rem indigne ferrent, aliud facinus illo immanius, nefariumque sunt aggressi: quod quidem crudelissimum apud omnes habeatur, eorum tamen hæresi Christo inimicæ consentaneum. Enimvero præcepit Dominus ut pauperum cura habeatur: *Vendite*, ajens, *quæ possidetis*, *& date eleemosynam*: &, *Esurivi*, *& dedistis mihi manducare*: *sitivi*,

Luc. 12. 33.

Matth. 25. 35.

* Clemens Alexandrinus Pædagog. lib. 3. cap. 14. pag. 230. de cinædis quibusdam & intemperantibus, hæc habet, [illegible] : *adulteri mimuli, qui lascive cachinnos effundunt, susurrantque & sonum artum et cinædicum fauces per nares ad lasciviam edunt.* Quo significatur, juvenem illum, more jamdiu apud impudicos obtinente, ejusmodi sonos per nares edidisse.

** *Phæno.* Eusebius Hist. de Martyribus Palæstinæ p. 328. de Præside Cæsareæ hæc ait: [illegible] : *Confessores omnes ad æris metalla quæ sunt apud Phænum Palæstinæ damnavit.* Epiphanius vero ea nuncupat Hær. 68. [illegible]. Theodoretus, Hist. lib 4. cap. 20. [illegible]. Eusebius de locis Hebraicis: [illegible] : *Phenon in qua habitavit Israel in deserto, estque illic urbs Idumææ. Estque ipsa Phænum, ubi metalla æris, sita inter Petram urbem & Zoaras.* In Hebr. textu legitur פונן Vulgata similiter, Phunon LXX. [illegible]. Numer. 33. 42.

sivi, & potastis me. Quantum enim fecistis uni ex his minimis, mihi fecistis. Hi autem, utpote qui revera contra Christum sentiant, in his quoque ejus voluntati obsistere ausi sunt. Nam cum egenos conspicerent, & viduas (quæ cum Dux Ecclesias Arianis tradidisset, in iis versari nequibant) sedentes in assignatis sibi locis a Clericis, quibus viduarum cura concredita fuerat: cum cernerent fratres prompto ipsis animo eleemosynam erogare, viduisque alimenta præbere; † eas pedibus pulsantes insequebantur, largitoresque deferebant ad Ducem. Illudque a Dynamio quodam milite agebatur, eratque Sebastiano gratissimum: apud Manichæos enim nulla est commiseratio, resque illis odiosa est pauperem miserari. Insolens itaque accusationis genus erat, novumque tribunal ab illis jam primum excogitatum est. De beneficio quippe collato in jus vocabantur homines: & qui eleemosynam darent, deferebantur: qui beneficium acciperet, vapulabat: malebantque pauperem esurire, quam erogare qui vellet. Hoc item ab antiquis illis Judæis didicerant novi isti Judæi. Illi namque cum cernerent cæcum a nativitate, visum recepisse, eumque qui jamdiu paralyticus erat, sanatum fuisse, beneficiorum auctorem Dominum criminabantur: beneficio affectos damnabant ut prævaricatores.

Ariani vetant eleemosynam dare.

† Forte eorum pedes pulsantes. De Dynamio infra in Constitutione populi Alexandrini.

Joan. 1. 9.

Matth. 9. 7.

62. Quisnam hæc miratus non est? Quis non est hæresim ejusque vindices exsecratus? Quis non novit feris ipsis efferatiores Arianos esse? Neque tamen scelesti ea nacti sunt quæ id agendo assequi peroptabant, imo vero in gravius universorum odium incurrerunt. Sperabant certe insidiis atque terrore quosdam eo adduci posse, ut hæresim amplecterentur, atque conventibus interessent suis. Sed cessit res contra quam rati erant; nam quos illi affligebant, ii ærumnas sibi illatas quasi martyrium perferebant: neque prodebant vel abnegabant piam in Christum fidem. Extranei autem qui hæc conspiciebant, imo Ethnici hæc dum cernerent, eos velut antichristos & carnifices exsecrabantur: est quippe genus humanum pauperum amans, ad misericordiamque pronum. Hi vero vel humanum ratiocinium amiserant: nam qui, si passi essent, peroptassent ab aliis beneficium accipere, non sinebant alios idipsum consequi; judicum scilicet, præsertimque Ducis immanitate potestateque freti.

63. Enimvero quæ in Presbyteros Diaconosque perpetrarunt; quo pacto illos Ducis judicumque auctoritate in fugam verterint, affinesque illorum domibus deturbarint, militum scilicet opera, Gorgoniique Ducis, qui plagis eos lancinabat; quo pacto illorum (rem sane omnium crudelissimam) eorumque qui jam obierant * panes, quantaque petulantia diripuerint, nequaquam verbis enunciari potest: eorum quippe crudelitas omnem enarrandi facultatem superat. Quidnam quis pro rei gravitate dicere queat? Aut cujusnam primum mentionem faciat, ut non inveniat secunda primis, posteriora secundis atrociora? Omnia quippe eorum facinora, & nefaria gesta cædis & impietatis plena sunt. Eaque sunt illi vafritie mentis, & morum calliditate, ut patrocinii pollicitatione, pecuniarumque erogatione, decipere satagant; ut quandoquidem non ex æquo & bono commendationem habent, vel hinc saltem simplicioribus obtendant speciem quandam dignitatis.

64. Quis itaque illos vel Ethnicos ultra nuncupaverit, nedum Christianos? quis horum mores, humanos & non potius ferinos arbitretur, conspecta facinorum crudelitate ferocitateque? Etenim ipsis carnificibus immaniores, aliisque hæreticis audaciores sunt: imo, Ethnicis ipsis multo deteriores, ab illisque, ut vere dicatur, longissime distant. Audivi enim a patribus (veramque rem arbitror) in superiore sub Maximiano Constantii avo persequutione, Ethnicos occultasse fratres nostros Christianos, dum inquirerentur: ac plerumque pecunia mulctatos, carcerique mancipatos fuisse, eo solum ut ne profugorum proditores essent. Profugos enim eadem qua seipsos fide servabant, neque dubitabant sese illorum causa periculis afferre. At nunc admirandi illi novæ hæresis inventores nulla alia re, quam insidiis celebres, secus omnia agunt: nam ipsi ultro carnifices effecti, omnes prodere quærunt: occultantibusque insidias parant, rati occultantem perinde atque occultatum sibi inimicum esse: ita sanguinarii & homicidæ sunt, ita vel ipsam Judæ malignitatem æmulantur scelerati illi.

Ethnici in persecutione Maximiani Christianos occultabant.

65. Nec pro rei gravitate possunt eorum facinora narrari, nisi hoc solum modo, quod mihi scribenti, eorumque nefaria gesta recensere volenti, in mentem subit; anne sanguisugæ, de qua in Proverbiis, quarta filia sit hæc hæresis, quæ post tot illatas injurias, post tot patratas cædes, nondum dixit, Sufficit. Etiamnum quippe ferocit, homines nondum sibi notos perquirendo circumcursat: quos vero jampridem injuriis affecit, novis jam injuriis aggreditur. Ne illi post nocturnam invasionem, post mala quæ inde consequuta sunt, post persequutionem ab Heraclio factam, non cessant apud Imperatorem calumniari. Confidunt enim, cum impiis suis consiliis semper aurem ille præbeat, gravius quidpiam exsilio futurum, ac deinceps qui suis impietatibus non obtemperarint, obtruncandos esse. Certe jam summæ viri audaciæ Secundus Pentapolitanus sceleratissimus, ejusque conjurationis socius Stephanus, gnari se, quantumvis injurias inferant, hæresim semper pro defensione sua habituros; cum Presbyterum non sibi obsequentem in Barca cernerent, Secundum nomine, gentilem quidem hæretici, sed non ejusdem fidei; calcitrando virum occiderunt. Ille vero dum necaretur, Sanctum imitatus ajebat: Nemo me apud Judices ulciscatur, ultorem habeo Dominum, cujus causa hæc ab illis patior. At illi neque hæc dicentem miserati sunt, neque ullam eorum dierum reverentiam habuerunt, in ipsa quippe Quadragesima hominem calcitrando interfecerunt.

Prov. 30. 15.

Martyrium Secundi presbyteri.

66. O novam hæresim quæ impietate & gestis suis totum induit diabolum! nam nunc primum illud mali excogitatum est: quod si qui antehac eam mente concepisse viderentur, at sententiam illi suam occultabant. Eusebius autem & Arius, veluti serpentes e cavernis egressi, virus impietatis hujusce evomuere: Arius aperte blasphemandi audaciam suscepit, Eusebius hæresis patrocinium; sed non ante valuit hæresi patrocinari, quam, uti supra dixi, Imperatorem patronum ejus nactus sit. Patres itaque nostri œcumenicam Synodum celebrarunt, coactique plus minus trecenti numero, Arianam damnarunt hæresim, declararuntque peregrinam & alienam eam esse ab Ecclesiastica fide. Patroni autem illius cum sese conspicerent in magna turpitudine versari, nullumque suppeteret legitimum argumentum, aliam viam excogitarunt, ac per externam auctoritatem hæresim vindicare conati sunt. Qua in re magis magisque admirere eorum propositi insolentiam malitiamque, & quantopere illi alias superent hæreses. Aliarum quippe hæresum commenta, earumque insania in calliditate verborum sita est, ad simpliciores decipiendos. Et Græci quidem, ut ait Apostolus,

1. Cor. 1. 4.

* Vocem Græcam ἄρτοι, vertimus panes, non artos, ut Nannius est interpretatus. Et vero non semel panes ἄρτοι ab Arianis, Arianorumve ministris rapti memorantur: sic in Apol. de Fuga n. 6. Et in Epist. Encyclic. n. 4. Vide in Athanasii Vita supra.

stolus, sublimitate, & suadela verborum, sophismatibusque verosimilibus suadere curant: Judæi vero dimissis divinis Scripturis, *fabulis & genealogiis interminatis* contendunt. Manichæi & Valentiniani, aliique cum illis divinas Scripturas adulterantes, suis confictis sermocinationibus fabulas narrant: Ariani vero aliis omnibus hæresibus sunt audaciores, easque minores suas esse sorores declarant, majoreque quam illæ sunt impietate, uti supra dictum est: omniumque, in primis tamen Judæorum, malitiam æmulantur. Ut enim illi Paulum objectorum criminum reum convincere non valentes, eum continuo ad Tribunum & ad Præsidem adduxere: sic & isti plura quam illi excogitantes, sola judicum potestate sunt usi: ac statim atque quispiam contradixerit, is raptatus ad Præsidem adducitur, vel ad Ducem.

1. Cor. 2. 4. 1. & sequentibus.

1. Tim. 1. 4.

67. Et aliæ quidem hæreses dum sese vident demonstrationibus ab ipsa veritate convictas, silent; ideo scilicet quod sese veris argumentis confutatas erubescant: at nova & abominanda eorum hæresis, ubi rationibus confutatur, ubi ab ipsa veritate suffusa pudore, collabitur; tum quos verbis nequit ad suam adducere sententiam, hos vi, hos plagis & carceribus ad se trahere nititur: propalamque facit se quidvis potius quam religiosam esse. Religionis quippe proprium est, non cogere, sed persuadere, uti diximus. Namque Dominus non vim inferens, sed cujusque voluntati facultatem relinquens: ait, ceteris quidem omnibus: *Si quis vult post me venire*: Discipulis vero suis: *Num & vos abire vultis?* Hæc cum a pia religione prorsus sint aliena, quid eam agere par fuit, quam quæ Salvatori adversantur, quippe quæ sibi Constantium Christo adversarium, impietatis ducem adscripserit, veluti ipsum Antichristum? Hæresis quippe gratia id primum curavit ut Saulis crudelitatem æmularetur: ille namque cum Sacerdotes Davidi alimenta præbuissent, jussit omnes numero trecentos & quinque obtruncari: hic vero, cum hæresim omnes fugiant, sanaque in Dominum fides promulgata sit, trecentorum Synodum Episcoporum irritam facit: ipsosque Episcopos pellit in exsilium, populos vero cohibet ne pietati vacent, neu Deum precentur, præpeditque ne conventus agant. Ac quemadmodum Saul Nobbam Sacerdotum urbem diruit; sic iste multo graviori scelere Ecclesias impiis tradidit. Et sicut ille Doegum calumniatorem veris Sacerdotibus antetulit; sic & iste hæreticos præfert piis hominibus, eos autem qui ab illo fugiunt, etiamnum insequitur: auremque præbet eunuchis calumniantibus orthodoxos. Nec advertit sua omnia pro Ariana hæresi gesta atque scripta in ipsum vertere Salvatorem.

Religionis proprium non est invitos cogere.

Matth. 16. 24.
Joan. 6. 68.

Constantius comparatur Sauli.

1. Reg. 22. & 22.

68. Ne Achab quidem in Sacerdotes Dei tam immanis fuit, quam hic in Episcopos: ille siquidem occiso Nabotho, compunctus est, visoque Helia pertimuit. At hic neque tam eximium illum Hosium reveritus est, neque tot pulsis Episcopis defatigatus, aut compunctus est: sed ut alter Pharao, quo magis atteritur, eo magis obduratur, pejoraque molitur in dies. At ecce improbitatem plane stupendam: dum Episcopi ablegarentur in exsilium, accidit quosdam alios, cædis, vel seditionis, vel furti, pro sceleris modo condemnari: quos quidem post menses paucos rogatus ille, quemadmodum Barrabam Pilatus, a pœna absolvit; servos autem Christi nedum dimiserit, in ipsis etiam exsiliis gravius immaniusque condemnavit, ac immortale sese illis malum exhibuit. Illis quippe ob morum consonantiam amicus, Orthodoxis vero ob pietatem erga Christum inimicus fuit. Annon hinc palam fecit omnibus; Judæos olim qui postulato Barraba, Dominum cruci affixere, iis moribus fuisse, quibus isti qui jam cum Constantio adversus Christum decertant? Et fortasse ipso Pilato acerbior iste est: ille quippe visa ejusmodi iniquitate, manus abluit; at hic dum Sanctos in exsilium pellit, magis magisque dentibus stridet.

Achabo item comparatur.
3. Reg. 21.

Exod. 9. 35.

Matth. 27. 15.

Matth. 27. 24.

69. Quid mirum autem si devius in impietatem adductus, ita in Episcopos sæviat, cum ne cognatis quidem suis pro more hominum pepercerit? * Patruos enim occidit, patrueles sustulit: socerumque cujus jam filiam duxerat, cognatos item suos afflictos minime miseratus est: sed etiam erga omnes perjurus semper fuit. Sic jam erga fratrem sese impie gerere ausus est, cujus sepulcrum excitare se simulat: nam desponsam ejus Olympiadem Barbaris tradidit, quam ille usque ad mortem apud se servavit, educavitque quasi propriam sibi uxorem. Ejus item sententiam abrogare tentavit, cujus se hæredem esse gloriatur: eaque edit scripta, quæ vel modico sensu præditus homo edidisse erubuerit. Equidem ejus epistolis invicem collatis, comperi eum non proprio & naturali sibi animo præditum esse, sed sola suggerentium voluntate moveri: propriam vero mentem nullatenus habere. Salomon itaque ait: *Rege auscultante verbum iniquum, omnes subditi ejus prævaricatores erunt.* Hic vero suis se factis declarat illum esse iniquum, clientesque suos legis esse prævaricatores.

Prov. 29. 12.

70. Hic itaque qui talis est, quique talibus delectatur, quandonam quid justum aut rationi consentaneum sapere valebit? homo nequitia illigatus familiarium, incantatorum scilicet, qui revera cerebrum pedibus conculcatum habent. Ideoque, modo scribit, mox eum scriptorum pœnitet: hinc, mutata sententia, concitatur, lamentatur postea, ac quid sit agendum cum ignoret, sese animo menteque destitutum declarat. Ejusmodi hominem jure quis deploret, quod sub libero habitu nomineque servus sit virorum qui illum ad impiam suam trahunt libidinem. Næ ille, quod insani levissimique hominis est, ut ait Scriptura, dum aliis cupit adulari, sese in damnationem futuri judicii, ignique absumendum tradidit: cum jam eorum arbitratu omnia agat, insidiasque Episcopis parandi facultatem illis propinet, nec non potestatem in Ecclesias. Enimvero jam denuo Alexandrinas perturbavit Ecclesias, atque eas quæ in Ægypto in Libyisque habentur. Edixitque palam, Catholicæ Ecclesiæ pietatisque sectatores Episcopos, exturbandos ex Ecclesiis, illasque tradendas omnes iis qui Arianice sentirent. Illud agere jam cœpit Dux exercitus: ac deinceps Episcopi vinculis constricti, Presbyteri & Monachi ferreis catenis ligati, ad necemque fere plagis concisi, relegati sunt. Mixta ubique omnia: in periculo versatur Ægyptus ac Libya tota, populis edictum ejusmodi indignissime ferentibus, & Antichristi apparatum cernentibus, itemque sua bona ab aliis direpta hæreticisque tradita.

Constantii inconstantia.

Prov. 7. 22.

Ecclesiæ Arianis traduntur.

Persequutio in Episcopos, Presbyteros & Monachos.

71. Quandonam tanta audita est iniquitas? quandonam, vel tempore persequutionis, malum ejusmodi admissum est? Ethnici erant qui antehac persequebantur: at nequaquam idola illi in Ecclesias introduxere. Judæa erat Zenobia, & Pauli Samosatensis patrona; at nequaquam Judæis Ecclesias tradidit, ut eas in Synagogas converterent. Insolens sane est hæc abominatio, nec tantum persequutio, sed plus quam persequutio habenda, prœmium-

* De occisis Constantii consanguineis, deque Olympiade Arsaci Armeniæ Regi tradita, agimus in Vita Athanasii. Notarum quippe harumce brevitas, res tantas, ac nonnihil implicatas, capere nequit.

A miumque & apparatus Antichristi. Esto contra Athanasium, aliosque Episcopos in exsilium missos, falsas confinxerint criminationes, cur novum id facinoris admittitur? quam comminiscentur causam adversus totam Ægyptum, Libyam & Pentapolim? Non singulos quippe insidiis suis aggressi sunt, ut hinc mentiendi locum habeant; sed una omnes adorti sunt, ut si mentiri ausint, falsi arguantur. In his itaque eorum mentem excæcavit malitia: Episcopos namque omnes nulla de causa ejici postularunt: ut palam hinc facerent, se in Athanasium in aliosque Episcopos, quos fecerunt extorres, falsa confinxisse crimina, nulla alia de causa quam ob exsecrandam Christi hostium Arianorum hæresim. Hæc quippe res non occulta, sed jam omnibus exploratissima est. Enimvero Athanasium jussit ex Urbe ejici, illisque tradidit Ecclesias. Ac * Presbyteri quidem Diaconique ejus, qui a Petro & Alexandro ordinati fuerant, pelluntur profliganturque: veri autem Ariani, qui non ob externam quamdam suspicionem, sed qui ab initio cum Ario hæreseos causa ab Alexandro Episcopo pulsi sunt, in superiore quidem Libya Secundus, Alexandriæ vero Euzoius Chananæus, Julius, Ammon, Marcus, Irenæus, Zosimus, & Sarapion cognomento Pelycon, & in Libya Sisinnius, & juniores quidam qui una cum illo impie sentiunt; hi, inquam, Ecclesias occuparunt.

Sap. 2. 21.

Arianorum ab Alexandro damnatorum nomina.

72. Porro Sebastianus Dux exercitus litteras misit ad omnes ubique locorum Præpositos militaresque Præfectos: tum veri Episcopi pulsi; ii vero qui impie sentirent eorum vice intrusi sunt. Episcopos certe extorres fecerunt qui in Clero consenuerant, quique multos annos in Episcopatu, ab Alexandro nimirum Episcopo ordinati, transegerant: Ammonium scilicet, Hermen, Anagamphum & Marcum in superiorem ** Oasin: Muim, Psenosirim, Nilammonem, Plenem, Marcum & Athenodorum, in Ammoniacam, non alia mente, quam ut per deserta loca transeuntes interirent. Etenim ne infirmorum quidem miserti sunt; sed dum ægre illos ob infirmitatem asportarent, impellebant tamen: sellisque deferebantur illi, funeralibus ob vim ægritudinis a tergo subsequentibus. Exstinctus itaque est unus ex illis, cujus cadaver suis auferendum non concesserunt. Eadem de causa Dracontium Episcopum ad deserta loca, circa Clysma relegarunt: Philonem, Babylonem: Adelphium in Psinabla Thebaidis: Hieracem & Dioscorum, Presbyteros Syenem exsules miserunt. *** Ammonium, Agathum, Agathodæmonem, Apollonium, Eulogium, Apollo, Paphnutium, Gaium, & Flavium, antiquos Episcopos: Dioscorum, Ammonium, Heraclidem & Psaim, item Episcopos, in fugam verterunt: quorum alios ad lapicidinas tradiderunt, alios ad necem insequuti sunt, alios multos diripuere. **** Laicos quadraginta, Virginesque igni ante admotas in exsilium miserunt: quas palmarum virgis ita conciderant, ut aliæ post quinque dies interirent, aliæ ob palmarum aculeos membris infixos medici opera egerent, morteque graviores perferrent cruciatus. Quodque atrocius, apud eos saltem qui mentis compotes sunt, existimetur, impiis tamen consentaneum, dum illæ inter verbera Christum invocarent, magis stridebant dentibus adversus illas. Næ illi neque corpora defunctorum ad humandum tradidere; sed, ut sua laterent homicidia, occultarunt. At nequaquam latuere, rem quippe vidit tota civitas, universique illos ut homicidas, improbos furesque aversabantur. Enimvero Monasteria subverterunt, Monachosque in ignem injicere tentarunt: domos diripuere: deposita, ab Episcopo in liberorum domum delata, irrumpentes abstulerunt: viduas calcibus percusserunt, eleemosynæ ne darentur cohibuerunt.

Episcopi exsules & fugati ab Arianis.

Monasteria eversa ab Arianis.

73. Ejusmodi sunt Arianorum scelera. Qualia autem sint eorum impietatis facinora, quis si audiat non exhorrescat? Siquidem tam graves senes, tam annosos Episcopos in exsilium pelli curarunt, eorum autem vice juniores petulantesque Ethnicos, ne catechumenos quidem, ad summum statim gradum transire jussos: alios bigamos, majorumque criminum accusatos, quia nempe pecuniosi erant, ac civili potentia valebant, aurum modo penderent; eos, inquam, quasi a venalium foro mittebant, nominabantque Episcopos. Hinc populis gravior emersit calamitas; cum enim mercenarios illos alienosque sibi viros aversarentur, tunc verberati, proscripti, carcerique a Duce exercitus mancipati sunt. Quod ille utpote Manichæus libentissime agebat: ne illi suos perquirerent Episcopos, & ut reciperent quos aversabantur, homines sane qui talia agunt, qualia non ita pridem inter idola luserant.

Quinam fuerint Episcopi ab Arianis ordinati.

74. Quisnam his conspectis vel auditis, quis animadversa impiorum petulantia, tantaque injuria, si æquus ipse sit, non ingemiscat? *nam in locis impiorum justi lamentantur*. Quis cum ejusmodi gesta sint, cum impietas tantam sibi impudentiam arrogarit, Costyllium Christianum ultra vocare ausus fuerit, & non potius Antichristi imaginem? Quænam ex Antichristi notis ipsi deest? Aut quid est, cur non hunc illum ipsum esse arbitremur, illumque huic similem existimemus? Nonne in magna Ecclesia, quæ in Cæsareo sita est, ex ejus jussu sacrificia oblata, blasphemiæque in Christum dictæ sunt ab Arianis & Gentilibus? Nonne visio Danielis his indiciis Antichristum significat: quod scilicet bellum Sanctis illaturus est, adversusque illos prævalebit: omnes qui ante se fuerint malignitate superabit: tres Reges humiliabit: contra Altissimum verba proferet: putabit se tempus atque legem mutare posse? Quis unquam alius ejusmodi res agere ausus est, præter solum Constantium? Ejusmodi quippe hic est qualis unquam ille fuerit. Verba namque profert adversus Altissimum, dum impiæ hæresi patrocinatur: adversus Sanctos

Prov. 28. 28. in Gr. Textu.

Constantius ab Athanasio Costyllius vocatur, & Antichristo comparatur.

Daniel. 7. 21.

Tom. I. Qq

* Hi Presbyteri & Diaconi memorantur in damnatione Arii & in Epistola Encyclica Alexandri, infra edendis, præter Ammonem & Marcum, qui post eam datam Epistolam Ariani deprehensi & damnati videntur. Euzoius autem tunc Diaconus tantum erat, vocaturque hic Chananæus, forte ob morum improbitatem qua ceteros longe superabat. Exstant in iis Alexandri scriptis alii multi, qui forsitan jam obierant cum hæc Athanasius scripsit. Erantque alii ex urbe Alexandrina, alii ex Mareote, Alexandrinæ Diœcesis portione.

** Episcopos qui in magnam Oasin relegati sunt ex Libya fuisse ait Athanasius Apol. ad Constant. num. 32. sed an de omnibus, vel de quibusdam tantum loquatur, incertum: qui autem in Ammoniacam relegati sunt ait ex Thebaide fuisse. Non omnes autem exsules Episcopos hic recenset, nam tredecim tantum memorantur, cum sedecim numeret ipse Apol. ad Constant. num. 27. & Apol. de Fuga sua, num. 7. ubi præter istos, Gaium, Agathum & Ammonium alterum refert. Dracontium vero & Philonem invisit Hilarion dum pergeret in Ægyptum, priorem in Castro Thebaeo, exsilii loco: Philonem vero Babylone, quem Philonem suspicantur quidam Luciferianis sese postea adjunxisse, quod verumne sit, disquirimus in Athanasii Vita.

*** Episcopos plus triginta in fugam versos ait Athanasius in Apologia de Fuga sua: quare cum tredecim tantum hic memoret, multos haud dubie omisit. Ex Episcopis hic & superius nominatis permulti Synodo Alexandrinæ anni 362. adfuere, ubi vide sis. Quærunt nonnulli num Paphnutius hic memoratus, is ipse sit qui in persequutione Maximiani oculum amiserat, & Synodo Nicænæ postea adfuit: sed veri non est simile eum ipsum esse, nam id indicaturus fuisset Athanasius: & alioqui vulgare admodum est Paphnutii nomen apud Ægyptios. Duo certe leguntur ejus nominis inter Episcopos Ægyptios supra p. 66.

**** Hæc fusius enarrantur in Apol. de Fuga, num. 8. Sed quæ de Virginibus virgis palmarum cæsis hic habentur, ea de viris quadraginta comprehendens enarrat iisdem fere verbis Athanasius. At potuerunt tum viri illi, tum Virgines eodem cruciatus genere laniari.

ctos bellum gerit, dum Episcopos pellit in exsilium; tametsi ad breve tempus in suamque perniciem ea fruitur potestate. Nam ille omnes qui antehac extitere malitia superavit, nova excogitata persequutionis ratione: & cum tres Reges Vetranionem, Magnentium & Gallum imperio abdicasset, continuo impietatis patrocinium suscepit: ac velut gigas adversus Altissimum arroganter insurgere est ausus. Hic existimavit se legem immutaturum, dum statuta Domini per Apostolos tradita violavit: Ecclesiæ mores invertit, novumque adinvenit ordinationum genus. Ex aliis quippe locis, etiam * quinquaginta mansionibus dissitis, Episcopos militibus stipatos ad invitos populos transmittit: qui ut populis commendentur, ipsisque noti fiant minas adferunt, litterasque ad Judices. Ita Gregorium ex Cappadocia misit Alexandriam: ita Germinium Cyzico Sirmium transmisit: sic Cecropium Laodicea Nicomediam.

Episcopi a Constantio constituti.

De Auxentio Mediolanensi.

75. Auxentium vero quemdam litigatorem magis quam Christianum, ex Cappadocia Mediolanum transmisit, ut postquam Dionysium Episcopum, religiosum hominem, ob suam erga Christum pietatem relegaverat, hunc ibi constitueret, hominem necdum Latinæ linguæ, sed solius impietatis peritum. Nunc autem Georgium quemdam Cappadocem hominem, qui Constantinopoli ** penuariorum exceptor erat, quique pecunias omnes depeculatus, repetundarum reus, aufugerat, jussit cum militari pompa, Ducisque auctoritate Alexandriam ingredi. Deinde repertum quemdam Epictetum neophytum, audacemque adolescentem, quod ad omnia scelera paratum cerneret, in amicis habuit: cujus opera quibus optat Episcopis insidiatur: promtus quippe est ille ad omnia quæ placent Imperatori peragenda. Hoc itaque usus ministro, rem plane stupendam Romæ perpetravit, quæ revera Antichristi malignitatem præ se ferat. Adornato namque in Ecclesiæ locum palatio, cum, populorum vice, tres sibi castratos adesse jussisset, demum improbos tres Catascopos, id est exploratores, haud enim Episcopi nuncupandi, adegit ut *** Felicem quemdam ipsorum moribus dignum hominem, Episcopum ordinarent in Palatio. Populi enim animadversa hæreticorum prævaricatione, non concesserunt ut in Ecclesias illi ingrederentur, sed procul illis abscesserunt.

De Georgio Alexandriam misso.

Felicis in Romanam Ecclesiam intrusio.

76. Quid igitur iste quod Antichristo congruat prætermisit: aut quid amplius ille, cum veniet, acturus est? Immo potius nonne ille in suo adventu, præparatam sibi a Constantio viam inveniet? Namque ille, Ecclesiarum vice, in Palatium judicia ad se transfert Ecclesiastica, quibus ipse præsidet. Quodque permirum habeatur, si quando hærentes conspexerit accusatores, accusandi munus excipit ille; ut ne injuria affectis liceat criminationes depellere, ejus nempe violentia prohibitis. Idipsum egit adversus Athanasium: conspecta quippe Paulini, Luciferi, Eusebii & Dionysii Episcoporum loquendi fiducia, & qua ratione illi ex Ursacii & Valentis pœnitentia, viros qui Episcopum insimulabant, falsi arguerent, suaderentque non ultra fidem Valenti sociove habendam esse, quos ante pœnituisset eorum quæ jam dicerent: ille statim exurgens, Ego, inquit, jam sum Athanasii accusator, mei gratia eorum dictis fidem habetote. Illis respondentibus, Quo pacto accusator esse potes absente reo: nam etiamsi tute sis accusator, judicandus tamen non est ille in sui absentia? Non judicium quippe Romanum jam instituitur, ut tibi, quamvis Imperator sis, fides habeatur; sed de Episcopo judicium agitur, & pari jure cum accusatore & accusato agi oportet. Qui autem accusare tu potes? non enim præsens tibi fuit vir qui procul te versabatur: quod si ea dicis quæ didicisti ab illis, æquum sane fuerit te ejus quoque dictis fidem adhibere: sin illi fidem non adhibens, his adhibes, videntur certe illi hæc in tui gratiam proferre, in tui gratiam item Athanasium accusare. His ille auditis, ratus hæc verba, quæ recta sane erant, in suam vertere contumeliam, viros misit in exsilium: commotusque in Athanasium, efferatas misit litteras; jubens illum iis affici malis quibus affectus revera est: Arianisque tradi Ecclesias, facultatemque ipsis dari, quod liberet arbitratu suo agendi.

77. Gravia quidem & plus quam gravia sunt ista, consentanea tamen ei qui Antichristi figuram gerit. Quis enim videns illum iis qui Episcopi putantur præfici, in Ecclesiasticisque judiciis præsidere, non jure dicat hanc esse illam a Daniele prædictam abominationem desolationis? Christianismo quippe amictus ille, & in loca sancta ingressus, ibique consistens, Ecclesias vastat: ejusque abrogatis Canonibus, vi cogit ut sua obtineant decreta. Num quis ausit dicere tempus pacis Christianis adesse, nonne potius persequutionem? Annon persequutionem qualis numquam extitit, & fortasse qualem nemo unquam excitaturus est, nisi filius iniquitatis, Christi oppugnatores exhibent, in suisque actis exprimunt? Quapropter nobis summopere vigilandum est, ne hæresis isthæc quæ tanta est impudentia, quæ veluti cerastæ virus diffunditur, ut in Proverbiis scriptum habetur, quæque sententiam docet Christo adversantem, ea ipsa sit apostasia, post quam ille, scilicet Antichristus, revelabitur, præmisso suo præcursore Constantio. Alioqui cur ita contra pios viros furit? quare quasi pro sua hæresi decertat, eumque suum dicit inimicum qui Arii insaniæ non obtemperat. Quare quæ a Christi hostibus dicuntur libentissime admittit, talesque ac tantas vilipendit Synodos? quare jussit Ecclesias tradi Arianis, nonne ut ille cum venerit, facultatem habeat in illas introeundi: amplexeturque Constantium qui illa sibi loca præparavit? Ii namque qui ab Alexandro & decessore ejus Achilla, imo hujus decessore Petro ordinati fuerant, senes Episcopi pulsi sunt, intrusique ii quos indicabant qui milites sequebantur: indicarunt autem illos qui suæ fore sententiæ pollicerentur.

Daniel. 9. 27.

Prov. 23. 32.

78. Facillima res erat Meletianis: quorum plurimi, imo omnes, nequaquam religiosa institutione educati sunt, neque sanam norunt erga Christum fidem, nec quid sit Christianismus, aut quæ nobis Christianis sint Scripturæ. Nam quidam eorum, ex idolis, alii ex Senatu & ex supremis magistratibus ad nos accessere, idque ut miseram immunitatem & patrocinium assequerentur: ac antiquioribus se Meletianis pecunia corruptis, ad eam pervenere dignitatem † prius quam instituerentur: sed etiamsi instituti essent, qualis, quæso, doctrina apud Meletianos? attamen ne specie quidem instituti, derepente accesserunt: ac statim, accepto, quasi infantes, nomine, Episcopi appellati sunt. Ideoque ejusmodi cum sint, rem illam nihili fecere, neque putarunt pietatem ab impietate discrepare. Libenter igitur protinusque ex Meletianis

Aria-

Ethnici a Meletianis ordinantur Episcopi.

† Id est, priusquam catechumeni essent.

* Nannius vertit: *& quinquaginta sedium Episcopos*: sed vera sententia est quam expressimus. Vide in Apol. contra Arianos pag. 52.

** Hunc Georgium Gregorius Nazianz. in Orat. 21. infra edenda, ait fuisse [illegible], *exceptorem suillorum carnium*, quibus alebantur milites. De Georgii hujus genere, patria, moribusque, fuse in Athanasii Vita.

*** De Felice actum jam est in Athanasii Vita.

Ariani effecti sunt. Quod si quidpiam aliud jusserit Imperator, in illud sese vertere sunt parati. Pietatis quippe ignorantia quam citissime illos ad consuetam & priorem, quam edocti fuere, stultitiam conjicit. Enimvero pro nihilo est illis omni vento & fluctu circumferri, dum immunes sint & humano fruantur patrocinio: pro nihilo illis est sese immutare, talesque fieri quales antea erant, imo quales erant dum Ethnici essent. Næ illi cum ita moribus versatiles essent, rati Ecclesiam civilem esse senatum: cumque cultum idolorum saperent, utpote Ethnici, usurpato tamen præclaro Salvatoris nomine, totam contaminaverunt Ægyptum, ubi Arianam hæresim vel nominari in illa curarunt. Hactenus enim in sola Ægypto libera ubique fuit sanæ fidei professio: quapropter invidiam ei quoque conflare impii illi conati sunt: imo, ut verius dicatur, non illi, sed qui eos concitarat diabolus; ut cum venerit ejus præco Antichristus, inveniat in Ægypto Ecclesias jam suas, Meletianos sua doctrina institutos, seque in illis jam delineatum agnoscat.

79. Ejusmodi est impium hoc edictum a Constantio datum: sed populorum magna eret alacritas Martyrii subeundi, graviusque in impiissimam hæresim odium incendebatur: luctus tamen ubique in Ecclesiis, gementibus omnibus ad Dominumque clamantibus: *Parce, Domine, populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium inimicis tuis:* [Joel. 2. 17.] sed festina, ut eripias nos de manu iniquorum. Nam famulis ecce tuis non pepercerunt, viamque muniunt Antichristo. Huic enim numquam obsistent Meletiani, nulla erit eis veritatis cura, neque nefariam rem putabunt Christum abnegare: homines sane qui non sincero animo ad verbum accesserunt, nullam non, instar chamæleonis, induti formam, mercenariique eorum qui sua utuntur opera. Nequaquam enim veritatem spectant illi, sed ei prælatam anteponunt voluptatem, & hæc solum ajunt: *Comedamus & bibamus: cras enim moriemur.* [Esai. 22. 13. 1. Cor. 15. 32.] Histrionum igitur Epicritianorum, magis quam Meletianorum est hujusmodi propositum, perfidique mores. Fideles autem Salvatoris famuli, ac veri Episcopi, qui sincere credunt, & non sibi sed Domino vivunt, qui piam in Dominum nostrum Jesum Christum fidem servant, probeque noscunt falsas esse illas contra veritatem criminationes: aperteque confictas in gratiam Arianæ hæreseos: (nam ex Ursacii & Valentis pœnitentia, conflatam deprehenderunt adversus Athanasium sycophantiam; ut eum de medio tollerent, & Christi hostium impietatem introducerent in Ecclesias) illi, inquam, hæc animadvertentes, utpote veritatis propugnatores atque præcones, contumelias & exsilium pati maluere, & pertulere reipsa, quam adversus Athanasium subscribere, & cum Arianis communicare. Eorum enim quæ docuerant haud immemores fuere, quinimmo probe norunt, proditoribus multum dedecus, veritatem autem confitentibus, regnum cælorum obventurum esse: incuriosis item & Constantium reformidantibus, nihil fore boni; iis autem qui ærumnas pertulerint, ut nautis post tempestatem, tranquillus portus, ac sicut athletis post certamen, corona datur; ita & illis magnum æternumque in cælis fore gaudium lætitiamque, qualem Joseph habuit post illas calamitates: qualem magnus Daniel post tentationes, multasque aulicorum insidias: qualem nunc Paulus habet a Salvatore coronatus: qualem exspectantes omnes ubique populi Dei, hæc cum viderent animo fracti non sunt, quin potius in fide roborati, suam magis auxere alacritatem. Deprehensa quippe hæreticorum sycophantia atque impietate, persequutorem damnant, cum vexatis autem, animo sententiaque concurrunt; ut & ipsi confessionis corona donentur.

80. Plura dici possent adversus hanc exsecrandam, Christoque adversariam hæresim: plura animadverti possent Constantii facinora, quæ sint Antichristi prooemia; at cum, ut ait Propheta, [Esaie 1.] a pedibus usque ad caput, nihil in ea hæresi sanum sit, sed sordibus illa scateat & impietate, ita ut vel ex solo auditu, fugienda illa sit ut vomitus canis, & draconum virus: cum Costyllius Adversarii imaginem palam præferat; ut ne longius percurrat oratio, sola nobis sit divina Scriptura satis, ipsique obtemperemus omnes, hoc præceptum tradenti de aliis hæresibus, ac præsertim de ista: *Recedite, recedite, exite inde, & pollutum nolite tangere: exite de medio eorum, & segregamini qui fertis vasa Domini.* [Esaie 52. 11.] Omnibus quippe sufficit hæc doctrina, ut si quis ab illis seductus fuerit, is quasi e Sodomis egressus, ne sese ultra ad illos convertat; ne forte idem ei accidat quod Uxori Lot. Quod si quis ab hac impia hæresi sese ab initio putum conservarit, is in Christo glorietur hæc ajens: Non *expandimus manus nostras ad Deum alienum:* [Psal. 43. 21.] neque adoravimus opera manuum nostrarum, neque creaturam coluimus loco tui omnium Creatoris Dei, per Verbum tuum unigenitum Filium Dominum nostrum Jesum Christum, per quem tibi Patri, & cum ipso Verbo, in Spiritu Sancto, gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

(* Athanasii Episcopi ad omnes ubique Monachos, de rebus gestis ab Arianis sub Constantio. Hic totus liber adversus Constantium a Papa compositus est.)

81. ** CONTESTATIO SECUNDA.

Hæc palam contestatur per eos qui postea subscribent, Populus Alexandrinus Catholicæ Ecclesiæ, quæ est sub Athanasio reverendissimo Episcopo.

Contestati jam sumus de nocturna in nos & in Cyriacum facta invasione: tametsi contestatione opus minime erat, circa rem universæ civitati notam exploratamque. Cæsorum namque inventa corpora palam exposita sunt: arma item & tela in Cyriaco reperta scelus proclamarunt. Quia tamen post factam contestationem clarissimus Dux Syrianus omnes vi compellit ut secum fateantur, nullum extitisse tumultum, nullum occisum fuisse: quod sane haud leve argumentum est hæc præter sententiam humanissimi Augusti Constantii admissa fuisse. Nequaquam enim ob talia gesta metueret, si jussus illa egisset. Namque ille nos se adeuntes, rogantesque nulli ut vim inferret, neve gesta negaret, jussit nos,

* Solent amanuenses titulum tractatuum ad calcem subnectere. Hinc est quod hæc verba reperiuntur in omnibus cum Editis, tum Manuscriptis: sed male in Editis sic posita sunt, ut subsequentis Contestationis titulus esse videantur.

** Prima Contestatio interiit, ob causam supra allatam in Monito & num. 49.


nos, licet Christianos, concidi fustibus: ea re declarans nocturnum bellum contra Ecclesiam gestum fuisse. Quapropter hæc jam iterum contestamur, quibusdam ex nobis ad piissimum Augustum proficisci jam parantibus. Adjuramus autem per omnipotentem Deum, pro salute piissimi Augusti Constantii, Præfectum Ægypti Maximum, & Curiosos, ut omnia Augusti pietati & clarissimorum Præfectorum potestati referant. Adjuramus item naucleros omnes, ut hæc ubique renuncient, & ad aures piissimi Augusti referant, ad Præfectos etiam & ad omnes per singula loca Judices; ut bellum adversus Ecclesias gestum compertum sit, nemoque ignoret, temporibus Augusti Constantii, Syrianum, Virgines aliosque multos effecisse martyres. Illucescente namque quinto idus Februarii die, id est decimo quarto mensis Mechir, nobis in Cyriaco vigilias agentibus, & orationi vacantibus (synaxis enim die parasceves futura erat) circa mediam noctem derepente in nos & in Ecclesiam irrupit præclarissimus Dux * Syrianus cum multis legionibus militum, armis, strictis gladiis, telis galeisque instructorum. Nobis autem orantibus, peractaque lectione, januas illi confregere. Foribusque vi multitudinis patefactis, ejus jussu alii sagittas emittere, alii bellicum clamare, hinc armorum strepitus insonare, enses ad lampadum splendorem emicare. Post hæc Virgines occisæ, multi conculcati confertim, irrumpentibus militibus, corruere, viri sagittis confossi cadere: nonnulli ex militibus ad prædam versi, Virgines nudarunt, quibus vel minimus aliorum contactus ipsa morte acerbior erat. Porro Episcopus in throno tunc sedens, omnes cohortabatur ad orandum. Dux autem agmen agebat comite sibi Hilario Notario, qui illa machinabatur quæ rerum exitus declaravit. Episcopus namque raptatus, tantum non discerptus est. In magnum itaque animi deliquium lapsus, ac fere exstinctus, nescimus quorsum se illorum oculis subduxerit: nam eum interficere tentabant. Deinde ubi cæsos permultos conspexere, militibus jusserunt ut defunctorum corpora amolirentur occultarentque. Sanctissimæ porro Virgines quæ mortuæ relictæ fuerant, in monumentis sepultæ sunt, eam gloriam adeptæ, ut ipsis piissimi Constantii temporibus martyres fuerint. Diaconi autem in ipso Cyriaco plagis concisi, ac conclusi sunt. Neque tamen hic constitit eorum facinus: nam post ea gesta quivis arbitratu suo, quam posset januam confringebat, ut aperiret, ac quæ intus erant perscrutaretur atque diriperet: imo ad ea usque loca penetrarunt, quo ne Christianis quidem omnibus liceat ingredi. Hæc novit ipse Dux civitatis Gorgonius, qui illic aderat. Certe haud leve indicium illud est hostilis ejusmodi incursus, quod arma, tela, ensesque eorum qui irruperant, in Cyriaco relicta sint: etiamnum enim in Ecclesia suspensa sunt, ut ne id illi inficias ire valeant. Nam sæpe exercitus ** Dynamium atque ducem misit qui ea auferrent: quod nondum concessimus, donec res omnibus sit explorata. Si itaque edictum illud sit, ut nos persequutionem patiamur, parati sumus omnes ad martyrium subeundum: sin hoc Augusti placitum non sit, rogamus Ægypti Præfectum Maximum, Magistratusque omnes, ut eum deprecentur, ne talia in posterum illi aggrediantur. Rogamus item ut hæc nostra supplicatio offeratur illi: ut ne scilicet alium Episcopum huc intrudere conentur: ad necem enim usque obstitimus ob desiderium reverendissimi Athanasii, quem ab initio nobis Deus dedit secundum successionem Patrum nostrorum: quem ipse piissimus Constantius cum litteris & juramentis huc transmisit. Speramus enim si id ejus pietati allatum fuerit, res eum gestas indigne laturum, nihilque contra juramenta admissurum, sed jussurum nobiscum ut maneat Episcopus noster Athanasius. Consulibus post consulatum clarissimorum Arbethionis & *** Colliani designandis, Mechir 17. quæ est pridie idus Februarii.

(Epistola porro superius scripta ad omnes ubique Monachos, desinit ad ea quæ Alexandriæ gesta sunt in ordinatione Georgii Cappadocis Ariani, olim fiscorum exceptoris. Sequens autem Epistola, quæ res in Synodis Arimini & Seleuciæ in Cappadocia gestas enarrat, prædictum Georgium ait Seleuciæ fuisse damnatum. Itaque Epistola ad Monachos rectius prior posita est, quæ tamen in exemplari secunda habetur.)

* Syriani irruptio enarratur item pag. 122. & pag. 131.

** Erat Dynamius militaris præfectus: quæ vox memoratur item supra num. 61.

*** Apud Ammianum Marcell. l. 15. c. 8. p. 95. legitur Lollianus.



IN

IN DUO SEQUENTIA ALEXANDRI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI OPUSCULA

ADMONITIO.

1. PLACUIT *ad calcem hujusce Arianorum Historiæ Opuscula duo adtexere, quæ Arianismi spectant initium. Primo edimus* καθαίρεσιν *seu depositionem Arii & sociorum: ita scilicet nuncupatam in codice Regio, unde ea desumta est, licet proprie nihil illa sit aliud, nisi Oratio, qua Alexander Archiepiscopus accitos Alexandrinos Mareoticosque Presbyteros atque Diaconos, coram hortatur ut Encyclicam suam Epistolam, qua narratur Arii sociorumque damnatio, muniant suffragio suo, atque subscriptione. Hoc Opusculum antea ineditum Vir Cl. Cotelerius suis ad PP. primi sæculi notis inseruit p. 317. ne scilicet prorsus interiret. Sed cum extra proprium locum ibi positum sit, & alioqui laudata Cotelerii editio, absumtis incendio exemplaribus prope omnibus, rarissima evaserit; huc visum est adjicere: cum præsertim implicatissimis Arianorum exordiis haud parum lucis adferat.* 2. *Huic adjungimus Encyclicam Alexandri Epistolam, quæ ita præcedenti Depositioni cohæret, ut nullatenus debeat ab ea segregari, quare operæ pretium fuit illas invicem sejunctas hic copulare, prout jacent in eodem Regio codice. Habetur hæc Epistola apud Socratem lib. 1. c. 6. sed multis mendis respersa: desiderantur que ibi Alexandrini Cleri subscriptiones. Item legitur illa apud Gelasium lib. 2. c. 3. cum subscriptionibus, sed mendis etiam obsita: subscriptionesque adeo mutilæ ibi sunt, ut necessum prorsus fuerit novam ejus editionem parare, ut inspicienti cuique palam erit. Narrat hic Alexander res gestas in exortu Arianæ hæresis, inque Arii & sectatorum damnatione: monetque Episcopos ne Eusebio Nicomediensi Arii patrono morem gerant si quidem in Hæresiarchæ gratiam litteras ille scripserit.*

DEPOSITIO ARII

Et Sociorum ab Alexandro Alexandriæ Archiepiscopo.

Alexander, Presbyteris, Diaconisque Alexandriæ & Mareotæ, præsens præsentibus, dilectis in Domino fratribus salutem.

LICET jam subscripseritis litteris meis ad Arium suosque missis, quibus hortabar illos ut, abnegata impietate, sanæ & catholicæ fidei obtemperarent: eaque in re rectum propositum vestrum, necnon Ecclesiæ Catholicæ circa dogmata consonantiam, palam feceritis; attamen quia omnibus etiam ubique terrarum comministris, quæ Arium sociosque ejus spectant litteris significavi; necesse duxi, vos, Urbis clericos, convocare, vos item Mareoticos arcessere: A præsertim cum ex vobis Chares & (*a*) Pistus Presbyteri: Sarapion, Parammon, Zosimus & Irenæus Diaconi, ad Arii partes transierint, atque voluerint deponi cum illis; ut nota sint vobis quæ jam scripta sunt: utque vestram in hisce concordiam declaretis, ac depositioni Arii, Pisti sociorumque suffragium addatis vestrum. Par quippe est comperta vobis esse quæ a me conscripta sunt, eaque singulos, quasi quisque vestrum scripsisset, corde complecti.

1. EXEMPLAR.

(b) Carissimis honoratissimisque ubique Ecclesiæ Catholicæ comministris, Alexander in Domino salutem.

Ephes. 4. 3. CUM unum sit Ecclesiæ Catholicæ corpus, in divinisque Scripturis jussum sit, ut concordiæ pacisque vinculum servetur; consentaneum est ut quæ (*c*) a singulis geruntur invicem significemus, ut scilicet si membrum quodpiam vel patiatur, vel lætetur, mutuo omnes una patiamur, vel una lætemur. In nostra itaque parœcia haud ita pridem exorti sunt viri improbi, Christique adversarii, docentes defectionem, quam jure merito quis Antichristi prodromum suspicetur & vocet. Equidem volebam rem silentio tegere, ut in solis hæreseos (*d*) præfectis malum absumeretur, ne in cetera loca pervadens, simpliciorum quorumdam aures contaminaret. At cum Eusebius jam B Nicomediæ Episcopus, ratus penes se sita esse Ecclesiastica omnia, quia scilicet, postquam relicta Beryto, ambitione motus Nicomediensium invasit Episcopatum, nulla (*e*) hujusce ausus habita est ultio; cum ille, inquam, apostatarum istorum patrocinium susceperit, litterasque pro iis commendatitias ubique scribere aggressus sit, ut (*f*) quosdam rei ignaros (*g*) in hanc turpissimam Christique oppugnatricem pertrahat hæresim: necesse mihi fuit haud ignoranti quid in Lege scriptum sit, non ultra rem silentio premere, sed vobis omnibus significare, ut cognoscatis tum eos qui apostatæ effecti sunt, tum inauspicata eorum hæresis verba: & si scripserit Euse- Eusebius Nicomediensis, Arianis patrocinatur.

(*a*) Hunc Pistum esse putamus qui Alexandriæ Episcopus ab Arianis ordinatus est, quippe sub ipsum Arianismi initium inter antesignanos computabatur; ut paulo infra videre est, *Arii*, *Pisti*, &c.

(*b*) Epiphanius Scholasticus Historiæ Tripartitæ lib. 1. cap. 13. hanc habet Epistolam.

(*c*) Epiphan. Schol. *apud singulos*.

(*d*) Epiphan. Schol. *apostatas*. Utra lectio sit germana, dubium.

(*e*) Epiph. Scholast. lectionem Regii asserit: *Non est in eo ultio subsecuta*.

(*f*) Epiph. Schol. *Si quo modo trahat*.

(*g*) Epiph. Schol. *ad hanc pessimam*.

bius ne animum adhibeatis. Ille quippe cum veterem animi malitiam, quam aliquamdiu occultarat, nunc eorum opera renovare studeat; sese simulat eorum gratia scribere: opere tamen comprobat, se id suapte causa agere.

Priscorum Arianorum nomina.

2. Ecclesiæ autem desertores hi sunt: Arius, Achilles, Aithales, Carpones, Arius alter, Sarmates, (a) olim Presbyteri: Euzoius, Lucius, Julius, Menas, Halladius & Gaius, olim Diaconi, ac cum ipsis Secundus & Theonas, olim Episcopi nuncupati. Verba autem ab illis adinventa ac præter Scripturarum mentem prolata, hæc sunt.

Arianorum blasphemiæ. *Tantillum variat Epiphanius scholasticus.*

2. Non semper Deus, pater fuit; sed fuit quando Deus, pater non erat. Non semper erat Dei Verbum, sed ex non-exstantibus factum est: Deus enim, qui est, non-exsistentem ex non-exsistente condidit: quare, erat aliquando cum non esset. Res quippe creata, resque facta est Filius, neque similis est Patri secundum substantiam: neque verum & naturale Verbum est Patris: neque vera ejus Sapientia: sed una ex rebus factis, conditisque: abusive autem Verbum dicitur & Sapientia, (b) cum factus ipse sit per proprium Dei Verbum, & per eam quæ in Deo est Sapientiam, in qua cum cetera omnia, tum eum ipsum fecit Deus. Quapropter natura sua mutari atque verti potest, perinde atque omnia rationabilia. Extraneum autem, alienum atque semotum Verbum est a Dei substantia. (c) Inenarrabilis etiam est Pater Filio: nam neque perfecte, neque accurate Patrem novit Verbum, neque perfecte illum videre potest. Etenim ne suam quidem substantiam novit Filius, sicuti illa est. Propter nos quippe factus est, ut nos illo quasi instrumento crearet Deus: neque exstitisset, nisi nos Deus condere voluisset. Sciscitante quodam, num perinde mutari posset Dei Verbum atque diabolus mutatus est; non veriti sunt illi respondere, Sane potest: nam, (d) utpote factus & creatus, mutabilis est naturæ.

Ariani damnantur in Synodo Alexandrina anno 320.

3. Hæc Arianos loquentes, hæc impudentissime affirmantes, nos, cum Episcopis Ægypti & Libyarum prope centum, in unum coacti, illos cum sectatoribus suis anathemate percussimus. At Eusebius & socii admiserunt illos, operamque navarunt, ut veritati mendacium, pietati impietatem admisceant. Sed nequaquam id efficere valebunt: vincit quippe veritas, nullaque *societas luci ad tenebras*, nulla *consonantia Christi ad Belial*. [*2. Cor. 6. 14.*] Quis enim unquam talia audivit? quis jam audiens non obstupescat, auresque non obstruat, ut ne ejusmodi verborum sordes aures suas contaminent? Quis hæc Joannis audiens, *In principio erat Verbum*, [*Joan. 1. 1.*] homines non condemnet, qui ajunt: Fuit aliquando cum non esset? Quis si hæc Euangelii verba audiat, *Unigenitus Filius*, & *per ipsum facta sunt omnia*, [*Joan. 1. 18. & 28.*] illos non aversetur hæc loquentes: Una ille est ex rebus factis? Nam qui potest una ex rebus a se factis esse, aut qui Unigenitus erit, qui, ut ajunt illi, omnibus annumeratur, si quidem & ille res est facta atque creata? Quomodo ex non-exstantibus factus ille fuerit, cum Pater dicat, *Eructavit cor meum Verbum bonum*, [*Ps. 44. 1.*] &, *ex utero ante luciferum genui te*? [*Ps. 109. 3.*] Aut quomodo absimilis substantiæ Patris fuerit, qui est imago perfecta, splendorque Patris, [*Heb. 1. 3.*] quique ait: *qui vidit me, vidit & Patrem*? [*Joan. 14. 9.*] Quo pacto si Verbum seu Ratio & Sapientia Dei, Filius est; fuit tempus cum non esset? Perinde est enim, ac si dicerent, Deum aliquando Ratione & Sapientia caruisse. Qui item verti mutarive potest, qui ait per se quidem ipse: *Ego in Patre, & Pater in me*; &, *Ego & Pater unum sumus*: [*Joan. 14. 10. Joan. 10. 30.*] per Prophetam vero, *Videte me, quia ego sum, & non mutor*? [*Malach. 3. 6.*] Nam etiamsi ad Patrem dictum illud referri queat; aptius tamen de Filio jam dicitur, quia cum factus homo sit, nequaquam mutatus est; sed, ut ait Apostolus: *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula*. [*Hebr. 13. 8.*] (e) Quis induxit illos ut dicerent, propter nos illum factum esse, licet Paulus dicat: *Propter quem omnia, & per quem omnia*? [*Hebr. 2. 10.*]

4. Quod spectat autem illam eorum blasphemiam qua ajunt, Filium non nosse perfecte Patrem; nequaquam mirandum: cum enim in animum induxerint Christo bellum inferre, oppugnant item hæc illius verba: *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem*. [*Joan. 10. 15.*] Proinde si ex parte tantum Filium novit Pater, constat Filium non perfecte cognoscere Patrem. Quod si nefas sit ita loqui, & si Pater perfecte novit Filium; planum est sicut Pater Verbum novit suum, perinde Verbum, suum nosse Patrem, cujus ipsum Verbum est.

5. Hæc dicendo, atque divinas Scripturas explanando, sæpenumero illos convicimus. Verum illi, quasi chamæleontes, mutata subinde sententia, dictum illud sibi vindicare nituntur: *Impius cum in profundum venerit, contemnit*. [*Prov. 18. 3.*] Multæ sane ante illos exstitere hæreses, quæ plusquam par erat ausæ, in dementiam collapsæ sunt. At hi qui voculis suis omnibus id moliuntur, ut Verbi divinitatem tollant, id effecere, ut quodammodo justæ viderentur illæ, cum propius ipsi ad Antichristum accedant. Quamobrem proscripti & anathemate percussi sunt ab Ecclesia. Et quidem, tametsi de illorum exitio dolemus, cum præsertim illi, postquam Ecclesiæ doctrinam didicissent, ab illa jam desciverint; nequaquam tamen magnopere miramur: idipsum enim Hymenæo contigit & Phileto, [*2. Tim. 2. 17.*] & ante istos Judæ, qui cum Salvatorem sequutus esset, postea proditor fuit atque desertor. Porro de his ipsis, nequaquam nobis prævia monita defuere; sic enim præfatus Dominus ait: *Videte ne quis vos seducat; multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego sum, & tempus appropinquavit, & multos seducent: nolite ergo ire post eos*. [*Luc. 21. 8.*] Paulus autem hæc a Salvatore edoctus scripsit: *Quia in novissimis temporibus discedent quidam a sana fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum veritatem aversantium*. [*1. Tim. 4. 1.*]

6. Cum itaque Dominus & Salvator noster Jesus Christus per se ipse ita præceperit, & per Apostolum res nobis hujusmodi significaverit; jure nos qui impietatem illorum ipsi coram audivimus, homines, uti supra dictum est, anathemate damnavimus, ipsosque a Catholica Ecclesia & fide alienos declaravimus: remque, carissimi atque honoratissimi Comministri, vestræ Religioni indicavimus; ut ne quosdam ex illis, si petulanter vos adire ausi fuerint, recipiatis: neve Eusebio vel alii cuipiam de illis ad vos scribenti, fidem habeatis. Nos enim, utpote Christianos, decet, omnes qui contra Christum loquuntur aut sentiunt, velut Dei hostes animarumque corruptores aversari, ac ne quidem Ave illis dicere: ne quando scelerum ipsorum participes simus, ut præcipit beatus Joannes. [*2. Epist. Joan. 10.*] Salutate fratres qui vobiscum sunt: vos qui mecum sunt salutant.

7. (d) Ale-

(a) *Olim Presbyteri*, hæc notatu dignissima verba desunt apud Socrat. & Gelas. & apud Epiphanium Scholasticum qui omnia miscuit.

(b) Epiphan. Scholast. sic: *Et ipse & existens in proprio Dei Verbo & in Dei Sapientia*.

(c) Epiphan. Schol. *invisibilis*:

(d) Epiphan. Scholast. *tamquam natura convertibilis existens, factus autem & convertibilis est*.

(e) Epiph. Schol. *qua causa putas*, &c.

A

7. (a) *Alexandriæ Presbyteri.*

De Collutho in Vita Athanasii.

Collutbus Presbyter hisce scriptis suffragor, necnon depositioni Arii, eorumque qui ejus impietatis sectatores sunt.

Alexander Presbyter, similiter.
Dioscorus Presbyter, similiter.
Dionysius Presbyter, similiter.
Eusebius Presbyter, similiter.
Alexander Presbyter, similiter.
(b) Nilaras Presbyter, similiter.
Arpocration Presbyter, similiter.
Agathus Presbyter.
Nemesius Presbyter.
Longus Presbyter.
Silvanus Presbyter.
Perous Presbyter.
Apis Presbyter.
Proterius Presbyter.
Paulus Presbyter.
Cyrus Presbyter, similiter.

Diaconi.

Ammonius Diaconus, similiter.
Macarius Diaconus.
Pistus Diaconus, similiter.
Athanasius Diaconus.
Eumenes Diaconus.
Apollonius Diaconus.
Olympius Diaconus.
Aphthonius Diaconus.
Athanasius Diaconus.
Macarius Diaconus, similiter.
Paulus Diaconus.
Petrus Diaconus.
Ambytianus Diaconus.
(c) Gaius Diaconus, similiter.
Alexander Diaconus.
Dionysius Diaconus.
Agathon Diaconus.
Polybius Diaconus, similiter.
Theonas Diaconus.
Marcus Diaconus.
Comodus Diaconus.
Serapion Diaconus.
Nilus Diaconus.
Romanus Diaconus, similiter.

Mareotæ Presbyteri.

Apollonius Presbyter, hisce scriptis suffragor, necnon depositioni Arii, eorumque qui ejus impietatis sectatores sunt.

Ingenius Presbyter, similiter. Vide pag. 76.
Ammonius Presbyter.
Dioscorus Presbyter.
Sostras Presbyter.
Theon Presbyter.
B Tyrannus Presbyter.
Copres Presbyter.
Ammonas Presbyter.
Orion Presbyter.
Serenus Presbyter.
Didymus Presbyter.
Heracles Presbyter.
Boccon Presbyter.
Agathus Presbyter.
Achillas Presbyter.
(d) Paulus Presbyter.
Thalelæus Presbyter.
C Dionysius Presbyter, similiter.

Diaconi.

Sarapion Diaconus, similiter.
Justus Diaconus, similiter.
Didymus Diaconus.
Demetrius Diaconus.
Maurus Diaconus.
Alexander Diaconus.
Marcus Diaconus.
D Comon Diaconus.
Tryphon Diaconus.
Ammonius Diaconus.
Didymus Diaconus.
Ptollarion Diaconus.
Seras Diaconus.
Gaius Diaconus.
Hierax Diaconus.
Marcus Diaconus.
(e) Theonas Diaconus.
Sarmaton Diaconus.
Carpon Diaconus.
E Zoilus Diaconus, similiter.

(a) Hæ subscriptiones habentur tantum apud Gelasium Cyzicenum, sed mirum in modum mutilæ.
(b) Hoc nomen reperitur item in subscriptionibus pag. 75. *similiter* ad singula nomina legitur apud Gelasium.
(c) Post hunc Gaium omnes reliqui Diaconi Alexandrini, decem numero apud Gelasium desiderantur.
(d) Hi tres postremi, *Paulus Thalelæus*, *Dionysius*, desunt apud Gelasium.
(e) Hi quatuor postremi, *Theonas*, *Sarmaton*, *Carpon*, *Zoilus*, desunt apud Gelasium.

ADMONITIO
IN QUATUOR ORATIONES
CONTRA ARIANOS.

I. HISTORIÆ *Arianorum ad Monachos a S. Athanasio missæ subjungere visum est quatuor Orationes contra Arianos. Namque si, ut nonnullorum est sententia, hoc ipsum Opus est quod una cum Arianorum historia ad Monachos misit S. Athanasius, proprius hic ejus locus est. Sed si alii probabilius existiment illas Orationes alias plane esse ab Opere ad Monachos misso: nec idcirco incommode hic collocantur. Cum enim constet eas, post intrusum Georgium, a sancto Athanasio in solitudine tum degente esse compositas: potest utique fieri ut illas nonnisi post Epistolam ceteraque ad Monachos missa Opera scripserit; nam quo definite anno conscriptæ fuerint, certo dici non potest. Sed de his fusius in Præfatione generali: cetera nunc, quæ ad ipsas attinent Orationes, prosequamur.*

II. *Supra pagina 107. in Admonitione in Epistolam Encyclicam ad Episcopos Ægypti & Libyæ jam observavimus quatuor dumtaxat esse Orationes contra Arianos, non quinque, ut alii editi habent, ipsamque Encyclicam Epistolam ab illis Orationibus penitus esse distinctam: verum operæ pretium est plenius hic ea de re disserere. Inter se non consentiunt manuscripti Codices in assignando numero Orationum contra Arianos. Seguerianus optimæ notæ Codex quinque numerat, quarum prima est Epistola Encyclica ad Episcopos Ægypti & Libyæ, ad cujus initium in margine hæc nota legitur, quam noluimus omittere.* οὗτος ὁ ἐνταῦθα πρῶτος λόγος τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου, ἔν τισι τῶν ἀντιγράφων τέταρτος φέρεται. καὶ Σευῆρος δὲ ὁ δυσσεβὴς ἐν τῷ εἰκοστῷ τρίτῳ κεφαλαίῳ τοῦ τρίτου λόγου τῶν κατὰ τοῦ μακαρίου Ἰωάννου τοῦ ἐπισκόπου Καισαρείας Παλαιστίνης τοῦ ἀπὸ γραμματικῶν, τέταρτον τὸν παρόντα λόγον ὀνομάζει. ὁ δὲ ἐν ὁσίοις Θεόδωρος ἐπίσκοπος τῆς Φαρὰν, ἀνὴρ λόγιος, καὶ συγγράμματα καταλελοιπὼς ἀξιάγαστα, ἐν τῷ κατὰ Ἀγνοητῶν αὐτοῦ διαλόγῳ τέταρτον τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου κατὰ Ἀρειανῶν λόγον ὀνομάζει τὸν καὶ ἐν τῷδε τῷ τεύχει τέταρτον κείμενον, οὗ ἡ ἀρχή· οἱ Ἀρειομανῖται, ὡς ἔοικε, κρίναντες ἅπαξ ἀποστάται γενέσθαι. *Id est*: Hæc, quæ hic inscribitur Oratio prima S. Athanasii, in aliquibus Exemplaribus quarta dicitur. Et vero impius Severus in vigesimo tertio capite libri tertii adversus Joannem a Grammaticis, Cæsareæ in Palæstina Episcopum, quartam appellat præsentem Orationem. At sanctus Theodorus Episcopus Pharan, vir eruditus, qui & egregia reliquit Opera, in suo adversus Agnoetas Dialogo, quartam sancti Athanasii Orationem contra Arianos appellat, quæ item isto in volumine quarta est, cujus videlicet initium est: Quandoquidem semel Ariani, ut videtur, animum induxerunt a veritate desciscere. *Hæc ibi, quæ item habentur in Codice Gobleriano, eaque Felckmannus ait esse cujusdam Lectoris Romani nomine qui Codicem Goblerianum scripsit. Editi Græci Codices, & ms. Felckmanni secundus licet illam Epistolam non inscribant primam Orationem; tamen eam quam jam nos primam inscribimus, secundam appellant. In Basiliensi Codice tres primæ Orationes eodem ordine, quo jam a nobis, numerantur: sed quam quartam inscribimus, ibi sexta dicitur; forte nempe quod Epistola Encyclica ad Episcopos Ægypti & Libyæ, in aliquibus Codicibus Oratio quarta in Arianos appellatur, & Oratio de Incarnatione Verbi, cujus initium,* οἱ κακοτέχνοι, *quinta numeratur, ut in Felckmanni quinto Codice ms. In Regio ms. Codice chartaceo tres primæ exstant Orationes eadem serie, ut hac in nostra Editione, numeratæ, sed quarta deest. In alio Regio optimæ notæ ms. Codice, qui mediam Operum S. Athanasii partem continet, duæ ultimæ initio habentur Orationes, quæ item ibidem tertia & quarta nuncupantur. Sed ne diutius in percurrendis manuscriptis Codicibus immoremur, vide discrepantes lectiones quas studiose collegimus ad initium singularum Orationum, nec non Epistolæ Encyclicæ ad Episcopos Ægypti & Libyæ, & Tractatus modo memorati de Incarnatione. Multi præterea antiqui Scriptores eodem ordine illas citarunt Orationes ac nos numeramus, ut Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Justinianus Imperator, quemadmodum suis in locis observamus. Verum nihil opus est longiore disputatione, cum clarum sit ex hisce ipsis quatuor Orationibus nihil eas commune cum ullo alio Opere habere, sed ita inter se cohærere, ut unum ipsæ Opus simul conficiant, quarum prima sit principium, quarta autem omnium sit finis, quam sane ob causam sola hæc ultima solita terminatur conclusione. Ratio autem cur quinque adversus Arianos Orationes in multis numerentur Codicibus, nulla alia videtur, quam quod in illis Codicibus Epistola Encyclica ad Episcopos Ægypti & Libyæ proxime erat ante quatuor Orationes, quæ quidem cum & ipsa sit in Arianos composita, inscripta idcirco est, Oratio prima contra Arianos.*

III. *Supersedemus hic a proponendis singularum Orationum argumentis; res enim nos longius deduceret: sed singula, quæ digna observatione nobis visa sunt, in margine annotare nobis curæ fuit, quæ, cui lubuerit, facile possit perlustrare. Satis interim sit generatim observare, Arianam impietatem plene hic confutari, variaque Arianorum argumenta & responsa referri & refelli. Nec vero solam Arianorum hæresim conterit S. Pater; sed aliorum etiam hæreticorum, qui circa Christum Dominum erraverunt, commenta obiter dissolvit, sive qui Christum purum esse hominem, sive qui eum nonnisi phantasticum habuisse corpus, sive qui quid aliud finxerunt. Quin etiam ita nitide veram de Christo Domino fidem exponit, ut ipsorum quoque, qui post ipsum exorti sunt, confodiat hæresim. Hinc Nestorium profligat cum docet Christum, Deum licet & hominem, unum tamen esse, uniusque esse ejus cum divina tum humana opera: cum Verbum non in hominem descendisse, sed hominem factum esse ostendit: cum denique beatam Virginem Mariam,* θεοτόκον Deiparam *sæpius appellat. Non minus etiam Eutychis errori adversatur, cum passim demonstrat distinctas Christi naturas, variaque earum munia diserte explicat. Hinc sancti Patres in Conciliis, in quibus illorum hæreticorum damnata impietas est, tanti Doctoris testimonia adducere, fidemque Catholicam ejus confirmare auctoritate non omiserunt, uti ad propria loca monuimus.*

IV. *Photii, qui quidem ipse quinque S. Athanasii Orationes contra Arianos numerat, de iisdem Orationibus judicium non hic duximus prætermittendum. Sic igitur ille Bibliotheca Codice* 140. Ἀνεγνώσθη τοῦ αὐτοῦ ἁγίου (Ἀθανασίου) ὁ κατὰ Ἀρείου καὶ τῶν αὐτοῦ δογμάτων πεντάβιβλος. τὴν μὲν οὖν φράσιν σαφής τέ ἐστιν, ὡς καὶ ἐν πᾶσι, καὶ ἀπέριττος καὶ ἀφελὴς, δριμὺς δὲ καὶ βαθὺς, καὶ τοῖς ἐπιχειρήμασι σφοδρός. καὶ τὸ γόνιμον δὲ αὐτοῦ ἐν τούτοις ἄπειρον, ὅσον καὶ θαυμάσιον· λογικαῖς τε μεθόδοις οὐ γυμνῶς καὶ ἀπὸ ψιλῶν ἐκεῖθεν λέξεων, ὥσπερ οἱ παῖδες καὶ ἀρτιμαθεῖς μειρακίσκοι φιλοτιμίαν ἐπιδεικνύμενοι πράττουσιν, ἀλλ' ἐμφιλοσόφως τε καὶ μεγαλοπρεπῶς, καὶ ταῖς ἐννοίαις μόναις καὶ ταύταις διεσχηματισμέναις ἀντέχεται· γραφικαῖς τε μαρτυρίαις καὶ ἀποδείξεσιν εἰς τὸ καρτερὸν κατωχύρωται· καὶ ἁπλῶς ἀρκεῖ τὸ βιβλίον τοῦτο κατὰ πάσης Ἀρειανῆς ἀριστεῦσαι. καὶ εἴ γε τὸν θεολόγον Γρηγόριον καὶ τὸν θεῖον Βασίλειον ἐκ ταύτης, ὥσπερ πηγῆς, ἀρυσαμένους φαίη τις βίβλου τοὺς καλοὺς ἐκείνους καὶ διαυγεῖς τῶν οἰκείων λόγων κατὰ τῆς πλάνης ῥεῦσαι ποταμοὺς, οὐκ ἂν οἶμαι σφαλείη τοῦ παραδείγματος. *Id est:* Lecti sunt ejusdem Sancti (Athanasii) libri quinque contra Arium & ejus dogmata. In his, ut & in omnibus ejus Operibus, dictio nitida est, simplex, nec redundans. Acrem hic se præbet & profundum, vehementemque in argumentando: tantaque ejus ubertas est quam & admiranda. Logicis autem methodis ita utitur, ut non nude nec in ipsis vocibus versetur, uti pueri & tyrones adolescentes, qui docti videri cupiunt, solent agere, sed philosophice & magnifice, solisque verborum sententiis hisque diverse innititur. Scripturæ similiter testimoniis & probationibus firmissime se communit. Denique istud Opus adversus universam Arianorum aciem possit sufficere. Atque si quis ex eo libro tamquam ex fonte Theologum Gregorium & divinum Basilium hausisse dixerit pulcros illos & perlucidos suarum contra errorem Orationum fluvios, hunc ego non putem a veri similitudine aberraturum. *Hæc Photius.*

* SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ

ADVERSUS ARIANOS

ORATIO PRIMA.

1. OMNES quidem hæreses, quotquot hactenus a veritate recessere, evidens est infanas sibi excogitasse opiniones, illarumque impietas omnibus jam dudum est patefacta. Dubitari enim non potest quin earum auctores ex nobis exierint, quemadmodum scripsit beatus Joannes, quandoquidem neque fuit unquam, neque nunc nobiscum est illorum doctrina. Idcirco, ut dixit Salvator, non colligentes nobiscum, dispergunt cum diabolo, dormientesque observant, ut sparso suo exitiali veneno, mortis socios habeant plurimos. Quia vero una & postrema hæresum, quæ prævia Antichristo, modo exorta est, Ariana que appellatur, vafra & callida, animadvertens antiquiores se sorores alias hæreses palam notatas, ipsa sese Scripturarum vocabulis, sui patris diaboli exemplo, simulate induit, nihilque non molitur ut in Ecclesiæ paradisum sibi regredi liceat, ut Christiana specie assumta, aliquos ad prave de Christo sentiendum possit falsis argumentationibus adducere; siquidem nihil in se habet quod rationi sit consentaneum: cum, inquam, nihilominus nonnullos insipientes jam circumvenerit, adeo ut illi non tantum auribus sint depravati, sed etiam Evæ similes acceptum errorem gustaverint, indeque ignorantia obcæcati amarum dulce æstiment, atque detestandam hæresim appellent bonam: vobis hortantibus necessarium duxi thoracis nefandæ hujusce hæresis sinus explicare, atque ejus stultitiæ patefacere fœtorem, ut qui procul ab ea sunt remoti, eam magis adhuc fugiant, qui autem ab ea decepti fuerunt, resipiscant, apertisque cordis oculis intelligant, quemadmodum tenebræ non sunt lux, nec mendacium veritas, ita Arianam hæresim bonam minime esse, immo vero eos qui Arianos Christianos vocant, multum profecto valdeque errare, tamquam qui nec Scripturas legerint, nec quid sit Christianismus & Christianæ religionis fides omnino sciant.

1. Joann. 2. 19. — *Luc. 11. 23.* — *Ariana hæresis aliis deterior hæresibus dissimilis, quod Scripturæ verbis simulate utatur.* — *Errant qui Arianos Christianos appellant.*

2. Quid enim simile hæresim inter & rectam piamque fidem animadverterunt, ut nugatorie asseverent nihil illos mali dicere? Si ita est, illis sane liceat Caipham Christianum nuncupare, proditorem Judam inter Apostolos numerare, contendere nihil eos mali fecisse qui Barabbam præ Salvatore petierunt. Hymenæum & Alexandrum tanquam recte sentientes commendare, affirmareque Apostolum falsa illis affinxisse. Verum nemo Christianus ista vel audire voluerit: nemo eum, qui hæc ausit dicere, sana mente esse putaverit. Enimvero pro Christo Arius illis est, uti Manichæis Manichæus. Similiter pro Moyse aliisve viris Sanctis, nescio quem ** Sotadem qui ipsis Gentilibus ludibrio est, & filiam Herodiadis repererunt. Namque & illius fractos effeminatosque mores Arius, Thalias quoque ipse scribendo, imitatus est, & hujus saltatricis saltationem suis in Dominum maledictis saltando & ludendo est æmulatus, adeo ut qui in hujusmodi hæresim inciderint, mente conturbentur & desipiant, & nomen Domini gloriæ mutent in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, ac denique pro Christianis Ariani nominentur, hocque suæ impietatis habeant insigne. Nec enim seipsos contentur defendere, nec quod illis probro est in eos false conjiciant, qui sui similes non sunt, ut etiam Christianos a propriis magistris velint appella-

1. Tim. 1. 20. — *Rom. 1. 23.*

* Omnibonus ita hanc Orationem inscribit, *contra Arianos Sermo primus*. Sed idem Epistolam ad Episcopos Ægypti & Libyæ sic inscribit, *Athanasii liber primus contra hæreticos*.

** Duos poetas hujus nominis commemorat Suidas, de quibus hæc habet: Σωτάδης Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας, *Sotades Atheniensis, poeta comicus mediæ comœdiæ*. Σωτάδης Κρὴς, Μαρωνίτης, Ἰαμβογράφος· ἔγραψε φλύακας ἤτοι κιναίδους διαλέκτῳ Ἰωνικῇ, *Sotades Cretensis, Maronita, Damonaeus, Iamborum scriptor composuit Phlyacas (id est, scurras) sive Cinædos, Jonica dialecto*. De isto ultimo sermo hic habetur.

pellare, quo nimirum hoc pacto ipsi quoque videantur Christiani appellari. Ne, inquam, in tam probroso hoc suo nomine erubescentes velint nugari: aut si vere erubescunt, vel sese abscondant, vel a propria resiliant impietate. Nec enim unquam populus a propriis Episcopis nomen accepit, sed a Domino in quem & fidem habemus. Hinc licet beati Apostoli magistri nostri & Evangelii Salvatoris administri fuerint, ex illis tamen non nominamur, sed a Christo Christiani & sumus & dicimur. Hi autem qui ab aliis habent suæ fidei originem, congruenter illorum nomine notantur, utpote qui ad eosdem pertineant.

Nunquam Orthodoxi a propriis Episcopis aut magistris nomen mutuati sunt; sed soli hæretici a suis quique doctoribus sunt appellati.

3. Sane cum nos omnes a Christo Christiani & essemus & nominaremur, ejectus olim est Marcion hæresis auctor: atque hi quidem qui cum illo permanserunt qui Marcionem expulit, Christiani nomen retinuerunt; qui vero secuti sunt Marcionem, Marcionistæ deinceps sunt appellati. Similiter Valentinus, Basilides, Manichæus & Simon Magus proprium nomen suis asseclis impertierunt: unde alii Valentiniani, alii Basilidiani, alii Manichæi, Simoniani alii, aliique Cataphryges a Phrygia, & a Novato Novatiani nuncupantur. Ita similiter Meletius a Petro Episcopo & martyre ejectus, suos non jam amplius Christianos sed Meletianos vocavit. Sic igitur etiam postquam beatæ memoriæ Alexander Arium ejecit, hi qui cum Alexandro perstiterunt, Christiani, ut antea, dicti sunt; qui autem cum Ario recesserunt, Salvatoris nomen nobis, qui cum Alexandro remansimus, reliquerunt, & illi jam inde Ariani sunt appellati. Hinc ergo qui item post Alexandri mortem cum Athanasio ejus successore & aliis quibuscum ipse communicat, communicant, eamdem illi retinent formam, neque aliqui inter eos nomine ejus insigniuntur, neque ipse illorum, sed omnes rursus & consueto more Christiani vocantur. Tametsi enim magistrorum successores habemus, quorum efficimur discipuli: tamen quia ea, quæ sunt Christi, nos illi docent, Christiani nihilominus & sumus & dicimur. At qui sequuntur hæreticos, innumerabiles licet successores habuerint, ejus semper nomine, qui hæresis inventor fuit, appellabuntur. Certe etiamsi mortuus sit Arius multique ex suis illi successerint, tamen qui ejus propugnant opiniones, ex Ario noti, Ariani vocantur. Et vero non leve hujusce rei argumentum mihi esse videtur, quod qui e Gentilibus etiam nunc ad Ecclesiam accedunt, dimissa idolorum superstitione, non illorum, a quibus instruuntur, cognomen accipiunt, sed Salvatoris, ita ut qui Gentiles dicebantur, Christiani incipiant vocari. Qui autem ad illos abeunt, vel quicumque ab Ecclesia ad hanc hæresim discedunt, Christi deposito nomine, Ariani deinceps nuncupantur, ut qui Christi fidem non amplius habeant, sed Arii furoris sint facti hæredes.

4. Num igitur æquum fuerit eos Christianos dicere, qui non Christiani, sed Ariani sunt? An ad Catholicam Ecclesiam illi pertinent, qui Apostolicam fidem excusserunt, & novorum malorum auctores fuerunt? qui divinarum Scripturarum oraculis relictis, Arii Thalias novam sapientiam appellant? quod quidem non immerito ajunt: novam quippe hæresim annuntiant. Quocirca mirari subit, quod cum multi plurimos commentarios & sermones scripserint in vetus & novum Testamentum, nec apud ullos, vel etiam apud graviores Gentilium auctores Thalia reperiatur, sed ab his dumtaxat soleat adhiberi, qui inter pocula cum plausu & facetiis ista in ludis canunt, ut ab aliis irrideantur: mirificus Arius nihil honestum sectatus, imo ignarus quid probos homines deceat, maximamque partem aliarum hæresum furatus, solius Sotadæ scurriles facetias æmulatus fuit. Quid enim eum agere conveniebat, cupientem contra Dominum tripudiare, quam miseras suæ impietatis voculas dissolutis & luxuriosis modis significare? ut, quemadmodum sapientia ait, *ex verbis suis agnoscetur vir*; sic hujusmodi numeris, scriptoris animus effœminatus ejusque mentis corruptio pateret. Et vero latere non potuit homo versutus: verum quamvis sæpissime sese serpentis more sursum deorsumve contorserit & verterit, tamen in Pharisæorum lapsus errorem est. Nam ut illi in animo habentes legem violare, se legis verba meditari fingebant; cumque expectatum jamque præsentem Dominum vellent negare, simulabant Deum eum appellare, eorumque nihilominus convicta impietas est cum dicerent, cur *tu, homo cum sis, facis teipsum Deum*, & dicis, *Ego & Pater unum sumus?* ita quoque fucatus & Sotadeus Arius simulat quidem se de Deo loqui, cum Scripturarum vocibus utitur; at nihil id impedit quominus atheus & impius esse undique convincatur, quippe qui Dei Filium audeat negare, eumque inter res creatas annumeret.

Arius maximam partem aliarum hæresum furatus.

Joan. 10. 33. 30.

5. Ipsum itaque Arianæ Thaliæ & futilitatis exordium, quod mores modosve effœminatos præ se fert, hujusmodi est: „ Juxta eorum fidem qui electi Dei, periti Dei, filii sancti & orthodoxi sunt, quique sanctum Dei Spiritum acceperunt, hæc ego didici a viris, qui sapientiæ participes, comes, a Deo docti, & in omnibus sunt sapientes. Horum ego, eadem ac illi sentiens, vestigiis institi, ego, inquam, celeberrimus ille, qui quamplurima propter Dei gloriam passus sum, & a Deo doctus sapientiam & scientiam accepi. „ Facetiæ autem ejus execrandæ & plenæ impietatis quæ in ea continentur, tales sunt. „ Non semper Deus fuit Pater: sed fuit, cum Deus solus esset, nondumque Pater erat; postea vero factus est Pater. Non semper fuit Filius: nam cum omnia ex nihilo sint orta, resque omnes creatæ sint & factæ, ipsum quoque Dei Verbum ex nihilo factum est, & fuit aliquando cum non esset: nec erat antequam fieret; sed habuit quoque creationis initium. Erat enim, inquit, solus Deus, nondumque erat Verbum & Sapientia. Cum autem nos postea voluit creare, tunc profecto unum quemdam fecit, quem & Verbum & Sapientiam & Filium nominavit, ut nos per ipsum crearet. Duas ergo sapientias esse ait, unam quæ propria sit & cum Deo simul existat; Filium vero in ista sapientia factum fuisse, ejusque factum participem, Sapientiam & Verbum nomine tenus esse appellatum. Sapientia enim, inquit, per sapientiam, Dei sapientis voluntate, extitit. Sic aliud Verbum in Deo esse dicit præter Filium, cujus Verbi participem factum Filium, ipsum quoque gratia Verbum & Filium vocatum fuisse. „ Est autem etiam propria hæc illorum hæresis sententia, quam aliis suis in operibus explicarunt, „ nempe multas virtutes seu potentias esse, quarum una quidem, natura, Dei propria sit atque æterna, Christum autem non esse veram Dei virtutem, sed unam earum quæ virtutes solent dici, inter quas & locusta & eruca, non virtus tantum, sed magna virtus appellatur; alias porro multas esse similesque Filio, de quibus David psallit, *Dominus virtutum*: item, Verbum natura, ut nos omnes, esse mutabile, suoque arbitrio, quousque volet, bonum perseverare: quod si voluerit, posse quoque ut & nos mutari, cum mutabili sit natura. Quia enim Deus, inquit, bonum eum fore præscivit, idcirco hanc ei glo-

Thaliæ Arii exordium & fragmenta.

Joel. 2. 25.

Ps. 23. 10.

„ riam præveniendo donavit, quam homo postea ex virtute consecutus est: quapropter ex ejus operibus quæ præscivit Deus, talem illum nasci voluit.

„ 6. Præterea ausus est dicere Verbum non esse verum Deum. Nam tametsi dicitur Deus, inquit, non tamen verus est Deus; sed gratiæ factus particeps non aliter quam alii omnes, ipse quoque nomine dumtaxat dicitur Deus. Quemadmodum item, pergit ille, res omnes secundum naturam diversæ & dissimiles Dei sunt: ita & Verbum omnino alienum & dissimile est naturæ proprietatisve Dei Patris, sed ad res factas & creatas pertinet, quarum una ipsum est. Insuper temeritatis diaboli hæres veluti factus scripsit in Thalia, Patrem a Filio videri non posse, neque Verbum perfecte & plene suum Patrem posse intueri vel cognoscere, sed quicquid cognoscit & cernit, convenienter pro suis viribus cognoscere & cernere, quemadmodum & nos pro nostra facultate cognoscimus. Enimvero, inquit, non solum Filius Patrem non accurate cognoscit, utpote cui comprehendendi facultas deest, verum nec suam ipse naturam notam habet. Addit similiter natura divisas, diversas, disjunctas, alienasque nec invicem participes esse Patris, Filii, & Sancti Spiritus substantias: quin etiam, ut ipse ait, penitus inter se & substantia & gloria sunt infinite dissimiles. Itaque quod ad naturæ & gloriæ similitudinem attinet, Verbum ab utrisque Patre videlicet & Spiritu Sancto alienum omnino esse docet: hæc enim ipsa sunt impii illius verba, qui item ait Filium ex se a Patre esse divisum, nullaque in re participem ejus esse. „ Et hæc quidem sunt particulæ fabellarum quæ in ridiculo Arii exstant volumine.

Vide supra pag. 158.

7. Quis ergo his & carmine Thaliæ auditis, Arium quasi in scena de hujusmodi rebus jocantem jure non oderit? Quis non agnoscit illum, cum Dei nomen proferre & de Deo loqui videtur, simillimum esse serpentis mulieri dantis consilium? Ecquis vero aliis quæ ibidem sequuntur perlectis, non tam clare ejus perspicit impietatem, quam fraudem in quam serpens mulierem dolose induxit? Quis, quæso, ad has impietates non obstupescat? Cælum quidem, ut ait Propheta, obstupuit, & terra tremuit ob violatam legem. Sol autem vehementius indignatus, nec ferens injurias quas communis omnium nostrum Dominus sponte pro nobis corpore toleravit, sese ipse avertit, contractisque radiis diem illum privavit luce. Qui vero ad impia Arii verba, universa hominum natura stupore non exhorrescat, aures non obstruat, oculos non claudat, ut nec illa audiat, nec eum qui ista conscripsit aspiciat? An non potius jure merito contra ipsos tamquam impios & valde ingratos clamaverit ipse Dominus, quæ per Prophetam Oseam prædixit: *Væ eis, quoniam recesserunt a me, miseri sunt quia impii in me fuerunt. Ego vero redemi eos: & ipsi locuti sunt contra me mendacia.* Et paulopost: *Contra me cogitaverunt mala, in nihilum conversi sunt.* Nam postquam a Dei Verbo, quod ipsum vere est, sese avertere, & eum, qui non est, sibi confinxere, in nihilum utique sunt ipsi dilapsi. Sane hæc causa fuit cur generalis Synodus Arium ista effutientem repulerit ex Ecclesia, cujus cum impietatem ferre non posset, eum anathemate percussit: ex quo jam tempore credita est Arii impietas quid amplius quam ceteras hæreses continere, quippe quæ & Christi inimica dicta sit, & prænuncia Antichristi sit habita. Etsi igitur, uti jam dixi, tam amplum adversus impiam hanc hæresim judicium maxime sufficit, ut ejus horror omnibus injiciatur: attamen

Genes. 2. *Jerem. 2.12.* *Ose. 7. 13.* *Ibid. v. 15.* *Ariana hæresis Christi inimica, & prænuncia Antichristi dicta.*

A quia nonnulli qui Christiani vocantur, vel inscienter, vel dissimulanter istam hæresim ad fidem nihil pertinere, ut antea dictum est, existimant, eosque, qui ita sentiunt, Christianos non dubitant appellare; age, quo retegatur hæresis astutia, illos pro nostra facultate interrogemus. Forte enim hoc pacto futurum est ut irretiti taceant, & ab ea non secus quam a conspectu serpentis fugiant.

8. Itaque si idcirco arbitrantur impiam Thaliam esse piam, quia aliquot divinæ Scripturæ voces contineat: profecto sequetur ut, cum nunc vident B legi a Judæis Legem & Prophetas, Christum quoque ipsi cum illis negent. Quin etiam si acciderit ut Manichæos quasdam Euangeliorum particulas recitantes audiant, Legem & Prophetas cum illis repudient necesse fuerit. Quod si per ignorantiam ita æstuant & hæc garriunt, discant ex Scripturis ipsum diabolum hæresum auctorem, ob proprium perversitatis fœtorem, verba Scripturarum usurpare solere, ut illis quodammodo obtectus, suum venenum possit facilius spargere simplicesque circumvenire. Sic Evam fefellit ille: sic alias effinxit hæreses: sic etiam hoc tempore Ario persuasit ut in hæ- C reses ipse inveheretur, illisque adversari simularet, quo latenter suam posset hæresim inducere. Verumtamen ne ita quidem latere potuit Veterator. Ut enim suam contra Dei Verbum expromsit impietatem, omnibus statim rebus excidit, cunctisque compertum est eum in ceteris quoque ignarum esse, nihilque omnino quod verum sit sentire, sed tantum simulatione uti. Qui enim vera de Patre is proferat, qui Filium, e quo Patris cognitio omnis impertitur, audet negare? Vel qui recte de Spiritu Sancto ille opinabitur, qui de Filio, D a quo ipse datur, impie non veretur loqui? Quis illi credat de resurrectione differenti, qui Christum propter nos factum primogenitum ex mortuis negat? Qui vero fieri potest ut is, qui germanam ac veram Filii ex Patre generationem plane ignorat, circa ejusdem corporeum adventum non erret? Ita enim & olim Judæi, postquam Verbum negaverunt, & dixerunt, *Non habemus Regem nisi Cæsarem*, rebus omnibus continuo spoliati sunt, ac luce lucernæ, unguenti odore, Prophetiæ cognitione, ipsaque veritate nudi sunt destituti, qui & modo nihil intelligentes tamquam in tenebris ambulant. Enim- E vero quis talia audivit unquam? Aut unde vel a quo hujusce hæresis adulatores muneribus corrupti ista didicere? Quis illos, cum Christianæ religionis elementis informabantur, quicquam simile docuit? Quis illis dixit, Rerum creatarum cultu dimisso, iterum accedite ut rem creatam & factam colatis? Quod si ipsi nunc primum hæc se audire fatentur, non ergo inficientur alienam esse hancce hæresim neque a Patribus traditam. Quod autem a Patribus traditum non est, sed novissime est excogitatum, cujus, quæso, generis esse censendum est, quam F ejus de quo dixit beatus Paulus: *In postremis temporibus discedent quidam a sana fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, & avertentium se a veritate.*

9. Ecce enim nos quidem ex divinis Scripturis libere & confidenter de pia rectaque fide loquimur, quam & tamquam lucernam super candelabrum collocamus, dicentes: Filius verus natura & genuinus est Patris, ejusque substantiæ proprius, Sapientia unigenita, Verbum verum ac unicum Dei ipse est, non res creata vel facta, sed proprius substantiæ Patris fetus. Quocirca Deus est verus, veroque Pa-

Arius dæmonis persuasu in hæreses declamabat, ut suam facilius posset inducere. *Coloss. 1.18.* *Joan. 19.15.* *1. Tim. 4.1.* *Tit. 1.14.* *Vera & catholica de Dei Filio doctrina.*

tri consubstantialis existit. Alii autem quibus dicitur, *Psal. 81. 6.* *Ego dixi: Dii estis*, Filii per Spiritum participes *Hebr. 1. 3.* tantum facti hanc a Patre habent gratiam. Figura enim est substantiæ Patris, lux ex luce, virtus & vera naturæ Patris imago. Id enim ipse Dominus *Joan. 14. 9.* dixit: *Qui me vidit, vidit Patrem*. Semper item fuit, & est, ac nunquam non fuit: cum enim Pater æternus sit, ejus quoque Verbum & Sapientiam æternam esse necesse est. Illi vero quid tandem nobis ex nefanda Thalia queant proferre? Eam saltem prius legant scriptoris morea imitati, ut vel ab aliis irrisi discant quanto lapsu ceciderint, atque ita deinde loquantur. Quid vero amplius ex illa dicendum habeant, quam ista: „ Non semper Deus fuit Pater, sed „ postea factus est. Non semper fuit Filius, „ nec enim fuit antequam natus est. Non est „ ex Patre: sed ipse quoque ex nihilo exstitit. „ Non proprius est naturæ Patris: nam & creatus „ est & factus. Christus non est verus Deus: sed „ ipse etiam nonnisi participatione Deus effectus est. „ Filius Patrem non novit accurate, nec Verbum „ perfecte Patrem videt: nec item verum & unicum „ est Patris Verbum; sed solo nomine Verbum dicitur & Sapientia, gratia Filius & virtus appellatur. Non est immutabilis ut Pater, sed natura „ mutabilis est, sicuti res creatæ, ipsique deest quod „ ad comprehensionem & perfectam Patris cognitionem requiritur. „ Mira sane hæresis, quæ nihil continet credibile, sed eum qui est, non esse fingit, perpetuoque pro laudibus profert maledicta. Si quis igitur utraque examinata sententia rogetur quænam fides sibi videatur eligenda, vel cujusnam voces Deo magis convenire arbitretur: imo vero vel ipsi impietatis *Joan. 1. 1.* assentatores dicant, quid de Deo (nam *Deus erat Verbum*) quempiam interrogatum deceat respondere? inde enim sententia utraque proposita omnino constabit, quid respondere conveniat; nempe, erat vel non erat: semper vel antequam natus est: æternum esse, vel, a quo & ex quo: verum esse, vel, adoptione, participatione & secundum cogitationem: unum eum ex factis rebus dicendum esse, vel, cum Patre conjungendum: ipsum Patri secundum naturam esse dissimilem, vel, Patris similem & proprium esse: rem creatam esse, vel, per ipsum res creatas factas fuisse: eum esse Patris Verbum, vel, alterum esse præter istum, ipsumque per illud aliud Verbum, & per aliam sapientiam factum esse, eumdem denique nomine tantummodo Sapientiam & Verbum vocatum esse, illiusque sapientiæ participem & secundum fuisse factum.

10. Quorum igitur verba magis Deo digna sunt ostenduntque Dominum nostrum Jesum Christum Deum esse & Filium Patris? Eane quæ vos evomuistis, annon potius ea quæ nos ex Scripturis sacris & attulimus & asserimus? Itaque si Salvator nec Deus nec Verbum nec Filius est: liceat sane vobis, quemadmodum Gentilibus & nostri ævi Judæis, quicquid libuerit dicere: sed si & Verbum Patris & Filius ve*Rom. 9. 5.*rus est; si Deus est ex Deo, & super omnia benedictus in sæcula: an non prorsus æquum fuerit alias voces & Arianam Thaliam, veluti malorum imaginem omnique plenam impietate, delere & obliterare? in quam qui inciderit, nescit gigantes ibi perire, ipseque in inferorum foveam occurrit. Nec vero id illi ignorant, hincque fit ut illam, utpote callidi, occultent, nec audeant pervulgare, sed alia omnino usurpent verba. Nam si impia illa verba proferre auderent, non dubium quin condemnarentur. Quin etiam si vel in suspicionem ita sentiendi venirent, profecto undique Scripturarum obruerentur auctoritatibus. Idcirco igitur, tamquam filii hujus sæculi, veriti ne A sua lucerna oleastri oleo accensa cito extinguatur, (nam *lux impiorum exstinguitur*) *Job. 18. 5.* eam sub simulationis modium abscondunt, alia loquuntur, amicorum præsidia & Constantii metum ostentant, ut qui ipsos conveniunt, sordes Arianæ hæresis propter illorum simulationem & ostentationem non animadvertant. *Ariani amicorum præsidia & Constantii metum ostentant.* An non ergo vel hac de causa odio prosequenda fuerit, quod etiam a suis occultetur ut timida, ac veluti serpens foveatur? Unde enim has sibi coacervarunt voculas, aut a quonam acceptas prodere non sunt veriti? Sane neminem hominum qui sibi illas tradide B rint poterunt indicare. Quis enim hominum sive Græcus sive Barbarus eum, quem Deum confitetur, unam e rebus creatis ausit dicere, nec fuisse antequam factus est? *Similia supra habentur pag. 192.* vel quia est qui ei, quem Deum credidit, fidem deroget dicenti, *Matth. 17. 5.* *hic est filius meus dilectus*, eumque non filium, sed rem factam esse velit? Nempe fieri non potest quin omnes adversus illos adeo insanientes acrius indignentur. Verum nec etiam ad Scripturas confugere illis integrum fuerit: jam enim sæpius ostensum est moxque ostendetur voces hujusmodi a divinis oraculis esse penitus alienas. Itaque quando C illis restat dicendum se his a Diabolo acceptis insanisse, (si quidem tantorum malorum solus ille sator est) age, ei obsistamus (namque cum illo nobis per illos certamen est) ut Domino adjuvante, & illo, ut solet, vi argumentorum prostrato, ipsi tandem erubescant, hærentem videntes qui hæresim ipsis inseminavit, saltemque vel sero discant eos, quia Ariani sint, Christianos non esse.

11. Dixistis igitur & sentitis, illo vobis suggerente, fuisse aliquando, cum non esset Filius: nam hoc primum vestri commenti velum detrahendum est. *Refellitur impium hoc Arianorum commentum, Fuit aliquando, cum non esset Filius.* D Quid ergo fuit aliquando, cum Filius non esset? nam hæc vestra sunt verba, o maledici & impii. Si Patrem esse respondetis, major vestra est impietas: nefas quippe est de illo dicere, aliquando fuit, vel eumdem voce, aliquando, significare. Namque & semper & nunc est, & Filio existente est: ipse est qui est, & Filii Pater. Si vero respondetis Filium fuisse aliquando cum ipse non esset: stulta profecto & fatua est responsio. Nam qui fieri potest ut & ipse esset, & idem ipse non esset? Itaque necessario restat ut hic hæsitantes respondeatis fuisse aliquando tempus cum non esset Verbum. Hoc enim vestrum adverbium, aliquando, id ex se si E gnificat. Quod item rursus scripsistis, Non erat Filius priusquam nasceretur, idem omnino est ac illud quod dicitis, Fuit aliquando, cum non esset: siquidem uterque loquendi modus tempus ante Verbum esse indicat. Undenam igitur hæc a vobis sunt excogitata? *Psal. 2. 1.* Ut quid & vos, tanquam gentes, fremuistis, & inanes voculas adversus Dominum & adversus Christum ejus meditamini? Nulla enim in parte sanctarum Scripturarum tale aliquid de Salvatore exstat, sed potius ex illis perspicuum est sempiternum eum & æternum esse, semperque cum Patre extitisse. Nam *Joan. 1. 1.* *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum &* F *Deus erat Verbum*. Et in Apocalypsi hæc habentur, *Apocal. 1. 4.* *Qui est, qui erat, & qui venturus est*. Quis autem æternitatem ei, qui est, & qui erat, possit detrahere? Sic enim & ipse Paulus, ut Judæos convinceret, Epistola ad Romanos scripsit: *Rom. 9. 5.* *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Cum item Gentiles confutaret, ait, *Rom. 1. 20.* *Invisibilia enim ipsius ex creatione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*. Quæ vero sit virtus Dei, idem iterum his verbis docet, *1. Cor. 1. 24.* *Christus Dei virtus & Dei sapientia*. *Christus, Dei virtus est, ac proinde æternus.* Nec enim hoc in loco Patrem voluit significare, ut sole-

soletis inter vos dictitare, ajentes, Pater sua ipsius A est sempiterna virtus. Non ita sane est. Nec enim dixit, ipse Deus est virtus; sed, ejus est virtus. Nemini porro dubium fuerit quin id, quod ejus est, non idem sit quod ipse: nec tamen hoc ipsum ab eo est alienum, sed potius ejus proprium est. Verum legite quæ postea sequuntur, & convertimini ad Dominum, 2. Cor. 3.17. (*Dominus autem Spiritus est*) illudque de Filio intelligi facile perspicietis.

12. Nempe postquam creationis meminisset, valde congruenter de opificis in ipsa creatione virtute loquitur, quæ quidem virtus Verbum est Dei per quod omnia facta sunt. Si igitur rerum creatarum natura Deum ex se sola sine Filio possit notum facere: videte ne ruatis, arbitrantes etiam sine Filio illam esse factam. Si porro omnia per Filium facta sunt & in eo consistunt: is qui rite creatam naturam voluerit contemplari, Verbum quoque, a quo est condita, necessarie contemplabitur, ac Patrem per ipsam intelligere incipiet. Quod si secundum Salvatorem, Mat. 11. 27. *Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare:* si item Philippo dicenti, *ostende nobis Patrem*, non respondit, intuere res creatas; Joan. 14. 9. sed, *qui vidit me, vidit Patrem:* admodum convenienter Paulus Gentiles increpans quod concentum & ordinem rerum creatarum contemplantes, nihil de Verbo earum opifice cogitarent, (namque res creatæ suum indicant opificem) ut per ipsas etiam verum Deum agnoscerent, abstinerentque a rerum creatarum cultu, admodum, inquam, convenienter dixit, Rom. 1. 20. *sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*, ut his Filium significaret. Porro cum ajunt Sancti, *Qui existis ante sæcula*, & *per quem fecit sæcula*, non minus Filium æternum sempiternumque prædicant, cumque hac ratione Deum esse significant. Filius quia æternum est, Deus vere est. Nam Esaias dicit: Esai. 40. 28. *Deus sempiternus qui creavit terminos terræ*. Susanna quoque ajebat: Dan. 13. 42. *Deus sempiterne*. Baruch item scripsit: Bar. 4. 20. 22. *Clamabo ad Deum sempiternum in diebus meis*. Et paulopost: *Ego enim speravi in sempiternum, salutem vestram, & venit mihi gaudium a Sancto*. Heb. 1. 3. Cum autem Apostolus ad Hebræos scribat, *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus:* & David in octogesimo nono Psalmo canat, Psal. 89. 17. *Et sit splendor Domini super nos:* &, Psal. 35. 10. *in lumine tuo videbimus lumen:* quis adeo demens sit ut dubitet, utrum semper fuerit Filius? Quando enim quis lucem vidit absque splendoris fulgore, ut de Filio audeat dicere, Fuit aliquando cum non esset, vel, Non erat antequam nasceretur? Jam illud quod in centesimo quadragesimo quarto Psalmo ad Filium dicitur, Psal. 144. 13. *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum*, certe non finit quemquam vel minimum intervallum cogitare, in quo non exstiterit Verbum. Si enim omne intervallum sæculis definitur, omniumque sæculorum rex & opifex est Verbum; cum ante ipsum nullum vel tantillum sit intervallum, non est dubium quin is insaniat vehementer, qui dixerit, Fuit aliquando cum non esset æternus: &, Ex nihilo est Filius. Præterea F Joan. 14. 6. cum dicat Dominus, *Ego sum veritas*, nec dicat, Ego factus sum veritas, sed ubique verbum, *Sum*, adhibeat, ut, Joan. 10. 14. Joan. 8. 12. *Ego sum pastor, ego sum lux:* & rursus, Joan. 13. 13. *Nonne vos vocatis me Dominum & Magistrum, & bene dicitis: sum etenim:* quis Deum & Sapientiam & Verbum Patris ea voce, cum de seipso loquitur, utentem audiens, de veritate adhuc ambiget, nec statim credet hoc verbo, *Sum*, indicari Filium æternum esse, & sine initio ante omnia sæcula existere?

13. Quod ergo Scripturæ sacræ Filium æternum esse asseverent, patet ex dictis: quod autem quæ dictitant Ariani, *non erat*, *priusquam*, *quando*, eædem Scripturæ de rebus creatis affirment, ex dicendis constabit. Moyses enim hujus mundi procreationem enarrans ait: Genes. 2. 5. *Omne virgultum agri antequam nasceretur in terra, & omne fœnum agri priusquam exoriretur: non enim pluerat Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram*. Et in Deuteronomio: Deuter. 32. 8. *quando dividebat Altissimus gentes*. Dominus autem per seipsum ajebat: Joan. 14. 28. *Si diligeretis me, gauderetis utique quia dixi, Vado ad Patrem, quia Pater major me est: & nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis*. Ita quoque de rebus creatis per Salomonem loquitur: Prov. 8. 23. *Antequam terram faceret, & antequam abyssos produceret, antequam fontes aquarum erumperent, anteB quam montes collocarentur; ante omnes colles gignit me*. Joan. 8. 58. Et, *Antequam Abraham fieret, ego sum*. De Jeremia item dicit: Jerem. 1. 5. *Priusquam te formarem in utero, novi te*. Et David his verbis psallit: Psal. 89. 1. *Domine, refugium factus es nobis in generatione & generatione. Priusquam montes fierent, & formaretur terra & orbis, a sæculo & usque in sæculum tu es*. Et apud Danielem, Daniel. 13. 42. *Exclamavit voce magna Susanna & dixit: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant*. Itaque hæ dictiones, *Aliquando non erat*, *antequam nasceretur*, *quando*, & similes aliæ voculæ de rebus C factis ac creatis quæ ex nihilo sunt factæ, aptissime dicuntur: sed a Verbo omnino sunt alienæ. Si porro hæc de rebus creatis habent Scripturæ, cumque de Filio agitur, vocabulum, *semper*, adhibent: non igitur, o Dei hostes, ex nihilo factus est Filius, neque ullo modo est ex rebus factis, sed Patris imago est æternumque Verbum, quod sane non aliquando non fuit, sed semper fuit, tamquam æternæ lucis splendor æternus. Quid igitur tempora ante Filium comminiscimini, vel cur post tempora impie affirmatis Verbum extitisse, per quod ipsa sæcula facta sunt? Nam qui prorsus fieri queat ut vel tempus exstiterit vel sæculum, cum D nondum, ut quidem putatis, exortum fuerit Verbum, per quod omnia facta sunt, & sine quo nihil omnino factum est? Aut quare, cum tempus significetis, non aperte dicitis, Fuit tempus quando non erat Verbum? Ariani non audent aperte dicere, Fuit tempus cum non esset Verbum, sed tantum, Fuit aliquando cum non esset Verbum. Verum nomen quidem ipsum temporis, simpliciores decipiendi causa, reticetis: at mentem & sententiam vestram celare penitus non valetis, quamquam si celaveritis, latere certe nunquam poteritis; siquidem tempora ipsi rursus significatis, cum dicitis, Fuit aliquando, cum non esset, &, Non erat priusquam ortus est.

14. Verum his licet ita probatis, eo impudentius hujusmodi argutiis nobis insultant. Si non fuit aliE quando, inquiunt, cum non esset Filius, sed ipse æternus est, unaque cum Patre existit, nolite jam eum Filium, sed fratrem Patris dicere. Filius etsi est æternus, non est tamen Patris frater sed Filius. O stolidos admodum & litigiosos! Si enim eum ab æternitate tantum simul extitisse cum Patre, nec Filium esse asseveraremus, aliquid utique probabilitatis haberet simulata illorum religio. Sin autem cum eum æternum dicimus, eumdem confitemur genitum ex Patre Filium, qua, quæso, ratione genitus genitoris frater possit existimari? Si item nostra fides est in Patrem & Filium: quænam inter illos F intercedit fraterna cognatio? aut quomodo potest Verbum, ejus dici frater, cujus est Verbum? Nec vero hæc illis ignota est repugnantia, nam veritatem & ipsi perspiciunt: sed est sane Judaica excusatio & hominum qui, ut ait Salomon, a veritate volunt discedere. Prov. 18. 1. Neque enim ex aliquo principio prius existente Pater & Filius geniti fuerunt, ut censeantur esse fratres: sed Pater quidem principium & genitor est Filii, & Pater pater est, nec alicujus fuit Filius: Filius autem filius est, non frater. Si idem porro æternus Patris fetus dicitur, recte omnino dicitur. Nam non aliquando imperfecta fuit Patris natura, ut quod illius proprium esset, eidem postea accederet: neque ut homo ex homine genitus est Filius, ut Patre existeret posterior, sed Dei fetus est,

qui, utpote proprius Dei semper existentis Filius, ab æternitate & ipse existit. Hominum quidem proprium est in tempore gignere, propter naturæ defectum: at æternus est Dei fetus, quia semper perfectissima fuit Dei natura. Itaque si non est Filius, sed e nihilo est factus: id primum ipsi probent, ac deinde liceat illis tamquam de re facta clamitare, Fuit aliquando, cum non esset: res quippe quæ factæ sunt, antea certe non erant. Sed si est Filius, uti Pater testatur & Scripturæ prædicant, Filius autem nihil aliud est quam quod ex Patre gignitur, idque quod ex Patre gignitur, ejus est Verbum & Sapientia & splendor; quid aliud inde concludendum est, quam eos qui dicunt, Fuit aliquando, cum non esset Filius, velut fures quosdam Verbum a Deo detrahere, aperteque adversus eum contendere, ipsum fuisse aliquando sine proprio suo Verbo & Sapientia, lucem fuisse aliquando sine splendore, fontem sterilem & aridum esse. Nam tametsi temporis nomen, metu id sibi exprobrantium, refugere simulantes, fatentur eum ante tempora extitisse: tamen quia quædam definiunt intervalla, in quibus ipsum non fuisse volunt, valde impii sunt habendi, quod tempora significent, & Rationis sive Verbi expertem audeant Deum ipsum fingere.

15. Quod si Filii nomen & ipsi admittunt, ne palam ab omnibus condemnentur, sed tamen eum proprium naturæ Patris fetum esse inficiantur, quasi scilicet absque partium & divisionum suspicione id fieri non queat; sane eum negant nihilominus, quippe qui illum non verum sed solo nomine Filium esse velint. Ceterum an non graviter errant, qui eodem modo de re non corporea ac de corporea ratiocinantur, quique ob propriæ naturæ imbecillitatem quod proprium & naturale est Patris non verentur negare? Profecto si ita est, superest ut cum minime intelligant quomodo sit Deus vel qualis sit Pater, eumdem quoque plane negent, quandoquidem fetum Patris nonnisi ex seipsis insani metiuntur. Verum illos ita affectos, arbitrantesque esse non posse Dei Filium miserari æquum mihi videtur: haud tamen ab re fuerit illos interrogare & convincere, si forte vel hoc pacto ad sensum & rationem queant revocari. Si secundum vos Filius est ex nihilo, nec fuit antequam natus est: prorsus sequitur ut ipse quoque nonnisi participatione Filius, Deus, & Sapientia sit appellatus. Nam ita etiam res aliæ omnes sunt constitutæ, quæ & sanctificatæ glorificantur. Cujus ergo ille sit particeps vos dicere necesse omnino est. Res enim aliæ omnes Spiritus sunt participes: ipsum autem cujusnam rei participem dicetis? Spiritus? Atqui ipse Spiritus a Filio potius accipit, ut idem Filius testatur, absurdumque dictu est hunc ab illo sanctificari. *Joan. 16.14.* Igitur Patris sit particeps: id enim superest, & necessario dicendum. Sed quid tandem, vel unde illud est? Si aliquid extrinsecus excogitatum a Patre, non jam Patris erit particeps, sed ejus quod extrinsecus est, nec proinde secundum post Patrem locum obtinebit, cum rem illam ante se habeat: nec item Patris erit dicendus Filius, sed illius, cujus factus particeps, & Filius & Deus est nuncupatus. Quod quidem si absurdum & impium merito videatur cum dicat Pater, *Hic est Filius meus dilectus*, ipseque Filius proprium suum Patrem Deum esse affirmet: *Matth. 17.5. Joan. 8. 54.* liquet utique nihil extrinsecus, sed ex substantia Patris esse id cujus sit particeps. Si porro istud fuerit aliud præter Filii naturam, æque absurdum erit, cum hoc idem medium quid reperiatur esse ex Patre & ex natura Filii quæcumque tandem illa sit.

16. Quoniam ergo has sententias absurdas atque a veritate alienas esse evidens est, dicendum est necessario id quod est ex substantia Patris, proprium omnino ejus esse Filium. Deum enim participari idem prorsus est ac Deum generare. *Deum participari idem est ac Deum generare.* Quid porro vox, generare, aliud significat quam Filium? Itaque res omnes Filii fiunt participes secundum Spiritus gratiam quæ ab eo datur: idque inde fit manifestum, quod ipse quidem Filius nullius est particeps; quod autem ex Patre alios sui participes facit, hoc ipsum est Filius. Nos enim cum ipsius Filii participes efficimur, Dei participes esse dicimur, idque ipsum est quod ajebat Petrus, *ut efficiamini divinæ consortes naturæ*, *2. Pet. 1. 4.* quemadmodum & Apostolus dicit, *Nescitis quia templum Dei estis?* & , *Nos enim templum Dei viventis sumus*. *1. Cor. 3.16.* Ipsum similiter Filium intuentes, Patrem intuemur. Cognitio enim & comprehensio Filii, Patris est agnitio, quia proprius est ex ejusdem natura fetus. Porro ut nemo vestrum jam dixerit Dei participem fieri, esse divinæ naturæ passionem & divisionem: (nam ostensum & concessum est Deum participari, idemque esse illum participari, ac generare) ita quoque cum genitum a Deo Filium dicimus, nec passionem ullam nec divisionem beatæ illius naturæ significamus. Non itaque incredibile est Deo esse Filium, qui propriæ ejus naturæ sit fetus: neque passionem aut divisionem divinæ naturæ innuimus, cum Filium & fetum dicimus; sed potius ita credimus, quia id quod genuinum, verum & unigenitum Dei est cognoscimus. Quod cum hoc modo expositum probatumque fuerit, nempe id, quod ex Patris natura est genitum, ejusdem esse Filium; nemini jam dubium esse debet sed imo planum & perspicuum, hunc ipsum esse Sapientiam & Verbum Patris, in quo & per quod omnia creat & efficit. Hic ipse, inquam, ejus splendor est in quo omnia illuminat, & quibus voluerit se patefacit: hic ipse figura ac imago ejus est, in quo conspicitur & cognoscitur, quam ob causam & ipse & Pater unum sunt: hic ipse denique est Christus, in quo omnia redemta sunt, & novam rursus perfecit creaturam. *2. Cor. 5. 17.* Cum igitur hujusmodi sit Filius, non convenit, imo valde periculosum est asseverare eum ex nihilo esse factum, vel non fuisse antequam natus est. Qui enim ita de eo quod Patris naturæ proprium est loquitur, in ipsum etiam Patrem profert blasphemiam, eadem de illo sentiens, quæ de ejus fetu false comminiscitur.

17. Id sane unum satis fuerit ad Arianam hæresim penitus evertendam: veruntamen quam a recta fide aliena illa sit, licet etiam ex hoc ratiocinio perspicere. Si Deus effector & creator est: si item res factas creavit per Filium, nullaque res facta est, quæ per Filium non sit facta: an non maxime impium est, cum Deus sit rerum effector, contendere opifex ejus Verbum & Sapientiam aliquando non fuisse? Idem enim plane est ac si diceretur Deum rerum effectorem omnino non esse, quippe cum proprium ex seipso opificem Rationem seu Verbum non habeat, sed adventitium atque ab eo alienum naturaque dissimile sit Verbum illud, in quo res creat. *Si Verbum non est æternum, Deus non est vere creator.* Deinde nobis explicent, imo suam inde agnoscant impietatem, qua dicunt, Fuit aliquando, cum non esset, &, Non fuit antequam natus est. Nimirum si Verbum cum Patre non est ab omni æternitate, non est profecto æterna Trinitas; *Si Verbum non est æternum, æterna non est Trinitas.* sed primo quidem fuit unitas, postea vero ex accessione facta Trinitas est, ac progressu temporis, crevit ex illorum sententia constitutaque est theologiæ cognitio. Insuper, si Filius non est proprius naturæ Patris fetus, sed e nihilo est factus, ex nihilo igitur constabit quoque Trinitas, fuitque aliquando, cum non esset trinitas, sed unitas: fuit item Trinitas aliquando imperfecta, & aliquando perfecta: imperfecta

fecta quidem antequam fieret Filius, perfecta autem postquam idem factus est: atque exinde res facta cœpit creatori annumerari, & is, qui aliquando non fuit, cum eo, qui semper fuit, Deus agnosci & coli. Quin etiam, quod gravius est, ipsa Trinitas sui ipsius erit dissimilis, quippe quæ ex externis alienisque naturis & substantiis sit constituta; quod sane nihil aliud est quam factam sive creatam Trinitatis constitutionem dicere. Cujusmodi igitur illa censenda est religio, quæ nec sui similis est, sed temporum progressu perficitur, quæque modo non ita, modo ita sit. Siquidem verisimile est illam iterum incrementum accepturam, idque infinite, quemadmodum primum ex additamento constituta est. Nec vero dubium est quin eadem possit decrescere: constat enim ea quæ adduntur tolli similiter posse.

18. Verum ita non est: absit. Non est, inquam, facta Trinitas; sed æterna atque una est in Trinitate divinitas, una pariter est sanctæ Trinitatis gloria: vos tamen eam in diversas naturas diffindere audetis: cumque Patrem æternum esse concedatis, ipsi de Verbo quod illi assidet dicitis, Fuit aliquando cum non esset, Filiumque Patri assidentem ab eodem removere non dubitatis. Creatrix est & opifex Trinitas: haud tamen reformidatis eam inter res e nihilo factas dejicere, nec veremini servos pares facere nobilissimæ Trinitati, summumque regem Dominum Sabaoth inter subditos collocare. Desinite ea quæ commisceri non queunt, imo ea, quæ non sunt, cum illo qui est, simul permiscere. Qui illa proferunt, non gloria & honore sed ignominia & contumelia Dominum afficiunt. Nam qui Filio infert injuriam, infert & Patri. Si enim nunc perfecta est in Trinitate theologia, ejusque agnitio vera & sola est religio, atque hoc est quod & rectum & ipsa veritas est; id certe semper ita fuisse oportuit, ne id, quod rectum & veritas est, quid adventitium esse, aut theologiæ complementum ex

Necesse est sanctissimam Trinitatem perfectam fuisse ab æternitate.

accessione constitui putetur. Id, inquam, necesse omnino fuit esse ab æternitate: nam si ab æternitate non fuisset, nec nunc hæc ipsa theologia sive divinitatis notio talis esse oporteret, sed qualem ab initio fuisse fingitis, ut neque nunc esset Trinitas. Verum nemo Christianus tam petulantes pertulerit hæreticos. Hæc enim Gentilium propria sunt ut factam inducant Trinitatem, eamque cum rebus factis conjungant. Siquidem rerum factarum est defectiones & accessiones suscipere. At Christianorum fides immutabilem ac perfectam suique semper similem beatam agnoscit Trinitatem, nec quicquam amplius Trinitati addit, neque eam unquam defecisse cogitat. Nam utrumque dictu impium est. Hinc eam non ignorat cum rebus factis nequaquam esse permixtam, individuamque ejus divinitatis unitatem & servat & adorat: ab Arianorum abhorret impietatibus, confiteturque & novit semper fuisse Filium. Æternus enim est, ut Pater, cujus est Verbum æternum. Id enim iterum libeat dispicere.

Filius est æternus, cum sit vita & sapientia ex Patre tanquam ex fonte emanans.

19. Si sapientiæ & vitæ fons est & dicitur Deus, uti per Jeremiam ait, *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*: & rursus, *Thronus gloriæ excelsus, sanctificatio nostra, expectatio Israel, Domine, omnes qui dereliquerunt te, confundantur: qui recesserunt, in terra scribantur, quoniam dereliquerunt fontem vitæ Dominum*: Item apud Baruch scriptum est, *Dereliquistis fontem sapientiæ*: consentaneum valde fuerit vitam & sapientiam non quid alienum, sed proprium naturæ fontis esse, neque aliquando non exstitisse, sed semper fuisse. Atqui hæc omnia ipse est Filius, qui dicit, *Ego sum vita*, &, *Ego sapientia habito in consilio*. An non igitur impius haben-

Jerem. 2. 13. Ib. c. 17. 12. Baruch. 3. 12. Joan. 14. 6. Prov. 8. 12.

dus ille est qui ait: Fuit aliquando, cum non esset Filius? Namque idem est ac si diceretur, Fuit aliquando, cum fons esset aridus absque vita & sapientia. Atqui si hujusmodi esset, fons certe non esset: nam quod non ex seipso gignit, fons utique non est. At quam istud absurdum est! Etenim Deus eos, qui suæ ipsius voluntati parent, promittit instar fontis futuros a quo nunquam deficiet aqua. Sic enim ipse per Esaiam Prophetam loquitur: *Et satiaberis quemadmodum concupiscit anima tua, & ossa tua pinguia fient, & erunt velut hortus irriguus, & tanquam fons a quo aqua non deficiet*. Illi autem Deum, qui quidem dicitur & est fons sapientiæ, sterilem atque sine propria Sapientia aliquando fuisse improbissime audent affirmare. Verum falsa sunt quæ ab illis dicuntur. At testatur Veritas Deum propriæ Sapientiæ æternum fontem esse: ac proinde cum fons æternus sit, necesse quoque est Sapientiam æternam esse. In ipsa siquidem omnia facta sunt, ut psallit David, *Omnia in Sapientia fecisti*. Salomon item ait, *Deus Sapientia fundavit terram, præparavit cælos prudentia*. Hæc porro Sapientia Verbum est, & per ipsum, ut ait Joannes, facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil. Denique ipse est Christus. Nam *unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum*. Si porro omnia per ipsum, ipse profecto inter omnia numerandus non est. Qui enim eum, *per quem omnia*, unum omnium esse dicere ausus fuerit, ille de Deo, *ex quo omnia*, idem plane sentiet. Quod si quis id tamquam maxime absurdum procul rejiciat, Deumque ab omnibus ut alium discriminet, consequens sane fuerit ut unigenitus Filius, qui Patris naturæ est proprius, alius quoque ab omnibus esse censeatur. Atqui si ipse non est ex omnibus, de illo nefas est dicere, Fuit aliquando, cum non esset: &, Non erat antequam nasceretur. Hujusmodi enim voces de factis quidem rebus apte usurpantur: at ipse Filius talis est, qualis Pater, cujus naturæ proprius quoque est fetus, Verbum, ac Sapientia. Namque id proprium est Filii erga Patrem, idemque Patrem Filii proprium ostendit, ita ut dici nequeat vel Deum aliquando sine Verbo seu Ratione fuisse, vel Filium aliquando non exstitisse. Ceteroquin cur diceretur Filius, nisi esset ex ipso? vel quare Verbum & Sapientia appellaretur, nisi & semper & proprius illius esset?

Esai. 58. 11. Ps. 103. 24. Prov. 3. 19. Joan. 1. 3. 1. Cor. 8. 6.

20. Quandonam igitur Deus sine illo fuit quod ipsius proprium est? vel quis id quod proprium est, tanquam quid externum & quod diversæ sit naturæ possit concipere? Enimvero res aliæ quales sunt res factæ, nihil natura simile habent cum suo auctore, sed extra eum ejusdem gratia & voluntate per Verbum sunt conditæ, adeo ut possint aliquando esse desinere, si nempe placuerit creatori: quippe cum ea sit rerum factarum natura. At quod naturæ Patris est proprium, (hoc enim esse Filium jam concessum est) an non temerarium & impium est ex nihilo esse dicere, nec fuisse antequam nasceretur, sed adventitium esse, posseque iterum aliquando non esse? Quod qui vel solum cogitat, intelligat, quæso, quomodo possit detrahi perfectio & plenitudo naturæ Patris. Hinc enim clarius licebit perspicere quam absurda sit Ariana hæresis, si nimirum attendatur Filium Patris imaginem, splendorem & figuram, atque veritatem esse. Nam si existente luce, imago ejus existit splendor: si item substantia existente, ejusdem existit integra figura: si denique existente Patre, existit veritas; videant qui divinitatis imaginem & figuram tempore metiuntur, in quantam incidant impietatem. Si enim non fuit Filius antequam nasceretur, nec igitur semper fuit in Deo veritas. Verum id nefas dictu est. Siquidem Patre existente, fuit sem-

Filius, ut Patris imago, splendor figura & veritas, est æternus.

semper in illo veritas, quæ Filius, est, qui & idem dicit: *Ego sum veritas*. Substantia similiter existente, ejus figuram & imaginem continuo esse prorsus necesse est. Nec enim axtrinsecus depicta est Dei imago, sed ipse Deus ajusdem est genitor, in qua seipsum intuens eadem delectatur, ut ait Filius: *Ego eram qua delectabatur*. Quandonam argo seipsum Pater non intuebatur in sui ipsius imagine, aut quandonam eadem non delectabatur, ut quis dicere audeat ax nihilo essa imaginem, nec Patrem delectatum esse antequam imago nasceretur? Qui vero effector & creator seipsum in creata & facta natura posset contemplari? Etenim talis imago essa debet, qualis est ejus Pater.

Joan. 14. 6.

Prov. 8. 30.

21. Age itaque, quæ ad Patrem pertinent inspiciamus, quo possimus dignoscere utrum imago ajus sit. Æternus ast Pater, immortalis, potens, lux, rex, omnipotens, Deus, Dominus, creator & effector. Hæc sane eadem in imagine esse oportet, ut vere qui Filium viderit, videat Patrem. Nam nisi ita sit; sed, ut Ariani sentiunt, factus est, non vero æternus Filius; non est hæc vera imago Patris, nisi forte pudore omni axuto dicant quod Filius imago appellatur, non id esse similis substantiæ indicium, sed ajus dumtaxat nomen esse. Atqui, o impii & hostes Christi, hoc nec imago nec figura est. Quæ enim similitudo rerum a nihilo factarum cum illo qui ea, quæ non erant, ut essent creavit? aut quo pacto id, quod non est, ejus, qui ast, simile esse queat, cujus is defectus est, ut aliquando non fuerit, & inter res factas collocatum sit? Ariani igitur cum Filium ita essa velint, sibi ipsis hujusmodi excogitavere ratiunculas. Si Filius, inquiunt, fetus & imago est Patris: si perfecte similis est Patri, debet certe, quemadmodum genitus ast, sic & ipse generare, fierique & ipse filii pater: qui item ex ipso genitus fuerit, generare & ipsa debet, & ita deinceps infinita. Id siquidem genitoris genitum similem ostendit. Blasphemiarum næ illi inventores, qui Dei ipsius hostes, ne fateantur Filium Patris assa imaginem, corporea & terrestria de ipso Patre cogitant, excisiones, effluentias, influxionesve in illo prave fingunt. Equidem si Deus hominis similis est, sit etiam eo modo genitor quo homo: Filius fiat pater alterius, atque ita deinceps alii ax aliis procreentur, ut, secundum illos, in deorum multitudinem crescat ea progenies. At si Deus non est ut homo, uti revera non est: sane nec humana de eo licet cogitare. Etenim brutæ animantes atque homines vi primæ creationis alii ex aliis successione gignuntur, & is qui gignitur, ex genito patre genitus, convenienter & ipse alterius fit pater, eam in seipso virtutem a patre habens, ex qua & ipse factus est. Hinc in illis non est propria pater vel proprie filius, nec stabilis vel constans ast patris & filii conditio. Idem quippe & filius & pater fit, filius, inquam, genitoris, pater autem ejus qui ex ipso gignitur. Verum in divinitate non ita se res habet. Nec enim hominum similis est Deus, nec Pater ex patre est, unde nec patrem geniturum gignit: nec Filius est ex effluvio Patris, nec ex genito Patre genitus est: ideoque nec gignitur ut gignat. Hinc in sola Divinitate Pater proprie pater est, & Filius propria filius, atqua in his solis constans firmaque est patris & filii conditio, ita ut Pater sit semper pater: & Filius semper filius.

Filius tamesti non & ipse gignendi non habet, Patri nihilominus perfecte est similis.

In Deo solo, non in rebus creatis, proprie reperitur ratio patris & filii.

22. Qui igitur inquirit cur Filius filii alius gignendi vim non habeat, idem inquirat cur Pater non habuerit patrem. Varum utrumque perabsurdum est impietateque omni plenum. Ut enim Pater semper est pater, nec umquam filius potest esse: ita Filius samper est filius, nec umquam pater esse potest: quo utique modo maxime ostenditur figura & imago Patris esse, manendo quod est, mutationemque nullam subeundo, sed acceptam a Patre servando immutabilitatem. Itaque si Pater mutatur, ejus quoque imago mutetur. Sic enim erga genitorem se habet ejus & imago & splendor. At si immutabilis est Pater, & id quod ipse est perpetuo manet: ita necesse est ejus imaginem id quod ipsa est similiter permanere, nec mutari. Atqui Filius est ex Patre: non igitur aliud fiet quam quod est Patris naturæ proprium. Itaque frustra & istud stulti commenti sunt, imaginem a Patre cupientes abstrahere, ut Filium rebus factis parem facerent. Hinc ergo Ariani illum in rerum factarum numero ax Eusebii doctrina reponentes, talemque esse arbitrantes, qualia quæ ab ipso sunt facta, procul a veritate discessere, fallacibusque sibi comparatis voculis, cum primum hancce formarent hæresim, circumcirca concursabant, imo etiam ad hoc usque tempus nonnulli illorum, pueris in forum occurrunt, quos interrogant, non quidem ex divinis Scripturis, sed velut *ex cordis abundantia* hujusmodi verba eructantes: Qui est, eumne, qui nondum esset, fecit ex nihilo, an qui jam asset? Fecit igitur eum qui jam erat, an qui non erat? Et rursus: Unum ne est * non-genitum, vel duo? Num Filius libero præditus est arbitrio, propriaque voluntata non mutatur, cum naturæ sit mutabilis? Nec enim instar lapidis ast per sa manens immobilis. Deinde mulierculas quoque conveniunt, quas indecoris hisce sermonibus aggrediuntur: Num filium habuisti priusquam pareres? atqui quemadmodum non prius habuisti, sic nec fuit Dei Filius antequam nasceretur. Hujusmodi dictis tripudiant inglorii illi homines, Deumque similem hominum fingunt, qui cum se Christianos esse prædicant Dei gloriam mutant in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.

Ut Pater patrem nullum habet, sic nec Filius filium alium gignit.

Futiles Arianorum interrogatiunculæ.

Luc. 6. 45.

* Lege non-factum.

Rom. 1. 23.

23. Sane ad ista ne respondere quidem æquum esset, adeo insulsa sunt & inepta. Verum ne illorum hæresis aliquid soliditatis habere videatur, eos hic vel saltem obiter confutare operæ pretium fuerit, maxime propter mulierculas quæ ab illis circumveniuntur facillime. Et vero illi, qui ista dicunt, architectum atiam ita debuissent interrogare: Potesne sine subjecta materia ædificare? ut autem non potes, sic nec Deus absque subjecta materia res universas potuit efficere. Debuissent quoque a singulis hominibus sciscitari, An potes esse sine loco? atqui ut non potes, ita etiam Deus in loco est. Sic enim illi vel saltem ab audientibus cogerentur erubescere. Quare enim cum Filium Deo esse audierint, tum ipsi ad seipsos respicientes, eum audent negare: cum vero Deum creare & facere audierint, non itidem humana opponunt? Atqui par erat etiam eos in rerum creatione intelligenda, humana cogitare & materiam Deo suppeditare, ut Deum creatorem esse inficiantes, demum cum Manichæis volutarentur. Quod si ipsa Dei notio his majora cogit cogitare, atque ubi vel tantum quis audierit, statim credit certumque habet Deum non eo modo esse quo nos sumus, sed asse ut Deum, nec creare ut homines creant, sed creare ut Deum: similiter quoque clarum est eum gignere non ut gignunt homines, sed ut gignit Deus. Neque anim Deus hominem imitatur: sed potius homines propter Deum, qui proprie & solus vere Pater sui ipsius Filii est, patres quoque suorum liberorum sunt appellati. Nam ex ipso *omnis paternitas in cælis & in terra nominatur*. Ea porro quę dicunt illi, si nemo axpenderit, prudenter sapienterque dicta esse forta videbitur: at si quis ea ratione examinaverit, nihil illos inde nisi risum multum & contemtum sibi conciliasse comperiet.

Ut Deus aliter est & creat ac homo, sic aliter et gignit ac homo.

Ephes. 3. 15.

24. Nam.

Refellitur prima Arianorum interrogatiuncula.

24. Namque prima illorum interrogatio stulta profecto incertaque est. Nec enim indicant qua de re interrogent, ut interrogatus queat respondere, sed absolute ajunt, Num qui est eum qui non erat, &c. Quis ergo ille est qui est, & quæ sunt ea quæ non erant, o Ariani? Quis ille est qui est, quisve ille qui non erat? Quænam esse dicuntur vel non esse? Nam qui est facere potest tum quæ non sunt, tum quæ sunt, tum etiam quæ prius erant. Siquidem faber, aurifex & figulus, pro sua singuli propria arte, materia ipsis prius existente utuntur, & quæ volunt vasa fingunt ex ea. Ipse autem universorum Deus pulvere, qui jam erat quemque produxerat, e terra assumto, hominem formavit: verum hanc ipsam terram quæ quidem prius non erat, per proprium ipse Verbum ut esset fecit. Si igitur ista illi inquirunt, palam est res creatas non fuisse antequam fierent, hominesque uti materia quæ jam sit: ac proinde nulla erit illorum ratio, cum & fiant ea quæ sunt, & ea similiter fiant quæ non erant, eo nempe quo diximus sensu. Sed si de Deo ejusque Verbo sermonem habent, addant quæ desunt suæ interrogationi, eamque in hunc modum efferant: An qui est Deus, fuit aliquando sine Verbo? An qui lux est, sine splendore erat? vel, An semper fuit Verbi Pater? aut rursus hoc modo, Num qui est Pater, Verbum, cum antea non esset, fecit? An non potius Verbum, qui suæ naturæ proprius est fetus, secum semper habet? Ita enim perspicuum erit illos de Deo & de eo qui ex Deo est curiosius quam par est indagare, audereque sophistarum more disputare. Ecquis enim illos Deum sine Ratione seu Verbo fuisse dicentes possit ferre? Namque eodem ac supra revolvuntur, etiamsi suis argutiis scopulum hunc conentur vitare & occultare: sed frustra. Nemo enim illis vel saltem aures præbere voluerit contendentibus Deum non semper fuisse Patrem, sed postea factum esse, ut scilicet inde fingant ejus Verbum aliquando non fuisse. Nemo, inquam, hæc eos disputantes patienter audierit, cum propter plurima quæ supra adversus illos allata sunt argumenta, tum cum Joannes dicat,

Joan. 1. Hebr. 1. Rom. 9. 5.

Erat Verbum; & Paulus scribat, *Qui est splendor gloriæ*, &, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.*

25. Profecto satius quidem fuisset eos prorsus silere: at quoniam nolunt quiescere, si quis impudentissimas illorum quæstiones refutare voluerit, similia vicissim ab illis audacter perquirat. Fortassis enim cum seipsos similibus viderint absurdis impeditos, tandem cum veritate pugnare desistent. Multis igitur cum precibus Divina prius implorata clementia, sic ipsis quis occurrerit: Num qui est Deus, cum antea non esset, postea factus est, vel est ne etiam priusquam fieret? Ergo is cum esset, seipsum fecit, vel est ex nullo ortus, cumque nihil antea esset, subito apparuit? Verum absurda est hujusmodi quæstio; ita plane fateor, absurda est valdeque impia: at est tamen quæstioni ipsorum similis. Nam utrumvis dixerint, id omni plenum impietate est. Si porro hæc de Deo quærere impium & quam maxime impium est: non minor sane impietas fuerit eadem de Verbo interrogare. Verumtamen ad stultam hanc & insanam illorum interrogationem evertendam necessaria videtur hujusmodi responsio. Nimirum semper est Deus; ac proinde cum semper sit Pater, semper quoque est ejusdem splendor, quod est ipsius Verbum. Præterea qui est Deus, Verbum quod item est habet ex seipso, neque Verbum est postea adnatum, quod prius non esset, neque Pater unquam sine Verbo fuit. Nam impia, qua Filius lacessitur, audacia in ipsum Patrem redundat, si nempe sapientiam, Verbum & Filium extrincesus sibi excogitasse dicatur: quodlibet enim horum dixeris, id quod ex Patre natum est significat, quemadmodum dictum est. Le-

A vis igitur futilisque hæc illorum est quæstio, & merito quidem. Nam quoniam Verbum sive Rationem negant, hinc nihil etiam rationis est in illorum quæstione. Ut enim si quis solem aspiciens de splendore ejus quæreret ac diceret, An qui est, splendorem cum non esset fecit, aut qui jam esset? Ut, inquam, is non sapiens sed stolidus existimaretur, quia splendorem, qui est ex luce, extraneum ille fingeret, & de illo quæreret, quando, ubi, cum, &, factus ne esset. Sic sane qui ista de Filio & Patre cogitat, quique ita interrogat, multo dementior censendus est, B quippe qui Verbum, quod ex Patre est, externum ipsi inducat, idque quod natura est genitum tanquam quid factum exhibens dicat, Non fuit antequam nasceretur. Verum id etiam responsi ad ea quæ interrogaverunt accipiant: Pater qui est, Filium qui erat fecit. Nam, *Verbum caro factum est*, & cum ipse esset Filius Dei, eum in fine sæculorum fecit filium hominis: nisi forte cum Samosatensi respondeant illum non prius fuisse quam homo fieret. Et hæc quidem satis sint ad primam illorum interrogationem.

Joan. 1. 14.

Pauli Samosatensis error.

26. Vos autem, o Ariani, proprias vestras voculas C memoria repetentes, nobis jam interrogantibus respondete. Qui est eone, qui non erat, indigebat ut res omnes procrearet, an eodem cum jam esset opus habuit? Dixistis enim Patrem ex nihilo Filium sibi tanquam instrumentum comparasse, ut per eum omnia efficeret. Quis igitur præstantior est? Is ne qui indiget, an qui indigentiam explet? An ambo quæ sibi desunt, mutuo subministrant? Nam cum ista dicitis, ejus, qui instrumentum sibi adhibuit, imbecillitatem evidentius ostenditis, si nempe solus omnia non potuerit efficere, sed extrinsecus paraverit sibi instrumentum, veluti faber quidam aut navium fabricator, qui nihil si- D ne securi & serra queunt efficere. Quæ major possit esse impietas? Vel quid hic diutius insistimus quasi hæc essent difficilia, cum ex his quæ supra diximus clarissimum sit mera illorum mentis commenta esse quæcumque proferunt. Ad alteram autem insulsam admodum stultamque eorum quæstionem quam proponunt mulierculis, nihil quoque aliud respondere oporteret, quam quæ supra a nobis jam sunt dicta, nempe non debere nos modum, quo Deus gignit, hominum natura metiri. Ut tamen etiam hic seipsos cogantur condemnare, haud ab re erit ex his, quæ ipsi proponunt, illis hoc modo occurrere. Nempe si paren- E tes de Filio velint prorsus interrogare, intelligant ipsi unde sit filius qui gignitur. Etsi enim genitor filium non habet antequam eum genuerit: tamen postquam eum habuerit, non illum certe extrinsecus, nec alienum, sed ex seipso propriumque suæ naturę atque sui simillimam imaginem habuit, ita ut ille in ipso & ipse in illo videatur. Si igitur humanis exemplis tempus gignentium definiunt, cur non ex iisdem exemplis filios natura similes propriosq. suorum parentum esse percipiunt; sed serpentum more, id solum quod veneno aptum est e terra seligunt? Sane cum illi parentes his verbis interrogabant, Habuistine filium antequam gigneres? hęc opor- F tuerat addere, Si habes filium, num extrinsecus velut domum aut aliquid aliud emis? ut scilicet tibi responderet, Non extrinsecus, sed ex me est. Quæ enim extrinsecus habentur, possessiones sunt, atque ab alio ad alium transeunt: at filius ex me est, meæque naturæ proprius est ac similis, non ex alio in me factus, sed ex me genitus: unde totus & integer in illo sum, manens ipse quod sum. Nempe ita se res habet: tametsi genitor tempore a filio differt, ut homo, qui & ipse quoque in tempore natus est; simul tamen semper secum existentem filium etiam ipse haberet, nisi obstaret repugnaretque naturæ imbecillitas. Hinc Levi

Pater Filium non creavit, ut eo tanquam instrumento res alias crearet.

Altera Arianorum interrogatiuncula refutatur.

tum quidem in lumbis proavi erat, cum nondum ipse esset genitus, eumque avus genuisset. Quocirca cum homo id ætatis attigerit, in qua generandi facultatem tribuit natura, statim homo, natura ab omni jam libera impedimento, filii qui ex ipso est fit pater.

27. Itaque si parentes de propriis interrogaverint liberis, compererintque filios naturales non extrinsecus nasci, sed ex parentibus; fateantur quoque igitur Verbum Dei totum esse ex Patre. Quod si de tempore movent difficultatem, respondeant quidnam Deo possit esse impedimento? Par enim est eos, ex his ipsis quæ ridendo quærunt, impietatis convinci. Dicant igitur, quid impediat quominus Deus sit semper Filii Pater? Nam concessum est id quod gignitur ex patre esse. Ut autem hi qui ista de Deo cogitant, in seipsos ferant sententiam: quemadmodum ipsi mulieres de tempore interrogavere, sic solem de suo splendore, fontem de fluvio ex se manante interrogent, ut discant hæc, quamvis sint quid prognatum, semper cum illis esse ex quibus fuere exorta. Porro si hujusmodi accidit genitoribus ut id, quod ex ipsis oritur, & ex natura & semper habeant: cur Deum rebus factis inferiorem suspicantes, non apertius suam expromunt impietatem? Quod si id palam non audent dicere, concessumque præterea est Filium non extrinsecus sed ex Patre naturaliter nasci, nec denique quicquam est quo Deus impediri possit: (nec enim hominis similis est Deus: imo sole major est, vel potius Deus est solis) perspicuum sane fuerit & ex ipso & cum ipso Patre semper una existere Verbum, per quod omnia quæ antea non erant fecit Pater ut essent. Itaque Filium non ex nihilo, sed æternum atque ex Patre esse res ipsa demonstrat: atque adeo illa hæreticorum interrogatio, qua parentes circumveniunt, eorum coarguit malitiam. Nam quod naturæ proprium est coacti sunt ipsi agnoscere, nihilque nisi pudorem retulere ex hujusmodi quæstionibus, quas circa tempora excogitarunt.

Nihil obstat quominus Deus fuerit semper Filii Pater.

28. Quod autem Dei generationem cum humana natura conferre, vel partem Dei esse ejus Filium nefas sit putare, nec ullam prorsus passionem generatio significet, antea quidem diximus, eademque modo repetimus, Deum non esse hominis similem. Nam homines quidem, quiddam patiendo, gignunt, quippe qui fluxam habeant naturam, & tempus propter propriæ naturæ infirmitatem exspectent. At de Deo id dici non licet. Neque enim ex partibus est compositus, sed passionis expers est & simplex, nihilque omnino patiens & absque ulla divisione, Filii est Pater; cujus utique rei insigne argumentum ac documentum divinæ nobis Scripturæ suppeditant. Nimirum, Verbum Dei, Filius ejus est; & vicissim Filius, Verbum & sapientia est Patris: Verbum porro & sapientia nec res est creata nec pars ejus cujus est Verbum, nec passione aliqua nascitur. Igitur utrumque Scriptura conjungens, Filium quidem esse declaravit, ut naturalem & verum esse naturæ fetum doceret: ne quis autem humanum fetum esse suspicaretur, rursus ejusdem indicat naturam, cum eum Verbum, sapientiam & splendorem esse dicit. Inde siquidem intelligimus divinam generationem passionis immunem, æternamque, & Deo dignam esse. Quæ enim passio, vel quænam est pars Patris, Verbum, sapientia & splendor? Id certe ipsi etiam amentes possint discere. Ut enim mulieres de Filio interrogavere, sic viros de Verbo interrogent, ut doceantur nec passionem nec partem eorum esse mentis suæ verbum quod enunciant. Quod si hominum, quorum patibilis & dividua est natura, hujusmodi sit verbum; quare in Deo, qui nec corporeus est nec dividuus, passiones partesve cogitant, ut scilicet id cavere simulantes, veram ac naturalem Filii generationem negent? Igitur id quod ex Deo genitum est, absque ulla passione genitum esse satis supra probatum est: nunc etiam speciatim ostendimus Verbum absque passione generari. Jam vero eadem similiter de sapientia audiant: Non est Deus ut homo, nihil hic humanum de illo fingant. Nam sapientiam accipiunt homines: at Deus qui nullius fit particeps, ipse suæ sapientiæ pater est, cujus qui participes fiunt, sapientes solent appellari. Hæc autem sapientia non passio, non pars, sed proprius Patris est fetus. Idcirco semper fuit Pater, nec patrem esse Deo postea accidit, ne esse existimetur mutabilis. Nam si illum patrem esse, bonum fuit, nec semper fuit pater; non igitur semper fuit in illo bonum.

Nefas est Dei generationem cum hominum generatione conferre.

Cur Verbum in Scripturis Filius, Verbum, splendor & sapientia dicatur.

Divina Verbi generatio passionis omnis est expers.

29. Atqui, inquiunt, semper quoque Deus fuit effector, nec efficiendi facultas illi postea accessit: num ergo quia opifex est, æterna quoque sunt ejus opera, nec de his dicere licet, non erant antequam fierent? Næ insani Ariani! Quid enim simile est filium inter & opus, ut eadem de patre quæ de opificibus dicant? Qui porro, postquam tantam esse fetus & operis differentiam supra ostensum est, in eadem hærent inscitia? Idem igitur repetendum est, videlicet opus extra opificem esse, uti dictum est, filium vero proprium esse naturæ fetum. Quocirca necesse non est semper opus extitisse: siquidem cum vult opifex, opus facit. At fetus subjectus voluntati non est, sed naturæ est proprietas. Præterea recte opifex quis vocari potest, etiamsi nondum exstent opera: at pater nec dici nec esse potest, quando non existit filius. Quod si scrutari velint, cur cum Deus semper possit opera facere, non semper facit: sane insanientium hominum temeritas ista est. *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Aut quomodo figmentum dicet fictori, *Quid me fecisti sic?* Verum ne vel levi objecta ratione, silentio utamur, audiant illi res factas æternas esse non potuisse, etiamsi eas semper potuerit facere Deus. Illæ enim ex nihilo sunt, nec erant antequam fierent: quæ autem non erant antequam fierent, quomodo simul cum Deo, qui semper est, possint existere? Hinc Deus rerum ipsarum commodo prospiciens, tunc omnia fecit cum vidit posse facta permanere. Ac quemadmodum tametsi ab initio, Adami aut Noe aut Moysis tempore Verbum suum potuit mittere, nec tamen misit nisi in fine temporum; id quippe universæ naturæ esse utile noverat: ita & res factas produxit cum & ipse voluit, & illis conveniebat. At vero Filius cum non opus, sed naturæ Patris sit proprius, semper idcirco est. Cum enim semper sit Pater, semper quoque esse oportet quod ejus naturæ est proprium, quod idem & Verbum & Sapientia ejus est. Ceterum res creatæ licet nondum existant, nihil tamen suo detrahunt effectori, cum eas pro sua voluntate possit producere: at fetus nisi semper simul sit cum Patre, perfectionis ejus naturæ sequetur imminutio. Hinc opera quidem, cum voluit, per suum produxit Verbum: Filius vero semper est proprius naturæ fetus.

Licet Deus semper fuerit opifex, etiam cum nulla exstarent opera; non tamen potuit esse semper Pater, nisi semper quoque exstiterit Filius.

Rom. 11. 34.

Rom. 9. 20.

Res factas æternas esse non potuisse, etiamsi eas semper Deus potuerit creare.

30. Et hæc quidem fidelibus lætitiam, dolorem pariunt hæreticis, quippe qui prostratam penitus suam videant hæresim. Nam alia hæc illorum interrogatio, an unum sit non-factum vel duo, argumento est non rectam esse illorum mentem, sed suspectam & dolo plenam. Non enim ad Patris honorem, sed ad Verbi dedecus ista sciscitantur. Itaque si quis illorum artificii ignarus unum esse * non-factum responderit, statim

Explodiltur alia Arianorum interrogatiuncula, an unum sit ἀγένητον.

suum

* Vide quæ supra pag. 83. num. 7. hac de re disseruimus.

suum venenum his verbis effundunt: Ergo Filius e rebus factis est, recteque contendimus non fuisse antequam nasceretur. Omnia enim conturbant & miscent, eo tantum animo ut Verbum disjungant a Patre, & omnium opificem inter opera numerent. Sane illi etiam idcirco damnatione digni fuerint, quod cum Episcopis Nicææ congregatis crimini dent vocabulis non scriptis usos esse, tametsi non impiis, sed potius ad illorum impietatem evertendam aptissime positis, ipsi sua sponte eamdem non dubitent subire criminationem, dum voces non scriptas usurpant, convitiaque excogitant adversus Dominum, nec ea cognoscunt quæ ipsi dicunt & asseverant. Interrogent itaque Gentiles, a quibus hujusmodi didicere dictionem: (nec enim Scripturarum, sed illorum vox ista commentum est) ut variis ejus significationibus auditis intelligant se ne de his quidem, de quibus disserunt, recte nosse interrogare. Ego enim propter illos didici non-factum dici quod nondum factum est sed fieri potest, ut lignum, quod quidem nondum scapha est factum, sed fieri potest. Rursus non-factum vocant quod neque factum est neque unquam fieri potest ut triangulus quadrangulus, & numerus par, impar. Nec enim triangulus quadrangulus unquam fuit, aut unquam futurus est: nec item numerus par fuit vel erit unquam impar. Præterea dicitur non-factum quod quidem existit, sed ex nullo est natum, neminemque prorsus sui patrem habet. Asterius quoque sophista vaferrimus & hæresis patronus, in proprio opusculo addidit non-factum esse id quod non est factum, sed quod semper est. Itaque quonam sensu vocem non-facti intelligerent necesse erat eos, interrogando, explicare, ut videlicet is, qui interrogabatur, rite posset respondere.

Variæ vocis ἀγένητον significationes.

31. Quod si se recte putant interrogare cum ajunt, Unumne est non-factum, an duo? Primum quidem, ut imperiti, audituri sunt & multa & nihil esse: plurima, inquam, quæ esse possunt; nihil vero quod fieri non queat, quemadmodum dictum est. sed si ut Asterio placuit non id, quod factum est, sed quod semper est, non-factum esse, sic illi hoc sensu interrogant; audiant, nec semel sed sæpius, Filium secundum hanc significationem non-factum posse dici. Namque nec est ex rebus factis, nec opus, sed semper una cum Patre est, uti jam fuit probatum, etiamsi varias illi formas induant, ut impia hæc adversus Dominum possint proferre verba, Ex nihilo est, & non erat antequam nasceretur. Quod si omni ex parte explosi, demum velint illa voce significari id, quod existat quidem, non sit autem ex aliquo ortum, neque sui ipsius habeat patrem; respondebimus eum quem hoc modo significant, unum ac solum esse non-factum Patrem: quo quidem responso nihilo magis sunt profecturi. Nec enim ex eo, quod Deus hac ratione non-factus dicatur, sequitur factum esse Filium, cum ex superioribus argumentis clarum sit tale esse Verbum, qualis est qui ipsum genuit. Quocirca etiamsi Deus sit non-factus, non idcirco facta sed vere genita est ejus imago, quæ ejus & Verbum & Sapientia est. Ecqua enim intercedit similitudo inter rem factam & non-factam? Nam eadem sæpius dicere nil grave videatur. Si enim id, quod factum est, velint simile esse ejus quod non-factum est, adeo ut qui unum viderit, aliud quoque videat; parum omnino abfuerit quin dicant id quod non-factum est rerum creatarum imaginem esse: proindeque omnia ab ipsis confunduntur; nam & res factas cum eo qui non-factus est adæquant, & eum, qui non-factus est, usque ad res factas deprimunt, idque tantum ut Filium inter ipsas res factas collocent.

32. Verum nec ipsos arbitror ea amplius ausuros dicere, si Asterio Sophistæ velint obtemperare. Ille enim, tametsi Arianæ hæresi studet suffragari, unumque esse non-factum affirmat, contraria tamen illis loquitur, quippe qui dicat Dei sapientiam non-factam & principii expertem esse, ut ex ejus scriptis, quorum hæc pars est, licet perspicere. „ Non dixit, inquit ille, beatus Paulus se Christum „ prædicare Dei virtutem vel Dei sapientiam, sed 1. Corinth. 1. 24.
„ absque disjunctione, Dei virtutem & Dei sa-
„ pientiam; aliam quidem esse docens propriam „ ipsius Dei virtutem, ipsique innatam, ac simul „ cum eo existentem, & non factam. Et paulo- „ post. Quamvis sempiterna ejus virtus & sapientia, „ quam principii expertem & non-factam esse vera „ ratio declarat, una sane & eadem fuerit.„ Licet enim verbis Apostoli non bene intellectis duas esse sapientias existimarit: tamen cum dixerit sapientiam, quæ simul cum Deo existit, non-factam esse; non jam unum non-factum, sed aliud quoque non-factum cum illo esse declaravit. Nam quod simul existit, non simul cum seipso sed cum alio existit. Vel igitur Asterio auscultantes, non amplius interrogent, Unumne sit non-factum, an duo? ne tamquam diffidentes cum eo pugnent. Aut si ei adversantur, ejusdem libro inniti desinant, ne se invicem lacerantes, a seipsis mutuo conficiantur. Et hæc quidem pauca adversus illorum inscitiam sint dicta. Quis vero in sceleratam eorum astutiam vehementer satis invehi possit? Quis eos ita insanientes merito non oderit? Cum enim jam non sit eis integrum his uti vocibus; E nihilo est, non fuit antequam nasceretur, vocabulum non-facti excogitavere, ut cum apud simpliciores Filium factum esse dicunt, eadem rursus illa significent vocabula, nempe, Ex nihilo est, &, aliquando non fuit. Namque hujusmodi vocibus res factæ & creatæ indicantur.

Quare Ariani vocem ἀγένητον excogitaverint.

33. Sane si his quæ propugnant confiderent, ea ipsa essent retinenda, nec varias opus esset formas assumere. Verum id minime volunt, seque omnia facile posse arbitrantur, si hæresi hoc nomine coopertæ, vocabulum non-facti objecerint. Sed enim hæc ipsa non-facti dictio nequaquam ad Filium refertur, quicquid illi contra obganniant, sed ad res factas: cujus quidem rei quid simile videre est in istis vocibus, Omnipotens, & Dominus virtutum. Nam si Pater omnia per Verbum in sua potestate habet, gubernat, & regit: si eodem Patris regno potitur Filius, omnibusque imperat ut Verbum & imago Patris; manifestum est neque hoc modo Filium inter res omnes collocari, neque Deum propter ipsum, Omnipotentem & Dominum appellari, sed propter res per Filium factas, quibus per Verbum & imperat & dominatur. Similiter igitur nec vox non-facti ad Filium refertur, sed ad res per Filium factas: idque non immerito. Nec enim Deus rerum factarum est similis, sed earum creator per Filium & effector est, Porro ut hæc dictio, non-factum, ad res factas referenda est, ita vox ista, Pater, ad Filium refertur. Hinc qui Deum effectorem, opificem & non-factum appellat, res creatas & factas perspicit & intelligit: qui autem Deum Patrem vocat, statim Filium concipit & agnoscit. Quocirca mira profecto videatur illorum in propria impietate pervicacia. Nam quamvis vox non-facti rectum quem supra diximus sensum habeat, pieque possit usurpari: illi, ut suæ patrocinentur hæresi, eadem voce ad Filii contumeliam abutuntur. Nimirum non legerunt eum qui Filium honorat, Patrem Joan. 5. 23.
quoque honorare, & qui Filium injuria afficit, Patrem similiter eadem afficere injuria. Enimvero si gloria & honor Patris illis curæ fuisset, debuissent po-

potius, quod & convenientius fuisset & dignius, Patrem, Deum agnoscere & dicere, quam eum hoc nomine indicare. Nam cum Deum non-factum appellant, eum, quemadmodum dixi, ex factis operibus effectorem dumtaxat & opificem vocant, rati se posse inde pro sua libidine innuere Verbum opus & rem factam esse. Qui autem Deum, Patrem nuncupat, eum ex Filio significat, non ignarus quod, cum esset Filius, res factæ omnes, per eumdem Filium necessario fuerunt creatæ. Atque illi quidem cum Deum non-factum dicunt, eum ex solis operibus indicant, nec ipsi, haud secus ac Gentiles, Filium agnoscunt. At qui Deum Patris nomine insignit, illum ex Verbo significat. Cognito autem Verbo, ipsum quoque agnoscit esse opificem, omniaque per ipsum facta esse intelligit.

Patris vocabulum Deo melius convenit quam ἀγένητε vocabulum.

34. Quocirca pietati & veritati magis fuerit consentaneum, Deum ex Filio nominare, Patremque appellare, quam ex solis operibus eum significare ac non-factum dicere. Hoc ei nomen vel singulatim, ut dixi, vel generatim omnia solummodo opera, quæ ex Dei voluntate per Verbum facta sunt, significat. At Patris nomen ad solum Filium respicit, atque in eo sistit. Quantum porro discriminis est Verbum inter & res factas, ita aliud, immo longe majus aliquid est Deum, Patrem appellare, quam non-factum dicere. Hæc enim dictio in sacris Scripturis non exstat, suspectamque, utpote variam, habet significationem, ita ut interpretantis animum distrahat multiplicem in sensum. At vox Patris simplex est atque in divinis Scripturis usitata, magisque veritati congruit, & Filium dumtaxat significat. Deinde vocabulum non-facti a Gentilibus, qui Filium ignorant, est excogitatum: Patris autem vocabulum ab ipso Domino nostro est agnitum & beneficii loco nobis concessum. Siquidem ipse non ignarus cujus erat filius, ajebat: *Ego in Patre, & Pater in me est*: &, *qui vidit me, vidit Patrem*: &, *Ego & Pater unum sumus*. Nusquam autem ipse Patrem, non-factum appellat: nec cum nos orare docuit, dixit: cum vero oratis, dicite, Deus non-facte; sed potius, *Cum vero oratis, dicite, Pater noster, qui es in cælis*. Eo etiam summam nostræ fidei pertinere voluit, cum nos jussit baptizari non in nomine facti & non-facti, neque in nomine creatoris & rei creatæ, sed in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Nos enim, qui inter res factas numeramur, ita initiati, jam efficimur filii, & cum Patris nomen pronunciamus, ex hoc nomine Verbum quoque quod in Patre est, agnoscimus. Vanum itaque illorum conatum esse in hac dictione non-facti adhibenda, eamque nihil præter meram speciem habere probatum luculenter est.

Joan. 14. 10. 9. — Joan. 10. 30. — Matth. 6. 9. — Luc. 11. 2. — Mat. 28. 19.

Contra Arianos ostenditur Verbum non esse mutabile.

35. Jam de eo quod illi inquirunt, utrum verbum sit mutabile, supervacaneum est disputare. Siquidem satis omnino fuerit, si quæ ab eis dicuntur ipse exscribens, quam impia sit illorum temeritas ostendero. Hæc enim sunt quæ nugatorie interrogant. „ Num libero præditus est arbitrio, vel „ non? An voluntate pro sui arbitrii libertate bo„ nus est, & si velit potest mutari, cum mutabili „ sit natura: vel, ut lapis & lignum, liberam „ non habet voluntatem in utramque partem se mo„ vendi & vergendi? „ Ea utique & dicere & sentire alienum non est ab illorum hæresi. Cum enim Deum e nihilo exortum & Filium creatum sibi finxerint, non immerito hujusmodi usurpavere voces quæ rebus creatis conveniant. Quandoquidem vero ipsi, in disputationibus, quas cum Ecclesiæ viris habent, eosque cum de vero & solo Patris Verbo disserentes audiunt, talia non verentur de eo loqui, quid, quæso, illa doctrina impurius videri possit? Quis si illos vel tantum audierit, etiamsi contradicere non valeat, non statim perturbetur, auresque non obstruat, novis his merito perculsus vocabulis quæ & illi usurpant & ipse audit, quæque ipsa ex se vel solum prolata apertam præferunt blasphemiam? Nam si Verbum verti & mutari potest, ubi, quæso, stabit, qualisve ejus incrementi finis futurus est? vel quomodo mutabilis immutabili poterit esse similis? Quomodo item qui mutabilem viderit, immutabilem se vidisse arbitrabitur? In quonam autem ejus statu, poterit in illo videri Pater? Certe liquet quod nemo semper in illo Patrem est visurus, cum semper mutetur Filius mutabilisque sit naturæ. Namque Pater immutabilis est omnisque expers conversionis, semperque & idem & eodem modo est. Sed si Filius, ut sentiunt, est mutabilis, nec semper idem, sed ejus naturæ quæ semper mutetur: qui fieri potest ut ille sit imago Patris, qui similem non habeat immutabilitatem? Immo quomodo in Patre esse omnino possit, qui ambigua est voluntate? Forte vero cum sit mutabilis, & singulis diebus proficiat, perfectus nondum est. Sed valeat tam insanus Arianorum error, fulgeatque veritas, quæ & eos desipere palam ostendat. Qui enim fieri potest ut ille perfectus non sit, qui æqualis Deo est? Aut quomodo immutabilis non est, qui unum cum Patre est, ejusque naturæ proprius est Filius? Cum igitur Patris natura sit immutabilis, non dubium est quin immutabilis quoque sit proprius qui ex ea exoritur fetus. Quæ cum ita sint, si Verbum mutabile esse pergant falso contendere, videant quantum sit in ejusmodi sermone periculum. Namque ex fructu arbor cognoscitur: hinc qui vidit Filium, vidit Patrem, & Filii cognitio, Patris est cognitio.

Joan. 14. 9.

36. Quapropter immutabilis Dei imago, immutabilis quoque ipsa sit necesse est. Siquidem *Jesus Christus, heri & hodie idem & in sæcula*. De eo David etiam sic psallit: *Et tu, Domine, initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt: tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut amictum volves eos & mutabuntur. Tu autem idem es, & anni tui non deficient*. Ipse porro Dominus de seipso per Prophetam ait: *Videte me, videte quod ego sum*, &, *non mutatus sum*. Nam licet his Patrem significari possit quis respondere: eadem tamen in Filium optime quadrant, quatenus scilicet homo factus se eumdem semper & immutabilem esse iis ostendit, qui ipsum ob carnem mutatum & aliud factum esse autumant. Certe viri sancti & ipse Dominus longe fide digniores sunt quam impiorum perversitas. Cum enim Scriptura in Psalmo, cujus verba retulimus, rerum omnium factarum & creatarum, quæ cæli & terræ nomine comprehenduntur, mutabilem esse affirmet naturam, Filiumque ex illis eximat, apertissime declarat eum nullo modo factum esse, sed potius omnia ab illo immutari, ipsum vero non mutari docet hisce verbis, *Tu autem idem es, & anni tui non deficient*. Et merito quidem. Namque res factæ, cum sint ex nihilo, nec fuerint priusquam factæ sunt, prorsus quia ipsæ fiunt cum antea non essent, hinc mutabili sunt natura. At Filius qui est ex Patre, ejusque naturæ proprius est, mutationis & conversionis est expers, non aliter quam ipse Pater. Nec enim fas est dicere ex natura immutabili mutabile Verbum & mutabilem sapientiam gigni. Quomodo enim Verbum esse possit, si mutabile est? vel quomodo id quod mutatur, sapientia esse queat? Nisi forte velint sic rem se habere, ut accidens est in substantia; ita scilicet ut in privata aliqua

Hebr. 13. 8. — Ps. 101. 26. — Deuter. 32. 39. — Malach. 3. 6.

Filius homo factus, non est propter carnem mutatus vel aliud factus.

sub-

substantia quædam gratia acciderit virtutisque habitus, qui hac ratione Verbum, Filius & sapientia sit appellatus, qui proinde decrescere possit & crescere. Ista enim, prout sentiunt, sæpius respondere. Verum ea non est Christianorum fides. Nam id non ostendit vere esse Verbum & Filium Dei, vel sapientiam veram esse sapientiam. Nam quod mutatur & convertitur, nec in uno & eodem perseverat statu, quomodo verum esse potest? Atqui Dominus dicit, *Ego sum veritas*: ergo si ipse Dominus id de se asseverat, & se ipse immutabilem testatur esse, idemque didicerunt & confirmant sancti, immo ipsa Dei notio hoc pietati consonum esse innuit, unde, quæso, ista commenti sunt impii? Profecto illa ex corde tanquam ex corruptione vomuerunt.

Joan. 14. 6.

37. Quando vero divinis oraculis abutuntur, eaque ad suam mentem adulterare totis moliuntur viribus; necesse est illis ita respondere, ut Scripturæ vindicemus verba, palamque faciamus ea quidem recte posse intelligi, sed illos prave sentire. Ajunt igitur ab Apostolo scriptum esse, *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum*. Et apud David, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Deinde ut acutum aliquid assumunt: Si idcirco exaltatus est, gratiamque accepit, & unctus est: mercedem igitur recepit suæ voluntatis. Quod si voluntate egit, sane mutabilis est naturæ. Hæc non solum dicere sed etiam scribere ausi sunt Eusebius & Arius, eademque per medium forum divulgare non verentur eorum asseclæ, non attendentes quantam redoleat insaniam hujusmodi illorum sermo. Nam si ipsa quæ habuit merces est suæ voluntatis, eaque non habuisset, nisi indigentis opus exhibuisset: igitur quia ob suam virtutem vitæque sanctimoniam illa est consecutus, ea propter & Filius & Deus merito dictus est, non autem verus est Deus. Quod enim est ex aliquo secundum naturam, verus est fetus. Sic Isaac Abrahæ, Joseph Jacobi, & splendor solis est fetus. Qui vero ob virtutem & gratiam nomen filii consequuntur, non natura sed tantummodo gratia hanc accepere dignitatem, aliique omnino sunt ab eo quod ipsis datur: cujusmodi sunt homines qui Spiritus sancti participes facti sunt, de quibus etiam dicit, *Filios genui & exaltavi, ipsi autem me repulerunt*. Certe quia non natura filii erant, idcirco in pejus mutatis ablatus est Spiritus, & abdicati sunt; quos tamen idem, qui initio illis hujusmodi gratiam largitus est Deus, pœnitentes iterum suscipiet, luceque impertita rursus filios eos appellabit.

Philip. 2. 9. Psal. 44. 8. Esai. 1. 2.

Homines qui gratia non natura filii Dei sunt, S. Spiritu & filiorum dignitate ob peccata privantur, quam tamen gratiam iidem pœnitendo recuperant.

38. Quod si hæc illorum est de Salvatore sententia, sequetur eum neque verum Deum, neque verum Filium, neque Patris esse similem; nec Deum, sui ipsius secundum substantiam patrem habere, sed solius sibi concessæ gratiæ: ac denique Deum creatorem sui ipsius secundum substantiam, sicuti res alias omnes, habere. Quod si sit ejusmodi, ut illi volunt, inde clarum erit eum ab initio non habuisse Filii nomen, si nimirum id nominis illi tributum sit, tamquam factorum suique præmium progressus, qui quidem nullus fuit alius, quam cum factus est homo & servi formam accepit. Tunc enim est, cum factus obediens usque ad mortem, exaltatus esse & hoc nomen tamquam singularem gratiam accepisse dicitur, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur*. Quid ergo fuit antea, si tunc exaltatus est, cœpitque adorari, ac Filius est appellatus, cum factus fuit homo? Videtur enim nulla in re carnem meliorem reddidisse, sed ipsum potius per eam meliorem fuisse effectum, si nimirum tunc, ut impie putant, exaltatus est & Filius dictus, cum factus est homo. Quid igitur erat antea? Nam necesse est eos iterum interrogare, ut finem illorum impietatis tandem inspiciamus. Si enim Dominus est Deus, Filius, & Verbum, nihilque horum erat priusquam homo fieret: vel certe aliquid aliud erat præter illa, quorum postea ob virtutem est particeps effectus, uti diximus: vel aliud, quod quidem in ipsorum reciderit capita, illos necesse est dicere, eum scilicet neque antea extitisse, sed totum natura hominem solum esse, nihilque amplius. Verum hæc non est Ecclesiæ doctrina, sed Samosatensis hujusque temporis Judæorum. Cum igitur eadem atque illi sentiant, cur non ut Judæi circumciduntur, sed ficte Christianam profitentur fidem, & contra eam decertant? Nam si antea non erat, aut ita erat ut postea melior sit redditus, quomodo per ipsum facta sunt omnia? Vel si perfectus non erat, quomodo in ipso oblectabatur Pater? Si porro ipse melior effectus est, quomodo antea coram Patre lætabatur? Præterea, si post mortem illi datum est ut adoraretur, quomodo illum Abrahamus in tabernaculo & Moyses in rubo adorasse memorantur, & ut vidit Daniel, millia plurima ministrabant ei? Si item secundum illos melior nunc factus est, quomodo cælestis gloriæ, qua ante mundum fruebatur, memor ipse Filius dicebat, *Glorifica me tu, Pater, gloria quam apud te habui, priusquam mundus esset*. Quod si nunc, ut putant, exaltatus est, quomodo antea *inclinavit cælos & descendit*; & iterum: *dedit altissimus vocem suam*? Quocirca si etiam priusquam fieret mundus, gloria potius est Filius, & Dominus gloriæ & altissimus fuit, atque e cælis descendit, semperque adorandus est: non ergo postquam descendit melior est effectus, sed potius ea, quæ indigebant ut meliora fierent, reddidit meliora. Quod si ut nos meliores redderet descendit; non igitur præmii instar accepit nomen Filii & Dei: sed ipse potius effecit ut nos sui Patris filii essemus, & homines Deos reddidit factus ipse homo.

Pauli Samosatensis sententia est Christum antequam in carne nasceretur, nusquam extitisse, merumque hominem esse.

Prov. 8. 30. Gen. 18. Exod. 3. Dan. 7. 10. Joan. 17. 5. Psal. 17. 10. 14.

39. Non igitur cum homo esset, factus est postea Deus; sed contra, cum Deus esset, postea homo factus est, quo nos ipse potius Deos efficeret. Alioquin si tunc tantum cum factus est homo, Filius & Deus est appellatus: si item, antequam fieret homo, priscos populos Deus filios vocavit, & Moysem Deum constituit Pharaonis, idque nominis multis Scriptura attribuit, cum ait: *Deus stetit in synagoga Deorum*; patet eum post illos & Filium & Deum esse dictum. Quomodo ergo omnia per ipsum creata sunt, ipseque est ante omnia? Aut quomodo omnium rerum creatarum primogenitus est, qui ante se alios habet, qui & filii & dii dicti sint? Quomodo vero primi participes, Verbi non sunt participes? Vera profecto non est tam perversa opinio, sed commentum eorum est qui nunc Judaizant. Nam si ita est, qui fieri potest ut Deum Patrem aliqui agnoscant? Nec enim adoptio sine vero Filio fieri potest, cum ipse dicat, *Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, & cui Filius revelaverit*. Quomodo item sine Verbo & ante Verbum Deus qui effici queat, cum ipse ad Judæos istorum fratres sic loquatur, *Si illos Deos dixit ad quos Verbum Dei factum est*? Porro si omnes, quotquot cum filii tum dii appellati sunt sive in terris sive in cælis, per Verbum & filii & dii sunt effecti, ipseque Filius Verbum est: perspicuum sane fuerit omnes per ipsum filios effici, ipsum vero ante omnes, imo vero solum eum verum Filium, & solum ex Deo vero verum Deum esse, nec mercedem virtutis hæc accepisse, ne-

Psalm. 81. 1. Joan. 1. 3. & Coloss. 1. 16. Coloss. 1. 17. Coloss. 1. 15. Matt. 11. 27. Joan. 10. 35. Philip. 2. 10.

que alium ab illis esse, sed natura & substantia illa ipsa esse. Namque substantiæ Patris fetus ipse est, ita ut nullus sit dubitandi locus quin ad Patris immutabilis similitudinem sit quoque Verbum immutabile.

40. Hactenus quidem Filii notionibus inhærentes, sic absurdis illorum commentis, prout ipse dedit Dominus, occurrimus. Jam vero præstiterit divina exponere oracula, ut & Filii immutabilitas magis confirmetur, sitque exploratius paternam ejus naturam mutationis esse expertem, & clarius illorum appareat improbitas. Itaque his verbis ad Philippenses scribit Apostolus: *Hoc vos sentite, quod & Christus Jesus, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, forma servi accepta, similis hominum factus, & figura inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Idcirco & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quod Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Quid his luculentius & evidentius proferri potest? Nec enim ex deteriore melior factus est: sed potius cum Deus esset, formam servi accepit, in qua accipienda non melior est effectus, sed semetipsum humiliavit. Ubi igitur hic merces virtutis est, vel qualis progressus qualeve in melius incrementum in hujusmodi humiliatione? Nam si quatenus cum Deus esset, homo factus est, & ex altitudine descendit, exaltari dicitur: quo, quæso, extolli sive exaltari potest is qui Deus est? Ex eo enim quod Deus sit altissimus, liquet ejus quoque Verbum necessario esse altissimum. Quo ergo altius extolli potuit is qui in Patre est, & Patris est in omnibus simillimus? Itaque nullo incremento opus habet, nec is est quem falso suspicantur Ariani. Nam si ut exaltaretur, Verbum descendit, idque indicat Scriptura: quid erat necesse seipsum humiliare, ut id quod jam habebat accipere niteretur? Quam porro gratiam accepit ipse gratiæ dator? Aut quomodo nomen, quo adoraretur, accepit is, qui semper suo nomine fuit adoratus, & quem, antequam factus esset homo, Sancti hisce vocibus invocabant, *Deus in nomine tuo salvum me fac:* &, *hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur.* Eum ergo Patriarchæ adorabant. De Angelis quoque scriptum est, *Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

Philip. 2. 5.

Qua ratione Deus Filium exaltasse dicitur.

Psal. 53.
Psal. 19. 8.
Heb. 1. 6.
Psal. 96. 7.

41. Quod si, ut etiam canit David septuagesimo primo Psalmo, *Ante solem permanet nomen ejus, & ante lunam in generationes generationum*: quomodo accepit quod semper habuit, ac priusquam nunc illud ipsum acciperet? Vel quomodo exaltatur is, qui antequam exaltaretur erat altissimus? Aut quomodo datum est illi ut ab aliis adoraretur, qui etiam antequam hunc honorem nunc consequeretur, adoratus semper est? Non est ænigma, sed misterium divinum: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: quod idem Verbum postea nostri causa caro factum est. Itaque ista dictio, *exaltavit*, non significat naturam Verbi exaltetam fuisse; nam semper & fuit & est æqualis Deo: sed humanæ naturæ exaltationem indicat. Igitur ista non ante dicta sunt quam ubi Verbum caro factum est, ut evidens esset has voces, *humiliavit* & *exaltavit* de sola intelligi humanitate. Namque id solum quod humile est extolli potest. Quapropter si ob assumptam carnem scriptum est, *humiliavit*, clarum est vocem, *exaltavit*, de eadem esse intelligendam. Hoc enim honore indigebat homo, carne & morte humilis.

Ps. 71. 17. 5.
Joan. 1.

Non divina natura in Christo exaltata fuit, sed humana.

Quoniam ergo ille qui Patris imago & immortale Verbum erat, servi formam induit, ac mortem in sua carne, ut homo, propter nos toleravit, ut seipsum hoc pacto pro nobis Patri per mortem offerret: hinc quoque, ut homo, propter nos & pro nobis dicitur exaltari, ut quemadmodum ejus morte omnes in Christo mortui sumus: ita in ipso Christo rursus exaltaremur, cum nimirum a mortuis excitati in cælos ascendemus, *quo præcursor pro nobis introivit Jesus: non enim in exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Si porro nunc pro nobis in ipsum cælum ingressus est Christus, quamvis etiam antea & semper Dominus & opifex esset cælorum: igitur nunc quoque eum pro nobis exaltari scriptum est. Insuper quemadmodum ipse qui omnes sanctificat, seipsum pro nobis Patri sanctificare dicit, non sane ut Verbum sanctum fiat, sed ut ipse in seipso nos omnes sanctos reddat: ita pariter his verbis, *exaltavit eum*, non intelligendum est eum exaltari; (nam altissimus est) sed is est sensus, ut videlicet ille quidem pro nobis justitie fieret, nos autem in ipso exaltaremur, & cælorum ingrederemur januas, quas ipse rursus pro nobis aperuit, dicentibus his qui precurrebant: *Tollite portas, principes, vestras, & elevamini portæ æternæ, & introibit rex gloriæ.* Siquidem non hic intelligendum est, clausas ei fuisse portas, qui omnium Dominus & effector erat. Verum id etiam propter nos scriptum est, quibus paradisi janua erat occluse. Unde humano more, propter carnem quam gestabat, de illo dicitur: *Tollite portas:* &, *introibit*, velut nempe homine introeunte. Rursus vero quia Verbum Deus est, de eodem divine dicitur Dominum eum & regem gloriæ esse. Hanc autem nostram exaltationem Spiritus sanctus psalmo octogesimo octavo his verbis prædicit, *Et in justitia tua exultabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Si porro Filius justitia est: non ergo ille exaltatione opus habet, sed nos sumus qui in justitia exaltamur, quæ nempe ipse est.

Hebr. 6. 20.
Ibid. 9. 24.
Psal. 23. 7.
Psal. 88. 17.

42. Illa similiter verba, *donavit illi*, non propter ipsum Verbum scripta sunt. Nam antequam homo fieret, ab Angelis ab omnibusque rebus creatis secundum paternam proprietatem adorabatur, uti diximus. Verum illud de illo propter nos & pro nobis dictum est. Quemadmodum enim ut homo mortuus est & exaltetus: sic quatenus homo accipere dicitur quod semper, ut Deus, habuit, ut scilicet hujusmodi etiam data gratia ad nos usque pertingeret. Nec enim Verbum carne assumta diminutum est, ut quæreret accipiendam gratiam: sed potius divinum reddidit quod induit, eoque humanum genus munifice locupletevit. Ut enim quatenus Dei Verbum, & in forma Dei erat, semper fuit adoratum: ita idem etiam quatenus homo factus & vocatus JESUS, universas res creatas sub pedibus subjectas habet, omnesque in hoc nomine ipsi flectunt genua, confitenturque non ignominiosum ejus divinitati, sed gloriosum Deo Patri esse, quod Verbum caro factum sit, & mortem carne subierit. Patris scilicet gloria est, factum & postea perditum reperiri hominem, mortuumque revocari ad vitam, ac templum Dei fieri. Cum enim cæli potestates, Angeli & Archangeli qui Dominum semper adoravere, nunc eum in nomine JESU adorent, nostra profecto gratia & gloria est, quod etiam homo factus Dei Filius adoretur: nec virtutibus cælestibus mirum videbitur, cum nos omnes, qui ejusdem ac ille naturæ corpora habemus, in suam regionem viderint introduci. Quod utique aliter non contigisset, nisi ille qui in forma

Deo Patri gloriosum est, quod Verbum caro factum sit mortemque obierit.

Nisi formam servi assumsisset Dei Filius, in cælos introduci non potuissemus.

ma Dei erat, formam servi assumsisset, seque adeo humiliasset, ut corpus suum mortem pati permiserit.

43. En ergo quod per crucem stultitia Dei esse hominibus videbatur, omnibus factum est honoratius. In ipsa siquidem posita est nostra resurrectio: nec Israel solum sed etiam omnes gentes jam, uti Propheta vaticinatus est, sua deserunt idola, verumque Deum Christi patrem agnoscunt. Dæmonum quoque dissolutæ præstigiæ sunt, solusque verus Deus in nomine Domini nostri Jesu Christi adoratur. [B] Quod autem Dominus etiam assumto corpore & vocatus JESUS adoratur crediturque Filius Dei, ac per ipsum Pater cognoscitur; id aperte indicat, uti diximus, non Verbum, quatenus Verbum, sed nos hujusmodi gratiam accepisse. Nam propter nostram cum ejus corpore cognationem nos quoque Dei templum effecti sumus jamque filiorum Dei obtinuimus dignitatem: adeo ut etiam in nobis jam Dominus adoretur, & spectantes [1. Cor. 14. 25.] pronuntient, ut ait Apostolus, quod vere Deus in illis sit. Idipsum quoque Joannes in Euangelio [Joan. 1. 12.] ita declarat, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*: itemque in epistola, [C] ubi [1. Joan. 3. 24.] hæc scribit, *In hoc scimus, quia manet in nobis, ex spiritu ejus quem dedit nobis*. Id sane argumentum est ejus in nos benignitatis, quod nos ob altissimum Dominum, qui in nobis est, exaltati fuimus, ac propter nos data fuit gratia, eo quod Dominus gratiæ largitor, homo nostri similis sit effectus. Ceterum ipse Salvator seipsum humiliavit, cum nostrum humile corpus accepit: servique formam induit, cum carnem, quæ peccato mancipata erat, assumsit. Nihil autem ipse quo melior fieret, a nobis habuit: siquidem nulla re indiget sed plenum & perfectum est Dei Verbum. [D] Verum nos ille potius effecit [Joan. 1. 9.] meliores. Nam ipse lux est quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Frustra porro Ariani conjunctione *idcirco* nituntur, ubi nimirum ait Paulus: *Idcirco & Deus exaltavit illum*. Nec enim hisce verbis præmium virtutis vel incrementum in melius significavit, sed nostri causa factam exaltationem. Quid vero illud aliud est, quam eum, qui in forma Dei erat, nobilissimique Patris Filium, seipsum humiliasse, & nostri vice ac propter nos servum esse factum? [Nisi Dominus homo fuisset factus, nec a peccatis redimi nec a morte ad vitam potuissemus revocari.] Nisi enim Dominus homo fuisset factus, numquam nos a peccatis redimi vel a mortuis [E] excitari potuissemus, sed mortui sub terram remansissemus, neque unquam in cælos fuissemus evecti, sed in inferis jacuissemus. Itaque propter nos & pro nobis illud dictum est, *exaltavit* & *donavit*.

44. Hunc ego sensum hujus loci esse, eumdemque maxime ecclesiasticum arbitror. Alio tamen modo sed pari sententia idem ita licet interpretari, ut nempe illis verbis non indicetur Verbum ipsum, quatenus est Verbum, exaltari: nam, ut paulo ante est dictum, altissi- [F] mum simileque Patris est. Verum hujusmodi dicto resurrectio a mortuis significatur propter humanam ab [Philip. 2. 8.] eo assumtam naturam. Hinc postquam dixit, *humiliavit semetipsum usque ad mortem*, statim addidit, *idcirco exaltavit*: quibus utique verbis vult ostendere eum, quamvis quatenus homo est, mortuus esse dicitur, at quatenus [Ephes. 4. 10.] est vita, resurrectione exaltatum fuisse: nam *qui descendit, ipse est & qui ascendit*. Siquidem corpore descendit: resurrexit vero quia ipse Deus erat in corpore: hæcque rursus causa est, cur eo sensu conjunctionem, *idcirco*, adhibuerit, quæ nec virtutis nec incrementi alicujus mercedem indicaret, sed causam declararet, propter quam facta est resurrectio, & quare alii quidem homines ab [A] Adam ad hoc usque tempus mortem obierint, mortuique manserint, solus vero ille integer ex mortuis resurrexerit. Hæc autem causa illa est, quam ipse prius nos docuit, quod scilicet cum Deus esset, homo factus est. Nam ceteri quidem omnes puri homines ex Adam exorti, mortui sunt, & mors adversus illos regnavit: iste vero secundus homo e cælo est; [1. Cor. 15. 47.] nam *Verbum caro factum est*. Qui homo e cælo & cælestis esse dicitur, quia Verbum e cælo descendit: quæ causa est cur mortis imperio subjectus non fuerit. Quamvis enim seipsum adeo humiliavit ut corpus suum permiserit mori, quia mo- [B] ri poterat: attamen idem e terra exaltatum est, quia in eo corpore Filius Dei erat. Quocirca quod hic dicitur, *Idcirco & Deus illum exaltavit*, videtur simile esse illius loci Actorum, [Act. 2. 24.] ubi ait Petrus: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus mortis, quatenus impossibile erat teneri illum ab ea*. Ut enim Paulus scribit, [Philip. 2. 8.] Quia cum in forma Dei esset, factus est homo, & humiliavit semetipsum usque ad mortem, idcirco & Deus exaltavit illum: sic etiam a Petro [Act. 2. 22.] dicitur, Quia cum Deus esset, factus est homo, ipsumque Deum esse, signa & prodigia videnti- [C] bus ostenderunt, idcirco a morte teneri ille non potuit. Id profecto præstare homo non poterat, cum mors hominum sit propria. Quapropter Verbum, quod Deus erat, caro factum est, ut carne moriens, vitam omnibus virtute sua redderet.

45. Quoniam autem ipse exaltatus esse, & Deus illi donasse dicitur, idque putant hæretici esse defectum & passionem naturæ Verbi: necesse quoque est qua ratione hæc sint intelligenda explanare. Nempe ipse ex [Ephes. 4. 9.] inferioribus terræ partibus exaltatus esse dicitur, quia mors dicitur quoque ejus esse. Utrumque porro ejus [D] esse dicitur, quoniam illius non autem alius erat corpus quod a mortuis excitatum, & in cælos est sublatum. Quia ergo illud corpus ad ipsum pertinet, neque Verbum extra idem est, jure merito exaltato corpore, ipse, ut homo, propter corpus dicitur exaltari. Itaque si homo non est factus, fas non sit ista de illo dici. Sed si Verbum caro factum est, necesse est ejus & resurrectionem & exaltationem tamquam de homine dici, tum ut mors, quæ ejus esse dicitur, sit peccati hominum pretium, & mortis destructio: tum ut resurrectio exaltatiove firma per ipsum in nobis perseveret. De utroque autem dixit, *Deus illum exaltavit*, &, *Deus illi* [E] *donavit*, ut hinc etiam ostenderet non Patrem factum esse carnem, sed ejus Verbum hominem factum esse, ab eoque humanitus accipere & exaltari, ut jam est dictum. Constat autem, nec id in dubium vocari potest, [Ea quæ dat Pater, dat per Filium.] ea quæ dat Pater, per Filium dare. Quocirca illud profecto singulare planeque admirabile est, quod gratiam quam Filius, Patre donante, aliis impertit, ipse dicitur accipere, & exaltatione quam idem Filius, Patre item exaltante, perficit, ipse quoque exaltatur. Ille nimirum qui Dei filius erat, hominis [F] quoque filius est factus, atque ut Verbum, Patre dante dat omnia: nam omnia, quæ facit & dat Pater, per ipsum facit & præbet. Idem vero ut filius hominis, ea, quæ ipse dat, humanitus accipere dicitur, quia scilicet non alterius sed ipsius sit corpus, quod ex sua natura gratiam potest accipere, uti diximus. Namque accipiebat quatenus exaltabatur homo, cujus exaltatio erat, Deum ipsum effici. Verbum autem semper istud habuit, ex paterna sui divinitate & perfectione.

46. Itaque is verus est verborum Apostoli sensus, eoque valide confutantur impii. Quod item ait Cantor sacer, rectum similiter sensum obtinet, quem prava illi quidem interpretatione corrumpunt, sed

pie-

pietati esse consonum patet ex ipso Psalmo, cujus A hæc sunt verba: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi. Virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem: idcirco unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Psal. 44. 7. Hebr. 1. 8. Attendite, o Ariani, saltemque hoc ex loco agnoscite veritatem. Consortes Domini nos omnes Psalmista appellavit. Quod si ex nihilo & una e rebus factis esset Filius, ipse quoque inter consortes numeraretur. Cum autem illum Deum æternum his verbis cecinerit, *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi*, res vero alias declaraverit ejus fieri participes: quid intelligendum aliud occurrit quam eum a rebus factis alium B esse, solumque esse Patris Verbum splendorem & sapientiam, cujus res omnes creatæ fiant participes, & sanctæ ab eodem Spiritu reddantur. Quocirca hic ungi dicitur, non ut Deus fiat; nam Deus antea ipse erat: nec ut rex sit; ab æternitate enim idem regnavit, utpote qui Dei sit imago, quemadmodum Scriptura testatur. 2. Cor. 4. 4. Coloss. 1. 15. Verum id quoque pro nobis scriptum est. Nam reges Israelitæ, cum ungebantur, tunc reges fiebant, qui antea reges non erant, ut David, Ezechias, Josias, aliique. At vero Salvator, tametsi antea Deus, semperque Patris regno potitus, atque Spiritum sanctum ipse impertiens, C tamen nunc ungi dicitur, ut, cum quatenus homo Spiritu ungi significatur, quemadmodum nobis hominibus dedit ut exaltaremur & resurgeremus, sic nos etiam Spiritus habitationem amicosque efficeret. Id ipse Dominus his suis verbis indicabat, ut legitur in Joannis Euangelio, Joan. 17. 19. *Ego misi eos in mundum, & pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Quibus utique verbis patefecit se non esse qui sanctificetur, sed qui sanctificet. Nec enim ab alio sanctificatur, sed se ipse sanctificat, ut nos in veritate sanctificemur. Qui autem seipsum sanctificat, sanctificandi D Dominus est. Qui porro istud efficitur, quidquid aliud dicit quam verba hujusmodi: Ego qui Patris Verbum sum, ipse mihi facto homini dono Spiritum, meque factum hominem in illo sanctifico, ut deinceps in me, qui veritas sum, (Joan. 17. 17. Nam *Verbum tuum veritas est*) omnes sanctificentur.

47. Quod si nostri gratia se ipse sanctificat, idque tunc facit cum homo est factus, certe liquet Spiritum, cum in eum apud Jordanem descendit, in nos ipsos, quia nostrum ille gestaret corpus, descendisse, neque id contigisse ut Verbum melius fieret, sed ut nos sancti efficeremur, ejusque unctionis E essemus participes, ac de nobis diceretur, 1. Cor. 3. 16. *An nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Cum enim Dominus tanquam homo lavaretur in Jordane, nos ipsi in illo & ab illo lavabamur. Cum item Spiritum acciperet, nos dignos reddebat, qui illum acciperemus. Quocirca non ut Aaron, vel David, aut alii omnes, ita & ipse oleo est unctus, sed aliter præ omnibus sui consortibus, nempe oleo lætitiæ: quod esse Spiritum sanctum his ipse Prophetæ verbis docet, Esai. 61. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.* Idem quoque ait Apostolus, Act. 10. 38. F *Quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto.* Quando igitur ista de illo dicta sunt, nisi cum assumta carne baptismum in Jordane suscepit, atque in ipsum descendit Spiritus? Et vero ipse quidem Dominus ita loquitur, Joan. 16. 14. Spiritus *de meo accipiet*: &, Ibid. v. 7. *Ego illum mitto*: & ad discipulos, Joan. 20. 22. *Accipite Spiritum sanctum.* Nihilominus ipse ille qui, ut Verbum & splendor Patris, Spiritum aliis impertit, nunc dicitur sanctificari, quia scilicet factus homo est, ejusque sanctificatur corpus. Inde itaque nos etiam unctionem & sigillum habere incœpimus, dicente Joanne, 1. Joan. 2. 20. *Et vos unctionem habetis a sancto.* Apostolus quoque scribit, Ephes. 1. 13. *Et vos signati estis Spiritu promissionis sancto.* Illud igitur propter nos & pro nobis dicitur. Quidnam vero incrementum in melius, quæ virtutis vel factorum Domini merces possit ex his probari? Namque si cum Deus non esset, factus fuisset Deus: si cum non esset rex, regiam fuisset consecutus dignitatem: inesset sane vestra in oratione umbra saltem aliqua verisimilitudinis. Sin autem Deus ille est, ejusque æternus est thronus, qui, quæso, potuit proficere Deus, quidve illi deerat qui in Patris solio sedebat? Præterea si, ut ipse affirmat Dominus, ejus est Spiritus, ex eoque accipit, ipseque illum mittit: non igitur Verbum, quatenus Verbum & Sapientia est, a Spiritu, quem ipse dat, ungitur, sed caro quam assumsit, in ipso & ab ipso ungitur, ut infusa in Dominum tanquam in hominem sanctitas, in omnes homines ab ipso dimanaret. Joan. 16. 13. Non enim a se ipso, inquit, Spiritus loquitur, sed dignis a Verbo datur. Nam hic Psalmistæ locus superioris haud est dissimilis. Ut enim Apostolus scripsit, Philipp. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, forma servi accepta*: ita David Dominum hymnis celebrat, ut æternum Deum & regem, qui ad nos missus, nostrum mortale induit corpus. Id enim significat hisce Psalmi verbis, Psal. 44. 9. *Myrrha & gutta & casia a vestimentis tuis*: quod idem confirmant cum Nicodemus tum Maria sociæque ejus: hic cum Joan. 19. 39. *venit ferens mixturam myrrhæ & aloes libras centum*; illæ, Luc. 24. 1. aromata portantes quæ ad sepulturam corporis Domini præparaverant.

48. Quale ergo incrementum immortali mortale assumenti, vel quæ mutatio in melius æterno temporale induenti accessit? Quænam item major merces Deo æterno & regi, qui in sinu Patris est, contingere queat? An non perspicitis istud quoque propter nos & pro nobis factum scriptumque esse, ut homo factus Dominus nos, qui mortales & temporales sumus, immortales redderet atque in æternum cælorum regnum introduceret? An non erubescitis, qui divinas litteras audetis falsa adulterare interpretatione? Enimvero postquam advenit Dominus noster Jesus Christus, nos quidem a peccato liberati, meliores effecti fuimus: ipse autem idem omnino est: nec quia homo est factus, (nam idem repetendum est) mutatus est: sed sicuti scriptum est, Esai. 40. 8. *Verbum Dei manet in æternum.* Profecto quemadmodum priusquam homo fieret, tanquam Verbum, Spiritum, ut sui proprium, sanctis subministrabat: ita etiam homo factus, Spiritu omnes sanctificat, atque discipulis, Joan. 20. 22. *Accipite Spiritum sanctum.* Hunc quoque dedit ipse Moysi aliisque septuaginta, Num. 11. 16. per quem & David Patrem his verbis precabatur: Psal. 50. 13. *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Denique homo factus ajebat: Joan. 15. 26. *Mittam vobis Paraclitum, Spiritum veritatis*: quem utique misit verax Dei Verbum. Itaque Hebr. 13. 8. *Jesus Christus heri & hodie, idem & in sæcula* manens immutabilis, ipse est qui dat & qui accipit: dat, ut Dei Verbum; accipit ut homo. Non ergo Verbum ut Verbum in melius proficit. Nam omnia habuit semperque habet. Sed homines sunt, qui in illo & per illum habent accipiendi initium. Hinc enim, cum ille secundum humanam naturam ungi dicitur, nos sumus qui in illo ungimur: cum item baptizatur, nos in eo baptizamur. De quibus omnibus ipse Salvator clarius sic Patri loquitur: Joan. 17. 22. *Et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi illis, ut unum sint, quemadmodum nos unum sumus.* Propter nos igitur etiam postulabat gloriam, illaque verba, *accepit, donavit, exaltavit*, dicta sunt, ut scilicet nos acciperemus,

no-

nobis donaret, atque in illo exaltaremur, quemadmodum se ipse quoque sanctificat, ut nos in eo sanctificemur.

[Psal. 44. 8.] 49. Quod si hæc Psalmi verba, *Idcirco unxit te Deus, Deus tuus*, in suum sensum detorquere contendant: intelligant Scripturarum imperiti inventoresque impietatis rursus voce illa, *Idcirco*, non mercedem virtutis vel actionum Verbi significari; sed causam ejus ad nos adventus, unctionisque Spiritus, quæ pro nobis in illo peragebatur. Nec enim dixit: *Idcirco* unxit te, ut fieres Deus, vel rex, vel Filius, vel Verbum; id enim antea erat & semper est, uti probavimus: sed potius, Quia & Deus & rex es, *idcirco* unctus es: quandoquidem nemo alius poterat hominem cum Spiritu sancto conjungere, præter te, qui imago es Patris, ad cujus similitudinem nos quoque ab initio sumus creati. Nam tuus est ipse Spiritus. Nec enim rerum factarum natura ad hoc munus erat idonea, cum & Angeli peccaverint, & homines Deo parere noluerint. Quapropter Deo opus erat, (Deus autem est Verbum) ut eos liberaret, qui jugo maledictionis premebantur. Itaque si ex nihilo esset, ipse non esset Christus, quippe qui inter res alias creatas & ipse locum haberet, & esset similiter particeps. At quia Deus est, cum sit Dei Filius: quia item rex est sempiternus, cum sit splendor & figura Patris: idcirco convenienter admodum ipse est qui expectabatur Christus, quem Pater hominibus prænunciavit, cum eum sanctis suis Prophetis revelaret, ut, quemadmodum per ipsum facti fuimus, ita omnium peccatorum redemptio in eo fieret, omniaque ejus subderentur imperio. Hæc causa est cur in ipso facta fuerit unctio, & cur carnem Verbum assumserit; quod prænoscens Psalmista, ejus divinitatem paternumque regnum hisce celebrat verbis, *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui*. Cum autem ejus ad nos adventum denuntiat, hæc ait, *Idcirco unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*.

[Nemo præter Filium non potuit Spiritui sancto conjungere.]
[Spiritus, Filii est.]
[Psal. 44. 7.]
[Ibid. v. 8.]

50. Quid porro mirum vel incredibile, si Dominus qui dat Spiritum, nunc ipse Spiritu ungi dicitur, qui, ubi postulavit necessitas, seipsum Spiritu inferiorem propter humanam suam naturam dicere non renuit? Nam Judæis objicientibus, in Beelzebul nomine illum ejicere dæmonia, ipse, ut illorum convinceret impietatem, ita respondit, *Si porro ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia*. Ecce enim ille qui Spiritum donat, se nunc Spiritu dæmonia ejicere profitetur, quod non certe aliter quam propter carnem est dictum. Nam ut hominum natura ex seipsa non potest dæmones ejicere, sed sola Spiritus virtute; idcirco ut homo dicebat, *Si porro ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia*. Quin etiam blasphemiam in Spiritum sanctum majorem ea esse dicit, quæ in se ut hominem profertur. *Quicumque*, inquit, *dixerit Verbum contra Filium hominis, veniam obtinebit:* quales illi erant qui ajebant: *Nonne hic est fabri filius?* Qui vero adversus Spiritum proferunt blasphemiam, & Verbi opera Diabolo adscribunt, hi certe supplicio inevitabili sunt puniendi. Et hæc quidem Dominus ad Judæos, tamquam homo, loquebatur; at discipulis suam divinitatem majestatemque ostendens, nec se Spiritu minorem sed æqualem esse significans, dabat ipse Spiritum ac dicebat, *Accipite Spiritum sanctum*: &, *Ego illum mitto:* &, *ille me glorificabit*: &, *quæcumque audiet loquetur*. Ut igitur hic Dominus, dator Spiritus, fateri non dubitavit se, ut hominem, Spiritu dæmonia ejicere: eodem modo ipse qui Spiritum donat,

[Christus, ut homo, sancto Spiritu est inferior.]
[Matth. 12. 24.]
[Ibid. v. 28.]
[Matth. 12. 32.]
[Matth. 13. 55.]
[Joan. 20. 22.]
[Joan. 16. v. 13. & 14.]

[A] hæc dicere gravatus non est: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me;* quia videlicet caro factus ipse est, ut ait Joannes: quo palam fieret duo illa ad nos pertinere, qui nempe gratia Spiritus indigemus, ut sanctificemur, nec dæmones sine ejusdem Spiritus virtute possumus ejicere. Per quem porro & a quo dari convenit Spiritum, nisi per Filium, cujus ipse est Spiritus? Quando vero nos eum poteramus accipere, nisi cum Verbum factus est homo? Porro ut locus Apostoli probat nos non fuisse redimendos vel exaltandos, nisi ille qui in Dei forma erat, formam [B] servi accepisset: sic David ostendit nos non futuros Spiritus participes vel sanctificandos, nisi ipsum Verbum, a quo datur Spiritus, seipsum pro nobis Spiritu ungi diceret. Hinc nos eum constanter accepimus, cum Verbum carne unctum esse dicitur. Quia enim caro primum in illo sancta effecta est, & ipse, ut homo, Spiritum per eam accepisse dicitur, nos subsequentem Spiritus gratiam ex ejus plenitudine accepimus.

[Esai. 61. 1.]
[Philip. 2. 6.]
[Joan. 1. 16.]

[Psal. 44. 8.] 51. Jam vero illud quod in Psalmo exstat, *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem*, non, ut & vos rursus intelligitis, mutabilem Verbi significat naturam, [C] sed potius ejus immutabilitatem inde confirmat. Cum enim rerum factarum natura sit mutabilis, quippe cum alii leges violaverint, alii noluerint obedire, uti supra dictum est: cum illorum vita nec stabilis sit nec constans, sed sæpe accidat ut is qui nunc bonus est, postea mutetur aliusque evadat, ita ut qui modo justus est, paulopost injustus fiat: idcirco immutabilis nobis opus erat, quo Verbi justitia immutabilis hominibus esset exemplar & forma ad virtutem amplectendam. Hæc autem sententia his qui recte sentiunt rationi admodum consentanea videbitur. Cum enim Adam primus homo fuerit mutatus, [D] & mors per peccatum in mundum intraverit: eam ob rem secundum Adam decebat esse immutabilem, ut, si serpens insidias iterum tenderet, ejus fraudes irritæ forent, summamque propter Domini immutabilitatem, vim nullam adversus quemquam haberent omnes ejus conatus. Nam quemadmodum peccante Adamo, peccatum in omnes homines pertransiit: ita postquam Dominus factus homo serpentem devicit, vis illa permanabit in omnes homines, ut singuli nostrum dicant, *Non enim ignoramus cogitationes ejus*. Meritissimo igitur Dominus, qui semper & natu[E]ra immutabilis est, qui justitiam amat, & iniquitatem odio habet, ungitur & mittitur, ut idem ipse & existens & permanens, carne mutabili assumta, peccatum in ipsa condemnet, eamque reddat liberam, ut legis justitiam possit deinceps in ipsa implere. Hinc jam licet dicere: Nos autem non in carne sed in Spiritu sumus, si quidem Spiritus Dei habitat in nobis.

[Rom. 5. 12.]
[2. Cor. 2. 11.]
[Rom. 8. 3.]
[Rom. 8. 9.]

52. Frustra igitur, Ariani, vobis hujusmodi oborta suspicio est: frustra Scripturarum verba prætenditis. Verbum enim Dei immutabile est, semperque idemque est, neque id alio modo quam ipse [F] Pater. Alioquin quomodo illius esset simile, nisi tale esset? Aut quomodo omnia quæ Patris sunt, Filii quoque essent, nisi Patris immutabilitatem haberet? Nec vero veluti legibus subjectus, aut alterutram in partem flexibilis, hoc amat, & illud odit, ne, corruendi metu, aliud quam oporteat amplectatur, atque ita rursus alia quadam ratione mutabilis inducatur. Verum, ut Deus & Verbum Patris, justus est judex amansque virtutis vel potius virtutem donans. Quia ergo natura justus & sanctus est, idcirco justitiam diligere & iniquitatem odio habere dicitur, quod perinde est ac si dicas eum homines vir-

tute præditos amare & admittere, injustos vero repellere & odisse: quod idem de Patre testantur
Psal. 10. 8. divinæ Scripturæ, *Justus Dominus & justitias dilexit*. Et,
Psal. 5. 7. *Odio habuisti omnes qui injuste agunt*. Et,
Psal. 86. 2. *Portas Sion diligit; tabernacula autem Jacob non magni facit*. Et, *Jacob quidem dilexit, Esau vero odio*
Malach. 1. 2. *habuit*. Item secundum Esaiam, vox Dei est rursum dicentis:
Esai. 61. 8. *Ego sum Dominus, qui justitiam diligo, & rapinas iniquitatis odi*. Vel ergo illa verba perinde ac ista intelligant; nam & illa de Dei imagine sunt scripta: vel ista ut illa male interpretantes, mutabilem fingant Patrem. Quod si talia vel etiam, aliis dicentibus, audire, non vacat periculo: idcirco igitur ea recte intelligimus, nempe Deum justitias diligere, & injustas rapinas odisse dici, non quasi in alterutram partem propendere, & contrarium amplecti possit, ita ut illud eligat, illud rejiciat; id enim rerum factarum proprium est: sed quod, ut judex, justos amat & suscipit, procul autem a malis recedit. Eadem porro de Dei imagine sentire quoque convenit, eam scilicet simili modo & amare & odisse. Siquidem talis esse debet imaginis natura, qualis ejus est Pater, etiamsi Ariani neque illam neque quidquam aliud divinarum literarum præ cæcitate non perspiciant. Cum enim suas videant cogitationes vel potius delirationes inanes & vanas esse, rursus ad divinarum Scripturarum verba confugiunt. Verum cum hic pro suo more pariter cæcutiant, horum sensum non possunt percipere: sed suam impietatem tanquam regulam secuti, divina omnia oracula ad eam detorquent, quæ cum vel tantum proferunt, nihil certe aliud audire digni
Mar. 12. 24. sunt, quam, *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*. Quod si pertinaces resistant, hisce rursus
Matth. 22. 21. verbis sunt confutandi, *Reddite quæ sunt hominis, homini, & quæ sunt Dei, Deo*.

53. Atqui, inquiunt, in Proverbiis scri-
Prov. 8. 22. ptum est: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*. In epistola quoque ad He-
Hebr. 1. 4. bræos hæc scribit Apostolus: *Tanto præstantior Angelis factus, quanto excellentius præ illis nomen*
Ibid. 3. v. 1. *hæreditate accepit*. Et paulo post: *Unde, Fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate apostolum & pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est*
Act. 2. 36. *ei qui fecit illum*. Et in Actibus: *Notum sit igitur vobis omnibus, omnis domus Israel, quod & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Jesum quem vos crucifixistis*. Hæc illi loca sursum deorsum versant, quorum non assecuti sensum, inde Dei Verbum creatum & opus, ac unam ex rebus factis esse arbitrantur, atque ita stultos in errorem inducunt, specie quidem verba e sacris literis excerpta proponentes, sed loco veræ sententiæ quam continent, proprium suæ hæresis spargentes venenum. Namque si quod illis Scripturæ locis significatur, haberent exploratum, in Dominum gloriæ impii non essent, neque ea, quæ recte scripta sunt, prave interpretarentur. Quod si Caiphæ mores palam jam amplexati, Judæos sequi decrevere, ita ut ignorent quod scriptum est, nimirum vere Deum in terris habitatu-
Zachar. 2. 10. rum: voces igitur Apostolicas nolint excutere. Id enim Judæorum non est. Sin autem societate inita cum impiissimis Manichæis, Verbum carnem factum esse, corporeumque ejus adventum negant: nobis Proverbia non opponant. Nam hoc etiam alienum e Mani-
Manichæi, Verbum carnem factum esse negabant. chæis est. Quod si propter dignitatem quam obtinent, & avaritiæ lucrum quod ex ea fecere, aut famæ conservandæ gratia gloriæque cupiditate inficiari non audent Verbum carnem factum esse, quia scilicet id scriptum est: vel ergo verba de illo scripta, de corporea ipsius Salvatoris præsentia recte intelligant: vel si id quod significant velint rejicere, pernegent quoque

A Dominum factum fuisse hominem. Valde enim dedecet Verbum carnem factum esse confiteri, & in his quæ de eo scripta sunt erubescere, ob eamque rationem depravare genuinum Scripturæ sensum.

54. Itaque scriptum est tanto præstantiorem fa- Hebr. 1. 4. Alii leg. cum 53. proposui expendendum in quavis Oratione.
ctum esse Angelis. Nam id primum expendere necesse est. Ceterum hic, ut in omnibus aliis divinæ Scripturæ locis agere convenit, observandum est, qua occasione locutus sit Apostolus: quæ sit persona, quæ res cujus gratia scripsit, accurate & fideliter attendendum est, ne quis illa ignorans, aut aliud præter ea intelligens, a vera aberret sententia. Quid observandum est in lectione Scripturæ sacræ, ut recte possit intelligi.
B Hæc profecto non ignorabat studiosus ille Eunuchus, qui Philippum ita rogabat: *Obsecro te, de quo Propheta dicit* Act. 8. 34.
hoc: de se, an de alio aliquo? Nam verebatur ne alteri personæ verba Scripturæ attribuendo, a recto sensu deflecteret. Similiter Discipuli tempus rerum, quas futuras prædicebat Dominus, discere cupientes, eum hoc modo interrogabant: *Dic no-* Matth. 24. 3.
bis quando hæc erunt, & quod signum adventus tui? Iidem quoque cum ea quæ finem mundi spectabant a Ibid. v. 36.
Salvatore audirent, ejus præterea tempus discere peroptabant, ut nec ipsi errarent, & alios possent do-
C cere. Quod cum didicissent, Thessalonicenses, qui in proximo erroris erant periculo, correxerunt. Ubi igitur ista quis probe noverit, recta ac sana fide res est intellecturus. Sin autem alio modo horum aliquid explicaverit, statim incidet in hæresim. Hinc Hymenæus & Alexander, qui resurrectionem 1. Tim. 1. 20.
jam factam esse affirmabant, tempus præveniendo, erraverunt: Galatæ vero post tempus, circumcisionem nunc amplectendo. Erraverunt similiter in persona intelligenda & etiamnum errant Judæi, qui existimant de aliquo ex ipsis istud dici: *Ecce Virgo* Esai. 7. 14.
concipiet & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Matth. 1. 23.
D *Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus*: cum item hæc verba, *Prophetam vobis suscitabit* Deuter. 18. 15.
Deus, de aliquo Prophetarum intelligi arbitrantur; & verborum istorum, *Sicut ovis ad occisionem du-* Esai. 53. 7.
ctus est, interpretationem non a Philippo discunt, sed illis Esaiam aut alium aliquem Prophetam designari opinantur.

55. Idem profecto istis Christi hostibus accidit, indeque in nefandam lapsi sunt hæresim. Nam si personam, rem, & tempus verborum Apostoli cognovissent, non ea, quæ ad humanam pertinent naturam, transtulissent in divinitatem, nec eo im-
E pietatis insani devenissent. Id autem is facile perspiciet, qui initium hujus loci recte intellexerit. En enim Apostoli verba: *Multifariam multisque modis* Heb. 1. 1.
olim Deus locutus Patribus per prophetas, hisce ultimis diebus locutus est nobis in Filio. Deinde paulo post ait: *per seipsum purgatione peccatorum nostrorum* Ibid. v. 3.
facta, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto præstantior factus Angelis, quanto excellentius præ illis nomen hæreditate accepit. Itaque Apostoli dictum temporis meminit, quo nobis Deus in Filio locutus est, & peccatorum facta est purgatio. Quando porro nobis in Filio locutus est, & pecca-
F torum purgatio facta est, vel quando factus est homo, nisi post Prophetas in postremis diebus? Deinde cum sermo sit de dispensatione quæ nostri causa suscepta est; de ultimis temporibus verba faciens, convenienter admonet neque prioribus temporibus Deum tacuisse: siquidem per Prophetas locutus est. Quoniam igitur Prophetæ ministravere, & lex promulgata per Angelos est, deindeque advenit Filius ut ipse ministraret, necessario hæc verba intulit, *Tanto præstantior factus Angelis*, ut scilicet ostenderet quantum servo præstat filius, tanto etiam Filii administrationem servorum admini-

stra-

stratione præstantiorem fuisse. Veterem itaque & novam administrationem distinguens Apostolus, fidenter hæc ad Judæos scribit: *Tanto præstantior factus Angelis*. Quapropter nulla hic usus est comparatione, nec dixit, major vel honoratior, ne quis illum ejusdem ac illos esse generis suspicaretur; sed *præstantior* dixit, ut naturæ Filii & rerum creatarum differentiam demonstraret, idque verum esse ex divinis patet Scripturis. Nam David ita psallit: *Præstantior dies una in atriis tuis super millia*: Hæc item sunt Salomonis verba: *Accipite disciplinam & non argentum, & cognitionem præ auro probato. Præstantior est enim sapientia lapidibus pretiosis: nihilque est pretiosum quod sit illa dignum*. An non enim diversæ sunt naturæ & substantiæ sapientia & lapides terreni? Quænam autem cognatio aulis cælestibus cum terrenis domiciliis? Vel quid simile potest esse res æternas spiritalesque inter ac res caducas & mortales? Id enim ipsum est quod Esaias ait: *Hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volo, & tenuerint fœdus meum, dabo illis in domo mea & in muro meo locum celebrem: præstantius quam filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non deficiet*. Similiter igitur nulla est cognatio Filio cum Angelis: ac proinde non comparationis sed distinctionis causa vocabulum, *præstantior*, usurpavit Apostolus, propter discrimen videlicet quod inter naturam Filii & naturam Angelorum intercedit. Hinc ipse Apostolus vocem illam, *præstantior*, explicans, id quod ea significatur, non alia de re intelligit quam de Filii & rerum factarum differentia. Nam hunc quidem, filium appellat; illos autem, servos. Hinc ille, ut filius cum Patre ad dexteram sedet: isti autem stant, mittuntur ac ministrant.

Psal. 83. 11.
Prov. 8. 10.
Esai. 56. 4.

56. Quæ cum ita scripta sint, o Ariani, ea sane non indicant Filium esse factum, sed potius alium esse a rebus factis, propriumque Patris, & in ejus sinu esse. Nam quod hic scribitur, *factus*, non idcirco factum vere Filium significat, uti vos putatis. Etenim si tantum dixisset, *factus*, aliudque nihil addidisset, inde aliqua Arianis esset litigandi occasio. Verum cum antea Filium nominaverit, eumque alium esse a rebus factis totum per contextum ostenderit, non absolute voce *factus* usus est, sed vocabulum *præstantior* cum voce *factus* conjunxit: quippe qui eam dictionem indifferentem existimaret. Scilicet probe intelligebat hac voce, *factus*, de eo dicta, quem verum esse Filium constabat, nihil aliud hic significari quam eum factum fuisse & esse præstantiorem. Nihil enim refert, si quis de re genita interdum dixerit, facta est vel effecta est. At res factæ, cum sint opera, genitæ dici non queunt, nisi forte geniti Filii participes postea effectæ, genitæ quoque & ipsæ dicantur, non quidem propriam ob naturam, sed quia Filii factæ sint in Spiritu participes. Nec vero id ignoravit divina Scriptura, quæ de rebus factis ait: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Et, *Omnia in sapientia fecisti*. De genitis autem filiis sic loquitur: *Facti sunt Job filii septem & filiæ tres*. Et, *Abraham vero centum annorum erat, cum factus est ei Isaac filius ejus*. Moyses quoque dixit: *Si alicui filii facti fuerint*. Si ergo Filius alius est a rebus factis, solusque proprius est naturæ Patris fetus, frustra Ariani disputandi occasionem ex vocabulo *factus* arripiunt. Nam si hic fracti pudore iterum contendant illa verba comparate dicta esse, proindeque ea quæ comparantur ejusdem esse generis, ita ut Filius naturæ sit Angelorum: ipsos profecto in primis pudebit eadem pugnare & loqui ac Valentinum, Carpocratem aliosve hæreticos, quorum ille Angelos ejusdem esse generis ac Christum affirmavit: Carpocrates autem, eosdem esse dixit mundi fabricatores. Nempe isti ab illis forte edocti magistris, Dei Verbum cum Angelis conferre non verentur.

Joan. 1. 3.
Psal. 103. 24.
Job 1. 2.
Genes. 21. 5.
Ariani, Valentini & Carpocratis discipuli.

57. At certe eos tam impia cogitantes coget erubescere sacer Cantor, cujus hæ sunt voces: *Quis similis erit Domino in filiis Dei*. Et, *Quis similis tui in Diis, Domine?* Nihilominus illis quoque respondebimus, ut vel sic verum discant, comparationem solere institui inter ea quæ ejusdem constat esse generis, non autem inter ea quæ diversam habent naturam. Itaque nemo Deum cum homine comparaverit, neque etiam hominem cum belluis, neque ligna cum lapidibus, propter naturæ dissimilitudinem. Sed Deus quidem cum nulla re comparari potest: homo vero cum homine, lignum cum ligno, lapis cum lapide recte potest conferri, nec in his vox *præstantius* usurpabitur, sed vox, *magis* vel *plus*. Sic Joseph magis pulcher erat suis fratribus: Rachel magis pulchra quam Lia. Stella vero non stella præstantior, sed magis una ab alia differt in gloria. Cum autem res diversæ naturæ inter se comparantur, tunc vox *præstantior*, aut *præstantius*, differentiæ significandæ gratia, adhibetur, quemadmodum de sapientia & lapidibus est dictum. Si igitur Apostolus dixisset: Tanto magis Filius antecellit, vel tanto major est Angelis: vobis sane ex hac Filii cum Angelis comparatione contendendi ansa præberetur. At cum eum dicat esse præstantiorem, tantumque differre, quantum filius a servis differt, manifeste utique ostendit alium esse a natura Angelorum. Cum item eum omnia fundasse affirmet, alium profecto ab omnibus factis rebus esse probat. Quapropter cum diversæ sit naturæ a rerum factarum natura, quænam, quæso, comparatio aut quæ similitudo ejus naturæ cum rebus factis? Verum si rursus simile aliquid excogitent, illos his verbis confutabit Paulus: *Ad quem autem Angelorum dixit unquam: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*.

Psal. 88. 7.
Psalm. 85. 8.
Ea quæ inter se comparantur, ejusdem esse debent generis seu naturæ.
1. *Cor.* 15. 31.
Hebr. 1. 10.
Hebr. 1. 5.

58. Fieri ergo proprium est rerum factarum, quas opera esse dicit. At cum de Filio loquitur, non utitur factionis vocabulo, nec fieri ait: sed eum æternum regem, & creatorem hisce verbis agnoscit: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, & tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes*. Ex quibus, si vellent isti, perspicere possent alium esse opificem & alia opera: illum nimirum esse Deum: hæc facta esse & ex nihilo producta. Nam quod hic dicitur, *ipsi peribunt*, non ita dictum est quasi perituræ sint res creatæ: sed ut rerum factarum naturam a fine indicaret. Nam quæ perire possunt, licet beneficio effectoris non pereant, tamen ex nihilo sunt facta, eaque aliquando non fuisse, ipsa testantur. Quia igitur ea est illorum natura, idcirco de Filio dicitur, *Tu autem permanes*, ut ejus inde ostendatur æternitas. Nam quia interire non potest, ut possunt res factæ, sed potius vim habet semper permanendi, hinc alienum quidem est de ipso dici, Non fuit priusquam esset genitus: at proprium ejus est, semper esse & cum Patre permanere. Etsi autem Apostolus Epistola ad Hebræos hæc non scripsisset: ex aliis tamen ejusdem Epistolis atque ex universa alia Scriptura talia de Verbo comminisci sane prohiberentur. Ceterum quandoquidem ipse quoque scripsit & supra ostendimus Filium ex natura Patris esse genitum; & illum quidem esse effectorem, res autem alias ab eo effici: illum esse splendorem, Verbum, imaginem, & sapientiam Patris; res vero factas infra Trinitatem assistere & servire:

Ibid. v. 8.

vire: alius ergo generis & naturæ est Filius, quam rerum factarum, ac potius proprius est substantiæ Patris, eamdemque ac ille naturam habet. Hinc enim & (*Joan. 14. 28.*) ipse Filius non dixit, *Pater meus præstantior me est*, ne quis eum alium a Patris natura esse suspicaretur, sed *major* dixit, non quidem magnitudine quadam aut tempore, sed quia ex ipso Patre gignitur. (*Pater Filio est major, quatenus Filius ex Patre gignitur.*) Quin etiam cum dixit, *major est*, naturæ proprietatem ostendit.

59. Et vero ipse Apostolus non ut Verbi naturam cum rebus factis potissimum compararet, dixit: *Tanto præstantior factus Angelis*. Namque simul comparari non queunt, cum sint inter se diversæ. Sed ad corporeum Verbi adventum & ad dispensationem ejus attendens, indicare voluit ipsum aliorum qui antecesserant simile non esse, ut, quantum natura ab iis quos antea miserat differt, tanto etiam longeque præstantior esse intelligeretur gratia quæ ab ipso & per ipsum datur, quam Angelorum administratio. Siquidem servorum erat, fructus dumtaxat reposcere: at Filii & Domini erat debita donare & vitem transferre. Unde ea, quæ subjicit Apostolus, differentiam quæ Filium inter & res factas intercedit demonstrant. (*Hebr. 2. 1.*) *Propterea*, inquit, *oportet nos maxime attendere ad ea quæ audivimus, ne forte effluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est?* Quod si Filius esset e rebus factis, non illis jam esset præstantior, neque majori supplicio propter eum puniretur inobedientia. Nec enim in administratione Angelorum, pro singulis illorum majus vel minus erat in his qui peccabant: sed lex erat una, unaque in peccantes animadversio. Quia vero Verbum non est e rebus factis, sed est filius Patris, idcirco quanto præstantior est, & ea, quorum auctor ipse est, præstantiora sunt & ab aliis diversa, tanto etiam gravius esse debet supplicium. Itaque datam per Filium considerent gratiam, eumque ex suis operibus agnoscant vere aliam esse a rebus factis, solumque illum verum Filium in Patre esse, & Patrem in ipso. Discant legem ab Angelis promulgatam esse, sed neminem reddidisse perfectum, quippe quæ, ut docet Paulus, Verbi adventu indigeret. At Verbi adventus, Patris opus perfecit. Hinc antea ab Adam ad Moysem mors quidem regnavit: sed Verbi præsentia mortem penitus destruxit: nec amplius in Adam morimur, sed omnes in Christo vita donamur. Præterea antea a Dan usque ad Bersabee lex (*Psal. 75.*) divulgabatur, atque in sola Judæa notus erat Deus: nunc autem in omnem terram exivit sonus eorum, & omnis terra Dei cognitione est repleta, gentesque universas edocuere Discipuli, ac denique hoc tempo- (*Esai. 54. 13.*) re illud Scripturæ impletum est, *Et erunt omnes docti a* (*Joan. 6. 45.*) *Deo*. Etenim quæ tunc quidem apparebant, meræ erant figuræ: nunc autem ipsa patefacta veritas est: quod Apostolus postea luculentius ipse explicat his (*Hebr. 7. 22.*) verbis: *In tantum præstantioris testamenti sponsor fa-* (*Heb. 8. 6.*) *ctus est Jesus*. Et rursus: *Nunc autem excellentius fortitus est ministerium, quanto & præstantioris testamenti mediator est, quod in præstantioribus promissionibus* (*Hebr. 7. 19.*) *sancitum est. Nam nihil ad perfectionem adduxit lex: sed erat introductio spei præstantioris*. Et paulopost: (*Hebr. 9. 23.*) *Necesse est ergo exemplaria cœlestium his mundari: ipsa autem cœlestia præstantioribus hostiis quam istis*. Vocem igitur *præstantioris* hic & per totum Epistolæ contextum Domino, qui præstantior & alius est a rebus factis, attribuit. Siquidem præstantius est sacrificium quod per ipsum peragitur: præstantior spes, quæ in eo collocatur; ac promissa, quæ nobis per illum sunt facta, non ut magna cum parvis comparantur, sed ut diversa ab aliis natura; quia is, qui ista administravit, rebus factis est præstantior.

60. Jam vero quod dicitur, *factus est sponsor*, sponsionem quam ille pro nobis fecit significat. Quemadmodum enim ille cum Verbum esset, caro factus est, hocque, quod dicimus factum esse, carni ascribimus: (hæc enim facta & creata est) ita etiam hæc dictio, *factus est*, juxta secundam significationem hic est intelligenda, quatenus videlicet factus homo est. Noverint proinde pertinaces homines vanum quoque pravum hoc illorum commentum esse: audiant Paulum cui perspectissimum erat eum & Filium ac sapientiam, splendoremque & imaginem Patris esse, minime his verbis significare ejus factam fuisse naturam, sed eam dictionem referre ad testamenti administrationem, qua scilicet mors, quæ olim regnaverat, destructa est. Siquidem ea ratione ejus administratio præstantior facta est, quia *quod lex fa-* (*Rom. 8. 3.*) *cere non poterat, ubi per carnem infirma erat, fecit Deus misso Filio suo in similitudine carnis peccati, & de peccato condemnavit peccatum in carne*, remoto ab ea delicto, quo captiva perpetuo tenebatur, adeo (*Ibid. v. 4.*) ut divinum sensum non valeret recipere. Cum autem carnem dignam reddidit quæ Verbum reciperet, fecit ut nos non amplius secundum carnem, sed secundum spiritum ambularemus, sæpeque dicamus: Nos vero non sumus in carne, sed in spiritu. Et, Quia venit Dei Filius in mundum, non ut judicaret mundum, sed ut omnes redimeret, & mundus per i- (*Joan. 3. 17.*) psum servaretur. Tunc enim mundus, tamquam reus, a lege judicabatur: nunc vero Verbum in se suscepit judicium, & corpore pro omnibus patiendo, salutem donavit omnibus. Quod cum exploratum haberet Joannes, exclamabat: *Lex per Moysem data est, gratia* (*Joan. 1. 17.*) *& veritas per Jesum Christum facta est*. Præstantior autem est gratia quam lex, & veritas quam umbra.

61. Hoc ergo quod *præstantioris* vocabulo exprimitur, quemadmodum dictum est, per alium fieri non poterat, nisi per Filium qui ad dexteram Patris sedet. Quid autem istud significat, nisi verum illum esse Filium, eamdemque Patris & Filii esse divinitatem? Quia enim eodem Patris regno potitur Filius, in eodem similiter throno quo Pater sedet; cumque ipse Patris divinitate videatur, hinc sane Deus est Verbum, & qui videt Filium, Patrem videt, atque hoc pacto unus est Deus. Itaque a dextris sedens, sinistrum non reddit Patrem: sed quod dextrum & honorabile est in Patre, hoc etiam habet Filius qui ipse (*Filius a dextris Patris sedet, & Pater a dextris Filii.*) ait: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Quo- (*Joan. 16. 15.*) circa Filius a dextris Patris sedens, videt ipse similiter Patrem a dextris sedentem, quamvis ut homo factus dicat: *Providebam Dominum in conspectu meo* (*Psal. 15. 8.*) *semper, quia a dextris est mihi ne commovear*. Inde enim etiam palam fit & Filium in Patre & Patrem in Filio esse. Quamvis enim dexter est Pater, a dextris tamen etiam est Filius; & Filio a dextris sedente, in Filio est ipse Pater. Et Angeli quidem ascendendo & descendendo ministrant: de Filio autem dicit, *Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Insuper cum (*Heb. 1. 6.*) Angeli ministrant, ajunt: Missus sum ad te: &, Dominus præcepit. At Filius, licet ut homo dicat, se missum esse & venisse ad opus perficiendum & administrandum, tamen ut Verbum & imago ait: *Ego* (*Joan. 14. 10.*) *in Patre, & Pater in me est*: &, *Qui vidit me, Patrem* (*Ib. v. 9. & 10.*) *vidit*: &, *Pater in me manens ipse facit opera*. Nam quæ in ista videntur imagine, ea ipsa sunt Patris opera. Hæc igitur satis sunt ad veritatis hostes pudore afficiendos. Quod si, quia scriptum est, *præstantior factus*, nolunt hanc vocem *factus* ita intelligi de

Fi-

Filio, ut idem sit ac si diceretur, factus est, &, [A] significat, sed datum indigentibus adjutorium. Namque Deus & semper & idem est: homines autem per Verbum postea facti sunt, quando ipse voluit Pater: nec Deum videre aut ad eum accedere queunt res ullæ factæ, præsertimque homines in terris degentes. Quapropter cum infirmi homines ejus implorant opem, cum vexati precantur auxilium, cum injuria affecti orant: tunc ille, qui est invisibilis, cum perhumanus sit, se præsentem suo beneficio exhibet, quod per proprium Verbum & in ipso tribuit, ac demum ad cujusque utilitatem sese accommodat divina præsentia, ita ut infirmis [B] fiat robur, afflictis refugium & domus salutis, hisque, qui patiuntur injuriam, dicit: *Adhuc te loquente dicam, Ecce adsum.* [Esai. 58. 9.] Quod igitur in protegendis singulis fit per Filium, hoc Deum sibi factum esse singuli testantur, quia per Verbum fit auxilium ab ipso Deo. Nec vero insolens est inter homines id loquendi genus, quod rectum esse nemo non fatebitur. Sæpe siquidem hominibus adjutorium factum est ab hominibus. Nam alius illi qui injuriam acceperat, opem tulit, ut Abraham, Lot: [Genes. 14. 16.] alius domum persecutionem fugienti aperuit, ut Abdias filiis Prophetarum: [3. Reg. 18. 4.] alius peregrinum refecit, ut Lot, Angelos: [Genes. 19. 3.] [C] alius indigentibus suppeditavit necessaria, ut Job his [Job. 29. 12.] qui quidpiam ab ipso petebant. Quemadmodum igitur si singuli, qui ab aliis acceperint beneficia, dixerint: Ille mihi factus est adjutor: vel, Mihi ille refugium, & isti beneficus factus est distributor, non initium ortus neque naturam eorum, qui bene de se mererentur, significarent, sed acceptum solummodo ab eis beneficium: similiter cum Sancti de Deo dicunt, *factus est*, & *fias*, nullum ortus initium indicant: nam nec initium Deus habet ullum, nec factus ipse est: verum his verbis significatur salus quam hominibus comparavit.

Filio … est; vel quod ejus administratio præstantior aliis facta fuerit, uti diximus: sed hoc ex vocabulo arbitrantur factum dici Verbum: hæc iterum breviter audiant, quandoquidem quæ supra disputavimus jam sunt obliti.

62. Si Filius unus ex Angelis est: æque ipsi ac illis hæc vox *factus* conveniat, nihilque natura ab illis differat; verum vel ipsi sint filii vel ille sit Angelus, omnesque pariter ad dexteram Patris sedeant, [Hebr. 1. 14.] vel cum omnibus assistat quoque ipse Filius tamquam spiritus administer, in administrationem, ut illi, missus. At vero si Paulus Filium a rebus [Hebr. 1. 5.] factis hisce verbis discriminet: *Cui enim Angelorum dixit unquam: Filius meus es tu?* Præterea si cælum ille & terram creat, hique ab eo fiunt; si ille cum Patre sedet, hi autem ministrantes assistunt: cui non perspicuum est nequaquam de Verbi substantia vocem *factus* intelligi ab Apostolo, sed de administratione quæ peracta per ipsum est. Nam quemadmodum cum esset Verbum, caro factum est; ita factus homo, tanto præstantior in administratione factus est Angelis, quantum filius a servis & opifex ab operibus differt. Desinant itaque vocem *factus* de natura Filii interpretari; nec enim est e rebus factis: sed agnoscant hoc vocabulo *factus* factam significari administrationem & dispensationem. Quomodo autem præstantior factus fuerit in administratione, qui ipse natura præstantior est quam res factæ, ea quæ supra diximus, manifesto ostendunt, indeque illos arbitror erubescere. Verum si contumaces esse pergent, e re fuerit insanæ ipsorum occurrere temeritati, similiaque de ipso Patre dicta illis opponere, ut vel fracti pudore suam linguam a malis cohibeant, vel intelligant in quantum devenerint inscitiæ. Itaque scriptum est: [Psal. 30. 3.] *Fias mihi in Deum protectorem & in domum refugii, ut salvum me facias.* Et rursus: [D] [Psal. 9. 10.] *Factus est Dominus refugium pauperi*, & alia id genus quæ in divinis leguntur Scripturis. Quod si ista de Filio dicta esse contendent, quod forte vel etiam magis verum est, agnoscant Sanctos eum, qui res facta non erat, rogare ut sibi adjutor & in domum refugii fieret: ac deinceps vocabula *factus*, *fecit* & *creavit* de corporea ejus intelligant præsentia. Tunc siquidem adjutor & domus refugii factus est, cum nostra peccata suo corpore in lignum sustulit, [Matth. 11. 28.] dixitque: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

63. Sin autem illas voces de Patre putant intelligi; num quia hic quoque scriptum est, *Fias* & *factus est*, eo devenient impudentiæ, ut Deum factum esse dicant? Ita sane id audebunt, quemadmodum idem de ejus Verbo fingere non sunt veriti. Nam sequitur ex ipsorum dictis, ut eadem opinentur de Patre, quæ de ejus Verbo comminiscuntur. Verum absit ut cogitatio tam impia in mentem fidelium umquam veniat. Nec enim Filius e rebus creatis est, nec quod hic scribitur, *fias*, &, *factus est*, principium existendi

64. Quibus ita intellectis efficitur ut quotiescumque de Filio dicitur, *factus est*, & *fias*, eodem explicetur modo, ita ut, cum ista audiunt, *præstantior factus Angelis*, & *factus est*, non aliquod nascendi principium Verbi effingant, aut eum factum esse inde opinentur: sed illud Pauli dictum de administratione & dispensatione, cum homo factus est, intelligant. Cum enim Verbum caro factum est & habitavit in [Joan. 1. 14.] nobis, ac venit ut ministraret, omnibusque impertiret salutem: tunc idem nobis factum est salus, factum est vita, factum est expiatio: tunc ejus pro nobis administratio, Angelorum administratione præ- [E] stantior est facta: denique ipsum item factum est via & resurrectio. Atque ut istud, *Fias mihi in Deum protectorem*, non naturæ ipsius Dei procreationem, sed ejus humanitatem, ut dixi, significat & benignitatem: ita his vocibus, *præstantior factus Angelis*, &, *factus est*, &, *tanto præstantior sponsor factus est Jesus*, non Verbi facta esse natura significatur, (absit) sed beneficium quod ex ejus accepimus incarnatione, quantumvis ingrati fuerint hæretici atque in tuenda impietate perpugnaces.

EJUSDEM CONTRA ARIANOS

Oratio secunda.

1. EGo quidem speraveram fore ut Arii insaniæ histriones argumentis, quæ supra cum ad illos confutandos tum ad veritatem patefaciendam tractavi, contenti, deinceps quiescerent, ipsosque pœniteret tam male de Salvatore sensisse & locutos esse. Verum illi, nescio quo pacto, ne ita quidem recedunt: sed, porcorum canumve more, se- [F] se in suæ vomitionis luto & sordibus volutantes, nova commenta defendendæ impietatis causa sibi excogitant. Itaque nec illud intelligentes quod in Proverbiis scriptum est, *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*, [Prov. 8. 22.] nec istud Apostoli, *Qui fidelis est ei qui fecit illum*, [Hebr. 3. 2.] temere altercantur ajuntque Dei Filium rem factam & creatam esse. Sane [Vide Orationem primam num. 11. & 54.]

ex his, quæ supra dicta sunt, licebat ipsis perspicere, nisi sensus penitus amisissent, Filium, teste veritate, ex nihilo non esse, neque ad res factas ulla ratione pertinere. Cum enim Deus ipse sit: nec factus esse potest, nec fas est eum creatum dicere. Siquidem rerum creatarum & factarum proprium est dici ex nihilo esse, nec fuisse antequam gignerentur. Quando vero, tamquam veriti a propriis discedere fabulis, supra dictas divinarum Scripturarum voces objicere solent, quæ quidem recte sunt scriptæ, sed quas illi malitiose interpretantur: age, quis sit verborum illorum sensus repetamus, cum ut Fidelium animos confirmemus; tum ut illos ex singulis his locis ostendamus Christianismi ignaros penitus esse: quem si cognoscerent, sese in Judæorum nostræ ætatis infidelitate nequaquam concluderent, sed sciscitando discerent quod *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: cum autem volente Patre ipsum Verbum homo est factus, tunc jure merito de illo dictum est a Joanne quidem, *Verbum caro factum est*: & a Petro, *Dominum & Christum eum fecit*: & per Salomonem velut ex ipsius Domini persona, *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*: item a Paulo, *Tanto præstantior factus Angelis*: & alibi, *Semetipsum exinanivit, forma servi assumta*: & rursus, *Unde, fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum*. Hæc enim & similia dicta eamdem vim significationemque habent, quæ & pietati est consentanea, & Verbi divinitatem ostendit, itemque ea, quæ humano more illi attribuuntur, dicta esse quatenus ipse filius quoque hominis factus est. Quæ tametsi satis sunt ad illos penitus refellendos; tamen, quandoquidem quod dictum ab Apostolo est, ut hujus primum meminerim, non intelligentes, arbitrantur Dei Verbum unum ex operibus & rebus factis esse, ob hæc nempe verba, *Qui fidelis est ei qui fecit illum*; necessarium duxi, propositione illorum assumta, ut antea egimus, eorum iterum confutare impietatem.

Rom. 11. 32. Joan. 1. Scripturæ loca qui Filium creatum vel factum significant, de eo, quatenus homo est factus, loquuntur. Prov. 8. 22. Hebr. 1. 4. Philipp. 2. 7. Hebr. 3. 1.

2. Itaque si non est Filius, opus appelletur, & omnia quæ de operibus dicuntur, dicantur de illo: nec item solus dicatur Filius, nec Verbum nec Sapientia: nec ipse quoque Deus dicatur Pater, sed solummodo opifex & creator rerum quas produxit. Sit etiam res creata, imago & figura effectricis ejus voluntatis: nec ipse secundum illos genitalem habeat naturam, ita ut nec Verbum nec Sapientia nec imago ulla sit propriæ ejus naturæ. Nam si Filius non est, nec imago est. Si porro Filius non est, qui Deum creatorem esse dicitis, si utique per Verbum & in Sapientia omnia fiunt quæcumque fiunt, & sine eo nihil fit, ille autem secundum vos nihil habet in quo & per quod omnia efficiat? Quod si ipsa divina natura, ut putant, fecunda non est, sed sterilis, ut lux non illuminans & fons siccus, nonne eos pudere debet affirmare eum vi efficiendi præditum esse? An non erubescent, eo subito quod est ex natura, id velle primum locum tenere quod est ex voluntate? Certe si quæ extrinsecus sunt nec prius erant, cum ea esse vult, ipse efficit: multo prius idem pater fuerit fetus ex propria natura oriundi. Si enim Deo voluntatem circa res quæ non erant attribuunt; quare quod voluntate superius est, in Deo non agnoscunt? Voluntate autem superius est eum ex natura patrem proprii Verbi esse: si igitur id quod prius est, nempe quod ex natura est, non exsistit, ut stulte illi volunt: quomodo id, quod est posterius, quod nimirum est ex voluntate, poterit, quæso, fieri?

Atqui prius est Verbum, posterior res creata. Verum existit Verbum, etiamsi majora contra moliantur impii: nam per ipsum factæ sunt res creatæ. Et certe clarum est Deum, ut effectorem, Verbum etiam efficiens habere non externum, sed quod sui sit proprium. Idem enim rursus dicendum est. Nimirum si voluntatem habet, ejusque voluntas efficax est, & sufficit ad rerum factarum constitutionem: si præterea Verbum ejus est efficax & opifex; dubium utique non est quin idem quoque sit Patris vivens consilium sive voluntas, substantialis efficientia, & verum Verbum, in quo omnia & constant & recte administrantur. Nemo vero vel ambigere possit quin compositor & compositione & rebus compositis prior sit. Posterius item est, ut jam dixi, Deum creare, quam gignere. Namque Filius proprie & vere ex beata illa semperque existente natura est exortus: quæ autem ex ejus voluntate producuntur, extrinsecus fiunt, ac per proprium & ex ipsa natura exortum fetum procreantur.

Filius est vivens Patris voluntas, substantialis efficientia & verum Verbum.

Posterius est Deum esse rerum creatorem quam esse Filii genitorem.

3. Cum igitur ostenderimus perabsurdam esse eorum sententiam qui Dominum Dei Filium esse negant, sed opus esse contendunt; jam profecto necesse fuerit Dominum Filium esse confiteri. Quod si filius est, uti revera est, consessumque est Filium non extrinsecus sed ex gignente esse: ne ergo amplius de verbis, ut supra monuimus, disputent, si Sancti de Verbo ipso loquentes, loco, *qui genuit*, dixerint, *qui fecit*. Modo enim de eo quod ex natura est consentiant, parvi omnino refert qua voce hac in re utantur. Nec enim voces naturam perimunt, sed potius ipsa natura voces ad se accommodat & convertit. Nam non voces naturis sunt priores; sed naturæ priores sunt, & voces naturis posteriores. Unde quando natura factæ sunt vel creatæ, tunc proprie de illis hæ dictiones usurpantur, *fecit, facta est, creavit*, quibus opus significatur. Quando autem natura est & fetus & filius tunc eædem dictiones, *fecit, facta est* & *creavit*, non proprie ei attribuuntur, neque opus significant: sed pro dictione, *genuit*, dictio, *fecit*, absque ullo discrimine usurpatur. Certe non raro patres filios ex se genitos, suos servos appellant; nec tamen quod naturæ proprium est inficiantur. Sæpe etiam servos, benevolentiæ gratia, filios vocant, quo tamen nomine non dissimulant illos ab initio in sui suisse ditione: sed patres filios suos, servos pro sua auctoritate vocant; & contra servos, filios pro sua erga eos benignitate. Sic Sara Abrahamum dominum dixit, quamvis non ejus esset ancilla sed uxor. Apostolus quoque Onesimum servum cum Philemone hero tanquam fratrem conjunxit. Bersabee item, tametsi mater, filium, servum appellavit, cum patri ait: *Servum tuum Salomonem*: ingressusque postea Nathan Propheta eadem quæ illa Davidi dixit: *Salomonem servum tuum*: nec curabant illi quod filium servum dicerent. Nam & ille audiens, naturam agnoscebat, & hi cum ita loquerentur, verum eum esse filium haud ignorabant. Itaque rogabant ut ille patris hæres fieret, quem servi nomine appellabant. Salomon enim erat natura filius Davidis.

3. Reg. 1. 19. Ibid. v. 26.

4. Quemadmodum ergo nos qui ita legimus, ea recte intelligimus, neque cum Salomonem servum appellatum audimus, illum fuisse servum existimamus, sed naturalem & verum filium: ita si de Salvatore, quem vere Filium esse constat, quique naturale Verbum est, Sancti hæc dicant, *Qui fidelis est ei qui fecit illum*, vel si ipse de seipso ait, *Dominus creavit me*, &c, *Ego servus tuus & filius ancillæ tuæ*, aliaque hujus generis; non ideo eum Patris proprium esse negare licet, sed ita de Patre & Filio, ut de Salomone & Davide, recte

Psal. 115. 16.

recte est sentiendum. Alioqui si cum Salomonem servum dici audiunt, eum nihilominus filium esse fatentur: an non eos sæpius perire æquum est, qui idem de Domino nolint sentire, sed cum eum factum, Verbum & Sapientiam vocari audierint, falsas excogitant interpretationes, negantque Filium natura & vere genitum esse ex Patre? cum vero iidem voces & dictiones operis audiunt, statim eo feruntur ut & putent Filium ex natura opus esse, & Verbum esse negent: quamquam ex eo quod ille factus homo est, possunt hujusmodi vocabula ad humanam ejus naturam referre. Annon igitur & illi detestabiles apud Dominum esse convincuntur, quibus duo sunt pondera, quorum altero illa recte expendunt, altero autem blasphemias adversus Dominum proferunt? At forte consentiunt Salomonem ex animi affectione servum esse appellatum: hæc autem verba de Domino dicta, *qui fecit illum*, velut magnum suæ hæresis præsidium tuentur. Verum hujusmodi fulcrum calamus quassatus illis est. Cito enim semetipsos sunt condemnaturi, si proprium Scripturæ didicerint loquendi modum. Nempe quemadmodum Salomon, tametsi filius erat, tamen servus est dictus: ita, ut ea quæ supra dixi repetam, licet parentes, filios, quos ex se genuerunt, formari, creari & fieri dixerint, tamen eos natura filios esse non negant. Hinc ergo Ezechias, ut apud Esaiam legitur, orando ajebat: *Namque ab hodierno die liberos faciam, qui annuntiabunt justitiam tuam, Domine salutis meæ*. Ipse igitur dixit, *faciam*. Propheta vero in eodem libro & quarto Regum sic loquitur: *Et filii tui qui egredientur ex te*. Itaque, *faciam*, pro *gignam*, usurpavit, & eos qui ex se nascerentur, tamquam qui fierent appellavit. Nemo tamen in dubium vocaverit, quin de fetu naturali sermo habeatur. Eva quoque postquam peperit Cain, dixit: *Possedi hominem per Deum*. Nempe pro, *peperi*, dixit, *possedi*. Nam quia partum prius viderat, postmodum dixit, *possedi*. Nec tamen propter hanc dictionem, *possedi*, arbitrandum est Cain extrinsecus emtum fuisse, non vero ex ipsa esse natum. Similiter Patriarcha Jacob dixit Joseph: *Duo ergo filii tui, qui tibi facti sunt in Ægypto, antequam venirem ad te in Ægyptum, mei sunt Ephraim & Manasses*. De Job item hæc habet Scriptura: *Facti sunt ei septem filii & tres filiæ*. Quo etiam modo Moyses in Lege locutus est: *Si alicui filii facti fuerint*, &, *si fecerit filium*.

Prov. 20. 23.

Scriptura interdum pro gignere, utitur verbo facere.

Esai. 38. 19. juxta hebr.

4. Reg. 20. 18. Esai. 39. 7.

Genes. 4. 1.

Genes. 48. 5.

Job. 1. 2.

5. En ergo illi eos, qui geniti sunt, factos & formatos appellavere, quippe qui non ignorarent nihil referre, si de filiis dicatur, *facti sunt*, *possedi*, vel, *feci*, modo filios eos esse concedatur. Namque natura & veritas mentem ad se intelligendam attrahunt. Quocirca si qui disputent utrum Dominus res facta vel creata sit, primo ab illis quærendum est, num ille sit Filius, Verbum & Sapientia? Hoc enim probato mox evanescit omnis hac de re suspicio. Neque enim res facta, Filius & Verbum potest esse; neque pariter Filius, res facta esse potest. Quæ cum ita sint, profecto omnibus patet has voces, *qui fecit illum*, nullo adjumento ad illorum hæresim esse, sed eam his potius condemnari. Siquidem ostensum est verbum, *fecit*, etiam cum de veris & naturalibus filiis fit mentio, a Scriptura divina usurpari; unde cum probatum sit Dominum naturalem verumque Filium, Verbum, atque Sapientiam Patris esse: etiamsi, cum de illo habetur sermo, dictio, *fecit*, vel, *factus est*, adhibeatur; non id dicitur quasi ille opus esset; sed Sancti hisce verbis promiscue utuntur, uti de Salomone & Ezechiæ liberis ostendimus. Licet enim eos ex seipsis genuissent, A scriptum est nihilominus, *feci*, *possedi*, *factus est*. Quocirca jam necesse est ut illi Dei hostes, qui propugnandæ hæresis causa hujusmodi sæpe objecere voculas, sero saltem ex his quæ diximus suam deponant sententiam, ac deinceps sentiant Dominum verum Filium, Verbum & Sapientiam Patris esse, non autem rem factam vel creatam. Nam si res facta esset Filius, in quonam ipse verbo quanamve in sapientia factus esset? Omnia siquidem opera per Verbum & Sapientiam facta sunt, uti scriptum est: *Omnia in Sapientia fecisti*: &, *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Si porro ipse est B Verbum & Sapientia in qua omnia fiunt, non igitur ex eorum numero est quæ fiunt, ac nullo modo res est creata, sed Patris est fetus.

Nec res facta, Filius & Verbum esse potest: nec Filius, res facta potest esse.

Psal. 103. 24.

Joan. 1. 3.

6. Namque attendite quantus sit error, Dei Verbum opus appellare. Salomon aliquo in loco Ecclesiastis ait: *Universum opus Deus adducet in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit*. Num ergo, si opus est Verbum, in judicium quoque secundum vos adducetur? Ubi igitur jam judicium futurum est, si ipse judex judicetur? Quis justis benedictiones, & indignis supplicia retribuet, cum ipse Dominus secundum vos cum omnibus stet in judicio? C Qua porro lege ipse legislator judicabitur? Hæc utique rerum factarum propria sunt, judicari, a Filio benedici & puniri. Jam ergo judicem timete, & Salomoni auscultate. Nam si universum opus Deus adducet in judicium, ipse autem Filius non numeratur inter eos qui judicantur, sed potius ipse universorum operum judex est: an non sole clarius est Filium non esse opus, sed Patris esse Verbum, in quo opera & fiunt & judicantur? Quod si illud quod scriptum est, *qui fidelis est*, rursus illos conturbet, perindeque de illo ac de omnibus vocem, *fidelis*, dictam putent, quia scilicet credendo fidei mercedem recipit: profe- D cto restat ut eadem de causa Moysem increpent, qui nempe ait: *Deus fidelis & verus*; nec non Paulum scribentem: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Verum Sancti qui ita loquebantur, non humana de Deo cogitabant, sed noverant duplicem esse vocis, *fidelis*, apud Scripturam significationem: scilicet interdum eum qui credit significare, interdum vero eum qui dignus est cui credatur: priorem porro significationem hominibus convenire; posteriorem, Deo. Itaque fidelis est Abraham, quia loquenti Deo credidit: fidelis autem Deus E est, quia, ut canit David, *Fidelis est Dominus in omnibus verbis suis*, dignusque fide est, nec fieri potest ut ipse mentiatur. Item, *Si qua fidelis viduas habet*, hæc fidelis appellatur quia recte credit. Fidelis autem sermo est, quia quod dixit credi debet: siquidem id verum est, nec aliter fieri potest. Itaque illud etiam quod scriptum est, *Qui fidelis est ei qui fecit illum*, nihil simile cum aliis habet, nec is ejus est sensus, quod ille credendo gratus est effectus, sed quod cum veri Dei sit Filius, fidelis ipse quoque est, eique in omnibus, quæ dixerit feceritve, fides est adhibenda. Namque immutabilis permanet, nec in sua hu- F mana administratione aut corporeo adventu ullam subiit mutationem.

Eccles. 12. 14.

Heb. 3. 2.

Deut. 32. 4.

1. Cor. 10. 13.

Psal. 144. 13.

1. Timot. 5. 16.

1. Timot. 1. 1.

7. Sic ergo retundi potest illorum impudentia, solaque ex hac dictione, *fecit*, errantes eos, arbitrantesque Dei Verbum factum esse, facillimum est refellere. Quapropter cum rectus sit illorum verborum sensus, constetque ex eo, quandonam & ad quid vox, *fecit*, referatur: necesse est ex ea ipsa hæreticorum ostendere stupiditatem, maxime si, ut antea diximus, ad ejus tempus & usum attenderimus. Non igitur cum hæc dice-

ret

ret Apostolus, de his, quæ ante creationem erant, verba faciebat, sed de his dumtaxat quæ Verbum carnem factum spectarent; sic enim scriptum est: (*Hebr. 3. 1.*) *Unde, fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate apostolum & pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum*. Quandonam igitur missus est, aut quandonam nostram induit carnem? Quandonam nostræ confessionis pontifex est factus? Nonne tunc cum, postquam pro nobis se ipse obtulisset, corpus excitavit ex mortuis, nuncque eos, qui ipsius amplectuntur fidem, adducit & offert Patri, omnes redimens, & pro omnibus Deo satisfaciens eumque propitium reddens? Non itaque Apostolus Verbi naturam vel naturalem ejus ex Patre ortum his significabat vocibus, *Qui fidelis est ei qui fecit illum*: absit; siquidem efficiens, non effectum est Verbum: sed ejus ad homines adventum, & factum pontificatum indicabat, ut ex legis & (*Num. 18. & 8?.*) Aaronis historia licet perspicere. Nec enim Aaron pontifex genitus est, sed homo, qui postea, cum Deo placuit, factus est pontifex; quod quidem non quovis modo actum est, nec ille consuetis ex vestimentis pontifex est agnitus, sed epomidem, poderem & rationale induit, quas vestes Dei jussu texuerant mulieres; quibus ille indutus in sancta ingrediebatur, ut sacrificium pro populo offerret: ac veluti medius constituebatur inter Dei visionem & hominum sacrificia. Sic igitur ipse quoque Dominus in principio quidem erat Verbum, & Verbum erat (*Joan. 1.*) apud Deum, & Deus erat Verbum: cum autem voluit Pater ut pretium pro omnibus redimendis solveretur, & gratia in omnes conferretur, tunc Verbum carnem; ut Aaron poderem, accepit e terra, & Mariam, rudis instar terræ, corporis sui matrem habuit, ut quid ad offerendum, tamquam pontifex, habens, seipsum offerret Patri, omniumque peccata proprio ablueret sanguine, & cunctos ex mortuis excitaret.

(*Aaron figura Christi Domini.*) 8. Vetera siquidem, hujusce rei umbra erant, quodque Salvator post suum adventum peregit, id Aaron in lege adumbrabat. Igitur quemadmodum Aaron idem erat, nec mutabatur pontificalem induens vestem, sed idem manens, ea solummodo operiebatur, ita ut si quis illum offerentem intuitus dixisset, Ecce Aaron factus est hodie pontifex; non his verbis significasset illum tunc hominem factum esse, quippe cum homo esset antequam fieret pontifex: sed ipsum indicasset vestibus factis destinatisque pontificatui indutum, pontificem sacerdotio factum fuisse. Sane simili modo hujusmodi dictiones, *factus est*, aut, *effectus est*, recte de Domino possumus interpretari, eum videlicet carne assumta non alium fuisse factum, sed eumdem esse, illaque solum contegi: nefas autem est Verbum, quatenus Verbum, factum esse cogitare; sed intelligendum est Verbum, cum esset opifex & creator, corpore facto & creato, quod pro nobis posset offerre, postea indutum, pontificem factum fuisse, quæ causa est cur factum dicatur. Itaque si Dominus homo non est factus, decertent Ariani, Sin autem Verbum caro factum est, quid aliud de homine facto dicendum erat, quam, *qui fidelis est ei qui fecit illum?* Ut enim proprie de Verbo dicitur, (*Joan. 1.*) *In principio erat Verbum*, ita hominum proprium est fieri & creari. Quis ergo si Dominum viderit tamquam hominem ambulantem, Deumque se factis declarantem, non sciscitetur, quisnam istum fecerit hominem? Quis autem ita interrogatus non responderet, Patrem, illum fecisse hominem, ipsumque pontificem nobis

A misisse. Atqui hanc ipsam sententiam, tempusque & personam ex ipso Apostolo qui scripsit, *qui fidelis est ei qui fecit illum*, melius licet discere, si nempe ad ea quæ antecedunt attenderimus. Una enim series est, ac de eodem agitur hoc in Scripturæ loco. Hæc itaque scribit Epistola ad Hebræos: *Quia ergo pueri carnis & sanguinis participes facti sunt, ipse quoque similiter eorumdem particeps fuit, ut per mortem eum destrueret, qui mortis imperium habet, id est, diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors fieret & fidelis pontifex in his quæ ad Deum spectant, ut expiaret peccata populi. In eo enim in quo ipsum tentari contigit, potest his qui tentantur auxiliari. Unde, fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate apostolum & pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum.* (*Hebr. 2. 14.*)

9. Quis hæc verba possit legere quin Arianos statim condemnet, beatumque admiretur Apostolum qui tam præclare est locutus? Quando enim factus effectusque est apostolus, nisi cum ipse, ut nos, carnis & sanguinis fuit particeps? Quando vero misericors & fidelis pontifex est factus, nisi cum per omnia fratribus similis fuit effectus? quod utique tunc accidit, cum nostra carne assumpta factus homo est. Itaque de humana Verbi dispensatione non de natura Verbi hæc scripsit Paulus, *Qui fidelis est ei qui fecit illum*. Jam ergo insanire desinite, nec amplius contendite Dei Verbum rem factam esse. Siquidem ipse est unigenitus natura Filius. Tunc autem habuit fratres, cum carnem nostri similem induit, quam per seipse offerens, pontifex appellatus est, factusque est misericors & fidelis: misericors quidem, quia cum seipsum pro nobis obtulit, nostri est misertus: fidelis vero, non quia fidei particeps est, aut in aliquem credit, uti nos, sed quia in his quæ vel dixerit vel fecerit credi debet, ac fidele constansque sacrificium non fluxum offert. Nam legis sacrificia nihil fidele sive firmum habebant, cum singulis diebus præterirent, novaque rursus indigerent purgatione. At (*Discrimen inter legis sacrificia, & Christi sacrificium.*) Salvatoris sacrificium semel peractum omnia perfecit, fideleque est factum, cum maneat perpetuo. Præterea Aaroni fuere successores, omninoque legis sacerdotium, tempore & morte interveniente, priores mutabat sacerdotes. At Dominus pontificatum (*Hebr. 7. 24.*) habet qui nec transit, nec cui succeditur: unde fidelis factus est pontifex, quia semper manet. Fit quoque promissione fidelis, cum eos qui ad illum accedunt exaudiat, nec fallat umquam. Id item ex Epistola beati Petri licet discere: *Itaque*, inquit, *& hi qui patiuntur* (*1. Petr. 4. 19.*) *secundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas suas*. Fidelis enim est, qui non mutatur, sed semper permanet, & ea reddit quæ est pollicitus.

10. Falsi autem Gentilium Dii neque quoad naturam neque quoad promissa fideles sunt. Nec enim ipsi ubique existunt, quin etiam his in locis, ubi sunt, tempore depereunt ac per se destruuntur. (*Jerem. 2. 3. Ibid. cap. 13. v. 18.*) Hinc adversus illos clamat Verbum fidem in illis non valuisse, & falsam eos esse aquam, fidemque (*Deuter. 32. 20.*) in illis non esse. At solus & verus omnium Deus (*Deuter. 32. 37.*) fidelis est, qui idem & est, & ait: *Videte me, videte quod ego sum*, &, *non sum mutatus*. Hinc etiam (*Malach. 3. 6.*) ejus Filius fidelis est, qui & ipse semper est, nec mutatur, nec natura nec promissis fallax est, ut iterum scribit Apostolus ad Thessalonicenses: *Fidelis* (*1. Thessal. 5. 24.*) *est qui vos vocat qui & faciet*. Cum enim ea quæ promittit efficit, fidelis est in verbis suis. Quod autem

tem

tem hoc vocabulum immutabilitatem significet, idem his verbis Hebræos docet: *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Itaque jure merito Apostolus de corporea Verbi præsentia sermonem habens dixit: *Apostolum & qui fidelis est ei qui fecit illum;* quibus utique verbis ostendit Jesum Christum etiam factum hominem, heri & hodie eumdem esse, atque in perpetuum tempus esse immutabilem. At vero quemadmodum humanæ illius naturæ, sacerdotii nomine, meminit Apostolus: sic etiam non diu de ejus divinitate siluit, sed mox meminit ejusdem, quo nos ubique redderet securos, præsertim ubi de ejus humilitate loquitur, ut ipsius altitudinem paternamque majestatem statim cognosceremus. Ait igitur: Moyses famulus, Christus autem Filius erat: & ille quidem fidelis erat in domo, iste vero super domum, utpote qui eam ædificaverit, ejusque Dominus sit ac opifex, & eam tamquam Dominus sanctam efficiat. Siquidem Moyses, qui homo natura erat, fidelis est factus, cum Deo qui per Verbum loquebatur crederet: Verbum autem non veluti res quædam facta erat in corpore, aut ut res creata in creata, sed Deus erat in carne, & opifex ac fabricator in opere a se constructo. Præterea homines carne circumdantur ut sint & consistant: at Dei Verbum homo factus est, ut carnem sanctam redderet; & qui Dominus erat, servi figuram assumsit. Verbi enim serva est res omnis creata, quæ ab ipso facta & condita fuit. Inde porro constat illud ab Apostolo dictum, *fecit*, minime significare factum fuisse Verbum, sed corpus dumtaxat quod simile nostri accepit: hincque factus homo, frater noster est appellatus.

1. Tim. 2. 13.

Heb. 3. 5.

11. Quod si ostensum est, cum quis de ipso Verbo loquens, vocabulo, *fecit*, utitur, eum illud loco, *genuit*, usurpare: quam illi, quæso, pravam interpretationem sunt excogitaturi, postquam nostra Oratione dictum illud tam dilucide enucleavimus, ostendimusque Filium non rem factam, sed natura quidem Patris fetum esse, œconomia vero sive dispensatione eumdem, cum Patri visum est, hominem propter nos factum esse: quam ob causam ait Apostolus, *qui fidelis est ei qui fecit illum*, & in Proverbiis idem creari dicitur. Dummodo enim factum eum esse hominem concedatur, nihil sane interest, si, uti jam est observatum, de eo dicatur, sive, factus est, sive, effectus est, sive, creatus est, sive, formatus est, sive, servus, sive, filius ancillæ, sive, filius hominis, sive, constitutus est, sive, peregrinatus est, sive, sponsus, sive, patruelis, sive, frater. Siquidem omnia hæc vocabula hominum conditionis propria sunt, eaque & similia non naturam Verbi significant, sed eum hominem factum esse demonstrant. Eodem similiter modo intelligendus est locus ille Actuum, quem illi quoque objiciunt, ubi scilicet Petrus ait: *Quia & Dominum & Christum fecit hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Nec enim hic scriptum est: Fecit sibi ipsi filium, vel, fecit sibi ipsi Verbum, ut ista comminiscerentur. Si igitur obliti non sunt se de Dei Filio loqui, scrutentur num alicubi scriptum sit: sibi ipsi filium fecit Deus, vel, sibi ipsi Verbum creavit: vel, an uspiam aperte dictum sit: Verbum res est facta ac creata; idque tunc objiciant, ut etiam hac ex parte stulti confutentur. Quod si nihil hujusmodi reperiunt, sed tantum sedulo observant sicubi scriptum est, *fecit*, &, *factus est*, vereor ne audientes, In principio fecit Deus cælum & terram, &, fecit solem & lunam, &, fecit mare, eo sensim veniant ut dicant eum esse cælum & lucem quæ prima die facta est, terramque & singulas res factas, ut jam scilicet his, quos Stoicos vocant, similes habeantur. Stoici enim ipsum Deum in omnia extendunt: illi autem Dei Verbum collocant in singulis rebus factis: quamquam similia jam propugnarunt, cum ipsum contenderint unam ex rebus factis esse.

Prov. 8. 22.

Actor. 2. 36.

Genes. 1.

Ariani similes Stoicis, qui Deum in res omnes distrahunt. Vide Plutarchum de Placitis Philosophorum lib. 1. cap. 6. & 7.

12. Verum iterum eadem audiant, ac primum discant Filium ipsum esse, ut supra dictum est, nec Verbum rem factam esse, nec illa loca de ejus divinitate esse intelligenda, sed expendendum qua de causa quove modo scripta fuerint: quod si quis exquirat, ea de humana dispensatione, quam nostri causa suscepit, dicta esse reperiet. Hinc enim cum Petrus dixisset, *Dominum & Christum eum fecit*, continuo addidit, *hunc Jesum quem vos crucifixistis*: ex quibus profecto nemini non est manifestum, idque & istis patebit, modo velint sermonis contextum observare, his Petri verbis indicari non quidem naturam Verbi, sed ipsum secundum naturam humanam factum esse. Quid enim crucifixum est præter corpus? qui vero id quod Verbi corporeum est potuit aptius significare quam vocabulo, *fecit?* quamquam hæc ipsa dictio, *fecit*, rectam hic obtinet significationem. Nec enim dixit, ut supra annotavimus, fecit eum Verbum, sed, *Dominum eum*: neque id tantum, sed, *apud vos*, &, *in medio vestri fecit*, quod idem est, ac, ostendit. Sane id Petrus ipse, primariam hancce doctrinam promulgare incipiens, verbis hujusmodi annotavit: *Viri Israelitæ, audite verba hæc: Jesum Nazarenum, virum quem Deus apud vos ostendit virtutibus, prodigiis & signis, quæ Deus per illum fecit in medio vestri, sicut ipsi scitis.* Itaque quod in fine ait, *fecit*, idem initio, vocabulo, *ostendit*, dixerat. Namque ex signis & miraculis quæ edidit Dominus, ostensus est non simplex homo, sed Deus esse in corpore, & Dominus ac Christus. Simile quoque est quod a Joanne in Euangelio dicitur: *Idcirco ergo eum Judæi magis persequebantur, non tantum quod solvebat sabbatum, sed & patrem proprium dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Nec enim tunc Dominus se ipse Deum finxit: cum Deus omnino fieri non queat: sed se Deum esse operibus ostendebat, uti ipse ait, *Si mihi non creditis, saltem operibus credite, ut cognoscatis quia ego in Patre & Pater in me est.* Sic ergo Dominum & Regem eum fecit Pater in medio nostri & apud nos qui prius non credebamus. Unde etiam perspicuum est eum, qui eo tempore Dominus ac Rex esse ostendebatur, non tunc incœpisse Regem & Dominum fieri, sed cœpisse dominatum ostendere suum, atque etiam apud eos propagare qui antea non credebant.

Act. 2. 36.

Act. 2. 22.

Joan. 5. 16. 18.

Joan. 10. 38.

13. Si igitur existimant Salvatorem, Dominum & Regem non fuisse, antequam fieret homo, & crucis supplicium subiret, sed tunc tantum Dominum esse cœpisse; noverint se eadem quæ Samosatensis aperte proferre. Sin autem, ut vidimus supraque ostendimus, Dominus & Rex est æternus, quippe cum Abraham eum tamquam Dominum adoret, & Moyses dicat: *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem a Domino*; & David canat: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*: &, *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui*: &, *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum*: liquet sane eum prius etiam quam homo fieret, Regem & Dominum æternum fuisse, utpote qui sit imago & Verbum Patris. Cum igitur Verbum æternus fuerit Dominus & Rex, manifestum profecto est Petrum non dixisse naturam Filii fuisse factam, sed ejus in nos dominatum factum fuisse, quando factus homo est, & omnibus cruce

Genes. 19. 24.

Psal. 109. 1.

Psal. 44. 7.

Psal. 144. 13.

cruce redemtis omnium Dominus & Rex est factus. Sin vero propterea quod scriptum est, *fecit*, instent pertinaciter, nec idem hic esse velint, *fecit*, ac *ostendit*, vel quia non intelligunt, vel quia adversus Christum dimicare statuerunt: audiant etiam hoc modo Petri verba recte posse explicari. Nam qui aliquorum fit dominus, eos qui jam existunt in suam recipit ditionem. Sed si Dominus omnium est creator rexque sempiternus, cumque factus homo est, tunc etiam nos possedit: clarum utique fuerit nec etiam hoc pacto illis Petri verbis significari factam esse Verbi naturam, sed omnia posthac ei fuisse subjecta, ac Salvatoris dominatum apud omnes factum fuisse, quod sane simile est his quæ supra tractata sunt. Ut enim ibi in medium attulimus hæc verba, *Fiat mihi in Deum protectorem*; &, *Factus est Dominus refugium pauperi*, ostendimusque his non doceri Deum factum esse, sed gratiam ab eo in singulos collatam indicari: ita eadem est verborum Petri significatio.

Psal. 30. 3. Psal. 9. 10.

14. Verbum enim cum sit ipse Dei Filius, omnium est dominus: nos autem, antequam essemus, servituti corruptionis & legis maledictioni obnoxii ab initio tenebamur: deinde cum paulatim ea, quæ non essent, nobis ipsi effinxissemus, his qui natura dii non erant, ut docet beatus Apostolus, servivimus, verique
Rom. 1. 25. Dei ignari, ea quæ nulla erant veritati anteposuimus. Postea vero, ut vetus ille populus in Ægypto oppressus ingemiscebat; ita cum nos naturali ornati lege, inenarrabiles Spiritus gemitus ederemus, ajebamusque: *Domine, Deus noster posside nos*: quemadmodum
Rom. 8. 26.
Psal. 36. 13. factus est in domum refugii & in Deum protectorem: sic & ipse dominus noster est factus. Nec ille tunc esse cœpit, sed nos eum dominum habere incœpimus. Nam Deus qui bonus est & Pater Domini, misericordia motus, volensque notus omnibus fieri, fecit ut suus Filius corpus humanum indueret, homoque fieret, & vocaretur JESUS, ut in eo corpore pro omnibus se offerens, omnes idolatria & corruptione liberaret, ac omnium dominus & rex fieret. Eum ergo hac ratione dominum & regem factum esse, idipsum est quod Petrus ait, *Fecit*
Act. 2. 36. *eum dominum & Christum misit*, quod idem est, ac si diceret Patrem, eum fecisse hominem. Fieri enim proprium est hominum: Nec vero eum solummodo fecit hominem, sed ut in omnes dominaretur, eosque unctione sanctos redderet. Nam etsi Verbum in forma Dei ex[ci]tans servi formam accepit, carnis tamen assumtio Verbum, qui dominus natura erat, servum non effecit, sed universam potius hominum naturam ipsum Verbum liberavit, quod Verbum, qui natura Dominus erat, etiam factus homo, per servi formam, omnium factus est dominus & Christus, id est, ut omnes per Spiritum sanctificaret. Atque ut Deus factus in Deum protectorem & dicens, *Ero illis Deus*, non tunc magis fit Deus, vel fieri incipit: sed quod semper est, id etiam fit indigentibus, cum ipsi placuerit: ita quoque Christus qui natura dominus & rex sempiternus est, non magis fit dominus tum cum mittitur, neque dominus & rex esse tunc incipit; sed quod semper est, hoc ipsum tunc etiam secundum carnem factus est, omnibusque redemptis, fit quoque hoc modo viventium & mortuorum dominus. Jam enim inde omnia ipsi serviunt, idque ipsum est quod canit David: *Di-*
Psal. 109. 1. *xit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Neque enim decebat per alium redemtionem fieri quam per eum qui natura dominus erat, ne per filium creati, alium appellaremus Dominum, atque in Arianorum & Gentilium delaberemur dementiam, rebus creatis potius quam Deo omnium creatori servientes.

15. Hic est, ut pro mea quidem tenuitate judico, hujus loci sensus. Non enim absque vera & recta causa hæc ad Judæos dixit Petrus. Nimirum Judæi e veritate deerrantes, Christum expectant venturum, nec eum passurum arbitrantur, ajentes quod minime intelligunt, *Nos scimus Christum cum venerit, in æternum permansurum, & quomodo tu dicis ipsum extolli oportere?* Deinde non putant Verbum in carne nasci, sed purum eum hominem esse, quales omnes fuere Reges. Hinc Dominus ut Cleopham ejusque socium convinceret, eos docebat Christum primum pati oportuisse. Ceteros item confutavit Judæos, Deum advenisse his ostendens verbis: *Si illos dixit Deos ad quos Verbum Dei factum est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum.* Joan. 12. 34. Luc. 24. 26. Joan. 10. 35.

Judæorum de Christo opinio.

16. Itaque Petrus qui hæc a Salvatore didicerat, Judæos utraque ex parte coarguens ait. O Judæi, divinæ Scripturæ Christum venire annuntiant, vosque eum purum esse hominem ut unum ex David posteris arbitramini. Verum quæ de illo sunt scripta, non talem eum indicant, qualem vos dicitis, sed potius Dominum eum & Deum, immortalem atque auctorem vitæ esse declarant. Namque Moyses dixit: *Videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros*. Et David Psalmo centesimo nono, *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Et Psalmo decimo quinto: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Hæc autem Verba non ad David pertinere, testatur idem ipse, cum eum, qui venit, suum appellet dominum. Vos vero ipsi perspicite illum esse mortuum, ejusque reliquias apud vos esse. Christum vero talem esse oportere qualem eum describunt Scripturæ, vos quoque una certe fatebimini, cum illa verba sint a Deo dicta, nec in illis ullus esse possit mendacii locus. Si igitur talem aliquem antea advenisse eumque Deum esse ex signis & prodigiis quæ ediderit potestis ostendere, jure merito nobiscum contendite. Sin autem talem aliquem advenisse non potestis probare, sed eum adhuc expectetis: tempus ex Daniele cognoscite; nam quæ ab illo dicta sunt, in præsens quadrant tempus. Porro si præsens tempus illud ipsum est quod olim fuit prædictum, vosque ipsi ea quæ nunc apud nos gesta sunt estis intuiti, nolite in dubium vocare quin iste JESUS, quem vos crucifixistis, ipse sit Christus expectatus: Siquidem David & omnes Prophetæ mortui sunt, extantque apud vos eorum monumenta. At resurrectio, quæ modo est facta, argumento est ad [c]um ea quæ scripta erant spectare. Eum enim crucifigendum fuisse hæc verba ostendunt, *Videbitis vitam vestram pendentem*: & in vulnere quod ejus lateri lancea est inflictum, illud Prophetæ impletur, *Sicut ovis ad occisionem ductus est*. Quod autem non solum ipse revixit, sed etiam priscos mortuos e monumentis excitavit, (hos enim plerique vestrum viderunt) hoc ipsum est, *Non derelinques animam meam in inferno*: &, *Absorbuit mors invalescens*: & rursus, *Abstulit Deus*. Illa porro quæ edidit signa, eum Deum esse in corpore, vitamque ac dominum mortis esse prorsus persuadent. Siquidem decebat Christum, qui vitam aliis impertit, e morte non teneri, quod certe fieri non potuisset, si, ut vos sentitis, purus homo esset Christus. Verum ipse est Filius Dei. Nam omnes homines morti sunt subjecti. Itaque nemo jam ambigat, sed pro certo habeat omnis domus Israel hunc Jesum quem figura hominem vidistis, signorum tantorum-

Jesum Christum vere Christum esse contra Judæos probatur. Deuter. 28. 66. Psal. 109. 1. Psal. 15. 10. Deuter. 28. 66. Esai. 53. 7. Psal. 15. 10. Esai. 25. 8.

torumque auctorem operum, quæ nullus unquam o- A git, ipsum esse Christum & dominum omnium. Namque factus licet & vocatus JESUS, ut antea diximus, non est tamen humana conditione diminutus, sed potius, cum homo factus est, viventium & mor-

1. Cor. 1. 21. tuorum dominus est declaratus. *Quia enim*, ut ait Apostolus, *in sapientia Dei non cognovit mundus Deum per sapientiam, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*. Sic etiam quia nos homines per ejus Verbum noluimus Deum agnoscere, nec Dei Verbo, qui natura noster dominus est, servire: placuit Deo in homine suum ostendere dominatum, omnesque ad seipsum attrahere. Per merum autem B hominem id dedecebat fieri, ne hominem dominum habentes, hominis cultores efficeremur. Quapropter ipsum Verbum caro factum est, & vocavit nomen ejus Jesum, atque ita eum dominum & Christum fecit Pater, id est, fecit ut dominaretur & regnaret, ut in nomine Jesu, quem vos crucifixistis, quemadmodum omne genu flectitur, ita & dominum & regem ipsum Filium, & Patrem per eum agnosceremus.

17. His auditis plerique Judæorum ita fuere commutati ut Christum agnoverint, quemadmodum in

Act. 2. 37. Actibus scribitur. Verum quandoquidem Ariani, Judæi permanere atque adversus Petrum contendere decreverunt: C age, similes loquendi modos eis proponamus: futurum forte est ut hoc pacto tandem cedant, ubi divinæ Scripturæ morem didicerint. Itaque Christum æternum dominum & regem esse constat ex supra dictis, nullusque est qui hac de re dubitet. Cum enim Filius Dei sit, illius similem ipsum esse necesse est. Quia porro similis ejus est, dominus & rex necessario est. Ipse enim

Joan. 14. 9. ait: *Qui me vidit, vidit patrem*. Quod autem

Act. 2. 36. sola hæc Petri verba, *Dominum eum & Christum fecit*, Filium opus esse non significent, ex D benedictione Isaac licet perspicere: quamquam hæc imago ad rem de qua agimus exprimendam paulo obscurior est. Igitur ille ad Jacob dixit:

Genes. 27. v. 29. 37. *Fias Dominus fratris tui:* ad Esau autem, *Ecce eum tui Dominum feci*. Quod si dictio, *feci*, hic naturam Jacob, ejusque ortus principium significaret; neque tamen idcirco idem de Dei Verbo esset cogitandum; nec enim Filius Dei res facta est, sicuti Jacob: quamquam possent, si vellent alios interrogare, non amplius desipere. Verum si ista neque de natura neque de ortus principio intelligunt, cum tamen Jacob natura crea- E tus sit & factus: an non furiose magis quam diabolus insanire dicendi sunt qui ea, quæ rebus natura factis non audent similes ob dictiones attribuere, Dei Filio ipsi affingant, eumque rem factam esse contendant? Et vero Isaac cum diceret, *fias*, &, *feci*, nec principium ortus Jacob nec ejus significabat naturam. Siquidem post triginta & amplius annos, ex quo Jacob natus erat, hæc ille ajebat, sed ejus in fratrem potestatem, quæ postea facta est, indicabat.

18. Ergo multo magis Petrus non his verbis si- F gnificavit factam esse Verbi naturam: ipsum siquidem Filium Dei esse noverat confessusque fuerat,

Matth. 16. 16. cum ait, *Tu es Christus, Filius Dei viventis:* sed ejus in nos imperium & dominatum ex gratia fa-

Act. 2. 17. ctum intelligebat. Hinc etiam hæc dicendo, de æterna & paterna Filii Dei divinitate non siluit, sed prius dixerat, illum in nos Spiritum effudisse.

Spiritum ex potestate dare, non est rei creatæ; sed Dei donum est: unde cum

Atqui Spiritum cum potestate dare, non rei creatæ est vel factæ, sed Dei donum est. Nam res creatæ sanctæ quidem efficiuntur a Spiritu sancto: Filius autem non sanctus efficitur a Spiritu sancto, sed ipse eum dat omnibus, indeque patet non crea- A tum, sed verum Patris esse Filium. Is nihilominus qui dat Spiritum, ipse quoque factus esse dicitur.

Ipsum donet Filius, Deus vere est.

Nimirum factus esse apud nos dominus dicitur ob humanam naturam: dat autem Spiritum, quia Dei Verbum est. Siquidem semper fuit & est, sicut Filius, ita & dominus & summus omnium imperator, in omnibus Patri similia, omniaque habens quę Patris

Joan. 16. 15. sunt, ut ipse dixit. Jam vero, si placet, istud Prover-

Prov. 8. 22. biorum, *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*, dispiciamus: quamquam cum Verbum rem factam non esse ostenderimus, plane nec rem creatam esse simul probatum est. Idem enim est si rem factam B vel creatam dixeris: proindeque argumenta quibus probatur eum non esse factum, eadem ostendunt creatum non esse. Quocirca permirum sane est illos confirmandæ impietatis causa varia comminisci, nolleque allatis cedere argumentis. Namque primo quidem simpliciores circumvenire conati sunt, ita interrogantes: Qui est eumne qui non erat fecit ex non existente, an qui erat? Et, habuistine filium priusquam genuisses? Quod esse futile ut probatum est, aliam sunt commenti quæstionem, nempe, Unumne est non-factum, an duo? sed ibi quoque devicti, istam rursus excogitavere: Num liberi est arbitrii naturæque muta- C bilis? Quod cum pariter explosum fuisset, illud Apostoli perperam sunt interpretati, *Tanto præstantior fa-*

Varia & dolosæ Arianorum quæstiones.

Hebr. 1. 4. *ctus Angelis*. Verum cum hoc etiam illorum commentum dissolverit veritas; jam omnia illa simul colligentes, rei factæ & creatæ vocabulis, suam sperant confirmare hæresim. Eadem enim illa iterum significant, nec impia sua deserunt commenta, sed ea varie mutant & vertunt, ut aliquos possint varietate in errorem inducere. Quapropter licet ex his, quæ jam dicta sunt, vanum hunc illorum conatum esse perspicuum sit: quia tamen illum Proverbiorum locum D ubique circumferunt & pervulgant, atque plurimis, qui Christianæ fidei ignari sunt, aliquid dicere videntur; necesse est quemadmodum de his verbis, *Qui fidelis est ei qui fecit illum*, disseruimus, sic & istam dictionem *creavit*, seorsim expendere, ut hoc in loco sicuti in aliis omnibus, nihil præter mera mentis commenta sibi esse convincantur.

19. Primo ergo videamus quænam initio, cum ab ipsis fingeretur hæresis, beatæ memoriæ Alexandro tradiderint. Hæc nempe illi scripserunt: Creatus est, sed non ut una e rebus creatis: factus est, sed non ut una e rebus factis: genitus est, sed non ut una e rebus E genitis. Quilibet, quæso, attendat ad artificium dolumve hujusce hæresis, quæ cum non ignoraret, quam amara esset impia sua doctrina, verborum fuco sese exornare nisa est, ita ut id quidem, quod sentiebat, promeret, eum scilicet creatum esse, seipsam autem occultare arbitraretur, cum subjungeret, sed non ut una e rebus creatis. Verum hujusmodi verbis suam apertius patefecerunt impietatem. Nam si secundum vos creatus plane est; cur simulatione utimini, addentes, sed non ut una e rebus creatis? si item vere factus est, quid illud significat, sed non ut una e rebus factis? F qua profecto in re venenum hæresis perspicere licet. Cum enim dicunt eum esse genitum sed non ut unam ex rebus genitis, multos inducunt filios, quorum unum esse Dominum opinantur, ita ut secundum illos jam non sit unigenitus, sed unus & ipse inter plures fratres & genitus & filius appelletur. Quid igitur simulatione opus est, ut eum & creatum dicant & non creatum? Nam etiamsi addatis, non ut una e rebus creatis: insulsum sane videbitur vestrum hujusmodi sophisma. Eum quippe unam ex rebus creatis esse asseveratis, ac quæcumque de aliis rebus creatis dici possint, vos eadem Filio adscribitis, vere stulti & cæci. Quæ enim alia etiam res creata

talis

talis est, qualis facta alia est, ut id de Filio tamquem præcipuum aliquid prædicetis? * Certe universa rerum aspectabilium natura intra sex dies facta est, ita ut prima die lux facta sit, quam vocavit diem: secunda, firmamentum: tertia, congregatis aquis aridam patefecit, variosque in ea produxit fructus: quarta, solem, & lunam omnemque astrorum cœtum creavit; quinta autem, animalia maris & aves aeris: sexta denique terræ quadrupedes ac deinde hominem ** fecit. *Invisibilia* autem *ipsius ex creatione mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Atqui neque lux ut nox est, neque sol ut luna, nec brutæ animantes, ut homo ratione præditus, nec Angeli ut Throni, nec Throni ut Potestates; sed res illæ omnes creatæ quidem sunt, at singulæ in propria natura, uti factæ fuerunt, & sunt & permanent.

Rom. 1. 20.

20. Vel igitur Verbum ex factis rebus eximatur, atque ut creator, reddatur Patri, & Filius natura esse concedatur. Aut si vere res est creata, eumdem ordinem habere fateantur, qualem inter se habent res ceteræ. Singulæ itaque creatæ dicantur, non vero, ut una ex rebus creatis: genitæ similiter & factæ dicantur, non tamen, ut una ex factis aut genitis rebus. Siquidem idem esse dixistis γεννητὰ, & ποιητὰ, id est, rem genitam & factam. Nam scripsistis, γεννητὸν ἢ ποιητόν, id est, genitum vel factum. Tametsi enim Filius aliis rebus comparatus, longe illis excellit, nihilo tamen minus res est creata ut illæ: quippe cum etiam inter res, quæ natura creatæ sunt, aliæ aliis sunt præstantiores. Stella enim a stella differt in gloria, resque aliæ omnes inter se comparatæ differunt. Nec tamen idcirco aliæ dominæ sunt, aliæ præstantioribus serviunt, aliæ causæ sunt efficientes, aut aliæ ab aliis fiunt, sed omnes ex naturæ suæ conditione fiunt & creantur, suumque creatorem per se ipsæ confitentur, uti psallit David: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum ejus annunciat firmamentum*. Sapiens item Zorobabel ita loquitur: *Omnis terra veritatem invocat: cælum etiam ipsi benedicit, omniaque opera concutiuntur & tremunt*. Atqui si universa terra opificem sive creatorem & veritatem laudat, benedicit & tremit; ejus autem opifex est Verbum quod & ipsum ait, *Ego sum veritas*: non ergo Verbum est creatum sed ipsum solum Patris proprium est, in quo omnia sunt coagmentata, atque idem ab omnibus tamquam opifex hymnis celebratur. Nam, ut ipsum Verbum ait, *Eram apud illum componens*. Et, *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Quæ dictio, *usque modo*, significat ipsum, ut Verbum, semper in Patre existere. Siquidem Verbi proprium est, Patris opera efficere, nec extra eum esse.

1. Cor. 15. 41.
Psalm. 18.
3. Esd. 4. 36.
Joan. 14. 6.
Prov. 8, 30.
Joan. 5. 17.

21. Quod si quæ Pater facit, eadem & Filius facit, & quæ creat Filius, Patris sunt creaturæ: certe si Filius creatura est Patris, vel ergo ipse seipsum efficit, proindeque seipse creet, (quandoquidem quæ Pater facit, eadem Filii sunt opera) quod profecto absurdum est, nec fieri ullo modo potest: vel si Patris opera creat & facit, igitur nec opus nec creatura est, ne cum ipse sit causa efficiens, in rebus quæ fiunt facere reperiatur quod ipse factus est: cum potius ne facere quidem possit. Qui enim fieri queat, ut ea quæ non sunt efficiat ut sint, si, ut putatis, factus e nihilo est? Quod si ille, licet creatus, possit producere creaturam: certe idem de singulis creaturis erit intelligendum, nempe illas quoque creare posse. Quod si a vobis conceditur, quid Verbo opus fuit, cum inferiores e superioribus effici queant; vel saltem cum res singulæ factæ potuerint e Deo initio audire, Fias, &, Efficere, atque ita fuissent productæ. Verum neque id scriptum est, neque fieri potuit. Nulla enim rerum quæ fiunt, causa est efficiens: nam omnia per Verbum facta sunt, quod sane non fecisset omnia, si ipsum quoque Verbum e rebus creatis esset. Nec enim vel Angeli possunt creare, cum ipsi sint creati, licet ita senserint Valentinus, Marcion & Basilides, quorum vos æmulatores estis: nec sol, utpote creatus, quod non est faciet ut sit: nec homo hominem formabit, nec lapis effinget lapidem, nec ligno lignum debit incrementum. Sed Deus ipse est qui hominem in utero format, qui montes collocat, qui lignum producit: ipse autem homo, qui scientiæ capax est, istam materiam varie formet & componit, atque ea quæ sunt, uti didicit, effingit & figurat; satisque illi est quod sint factæ: tum vero naturæ non ignarus suæ, si re aliqua indigeat, e Deo id novit esse poscendum.

Si Filius creatus esset, nihil ipse posset creare.

Nulla res creata causa est efficiens, nec ullam creare potest: ac proinde quia non potest ipse Filius, non est ullo modo creatus.

22. Itaque si Deus quoque ipse ex materia res facere & componere dicatur: hæc sane sententia Gentilium est, artifexque non autem effector erit Deus. Materiam tamen hoc modo Verbum Deo jubenti ministrans efficiat. Sed si ea, quæ non sunt, per proprium Verbum vocat ut sint: certe Verbum non est inter ea quæ non sunt & vocantur, ne aliud nobis quærendum sit Verbum, per quod istud vocatum fuerit. Nam Verbo omnia facta sunt. Quod si per Verbum Deus res creat & facit, ipsum profecto non est e rebus creatis & factis, sed potius Dei creantis Verbum est, quod etiam ex Patris operibus, quæ ipsum Verbum facit, cognoscitur, quoniam ipsum est in Patre, & Pater in eo, & qui ipsum vidit, vidit Patrem, ob naturæ scilicet proprietatem summamque Filii in omnibus cum Patre similitudinem. Quomodo itaque res per ipsum creat, nisi ejus sit Verbum & Sapientia? Quomodo vero Verbum & Sapientia possit esse, si ejus naturæ non sit fetus proprius, sed ex nihilo quoque factus ipse sit? Deinde qui fit ut cum omnia ex nihilo productæ sint, & creata, Filiusque, ut volunt, una sit e rebus creatis & quæ aliquando non fuerunt, solus tamen iste Patrem revelet, nullusque alius, præter illum, Patrem cognoscat? Nam si fieri potest ut ille, qui opus est, Patrem cognoscat: quid ni ab omnibus quoque pro uniuscujusque dignitate ac facultate cognoscatur? Omnia siquidem opera sunt, uti & ipse. Quod si fieri nequit ut res factæ Patrem vel videant vel cognoscant, sed ejus visio & cognitio omnes superet: namque ipse Deus ait, *Nemo videbit faciem meam & vivet*; & Filius, *Nemo*, inquit, *novit Patrem nisi Filius*; fatendum sane est Verbum aliud esse e rebus factis, utpote a quo solo Pater videatur & cognoscatur, ut hæc ejus verba ostendunt, *Non quod Patrem quis vidit, nisi is qui apud Patrem est, nemoque Patrem cognoscit nisi Filius*, quicquid repugnet Arius. Quomodo ergo solus cognosceret, nisi solus proprius ejus esset? Quomodo

Joan. 14.

Patrem videre & cognoscere res creatæ non possunt; unde cum Filius Patrem videat & cognoscat, non est creatus.

Joan. 6. 46.
Matth. 11. 27.

* Hic locus affertur a Justiniano Imperatore Tractatu sive Epistola adversus Origenis errores, inserta Concilior. tom. 5. post Concilium v. Generale, excerptusque esse dicitur ex *secunda Oratione contra Arianos*.

** In Justiniani Imperatoris Tractatu post *hominem*, additur, *ex anima rationali, & corpore*, quæ verba mirum est abesse ab Athanasii mss. & editis. Quin autem ea, Justiniani ætate, exstarent in hac sancti Athanasii Oratione, nulla videtur dubitandi ratio, cum ex his ipsis verbis, *ex anima rationali & corpore*, errorem Origenis carpat Justinianus, qui sic ibi prosequitur: *Ecce Sanctus quoque Athanasius tradit post omnes creaturas Deum fecisse hominem ex corpore & anima intelligente & rationali constantem. Neque enim dixit corpus post omnia factum esse, ut præexistens anima in id ingrederetur: sed dixit post omnes creaturas hominem esse factum ex anima rationali & corpore constantem, ostendens utrumque, id est, corpus & animam Deum simul fabricatum esse*.

modo vero proprius ejus esset, si esset creatus, non autem verus ex ipso Filius? Nec enim grave debet esse eadem sæpius pietatis causa dicere. Itaque impium est sentire Filium unum ex omnibus esse. Nefarium vero & stultum est eum creatum dicere, sed non ut unam e creatis rebus; factum, sed non ut unam e factis rebus; genitum, sed non ut unam e rebus genitis. Nam qui fieri potest ut non sit sicut una ex hisce rebus, si, ut illi quidem opinantur, non erat antequam esset genitus? Siquidem rerum creatarum & factarum proprium est non esse antequam fiant, atque ex nihilo procreari, licet aliæ aliis gloria præcellant. Ut enim res aspectabiles inter se differre cernimus, sic idem etiam in omnibus aliis rebus creatis licet deprehendere.

23. Atqui si, ut putant hæretici, Filius res creata esset vel facta, sed non ut una ex rebus creatis, quia scilicet gloria ab illis differat: sane id debuisset significare Scriptura, ipsumque cum aliis rebus factis, ratione præstantiæ, comparando, ostendere quonam modo major Archangelis, Thronis honoratior, sole & luna splendidior, cælisque amplior dicendus sit. Nihil autem tale de illo habetur, sed Pater eum solum &
Psal. 2. 7. proprium sui Filium esse his verbis declarat: *Filius*
Matth. 3. 17. *meus es tu*: &, *hic est Filius meus dilectus, in quo*
Matth. 4. 11. *mihi complacui*. Hinc quoque Angeli ei ministrabant tamquam qui alius ab illis esset, eumque adorant non ut gloria majorem, sed ut alium tum ab omnibus rebus creatis tum a seipsis, atque ut solum Patris propriumque & natura Filium. Nam si eum tamquam gloria præcellentem adorarent: singulæ res inferiores eas, quæ superiores & præstantiores sunt, deberent adorare. Sed non ita se res habet. Nec enim res creata aliam creatam adorat; sed servus Dominum, & res creata Deum adorat. Unde Petrus Apostolus Cornelium se adorare volentem his verbis retinet: *Ego etiam homo sum*. Similiter Angelus Joannem se in Apocalypsi volentem adorare hoc modo arcet: *Vide ne feceris: conservus enim tuus*
Apocal. 22. 9. *sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui servant sermones hujus libri. Deum adora*. Itaque solus Deus adorandus est, noruntque ipsi Angeli, etiamsi res alias gloria superent, se tamen omnes esse res creatas, nec in eorum esse numero qui adorantur, sed qui Dominum adorant. Hinc Angelus Manue Samsonis patrem, qui sibi sacrificium volebat offerre, his dictis coercuit: *Non mihi sed Deo offer*.
Judic. 13. 16. Porro Dominus ab Angelis adoratur: scriptum e-
Psal. 96. 8. nim est, *Et adorent eum omnes Angeli Dei*: ab o-
Hebr. 1. 6. mnibus item gentibus adoratur, ut ait Esaias: *Labora-*
Esai. 45. 14. *vit Ægyptus & negotiatio Æthiopum, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tibi servierunt*: deinde, *& te adorabunt teque precabuntur, quia in te est Deus, & non est Deus præter te*. Præterea discipulos seipsum adorantes laudat, hisque verbis eos hac de re confir-
Joan. 13. 13. mat: *Nonne vos vocatis me, Domine & magister, & bene dicitis: sum etenim*. Thomam quoque ipsi di-
Joan. 20. 28. centem, *Dominus meus & Deus meus*, ita loqui sinit, nec prohibet, sed potius comprobat. Ipse enim est, ut alii Prophetæ testantur & canit Da-
Psal. 47. 9. vid, *Dominus virtutum*, & * *Dominus Sabaoth*,
Psal. 23. 10. id est, *Dominus exercituum*, ac Deus verus & omnipotens, hic licet disrumpantur Ariani.

Rem creatam adorare non licet, sed Deum solum, ac proinde cum Filium adoretur, vere Deus ipse est.

24. Atqui ipse non certe adoratus fuisset, nec ista de eo dicerentur, si prorsus e numero esset rerum creatarum. Quia vero non est creatus, sed proprius est substantiæ Dei adorandi fetus ac naturalis Filius, idcirco adoratur & Deus creditur, estque Dominus exercituum, dominator atque omnipotens, sicuti ipse Pa-
Joan. 16. 15. ter. Siquidem ipse dixit: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Filii enim proprium est ea quæ Patris sunt habere, ac talem esse ut in ipso Pater conspiciatur, & per eum omnia facta fuerint, in eoque fiat & constet omnium salus. Nam hoc ab illis inquirere haud ab re erit, quo magis sit perspicua illorum hæresis refutatio: Quare nimirum cum res omnes sint creatæ, atque ex nihilo exstiterint, ipseque Filius secundum vos sit creatus & ex earum rerum numero quæ aliquando non fuerunt, omnia tamen per ipsum fecit Deus, & sine illo factum est nihil? Vel quare *Joan. 1. 3.*
cum, *omnia*, dicitur, Filium inter omnia significari nemo intelligit; cum vero de Verbo loquuntur Scripturæ, non ipsum e numero omnium esse intelligunt, sed cum Patre collocant, omniumque conservationi & saluti in eo providet ac prospicit Pater: maxime cum omnia eodem imperio, quo ipse a solo Deo factus est, fieri possint? Nec enim Deus jubendo defatigatur, vel ad omnia creanda est imbecillior, ut solus solum Filium creet, quo adjutore & ministro indigeat ad res alias producendas. Nam nulla interponitur mora ut ea quæ voluerat fiant; sed satis fuit eum velle, statimque omnis exstiterunt, nemoque ejus restitit voluntati. Quare igitur non a solo Deo omnia eodem jussu facta sunt, quo Filius factus est? Vel si factus ipse est, dicant velim quare omnia per ipsum facta sunt? sane nihil nisi perabsurdum habent quod respondeant. Hæc sunt nihilominus quæ hac de re effutiunt. „ Cum Deus, „ inquiunt, factam naturam vellet creare, vidit me„ ræ manus Patris ejusque creationis seu actionis „ participem fieri non posse: quam ob causam primo „ solus solum unum creavit, quem Filium & Ver„ bum appellavit, ut illo intermedio facto, ita de„ inceps omnia per ipsum possent fieri. „ Hæc non tantum dixere, sed etiam scribere ausi sunt Eusebius, & Arius, atque Asterius qui Idolis immolavit.

Arianorum doctrina de Filii & ceterarum rerum creatione.

25. An non igitur ex his summæ sunt merito condemnandi impietatis, quam insigni cum amentia conjungentes, non erubescunt contra veritatem tam impudenter bacchari? Nam si ajunt Deum procreasse solum Filium, quod ipse impar erat ad res alias efficiendas: adversus illos tamquam indigna de Deo loquentes reclamabit universa rerum creatarum natura, nec non Esaias qui hæc scribit: *Deus æternus, qui terminos terræ construxit,* *Esa. 40. 28*
non esuriet neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus. Quod si Deus res alias a se fieri indignum se arbitratus, solum produxit Filium, cetera autem Filio veluti adjutori dimisit: hoc ipsum profecto valde indignum est Deo. Nec enim ulla in Deo est superbia. Verumtamen illos quoque, si ita senserint, silere coget Dominus, cujus nimirum hæc sunt verba: *Nonne duo passeres asse* *Matt. 10. 29.*
veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro, qui in cælis est? Et rursus: *Ne so-* *Matt. 6. 25.*
liciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos illis præstantiores estis? Quis vero ex vobis solicite cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant neque nent. Dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: nonne multo magis vos modicæ fidei? Si ergo non indignum Deo videtur res tan-

Non Pater Filium ipse creavit, ut postea Filius res alias omnes crearet.

* In Hebræo textu habetur יְהוָה צְבָאוֹת ubi Græca versio, κύριος τῶν δυνάμεων: & Vulgata, *Dominus virtutum*.

Deus res etiam minimas sua regit providentia.

tantulas, ut capitis crinem, passerem, agrique fœnum sua complecti providentia: certe nec ipsas creare indignum ei fuit. Quibus enim Deus providentia sua consulit, eorum per proprium Verbum est effector. Præterea, qui hæc audent dicere, turpiorem in errorem incidunt. Illi enim res creatas & creationem dividunt, ita ut hanc velint Patris opus esse, illas autem Filii esse opera: cum necesse sit vel omnia cum Filio a Patre fieri, vel, si res omnes factæ, per Filium fiant, non affirmare eum unam e rebus factis esse.

26. Insuper hoc etiam pacto redargui potest illorum inscitia. Si ipsum quoque Verbum factæ est naturæ: qui fieri potest, ut cum ipsa Dei actionem sustinere non queat, solum Verbum ex omnibus a non-facta & purissima Dei natura fieri potuerit, uti vos asseveratis? Nam necesse est, si possit Verbum, res omnes similiter posse: aut si nulla possit, nec Verbum item posse, utpote quod secundum vos una sit e factis rebus. Rursus si, ideo quod facta natura non possit actionis ipsius Dei esse particeps, intermedii alicujus opus fuit: sane cum Verbum factum sit & creatum; ut possit creari, necessarius omnino fuerit aliquis item intermedius, quandoquidem ipsum quoque est ex numero factarum naturarum, quæ actionis Dei participes esse non queunt, sed intermedio indigent aliquo. Quod si intermedius aliquis inter illum intermedium & Deum reperiatur, alio iterum intermedio propter istum opus erit, itaque quis progrediendo & mente indagando, maximam confluentium intermediorum turbam offendet, ac proinde nulla res creata poterit existere & constitui, cum semper intermedio aliquo indigeat, unusque intermedius sine alio intermedio non possit fieri, ideo quia omnes factæ sunt naturæ, quæ actionis solius Dei, ut vos contenditis, particeps esse non potest. Quanta igitur illorum est dementia, ex qua res jam factas fieri non potuisse arbitrari illos necesse est. An vero necdum factas esse opinantur, intermediumque aliquem adhuc quærunt? Nam juxta impiam hanc & stultam illorum sententiam, minime existerent etiam ea quæ existunt, cum intermedius non reperiatur.

27. At vero quid objiciant videamus. Ecce, inquiunt, Deus per Moysem populum deduxit ex Ægypto, per eumdem legem dedit, tametsi homo ipse erat: ac proinde similia per simile possunt fieri. Utique maxime decuit hæc eos latenter loqui, ne summo afficerentur pudore. Nec enim Moyses missus est ad creandum, neque ut ea, quæ non sunt, vocaret ut sint, neque ut homines similes formaret, sed tantum ut apud populum & apud regem Pharaonem sermonum esset administer; quæ profecto multum inter se differunt. Nam ministrare rerum factarum est tamquam servorum: res vero producere & creare solius Dei est propriique ejus Verbi & sapientiæ. Hinc nemo alius in rebus creandis occurrit præter solum Dei Verbum: omnia siquidem in sapientia facta sunt, & sine Verbo factum est nihil. Quod autem ad eos qui ministrant spectat, non unus certe, sed ex omnibus plurimi sunt, quos nimirum Domino placuerit mittere. Etenim multi Archangeli, multi Throni & Potestates ac Dominationes milliaque millium & decies millies dena millia ministrant ac præsto sunt ad missionem. Multi quoque sunt Prophetæ: duodecim sunt item Apostoli, & Paulus. Et vero ipse Moyses non solus, sed Aaron cum eo, ac deinde alii septuaginta sancto Spiritu repleti sunt: ac Moysi Jesus filius Nave successit, cui successere Judices, Judicibus vero non unus sed multi Reges. Si igitur creatus & factus esset Filius, multos quoque hujusmodi filios esse oporteret, ut multos pariter ejus generis ministros haberet Deus, quemadmodum aliorum magna est multitudo. Quod si id verum non est, sed res quidem creatæ multæ sunt, unum autem est Verbum; quis non inde perspicit Filium ab omnibus differre, nec res creatas illi esse æquales, sed eum proprium esse Patris? Unde non multa sunt Verba, sed solum unum unius Patris Verbum, unaque unius Dei imago est. Atqui, inquiunt, etiam sol unus est, & terra una. Addant insani unam aquam unumque ignem esse, ut deinde audiant, quamlibet quidem rerum factarum unam esse secundum propriam naturam, sed singulas non solas sufficere ad officium & munus commissum. Hinc enim dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento cœli ad illuminandam terram & ad separandum diem a nocte, & sint in signa & in tempora & in dies & in annos.* Deinde sequitur: *Et fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, & præessent diei ac nocti.*

Solius Dei ejusque Verbi est res producere & creare.

Psal. 103. 24.

Joan. 1. 3.

Daniel. 7. 10.

Num. 11. 25.

Genes. 1. 14.

28. En multa luminaria, nec solus sol vel sola luna, sed unumquodque est quidem natura unum, unum tamen & commune omnium est officium, atque id, quod uni deest, ab alio suppletur, cunctisque sua est illuminandi utilitas & necessitas. Sol enim per solum diem apparendi habet potestatem, luna vero per noctem, ac stellæ cum illis tempora & annos efficiunt, singulæque in signa ad usus vitæ necessarios fiunt. Sic etiam terra non ad omnia apta est, sed ad solos fructus proferendos, & ad sustentanda animalia a quibus incolitur. Firmamentum vero aquas ab aquis dividit, in eoque collocata sunt luminaria. Ita similiter & ignis & aqua cum omnibus aliis facti sunt ad constituenda corpora. Uno verbo nihil solum est, sed singulæ res factæ, veluti totidem membra, mundum tamquam unum corpus perficiunt. Si ergo similia de Filio suspicantur, digni sunt qui ab omnibus lapidentur, quippe qui putent Verbum partem esse universitatis, partem, inquam, quæ ad commissum sibi munus obeundum sine aliis non sit idonea. Quod cum aperte impium sit, agnoscant igitur Verbum inter res factas non habere locum, sed solum proprium Patris Verbum esse, & rerum factarum opificem. At reponunt creatum quidem eum esse & unam e factis rebus, sed artem creandi tamquam a magistro & artifice didicisse, atque ita ipsi Deo, quem magistrum habuit, ministrasse. Hæc enim Asterius Sophista, utpote Christum doctus negare, ausus est scribere, minime ad ea quæ inde sequuntur absurda attendens. Nam si ars creandi potest doceri: videant ne ipsum etiam Deum non natura sed arte opificem esse dicant, ita ut ea facultate privari possit. Deinde, si Dei Sapientia facultatem creandi, discendo, comparavit: quomodo sapientia appellari potest, quæ doctrina indigeat? Quid vero ipsa erat antequam disceret? Nec enim sapientia erat, quæ doctrina opus habuit. Inanis nempe & vacua res aliqua fuit, non autem substantialis sapientia, sed sapientiæ nomen proficiendo obtinuit, quæ tamdiu futura est sapientia, quamdiu quod didicit conservatura est. Nam quod aliquis non natura sed studio consecutus est, id aliquando potest dediscere. Hæc autem de Dei Verbo dicere, non profecto Christianorum sed Gentilium est.

29. Etenim si facultas creandi doctrina comparari queat, invidiam vel etiam imbecillitatem stulte in Deum inducunt: invidiam quidem, quia non

mul-

multos docuerit creandi artem, ut quemadmodum multi circa illum sunt Archangeli & Angeli, ita & multi essent creatores: imbecillitatem vero, quia non solus res potuerit facere, sed adjutore & administro opus habuerit: quamquam factam naturam a solo Deo fieri posse ostensum jam est, quandoquidem Filius qui, ut putant, est factus, a solo Deo potuit fieri. Verum nulla re certe opus habet Deus: absit. Ipse enim dixit: *Plenus sum*. Nec item Verbum discendo factus est creator: sed cum sit imago & sapientia Patris, ea quæ sunt Patris efficit. Nec etiam Filium creavit, rerum factarum efficiendarum causa: namque quamvis existat Filius, Pater nihilominus agit, ut ipse Dominus his verbis docet: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Quod si, ut putatis, idcirco Filius factus est, ut ea quæ post illum existunt, produceret; & ipse tamen Pater post editum Filium operatur: supervacua sane est hujusmodi Filii procreatio. Præterea cur, quæso, cum nos creare vellet, intermedium aliquem quæsivit administrum, quasi scilicet non sufficeret ejus voluntas ad ea efficienda quæ ipse voluerit? Clamant quippe Scripturæ: *Omnia quæcumque voluit, fecit*: &, *voluntati enim ejus quis resistit?* Si porro sola ejus voluntas sufficit ad res omnes producendas, inutilis secundum vos erit intermedii illius adjutoris opera. Illa enim Moysis, solis & lunæ exempla quæ adduxistis, futilia esse probatum est. Verumtamen sic atiam vos possumus refellere. Si factam naturam volens Deus creare, deque ipsa facienda deliberans, Filium secundum vos excogitat & creat, ut nos per ipsum postea producat: quantam proferre audetis impietatem, animadvertite.

[Isai. 1. 11.] [Joan. 5. 17.] [Filius non factus est, ut res alias crearet.] [Psal. 113. 11.] [Rom. 9. 19.]

30. Primo enim inde sequitur, ut ipse Filius nostri potius causa factus fuerit, quam nos propter ipsum. Nec enim nos propter eum creati sumus, sed ipse propter nos factus est, ita ut ille nobis potius habeat gratiam, quam nos illi, ut & mulier viro. *Etenim*, ut ait Scriptura, *non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*. Igitur quemadmodum *vir imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est*: ita nos Dei imago & ad ejus gloriam facti sumus: Filius autem nostri imago & ad nostram gloriam factus dicendus erit. Deinde nos quidem facti sumus ut existeremus: at Dei Verbum non ut existeret, sed nostri gratia, instar instrumenti, factum est; proindeque non nos propter illud, sed ipsum propter nos existit. An non vero qui hæc vel tantum cogitant, omnium dementissimi sunt habendi? Nam si propter nos factum est Verbum: nobis certe prius non est apud Deum. Neque enim cum illud in se ipse haberet, de nobis creandis deliberavit Deus; sed potius cum nos in se ipse haberet, de suo Verbo, ut illi dictitant, producendo deliberavit. Quod si verum est, forte necomnino Pater Filium voluit. Nam non ipsum volens, creavit, sed nos volens, ipsum propter nos creavit. Siquidem eum post nos excogitavit, adeo ut jam, ex impia illorum sententia, inutilis sit Filius, quem instar instrumenti factum esse volunt, quandoquidem ea sunt effecta, quorum causa creatus ipse est. Quod si Filius a solo Patre factus est, quia solus potuit ab illo fieri, nos autem quia non potuerimus, a Verbo facti fuimus: cur non de illo, quippe qui ab ipso posset fieri, sed de nobis creandis primum deliberavit? Vel cur eum, qui ab ipso fieri poterat, his, qui non poterant, non anteposuit? Vel quare cum primum eum fecerit, de illo non primum deliberavit? Aut denique cur cum de nobis primum deliberarit, non tamen primum nos fecit, cum ad res omnes procreandas satis sit eum velle? Equidem primum illum creare dicitur Deus: sed tamen de nobis primum deliberat, nosque prius vult quam ipsum intermedium: ac nos quidem creare volens, & de nobis deliberans, res creatas vocat; illum vero, quem nostri causâ creat, Filium atque hæredem nominat. Atqui nos potius quorum gratia illum facit, filios oportuit appellari: vel certe illum, qui Filius est, prius debuit cogitare & velle, propter quem scilicet etiam nos omnes facit. Hæc sunt quæ evomunt & effutientes nauseant hæretici.

[1. Cor. 11. 9.] [Ibid.]

31. Non est autem silentio prætermittendum quæ sit veritatis sententia, sed ea potius ample declaranda est. Igitur Verbum Dei propter nos non est factum, sed potius nos propter ipsum facti sumus, atque *omnia in ipso creata sunt*. Neque vero quia nos ab ipso Deo fieri non possemus ille autem posset, idcirco a solo Patre est factus, ut nos per ipsum, tamquam per organum, crearet; absit: non ita se res habet. Nam etiamsi Deo placuisset nullas res factas producere, Verbum nihilominus esset apud Patrem, atque in ipso esset Pater. At vero res factæ non poterant sine Verbo fieri; quæ causa est cur per ipsum factæ fuerint, & merito quidem. Quia enim Verbum natura est proprius substantiæ Dei Filius, estque ex eo & in eo, ut ipse dixit: liquet sane res creatas non potuisse non per ipsum fieri. Ut enim lux omnia splendore illuminat, nihilque sine splendore potest illuminari: ita & Pater, veluti per manum, omnia in Verbo effecit, nihilque sine illo facit. Itaque Deus, ut narrat Moyses, dixit: *Fiat lux*, &, *congregetur aqua*, &, *producat terra*, &, *faciamus hominem*: atque ut canit beatus David: *ipse dixit & facta sunt, ipse præcepit & creata sunt*. Dixit, inquam, non ut, quemadmodum apud homines fieri solet, tamquam minister aliquis audiret, ac ubi loquentis didicisset voluntatem, ad opus peragendum properaret. Hoc enim rerum creatarum proprium est, quod de Verbo cogitare vel dicere valde dedecet. Siquidem Verbum Dei opifex est, & efficiens, ipsumque est Patris consilium. Hinc sane divina Scriptura non dixit ipsum audivisse atque respondisse, quonam modo vel quales vellet esse res factas: sed dixit tantum Deus, *Fiat*; deindeque subditur, *Et factum est ita*. Quod enim Deus fieri voluit, statim Verbo factum & absolutum est. Quando autem aliis vel Angelis præcipit, aut cum Moyse loquitur, aut promittit Abrahamo: tunc qui audit, respondet: atque hic quidem ait, *Unde scire possum?* Ille vero, *Alium elige*: Et rursus: *Si me interrogaverint, Quod est nomen ejus? Quid dicam eis?* Ait quoque ad Zachariam Angelus: *Hæc dicit Dominus*. At idem ipse Dominum ita interrogaverat, *Domine omnipotens, usquequo non misereberis Jerusalem?* Expectatque ut bonos & consolatorios sermones audiat. Illi nempe singuli intermedium habebant Dei Verbum & Sapientiam, quæ Patris voluntatem declarabat. Cum autem ipsum Verbum agit & creat, nulla ibi est interrogatio, nulla responsio; in illo enim est Pater, & Verbum in Patre: sed ut opus fiat, voluisse satis est; ita ut hoc verbum, *Dixit*, sit nostri gratia divinæ voluntatis indicium, his autem verbis, *Et factum est ita*, opus per Verbum & sapientiam factum significetur, qua quidem in sapientia est etiam Patris voluntas. Itaque istud, *Dixit Deus*, in Verbo cognoscitur: Namque, *omnia*, inquit, *in Sapientia fecisti*: &, *Verbo Domini cæli firmati sunt*: &, *Unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum*.

[Coloss. 1. 16.] [Genes. 1.] [Psal. 32. 9.] [Isai. 9. 6.] [Genes. 1.] [Genes. 15. 8.] [Exod. 4. 10.] [Exod. 3. 13.] [Zachar. 1. 17.] [Ibid. v. 12.] [Genes. 1.] [Psal. 103. 24.] [Psal. 32. 6.] [1. Cor. 8. 6.]

32. Ex quibus perspicuum certe est Arianos hac sua hæresi bellum nobis minime inferre, sed potius contra nos quidem simulate pugnare, revera autem contra ipsam divinitatem. Si enim nostrum esset vox illa, *hic est Filius meus*, nonnulla illis esset

[Matt. 17. 5.]

set de nobis conquerendi causa. Sed si vox est Patris, A & a discipulis audita, & ab ipso etiam confirmata Filio
[Prov. 8. 25.] qui de se ipse ait, *Ante omnes colles gignit me:* nonne & ipsi, more Gigantum quos celebrant fabulæ, bellare cum Deo dicendi sunt, qui lingua, ut cum
[Psal. 56. 5.] Psalmista loquar, tamquam gladio acuto, pro asserenda impietate utuntur? Siquidem nec Patris vocem nec Salvatoris verba sunt reveriti: nec Sanctis fidem
[Hebr. 1, 3.] habent, quorum unus quidem sic scribit, *Qui cum sit*
[1. Cor. 1. 24.] *splendor gloriæ & figura substantiæ ejus;* &, *Christus*
[Psal. 35. 10.] *Dei virtus & Dei sapientia:* alius vero ita psallit,
[Psal. 103. 24.] *Quia apud te est fons vitæ, in lumine tuo videbimus*
[Jerem. 2. 1.] *lumen;* &, *omnia in sapientia fecisti.* Prophetæ i- B
[Joan. 1.] tem ajunt, *Et factum est Verbum Domini ad me.* Et
[Luc. 1. 2.] Joannes, *In principio erat Verbum.* Et Lucas, *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & mi-*
[Psal. 106. 20.] *nistri Verbi fuerunt.* David etiam dicit: *Misit Verbum suum & sanavit eos.* Hæc enim omnia Arianam ubique profligant hæresim, Verbique asserunt æternitatem, nec ipsum alienum, sed naturæ Patris proprium esse. Quis enim umquam lucem absque splendore vidit? Vel quis characterem substantiæ audebit alienum ejus esse dicere? An qui is non maxime insanit qui vel cogitat Deum aliquando sine Verbo sive Ratione & Sapientia fuis- C se? Namque ideo hujusce modi exempla ac imagines proposuit Scriptura, ut quoniam res divinas comprehendere hominum non valet natura, saltem ex his aliqua ex parte & obscure, pro nostris viribus, intelligere possemus. Ac quemadmodum ipsa rerum natura satis ex se est ad proban-
[Sapient. 13. 5.] dum Deum & providentiam esse: *Siquidem ex magnitudine & pulcritudine rerum creaturarum, illarum creator convenienter conspicitur:* nec verba exigimus ut discamus, sed & Scripturis auditis credimus, & huncce omnium rerum ordinem ac concentum con- D templantes, illum intelligimus omnium opificem, Dominum ac Deum esse, ejusque in res omnes providentiam admirabilem & gubernationem agnoscimus: Ita similiter cum ea, quæ hactenus dicta sunt, plane sufficiant ad Filii probandam divinitatem; vanum, imo stultissimum fuerit hac de re dubitare, atque hæretice interrogare, quomodo Filius potuit esse ab æternitate, vel quomodo ex Patris est substantia nec tamen ejus pars, cum id quidem, E quod ex aliquo esse dicitur, ejus pars sit, id autem, quod dividitur, integrum non sit?

33. Hæ sunt enim flagitiosæ hæreticorum argutiæ, quarum futilitatem tametsi supra confutavimus; nihilominus accurata dictorum illorum explicatio, rectaque perceptio exemplorum, nefariæ eorum sententiæ vanam speciem repellet. Quippe videmus semper esse Verbum, ex illoque esse & ejus proprium esse naturæ cujus est Verbum, nihilque in eo vel prius
[Filius cum splendore lucis comparatur.] vel posterius esse. Videmus item splendorem ex sole esse, illiusque esse proprium, nec tamen idcirco F dividi aut minui naturam solis, sed & eam integram manere, & splendorem integrum & perfectum esse, neque ab eo lucis naturam imminui, sed tamquam verum fetum ex illa esse. Similiter intelligimus Filium non extrinsecus sed ex Patre esse genitum, simulque tum Patrem integrum permanere, tum
[Heb. 1. 3.] substantiæ figuram semper esse, ac perfectam absque ulla varietate cum Patre servare similitudinem & imaginem, adeo ut qui hunc viderit, in ipso quoque naturam & substantiam, cujus figura est, contueatur. Ex efficientia item figuræ, veram substantiæ divinitatem percipimus, quemad-
[Joan. 14. 12.] [Joan. 10. 30.] [Joan. 14. 10.] modum Salvator ipse his verbis docuit: *Qui manet in me, ipse faciet opera quæ ego facio:* &, *Ego & Pater unum sumus:* &, *Ego in Patre, & Pater in me est.*

A Itaque impia & Christo inimica hæresis primum tentet res factas, quæ in exemplum proponuntur, dividere, ac dicere: Fuit aliquando sol sine splendore: vel, splendor non est proprius naturæ lucis, vel splendor lucis proprius quidem est, sed divisione pars ipse est lucis; ac postea Verbum illi separent, affirmentque alienum esse a mente, aut aliquando non fuisse, vel substantiæ divinæ mentis proprium non esse, aut denique ejus partem divisione esse. Figuram quoque, lucem, & virtutem eodem modo separent ac Verbum & splendorem, atque tunc quod ipsis collibitum fuerit opinentur. At si talia nullo modo au- B dere queunt, an non vehementer insanire sunt existimandi, qui se in res illas inferant quæ ipsorum natura & creatis rebus adeo sunt superiores, quique ea aggrediantur quæ omnino fieri non possunt?

34. Namque si in factis his & corporeis rebus quidam reperiuntur fetus, qui naturarum, unde sunt exorti, partes non sint, nec patibili producti sint modo, neque parentum minuerint naturam: nonne rursus dementes sunt, qui in vero & incorporeo Deo partes ac patiendi modos quærant & suspicentur, eique, qui immutabilis est nec aliquid pati potest, attribuant divisiones, ut scilicet simplicium aures hac ra- C tione conturbent atque a veritate avertant? Quis enim audiendo nomen Filii, non statim intelligat quod Patris naturæ proprium est? Quis vero, cum primis Christianæ religionis elementis informaretur, Deo Filium esse audiens, omniaque cum proprio Verbo fecisse; id non eo sensu perceperit quo nos nunc intelligimus? Quis cum impura Arianorum hæresis nata est, non continuo audita illorum sententia obstupuit, utpote aliena loquentium, aliamque superseminantium doctrinam ab ea quæ ab initio seminata est? Doctrina siquidem quæ primum in qualibet anima est seminata, hujusmodi est, Deo Filium esse qui ejus sit D Verbum, sapientia & virtus, hæcque ejus esse imaginem & splendorem: ex quibus ultro sequitur Filium semper esse, ex Patre esse, similem illius esse, æternumque naturæ esse fetum, nihil denique hic factum aut creatum debere cogitari. At ubi inimicus homo [Matt. 13. 24.] dormientibus hominibus hasce de Filio opiniones superseminavit, nempe eum creatum esse, aliquando fuisse cum non esset, & quomodo igitur id fieri potest? E tunc veluti zizanium facta est perversa Christi inimicorum hæresis, qui illico, tamquam omni recto sensu destituti, furum instar, circumire cœperunt, eoque devenerunt temeritatis ut hæc dicerent, „ Qui fieri potest ut Filius semper cum Patre fuerit? Namque apud homines post aliquod dumtaxat tempus ex hominibus filii nascuntur, ita ut verbi gratia pater triginta sit annorum, cum genitus filius ortum acci- [Quoniam Arianorum rationes refelluntur ac refelluntur.] pit: omninoque quivis hominis filius non prius extitit quam genitus est. Rursus vero ita murmurant: Qui fieri potest ut Verbum sit Filius & ima- F go Dei? Nam hominum verbum ex syllabis compositum, loquentis voluntatem solummodo indicat, posteaque desinit & evanescit. „

35. Sic illi, quasi jam argumentorum, quæ adversus sa supra allata sunt, obliti, iterum sese his impietatis constringunt vinculis. Verum ita eos ipsa confutat veritas. Si de aliquo homine sermo illis est, humana etiam de ejus verbo & filio cogitent: sed si de Deo hominum creatore disputant, nihil humani, sed potius nihil nisi supra hominum naturam concipiant. Nam qualis est genitor, talem & genitum esse necesse est; & qualis est Verbi Pater, tale quoque ejus debet esse Verbum. Itaque homo qui- [Verbi Dei & verbi humani differentia.] dem qui in tempore gignitur, ipse quoque in tempore gignit filium; & quia ex nihilo est factus, idcirco ejus verbum desinit, nec permanet,

Judith. 8. 15. Exod. 3. 14.

net. Deus autem non ut homo est, quemadmodum testatur Scriptura: sed is est qui est; ac proinde vere pariter est ejus Verbum, semperque est cum Patre, tamquam lucis splendor. Præterea verbum hominum ex syllabis est compositum, nec vivit, nec quid efficit, sed loquentis tantum mentem significat, statimque ut exiit evanescit, quippe cum nullum esset omnino, antequam proferretur: hinc nec vivit nec quid efficit, nec denique homo est hominum verbum. Cujus utique rei ea est ratio quam diximus, quia scilicet hominis, qui illud gignit, natura est ex nihilo. At Dei Verbum, non est aliquid quod proferatur, ut forte dixerit aliquis, nec vocis sonus est, nec quod Deus præceperit, hoc Filius est: sed ut lucis splendor, sic ille perfectus est ex perfecto fetus. Hinc item Deus est ipsa imago Dei. Nam *Deus*, inquit, *erat Verbum*. Insuper, verba hominum nihil ad efficiendum valent, unde homo non verbis sed manibus agit, quia hæ quidem existunt, at verbum illorum nihil est consistens. Verbum autem Dei, ut ait Apostolus, *vivens & efficax est Dei Verbum & penetrabilius omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & judex est meditationum & cogitationum cordis, nec ulla res creata illi occulta est, sed omnia nuda & aperta sunt oculis ejus, ad quod nobis est sermo*. Opifex igitur est, & sine ipso factum est nihil, nec aliquid absque illo potest fieri.

Joan. 1.

Hebr. 4. 12.

36. Nec vero quærenda est ratio cur Dei Verbum non tale sit quale nostrum: quandoquidem non talis est Deus quales nos, uti jam diximus. Nec etiam investigare convenit quomodo Verbum ex Deo est, quove modo splendor sit Dei, aut quomodo gignit Deus, quisve ille sit Dei gignendi modus. Insanus enim is est æstimandus, qui ista scrutari non verebitur, quippe qui existimet rem inexplicabilem divinæque propriam naturæ, soli Deo ac Filio cognitam, posse verbis exprimi. Idem enim est profecto ac si ipsi quærerent, ubinam quove modo sit Deus, & qualis sit Pater. Ut ergo de istis rebus sciscitari, nonnisi impiorum & Deum ignorantium est: ita talia de Filii Dei generatione audere indagare, Deumque ac ejus sapientiam nostra natura & infirmitate metiri, prorsus nefas est. Non idcirco tamen quid præter veritatem cogitare licet, nec si quis in his exquirendis defecerit, debet etiam fidem Scripturæ derogare. Siquidem præstat hæsitantes silere & credere, quam nolle credere, quia hæsitaverimus. Nam is qui hæsitat, veniam aliquo modo potest consequi, propterea quod, tametsi scrutatus est, tamen conquievit. Qui autem quia ipse hæsitat, ea quæ minime decent audet comminisci, atque indigna Deo loquitur: nullam is profecto temeritatis suæ veniam obtinebit. Namque in hisce difficultatibus potest solatium aliquod ex divinis haurire Scripturis, ita ut quæ scripta sunt, recte intelligat, nostrumque verbum habeat instar exempli & imaginis. Ut enim verbum nostrum ex nobis est, nec aliquod est opus extra nos factum: ita & Dei Verbum proprium ex illo est, nec opus aliquod est, nec etiam velut hominum verbum. Alioquin Deum hominem esse omnino esset intelligendum. Etenim plurima & diversa hominum verba quotidie prætereunt, quia priora non manent, sed evanescunt. Cujus rei hæc causa est, quod illorum patres cum homines sint, fluxas habent ætates, aliasque aliis succedentes cogitationes, ac qualia ipsi cogitant & meditantur, talia & loquuntur: quo fit ut multa habeant verba, nullumque tamen illorum postea

Qua ratione hominum verbum, Dei Verbo simile est.

Cur multa sunt hominum verba, cum unum sit Dei Verbum.

* Vide supra pag. 187. num. 19. & Præfationem generalem.

supersit. Cum enim is, qui loquitur, siluerit, eorum statim deficit verbum. Dei autem Verbum unum & idem est, &, ut scriptum est, Verbum Dei in sæculum permanet, nec mutatur, nec primum aut secundum est, sed idem semper exstitit. Nempe conveniebat unius Dei unam esse imaginem, unum Verbum, unam sapientiam.

Psal. 118. 89.

37. Quocirca non possum non mirari, quomodo, cum unus sit Deus, illi pro suis commentis multas imagines, sapientias & verba inducant, aliudque velint esse proprium ac naturale Patris Verbum, in quo & Filium fecerit, quem Filium verum, sola cogitatione Verbum putant appellari, ut vitem, viam, januam, & lignum vitæ. Sapientiam item nomine tenus eum didici docent, aliamque propriam ac veram sapientiam Patris esse, una cum ipso existentem nec tamen genitam, in qua factum & ipsum Filium sapientiam quoque appellarit, ut qui sapientiæ illius esset particeps. Hæc porro non solum voce proferre ausi sunt, sed & Arius in sua edidit Thalia, & Sophista Asterius, ut etiam † supra attulimus, in hunc scripsit modum. „Non dixit beatus Paulus se Christum ipsam Dei virtutem vel ipsam Dei sapientiam prædicare, * sed sine pronomine, virtutem Dei & Dei sapientiam, aliamque idem ostendit esse virtutem Dei propriam & naturalem quæ non sit genita, sed una cum illo existat, quæ & genitrix sit, Christi videlicet, & totius mundi creatrix, de qua ad Romanos ita scribit: *Invisibilia enim ipsius ex creatione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*. Ut enim divinitatem, de qua hic sermo est, nemo Christum esse dixerit, sed ipsum esse Patrem: ita, ut opinor, sempiterna ejus virtus & divinitas non unigenitus est Filius, sed ipse est genitor Pater. Aliam autem virtutem & sapientiam Dei esse docet, quæ per Christum apparuit. Deinde paucis interjectis pergit idem Asterius: Quamquam sempiterna ejus virtus & sapientia, quam principio carere nec genitam esse ratio vera declarat, una certe & ipsa est. Complures vero sunt sapientiæ singulatim ab ipso creatæ, quarum primogenitus & unigenitus est Christus, quæ omnes similiter ex domino pendent suo, ejusque virtutes, qui eas creavit & qui his utitur, jure merito appellantur. Hinc Propheta locustam ad hominum peccata ulciscenda divinitus immissam, non virtutem tantum, sed magnam virtutem a Deo ipso testatur appellari. Beatus item David non tantum Angelos, sed etiam Virtutes ad Deum laudandum hortatur. „

† Vide pag. 172. num. 32. ubi pro, disjunctione, lege, adjunctione, videlicet articuli τῆς, quem hic pronomen ipsum, commode exprimerent.

Asterii Sophistæ impia verba.

1. Cor. 1. 24.

Rom. 1. 20.

Joel. 2. 25.

38. Hæc cum illi vel tantum loqui audent, nonne omnium odio dignissimi sunt? Si enim, ut ipsi quidem putant, Filius est, non quia ex Patre genitus est, nec propter naturæ proprietatem; sed Verbum dicitur sive Ratio ob res ratione præditas, & sapientia, propter illos qui sapientes fiunt; potentia seu virtus, eorum causa qui potentes redduntur; denique filius, eos propter qui filii efficiuntur: fortassis quoque ob res quæ existunt, sola cogitatione existit. Quid ergo tandem futurus ille est? Nihil enim illorum esse dici possit ipse, si hæc mera ejus sunt nomina, solaque cogitatione dicendus est existere, cum nostri tantum causa hujusmodi ornetur nominibus. Sane ipsi potius censendi sunt diabolica aut etiam deteriore agitari insania, quippe qui se quidem vere existere velint, Dei autem Verbum solo nomine putent existere. An non vero monstra dicunt, cum affirmant sapientiam simul cum Patre existere eamque Christum

esse negant, sed multas ejus virtutes creatas & sapientias esse, quarum una sit Dominus, quem cum eruca & locusta conferre non dubitant? An non etiam dolose agunt, qui cum a nobis audiunt Verbum una cum Patre existere, continuo his obmurmurant verbis: Igitur duo * non-facta dicitis: cum autem ipsi ajunt non-factam ejus esse sapientiam, non vident contra seipsos vanam hanc factitare accusationem? Enimvero an non etiam valde stulta est hæc illorum sententia, nempe non-factam illam sapientiam, simulque cum Deo existentem, ipsum esse Deum? Nam quod simul existit, non secum, sed cum aliquo simul existit, ut de Domino narrant Euangelistæ, eum nempe simul cum discipulis fuisse. Nec enim secum, sed cum discipulis simul erat. Nisi forte Deum velint dicere compositum, eumque permixtam habere sapientiam vel quæ sit suæ naturæ complementum, quæ ipsa quoque non-facta sit, quam & inducunt mundi creatricem, ut Filium rerum creatione spolient. Nihil enim non movent, ut ne de Domino secundum veritatem sentiant.

* Al., si plus magis arridet, ingenita, & mox, ingenitam, ac deinceps. Nulla in Deo alia Sapientia præter Verbum.

39. Quo enim in loco divinæ Scripturæ repererunt, vel a quonam audierunt aliud verbum aliamve esse sapientiam præter huncce Filium, ut ista sibi confingant? Scriptum quidem est: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis & quasi securis incidens petram?* & in Proverbiis: *Docebo vos verba mea*. Verum hæc præcepta & mandata sunt, quæ per proprium ac solum verum Verbum Deus Sanctis edixit, de quibus sic loquitur Psalmista: *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua*. Quæ quidem verba alia e se esse ipse Salvator his dictis docuit: *Verba quæ locutus sum vobis*. Nec enim hujusmodi verba fetus sunt aut filii, neque tot sunt creantia verba, neque tot Dei imagines, neque tot sunt pro nobis homines facti, neque quasi ex multis talibus unum est, quod secundum Joannem caro factum est, sed de eo, ut de solo Dei Verbo, e Joanne dictum est: *Verbum caro factum est*, &, *omnia per ipsum facta sunt*. Itaque de solo hoc Domino nostro Jesu Christo & de ejus cum Patre unitate & scripta sunt & exhibentur testimonia. Ipse enim Pater unum esse Filium declarat, quod idem didicere viri sancti, qui unum Verbum esse ipsumque esse unigenitum affirmant: idipsum quoque probant opera per ipsum facta. Siquidem res prorsus omnes, sive quæ videntur, sive quæ non videntur, per ipsum factæ sunt, & sine illo factum est nihil. Nihil autem de altero aut de aliquo alio cogitant, nec alia sibi fingunt verba aliasve sapientias, quarum nec nomen nec opus ullum indicat Scripture, sed illi tantum memorant. Hoc enim eorum commentum, est & mentis Christo inimicæ fetus. Scilicet Verbi & Sapientiæ nomine abutuntur, aliaque verba aliasve comminiscuntur sapientias, ut verum Dei Verbum veramque ac unam Patris sapientiam negent: quo utique facto Manichæos miseri imitantur. Illi enim Dei cernentes opera, eum qui solus & verus est Deus negant, aliumque sibi ipsi fingunt, cujus nec opus nec testimonium aliquod ex divinis Scripturis queunt proferre.

Jerem. 23. 29.
Prov. 1. 23.
Psal. 118. 101.
Joan. 6. 64.
Joan. 1.
Arianis Manichæos imitantur.

40. Igitur si in sacris litteris nulla alia præter ipsum Filium reperitur sapientia: si nihil hujuscemodi e Patribus audivimus: si contra ipsi Patres confessi sunt ac scriptum reliquerunt sapientiam simul cum Patre existere, nec factam esse, sed propriam ejus esse, & mundi effectricem: sane nihil aliud esse potest nisi Filius, qui &, ut iidem ipsi sentiunt, ab æternitate simul cum Patre existit. Siquidem ipse est opifex, uti scriptum est: *Omnia in sapientia fecisti*. Nam-

Psal. 103. 24.

A que ipse quoque Asterius, veluti eorum oblitus quæ prius scripserat, contra Gentiles postea disputans, non secus ac Caiphas, invitus, non jam multas sapientias nec erucam commemorat, sed unam esse sapientiam his verbis scribit: „ Unus quidem Deus Verbum sive Ratio est, sed res multæ ratione sunt præditæ: una item sapientiæ substantia & natura est, „ sed res multæ sapientes & bonæ sunt. Et paucis interjectis hæc addit: Quinam fuerint quos Dei filios „ appellari dignos arbitrantur? Nec enim verba quoque illos esse, nec multas contendent existere sapientias. Nam fieri nequit ut, cum unum sit Verbum, unamque ostensum sit esse Sapientiam, filiorum multitudini attribuatur natura Verbi, „ nomenque Sapientiæ concedatur. „ Nihil ergo mirum videri debet, si Ariani cum veritate pugnent, quandoquidem secum ipsi invicem confligunt. Modo enim complures esse sapientias asseverant, modo unam declarant esse, modo cum eruca collocant sapientiam, modo eam simul cum Patre existere, propriumque ejus esse fatentur: modo solum Patrem docent non-factum esse, modo ejusdem sapientiam ac virtutem non-factam quoque esse concedunt. Nobis Dei Verbum semper esse affirmantibus repugnant illi quidem, sed iidem tamen propriæ sententiæ obliti, Sapientiam simul cum Deo existere nec factam esse consentiunt. Ita illi in omnibus laborant vertigine, veraque rejecta Sapientia, aliam quæ nulla est excogitant, non secus ac Manichæi, qui Deum qui vere est negantes, alium sibi ipsi fingunt.

Asterius ipse unam divinam Rationem seu Verbum & sapientiam esse docet.

41. Verum audiant cum Manichæi tum alii hæretici unum esse Christi Patrem, qui rerum creatarum dominus est & effector per proprium Verbum. Audiant vero speciatim Ariani unum esse Dei Verbum, ipsumque solum, proprium & genuinum ex ejusdem natura ortum Filium esse, atque individuam divinitatis cum suo Patre unitatem habere, uti sæpe diximus, idque ab ipso didicimus Salvatore. Alioquin si non ita sit, quare per ipsum creat Pater, seque in ipso quibus voluerit patefacit, illosque illuminat? Vel quare in Baptismo una cum Patre nominatur Filius? Nam si respondeant Patrem minime sufficere, impie est responsio. Si vero sufficere dicatur, quod utique fas est dicere, quid, quæso, opus est Filio sive in rerum creatione sive in sancto lavacro? Ecqua enim rei creatæ cum Creatore communitas? Aut quare id quod factum est, cum ipso effectore conjungitur in omnium initiatione? Vel cur tandem fides secundum vos in nomine unius Creatoris uniusque rei creatæ traditur? Si enim id ita fit, ut cum divinitate conjungamur: quid re creata opus est? Si vero, ut cum Filio qui res est creata ineamus societatem: inutiliter secundum vos Filii nomen adhibetur in Baptismo; siquidem Deus qui Filium illum effecit, nos quoque similiter filios potest efficere. Quamquam si filius res create est, cum rerum creatarum, quæ ratione sunt præditæ, una sit natura, nullum auxilium rebus creatis ferre poterit res creata, quippe cum omnes gratia Dei indigeant. Paucis quidem antea explicavimus quam congruenter omnia per ipsum facta fuerint: quando vero nostra Oratione incidimus in Baptismi mentionem, necesse est respondere, ut ego quidem sentio & credo, non idcirco Filium cum Patre nominari, quasi ipse non sufficeret Pater; neque id temere & fortuito fieri: sed quia Dei Verbum est propriaque ejus sapientia, semperque est cum Patre, tamquam ejus splendor; hinc fieri nequit ut Patre præbente, non detur in Filio gratia. Namque in Patre est Filius, ut splendor in luce. Nec enim Deus quasi indigens, sed, ut Pater, sua ipsius sapientia terram fundavit,

Quandoquidem omnia per Filium creat Pater, ejusque & Patris nomine confertur Baptismus & datur gratia, inde efficitur eum quoque esse vere Deum.

Ut splendor est in luce, sic in Patre est Filius.

Prov. 3. 19.

vit, & omnia Verbo, quod ex se est, fecit, sanctumque lavacrum in Filio confirmat. Ubi enim Pater est, illic est & Filius, quemadmodum ubi lux est, ibi quoque est splendor. Ac sicut ea quæ Pater efficit, per Filium efficit, quod quidem ipse Dominus his verbis testatur: Quæ video Patrem facientem, hæc & ego facio; ita cum confertur Baptismus, quem Pater baptizat, hunc Filius baptizat; & quem Filius baptizat, idem in Spiritu sancto initiatur. Præterea, quemadmodum lucente sole, recte dici potest splendor illuminare; cum una & eadem sit lux quæ nec dividi nec discindi possit: ita ubi Pater est vel nominatur, ibi omnino est item Filius. Quocirca cum Pater in Baptismo nominetur, in eo etiam Filium necesse est nominari.

Joan. 5. 10.

42. Ea propter cum ipse bona Sanctis promitteret, sic ait: *Veniemus ego & Pater, & mansionem apud eum faciemus*. Et rursus, *Ut sicut ego & tu unum sumus, sic & illi unum sint in nobis*. Una similiter est gratia, quæ a Patre in Filio datur, ut in omnibus epistolis scribit Paulus: *Gratia vobis & pax a Deo patre nostro & Domino Jesu Christo*. Necessum enim est lucem una cum splendore esse, & splendorem cum propria luce videri. Qua de causa Judæi qui Filium cum istis negant, nec ipsi etiam Patrem habent. Nam cum fontem sapientiæ, ut illis exprobrat Baruch, dereliquerint, sapientiam quoque ex fonte ipso promanantem, quæ est Dominus noster Jesus Christus, a se tunc projecerunt, cum dixerunt, *Non habemus regem nisi Cæsarem*. *Christus enim*, inquit Apostolus, *Dei virtus & Dei sapientia est*. Judæi itaque dignas impiæ negationis persolvunt pœnas: rationem enim una cum urbe sua amiserunt. * Isti autem in periculum veniunt amittendæ mysterii (de Baptismo loquor) integritatis. Nam si in Patris & Filii nomine initiamur, illi autem verum non pronuntiant Patrem, utpote qui id, quod ex ipso est, ejusque naturæ est simile, negent: cum item verum iidem negant Filium, aliumque nominant, quem ex nihilo creatum esse comminiscuntur; qui fieri potest ut prorsus vacuus ac inutilis non sit Baptismus, qui ab illis datur, in quo quidem insit religionis simulatio, sed revera nihil ad pietatem queat conferre? Nec enim Ariani in Patris & Filii nomine dant Baptismum, sed in nomine creatoris & rei creatæ, effectoris & rei factæ. Unde quemadmodum res creata alia est a Filio, ita Baptismus, quem illi dare putantur, a vero Baptismo alius est, etiamsi nomen Patris & Filii, ut præcipit Scriptura, proferre assimulent. Non enim qui dicit, Domine, ille etiam dat, sed is tantum, qui cum nomine rectam quoque habet fidem. Ea de causa Salvator non solum baptizare jussit, sed primum ait: *Docete*, & deinde, *baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, ut ex doctrina oriretur recta fides, & cum fide Baptismo initiaremur.

Joan. 14. 23. Joan. 17. 21. Rom. 1. 7. 1 Cor. 1. 3. Eph. 1. 2. &c. Bar. 3. 12. Joan. 19. 15. 1. Cor. 1. 24.

Vacuus & inutilis est Baptismus quem conferunt Ariani, aliique hæretici.

Matth. 7. 21. Mat. 28. 19.

43. Itaque multæ quoque aliæ hæreses nomina tantum pronunciant: verum cum recte non sentiant, uti dictum est, nec sanam habeant fidem, inutilis est aqua quam donant, quippe cui desit pietas; ita ut quemcumque illi asperserint, impietate fœdetur potius, quam redimatur. Sic & ipsi Gentiles, tametsi Deum in ore habent, Deum tamen convincuntur non colere, quia illum, qui verus & vere est Deus, Patrem scilicet Domini nostri Jesu Christi non agnoscunt. Sic Manichæi, Phryges, & Samosatensis discipuli, quamvis proferunt nomina, nihilominus sunt hæretici. Sic etiam deinde hi qui cum Ario sentiunt, licet quæ scripta sunt recitent, & nomina pronuncient, eos tamen, qui ab illis accipiunt Baptismum, decipiunt & eludunt, cum longe major sit ipsorum impietas quam ceterorum hæreticorum, quos sensim prætergrediuntur, ut etiam sua præ loquacitate, culpa liberi illi videantur. Enimvero alii hæretici quiddam præter veritatem sunt commenti, ita ut vel eorum error circa Domini corpus versetur, eumque ex Maria Virgine carnem negent habuisse, vel contendant mortem non subiisse, nec factum ullo modo esse hominem, sed solum apparuisse, non autem revera fuisse: corpus similiter specie, non vere habuisse: denique hominem visum dumtaxat fuisse, eo modo quo visa somniantibus occurrunt. Ariani autem aperte in ipsum Patrem impii sunt, cujus divinitatem, quam in Filio tamquam in imagine Scripturis testatam audiunt, blasphemiis audent impugnare, eam creatam esse affirmantes, & quocumque se contulerint, voculam hanc, *non erat*, veluti cœnum in pera secum circumferunt, sicque, ut serpens virus, evomunt. Deinde vero quando illorum sententia nauseam parit omnibus, continuo humanum præsidium auctoritatemque, labantis hæresis fulciendæ causa, substituunt & supponunt, ut ejus aspectu aut metu, quam noxia sit impia ipsorum doctrina non intelligant incautiores. An non igitur miseratione digni sunt qui ita decipiuntur? An non eos æquum est deflere, qui præsenti mendacique voluptatum specie victi, suum produnt commodum, & futura spe cadunt? Qui enim in nomine ejus, qui nullus est, Baptismum videntur accipere, nihil certe accipient, sed rei creatæ conjuncti, nullum ab ea consequentur auxilium. Cum item in rem natura a Patre alienam & dissimilem iidem credant, nullam quoque cum eo conjunctionem sunt habituri, quippe qui proprium & natura ex Patre genitum non habeant Filium, qui & ipse in Patre est, & in quo est similiter Pater, ut idem testatur Filius: sed infelices, illorum circumventi improbitate, nudi plane & destituti divinitate permanent. Nec enim ipsos morientes sequentur fallacia terræ bona, nec cum Dominum, quem negaverunt, in throno Patris sui sedentem viderint, vivosque ac mortuos judicantem, aliquem illorum, a quibus circumventi sunt, in sui auxilium licebit eis advocare. Nam illos quoque judicari, & omnium, quæ inique & impie egerint, videbunt pœnitere.

Arianorum major est impietas quam ceterorum hæreticorum.

Joan. 14. 10.

44. Hæc porro, loci Proverbiorum explicandi gratia, hactenus præmisimus, absurdisque illorum refellendis commentis institimus; ut perspectum habentes, Filium Dei dici creatum non debere, recte legere discant illum Proverbiorum locum, cujus sa-

na

* Ex hoc loco contendunt nonnulli fuisse S. Athanasii sententiam, Baptisma hæreticorum plene irritum esse, iterumque esse baptizandos qui ex hæreticis ad Ecclesiam Catholicam convertuntur. Verum id clare non probant S. Doctoris verba, qui forte ea tantum ratione vacuum & inutile esse docet hæreticorum Baptisma, quatenus nihil proficis ad pietatem sive verum Dei cultum, qui in sola Catholica exhibetur Ecclesia. Nec vero inepte ait eos, qui hæreticorum adsperguntur aqua, fœdari potius impietate, quam redimi; quippe cum illi, Baptisma ab hæreticis accipiendo, in eorum adscribantur numerum, fiantque & ipsi hoc pacto hæretici, ac proinde veram extra Religionem & salutis viam. Similia passim habet Augustinus ipse contra Donatistas. Exempli gratia lib. de unico Baptismo contra Petilianum num. 8. ait Baptismum non solum nihil prodesse hæreticis ad salutem, sed etiam obesse ad damnationem. Verba S. Augustini sunt: *Sicut nihil eis proderat ad salutem quod verum Deum ignorantes, eum tamen colebant, imo & oberat ad perniciem, quod falsos deos simul colentes, eidem vero Deo sacrilegam injuriam faciebant: sic nihil prodest hæreticis ad salutem quod extra Ecclesiam verum Baptismum per ignorantiam & tradunt & tenent; imo & obest ad damnationem, quod in sacrilega iniquitate erroris humani, etiam divini Sacramenti non per quam mundentur, sed per quam severius judicentur, detinent veritatem*. Hæc ille. Vide Præfationem generalem.

na utique est sententia. Itaque scriptum quidem est:
Prov. 8. 22. *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*: verum quia proverbia illa sunt, idque instar proverbii est dictum; hæc idcirco verba non, ut nude jacent, sunt explicanda, sed attendendum est ad personam, itaque congruenter pietati ea par est intelligere. Nam quæ proverbiorum instar dicuntur, non clare & aperte, sed obscure enunciantur, ut ipse Dominus in Euangelio secundum Joannem
Joan. 16. 25. his verbis docet: *Hæc in Proverbiis locutus sum vobis. Sed venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam*. Itaque opus est ut dictionis illius evolvamus sensum, & tamquam abditum investigemus: nec verba illa quasi perspicue enunciata, uti jacent, debemus excipere, ne a veritate, falsa interpretatione, aberremus. Igitur si de Angelo vel de aliqua alia re facta, uti nos sumus, scripta sunt: hæc dictio, *creavit*, per me licet, proprie usurpetur. Sed si sapientia Dei, in qua res factæ omnes productæ sunt, hic de seipsa loquitur: quid cogitare convenit quam eam, cum verbo, *creavit*, usa est, nihil contrarium vocabulo *genuit*, dicere, neque oblitam se creatricem & effectricem esse, aut ignaram quid inter creantem & creata intersit, seipsam inter res creatas annumerasse, sed sensum aliquem non apertum, sed abstrusum, proverbiorum more, significare, secundum quem Sanctos ad vaticinandum excitarit, ipsaque paulopost eadem significatione vocem, *creavit*, hisce aliis denotarit verbis,
Prov. 9. 1. *Sapientia ædificavit sibi ipsi domum?* Certum est autem Sapientiæ domum, nostrum esse corpus, quo assumpto factus homo est, unde jure merito a Joanne dici-
Joan. 1. 14. tur, *Verbum caro factum est*: & Sapientia ipsa de se per Salomonem haud inconsulte ait, non, Ego sum creata, sed tantum, *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*, non autem ut essem me creavit, neque quod simile habeam rerum creatarum principium aut originem.

45. Non enim Verbum hoc in loco naturam suæ divinitatis vel æternum germanumque sui ipsius ex Patre ortum, Salomonis verbis significavit: sed solam humanitatem & susceptam nostri gratia dispensationem intellexit. Hinc ut jam monui, non dixit: Res sum creata, vel, Creatura facta sum, sed tantum, *creavit*. Siquidem res creatæ, quia creatam habent naturam, e numero rerum factarum sunt, & creari dicuntur, omninoque creatura creatur. At sola dictio, *creavit*, non necessario naturam vel ortum significat, sed aliquid aliud circa rem, de qua loquitur, fieri innuit: nec proinde id quod dicitur creari, etiam natura & substantia creatum est. Quod quidem discrimen non ignotum est di-
Psal. 103. 24. vinæ Scripturæ, quæ de creatis rebus ait: *Impleta est terra creatura tua*: &, *ipsa creatura conge-*
Rom. 8 22. *mit & condolescit*. In Apocalypsi quoque scribi-
Apocal. 8 9. tur: *Et mortua est tertia pars creaturarum quæ erant in mari, animas habentium*. Ait item Pau-
1. Tim. 4. 4. lus: *Omnis creatura dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*.
Sap. 9. 2. Et in libro Sapientiæ legitur: *Et Sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturis quæ a te factæ sunt*. Quod autem res istæ quæ creaturæ sunt, creari dicantur, id rursus a Domino
Matt. 19. 4. licet discere, cujus nempe hæc sunt verba: *Qui autem ab initio homines creavit, masculum & feminam fecit eos*. Idem quoque confirmat Moy-
Deuter. 4. 32. ses, qui in Cantico ita loquitur: *Interrogate dies, quæ priores te factæ sunt, a die qua Deus hominem creavit in terra, & ad summum cælum*.
Coloss. 1. 15. Et Paulus epistola ad Colossenses sic scribit: *Qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso creata sunt omnia quæ in cælis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum & in ipsa creata sunt, & ipse est ante omnia*.

46. Itaque ea, quæ ex natura sua substantiam habent creatam, creaturas dici, & vere creari, satis ex his patet, quæ commonefaciendi gratia attulimus, cum alioquin hujusmodi testimoniis plena sit Scriptura. Quod vero sola dictio, *creavit*, non semper naturam significet vel originem, liquet ex Davide, qui in Psalmis ait, *Scribatur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit Dominum*. Et rursus, *Cor mundum crea in me, Deus*. Paulus item epistola ad Ephesios scribit: *Legem mandatorum in decretis abrogans, ut duos in semetipso in unum novum hominem crearet*. Et iterum: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*. Psal. 101. 19. Psal. 50. 12. Ephes. 2 15. Ephes. 4 24. Neque enim David de populo aliquo, qui secundum substantiam crearetur, sermonem habebat, nec orabat ut cor acciperet aliud ab eo quod jam haberet: sed eam, quæ secundum Deum est, renovationem significabat & instaurationem. Nec item Paulus duos aliquos intelligebat, qui secundum substantiam in Domino crearentur, neque nos hortabatur ut alium quemdam indueremus hominem: verum per hominem, qui secundum Deum est, vitam virtute ornatam, & per eos qui in Christo creantur, duos populos qui in illo renovantur indicabat. Nec ab hac loquendi forma alienum est illud Jeremiæ: *Creavit Dominus salutem novam in plantationem, qua in salute circuibunt homines*: quibus verbis non significat substantiam aliquam creaturæ, sed renovandam in hominibus salutem, quæ nobis in Christo facta est, prædicit. Jerem. 31. 22. Vide supra pag. 38. Cum igitur tantum differat rem creatam esse, & dictionem, *creavit*, de aliquo tantummodo usurpari: si aliquo in loco divinæ Scripturæ, Dominum creaturam appellari reperistis, exhibete & contendite. Sin vero nusquam scriptum est illum esse creaturam, sed solum ipse de se in Proverbiis ait, *Dominus creavit me*: erubescite itaque cum ob hujusmodi differentiam, tum quod illa proverbiorum instar sint dicta: nec jam amplius ex hoc vocabulo, *creavit*, Dominum creatum esse colligite, sed id de ejus humana natura interpretamini, cujus scilicet proprium est creari. Alioquin an non iniquissime agitis, qui cum hanc dictionem, *creavit*, a Davide vel a Paulo usurpari auditis, non naturam & originem intelligitis, sed renovationem: cum vero eodem vocabulo, *creavit*, utentem Dominum auditis, ejus naturam inter res creatas audetis annumerare? Cum rursus hæc auditis verba, *Sapientia ædificavit sibi ipsi domum, & erexit columnas septem*: Prov. 9. 1. domum quidem istam allegorice explicatis: vocem autem, *creavit*, ut jacet, accipitis, atque ad significationem creaturæ transferre nihil dubitatis. Nec aliquid vero apud vos valet quod ille creator sit & opifex; nihilque formidinis vobis injicit quod idem solus proprius sit Patris fetus: sed temere, veluti nomine contra illum dato, pugnatis, viliusque de eo quam de hominibus sentitis.

47. Namque hoc ex ipso loco convincitur merum vestrum commentum esse, quod Dominum creatum esse affirmatis. Quippe Dominus sciens suam naturam esse unigenitam sapientiam, Patrisque fetum, & aliam a factis & ex natura creatis rebus, nunc perhumaniter dicit: *Dominus creavit me initium viarum suarum*, Hebr. 10. 5. quasi scilicet diceret: Pater corpus mihi perfecit, & me ad homines pro hominum salute creavit. Quemadmodum enim cum a Joanne audimus, *Verbum caro factum est*,

est, non totum Verbum carnem esse, sed carnem tantummodo induisse factumque esse hominem intelligimus: cum item audimus, *Christus pro nobis factus est maledictum;* &, *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit;* non etiam totum ipsum intelligimus maledictum & peccatum factum esse, sed nostram maledictionem dumtaxat suscepisse, ut Apostolus his verbis docet, *Redemit nos de maledictione*, nostraque portasse peccata, ut ait Esaias, atque ea, ut scribit Petrus, corpore in lignum sustulisse. Similiter ergo si vocem *creavit* in Proverbiis audierimus, non totum Verbum creaturam esse, sed creatum induisse corpus intelligendum est, Deumque pro nobis ipsum creasse, & illi creatum corpus, nostri causa, uti scriptum est, perfecisse, ut in ipso renovari diique effici possemus. Quid igitur vos, o insani, adeo fefellit, ut Creatorem creaturam diceretis? Aut unde novum hoc commentum vobis ipsis comparastis, in eoque triumphatis? Proverbia quidem dictionem, *creavit*, habent: at Filium non creatum sed genitum esse ajunt, & juxta vocis, *creavit*, & *creaturæ* differentiam, quam paulo antea ex Scripturis explicavimus, illum agnoscunt sapientiam esse unigenitam & rerum creatarum opificem, quod quidem naturæ Filii proprium est. Cum autem vocem, *creavit*, usurpant, non de ejus loquuntur natura, sed eum multarum viarum principium fieri significant, ita ut vox, *creavit*, voci, fetus, opponatur: quod autem principium viarum dicitur, ipsi verbo opponitur quatenus est unigenitum.

Galat. 3. 13.
2. Cor. 5. 21.
Galat. 3. 13.
Esai. 53. 4.
1. Petr. 2. 24.
Hebr. 10. 5.

48. Nam si genitus est, quare illum creatum dicitis? Nemo enim quæ creat gignere dicit, nec proprios fetus vocat creaturas. Rursus, si unigenitus est, quomodo fit ipse viarum principium? Nam si principium omnium ipse est creatus, necesse est non jam amplius unum esse, quippe qui alios post se habeat. Siquidem Ruben qui principium fuit filiorum, non unigenitus erat, sed ætate quidem erat primus, natura autem & cognatione unus illorum erat, qui post ipsum nati fuere. Igitur si Verbum principium est viarum, tale profecto est quales sunt viæ: & vicissim tales sunt viæ quale ipsum est Verbum, licet tempore primum illarum creetur. Namque tale est alicujus urbis principium, quales sunt aliæ urbis partes, quæ partes cum ipso principio conjunctæ integram & unam urbem perficiunt, non secus ac unius corporis membra: nec vero una ejus pars inter res condentes est, alia inter conditas, alterique parti subjicitur, sed omnes simul æquali architecti cura reguntur & consistunt. Si ergo hoc etiam modo Dominus principium omnium creatur, necesse est ipsum simul cum omnibus unam perficere creatam naturam, neque ab aliis differre, etiamsi omnium sit principium, neque aliarum naturæ creatæ partium esse dominum, licet sit tempore antiquior: quippe cum ipse quoque cum aliis omnibus unam creationis rationem & dominum habeat. Porro si secundum vos creatus est, qui fieri potest ut solus & primus creetur, omniumque sit principium, cum ex his, quæ dicta sunt, constet nihil per se stabile esse & primum factum, sed unamquamque rem una cum omnibus ortum habuisse, quamvis aliæ aliis præstent. Nec enim singula astra, nec majorum luminarium aliud primum, aliud secundum apparuit: sed cuncta uno die eodemque imperio vocata sunt ut essent. Talis etiam quadrupedum, avium, & piscium, & plantarum origo fuit, ut & generis hominum qui ad imaginem Dei facti sunt. Nam tametsi Adam solus e terra est formatus: tamen in ipso inerant propagationis humani generis rationes & semina.

Rom. 4. 17.

49. Ceterum ex his mundi rebus quas videmus, perspicimus quoque ejus invisibilia, operibus intellecta, nec singula seorsum existere. Non enim aliud primum aut aliud secundum, sed simul omnia secundum suum genus exstitere. Nam non singulos recensuit Apostolus, ita ut diceret, sive Angelus, sive Thronus, sive Dominatio, & Potestas, sed simul omnes ex ordine enumerat hujusmodi verbis: *sive Angeli, sive Archangeli, sive Principatus:* Propria scilicet ea est rerum creatarum origo. Igitur si, ut dixi, Verbum creatum esset, non prius sed una cum aliis Virtutibus factum fuisset, quantumvis iisdem gloria antecellat. Ita enim se res habet in ceteris, quæ nempe simul factæ fuerunt, nullaque inter illas prima est vel secunda, licet gloria inter se differant, ita ut aliæ quidem a dextris, aliæ circum, aliæ a sinistris, sed tamen omnes simul Deum laudent, & Domino ministrent. Quocirca si Verbum creatum est, nec primum nec principium aliorum esse potest. Si vero ante res omnes est, uti revera est, ipsumque solum primum est & Filius est: non igitur secundum naturam omnium est principium. Nam inter omnia etiam omnium principium numeratur. Quod si principium non est; nec etiam creatum est, sed patet ipsum substantia & natura a rebus quidem creatis differre, aliudque ab illis esse, solius autem & veri Dei similitudinem esse & imaginem, solum denique & ipsum existere. Hinc ipsum inter res creatas non collocant Scripturæ. Imo David eos, qui id vel agere cogitant, his verbis arguit: *Quis similis tui in diis, Domine?* &, *quis similis erit Domino in filiis Dei?* Et Baruch: *Hic est Deus noster, non æstimabitur alius adversus eum.* Enimvero hic creat, illa autem creantur. Proprium ille est naturæ Patris Verbum & Sapientia: res vero factæ, cum antea non essent, per ipsum Verbum fuerunt productæ.

Rom. 1. 20.
Coloss. 1. 16.
Cœlestium Spirituum alii a dextris Dei, alii a sinistris, alii circum positi, divinam laudant Majestatem.
Psal. 85. 8. & 88. 7.
Psal. 88. 7.
Bar. 3. 36.

50. Hæc igitur quæ tam crebro jactitatis verba, Filius res est creata, vera nullo modo sunt, sed merum vestræ mentis commentum est, vosque Salomon ipse increpat quod sæpe illius auctoritate false abusi fueritis. Neque enim docuit Filium rem creatam esse, sed fetum & sapientiam Dei, ut ex his ejus verbis clarum est: *Deus Sapientia fundavit terram.* Et, *Sapientia ædificavit sibi ipsi domum.* Quin etiam locus, quem hic expendimus, vestram plane confutat impietatem. Nam scriptum est: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua.* Igitur si ipse est ante omnia, dicit autem, *creavit me*, non ut opera faciam, sed *in opera:* vel id, quod ista voce, *creavit*, significatur, ipso est posterius, vel ipse operibus posterior videbitur, quippe qui illa, cum creatur ipse, jam ante se existentia reperiat, & quorum causa idem ipse creetur. Quæ si vera sunt, qui potest fieri, ut ipse sit ante omnia? Quomodo porro omnia per ipsum facta sunt & in ipso constituta? Namque secundum vos ante eum exstiterunt opera, quorum causa ipse est creatus, & ad quæ missus fuit. Verum non ita se res habet: absit. Falsa hæc est hæreticorum sententia. Nec enim Dei Verbum res est creata, sed creator ipse est: tunc autem proverbii instar ait, *Dominus creavit me*, cum creatam induit carnem, ut etiam ex hoc ipso loco potest intelligi. Tametsi enim Filius est, & Deum habet patrem, cum proprius ejus sit fetus: tamen Patrem hoc in loco dominum appellavit, non quia servus esset, sed quia servi formam accepit. Quippe quemadmodum, quatenus Verbum est ex Patre, Deum convenienter patrem appellat: namque id proprium filii est er-

Prov. 3. 19.
Prov. 9. 1.
Joan. 1. 3.
Coloss. 1. 17.
Verbum quatenus homo, Deum convenienter appellat Dominum.

patrem: ita cum opus venit absoluturus, & servi formam accepit; Patrem dominum dicere, eum omnino decuit. Hujusmodi porro discrimen suos ipse discipulos distincte admodum hisce Euangelii
Mat. 11.25. verbis docuit: *Confiteor tibi, Pater*: deinde: *Domine cœli & terræ*. Namque & Deum sui ipsius Patrem esse testatur, & eumdem rerum creatarum dominum appellat: ita ut ex hoc loco perspicuum sit eum, cum naturam creatam accepit, tunc Patrem appellasse dominum. Quin etiam idem discrimen in Davidis oratione sanctus declarat Spiritus,
Psal. 85.16. sic in Psalmis loquens: *Da imperium tuum puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ*. Siquidem alius est naturalis & verus Dei Filius, & alii sunt ancillæ liberi, qualis est videlicet rerum factarum natura. Hinc ille tamquam Filius paterno gaudet imperio: hæ autem, salute opus habent.

Genes. 21.8. 51. Quod si idcirco quod puer sit vocatus, nugari
4. Reg. 4.18. velint & rixari, discant Isaac puerum quoque Abrahæ appellatum esse, & filium Sunamitidis puerulum fuisse dictum. Merito itaque eum nos servi simus, ille nostri factus similis, Patrem quoque dominum, sicuti nos, vocat: quod profecto summæ suæ erga nos benignitatis argumentum voluit esse, ut scilicet nos, qui natura servi sumus, spiritu Filii accepto, illum qui natura noster est dominus, gratia patrem appellare auderemus. Verum quemadmodum nos cum Dominum patrem appellamus, non tamen inficiamur servos nos natura esse; ejus siquidem opera sumus, ipseque fecit nos & non ipsi
Psal. 99.3. nos: ita cum Filius forma servi accepta ait, *Dominus creavit me*, non idcirco ejus divinitatis æternitatem negare debent, vel in principio Verbum fuisse, omniaque per ipsum esse facta, & in ipso creata omnia esse. Hac autem Proverbiorum sententia, non Verbi natura, uti jam dixi, sed humanitas significatur. Nam si in opera se creatum esse dicit, manifestum est eum hisce verbis nolle suam indicare naturam, sed suam tantummodo in opera administrationem, quod quidem posterius est quam esse. Res enim creatæ primo ac præcipue ea de causa sunt factæ ut sint & existant, secundo vero habent ut agant quæcumque imperaverit Verbum, ut in omnibus licet perspicere. Siquidem Adam creatus est, non ut ageret, sed ut primum esset homo; nam postea agendi præceptum accepit. Noe similiter non propter arcam creatus est, sed ut priorum esset & fieret homo: nam postea arcam jussus est fabricari: idemque in aliis singulis quisque potest animadvertere. Etenim magnus ille Moyses primum factus homo est, deinde populi imperium illi est concreditum. Idem ergo hic pariter licet intelligere. Vides enim Filium non creari ut sit: sed *in principio* quidem *erat Verbum*, postea vero in opera eorumque administrationem mittitur. Etenim antequam facta essent opera, semper erat Filius, necdum tamen necesse erat eum creari. Postquam autem creata sunt opera, ac deinde administratione ad illa restauranda opus fuit: tunc etiam seipsum obtulit Verbum, eoque sese demisit, ut operum simile fieret: quod utique per vocem, *creavit*, nobis voluit significare. Simile item aliquid per Esaiam Prophetam his verbis
Esai. 49.5. docet: *Et nunc hæc dicit Dominus, qui me ex utero servum sibi formavit, ut Jacob & Israel ad ipsum congregarem, congregabor & glorificabor coram Domino.*

52. Ecce etiam hic non ut esset formatur, sed ut tribus congregaret, quæ antequam ipse formaretur existebant. Nam ut illic scriptum est, *creavit*, ita hic, *formavit*, dicitur; & ut illic additur, *in opera*, ita hic sequitur, *ut congregarem*. Quocirca clarissimum undelibet est nonnisi posterius quam fuerit Verbum, hæc verba, *creavit*, & *formavit*, de illo enunciari. Nam quemadmodum antequam Filius formaretur, tribus existebant, propter quas formatus ipse est: sic etiam opera, quorum causa creatus est, prius patet exstitisse. Præterea cum in principio esset Verbum, nondum, ut dixi, erant opera: cum autem facta sunt opera, & exegit necessitas, tunc dictum est, *creavit*. Ac quemadmodum si aliquis filius servis perditis & apud hostes, ipsorum negligentia, detentis, cogente necessitate a patre mitteretur, ut illos adjuvaret & reduceret, illeque in itinere similem illorum indueret vestem, eodemque ac illi se appellaret nomine, ne forte hi, qui servos retinerent, ipso ut domino agnito, fugerent, ipseque hoc pacto prohiberetur ad servos subter terram ab illis occultatos accedere: si quis deinde ab eo sciscitaretur, quare ita egisset, recte responderet: Sic me formavit & comparavit pater in opera sua: quibus quidem verbis neque se servum aut unum ex operibus esse significaret; nec etiam sui ortus indicaret principium,
Philipp. 2.8. sed tantum commissam sibi postea operum curam. Similiter ratione si Dominus, nostra induta carne, & figura inventus ut homo, ab his interrogaretur qui ipsum eo in statu suspiciunt & admirantur, responderet: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*: &, *Formavit me ut congregarem Israel*. Idem autem ipse quoque Spiritus in Psalmis prænunci- Psal. 8. 7.
ans ajebat: *Constituisti eum super opera manuum tuarum*:
Psal. 2. 6. quod & Dominus de seipso his confirmat verbis: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*. Porro quemadmodum cum monti Sion corpore illuxit, tunc non incœpit esse aut regnare: sed cum esset ipse Verbum & rex sempiternus, humaniter voluit suum regnum illucere quoque in Sion, ut scilicet & nos & illos a peccato, quod in eis regnabat, redimeret, & in paternum sui imperium redigeret: qua utique ratione in opera est constitutus, non quæ nondum essent, sed quæ jam exsisterent, & emendatione indigerent.

53. Igitur hæ dictiones, *creavit*, *formavit*, & *constituit*, eamdem habent significationem, nec ullo modo probant, vel eum incœpisse esse, vel creatam ejus esse naturam, sed intelligendæ sunt de renovatione, qua nos singulari beneficio refecit. Itaque licet hæc ejus sint verba, ipse nihilominus se ante
Joan. 8.58. Prov. 8. 27. 30. res illas docuit existere cum ait: *Antequam Abraham fieret, ego sum*: &, *cum cælos præparabat, aderam illi*: &, *apud illum eram res apte componens*. Quemadmodum vero ipse erat, antequam fieret Abraham, Israel autem post Abraham factus est, certumque est ipsum cum prius existeret, postea formatum esse, idque non ejus existendi principium, sed humanam ab eo naturam assumtam significare, in qua videlicet tribus Israel congregat: ita cum ipse semper sit cum Patre, rerum creatarum est quoque opifex, palamque est opera ipso esse posteriora, & voce, *creavit*, non ostendi eum esse cœpisse, sed operum administrationem, quam in carne gessit, suscepisse. Quippe decuit ipsum, qui alius ab operibus, immo qui creator illorum erat, eorum quoque in se suscipere renovationem: ut ipse nostri causa creatus, omnia in seipso recrearet ac reficeret. Hinc ubi dixit, *creavit*, statim causam, nempe, *opera*, addidit, ut scilicet his verbis, *in opera creari*, significaretur illum hominem fieri ad ipsa opera instauranda. Namque ea est consuetudo Scripturæ divinæ, quæ quoties de Verbi ortu secundum carnem loquitur, causam subjungit propter quam homo factus est. Cum autem vel ipse vel ejus famuli de ejus divinitate verba faciunt; omnia

mnia simplici dictione absolutaque sententia, & nulla implicita causa proferuntur. Nempe Patris est splendor; ut autem Pater non est ob aliquam causam, ita nec ejus splendoris causa est inquirenda. Itaque scriptum est, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* cujus quidem rei nulla affertur causa. Cum autem *Verbum caro factum est*, tunc causa propter quam factum est, his verbis indicatur, *& habitavit in nobis*. Similiter Apostolus cum ait: *Qui cum in forma Dei esset*, causam non protulit nisi post hæc verba, *formam servi accepit*: tunc enim subjecit: *humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis*. Hæc enim causa est cur Verbum caro factum est & servi accepit formam. (Philip. 2. 6.)

54. Ipse etiam Dominus multa quidem in proverbiis elocutus est, sed cum de seipso loquitur, absolute dicit: *Ego in Patre & Pater in me est*: &, *Ego & Pater unum sumus*: &, *Qui vidit me, vidit Patrem*: &, *Ego sum lux mundi*: &, *Ego sum veritas*: quibus in locis nulla causa recensetur, nec affertur ratio cur ita sit, ne illis esse videretur posterior, quorum causa factus est. Siquidem necesse est causam illo priorem esse sine qua nec etiam ipse factus fuisset. Paulus quidem segregatus Apostolus in Euangelium, quod ante promiserat Dominus per Prophetas, Euangelium cujus administer factus est, prius se habuit. Joannes autem cui Domino præeundi munus fuerat commissum, priorem quoque se habuit Dominum. At Dominus qui nullam causam cur sit Verbum agnoscit, nisi tantum quod Patris & fetus & sapientia est unigenita; cum fit homo, tunc causam indicat, propter quam carnem gestare debeat. Illi enim facto homini antecedit hominum necessitas, sine qua carnem minime induisset. Quæ autem illa sit necessitas, propter quam factus homo est, ipse Dominus his verbis exponit: *Descendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Hæc est enim voluntas Patris mei, ut omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die*. Et rursus: *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat*. Et, *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*. Scribit quoque Joannes: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. (Joan. 14. 10. Joan. 10. 30. Joan. 14. 9. Joan. 8. 12. Joan. 14. 6. Rom. 1. 1. Quam ob causam Verbum homo factus est, & sine qua homo non fuisset factus. Joan. 6. 38. Joan. 12. 46. Joan. 18. 37. 1. Joan. 3. 8.)

55. Itaque idcirco venit Salvator ut testimonium perhiberet, & mortem pro nobis susciperet, hominesque ad vitam revocaret, ac diaboli opera dissolveret. Hæc causa est cur carne assumta ad nos advenerit. Nec enim esse potuisset resurrectio, nisi mors antecessisset. Quomodo vero mors antecessisset, nisi mortale habuisset corpus? Id sane ab eo didicerat Paulus, cujus nempe hæc sunt verba: *Quia ergo pueri sanguinis & carnis participes facti sunt, ipse quoque similiter eorumdem particeps fuit, ut per mortem, diabolum qui mortis imperium habet destrueret, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti*. Et: *Quoniam enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*. Et iterum: *Nam quod impossibile erat legi, in quo per carnem infirma erat, Deus sui ipsius misso Filio sub specie carnis peccati, etiam de peccato condemnavit peccatum in carne, ut legis justitia in nobis impleretur, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulamus*. Joannes vero scribit: *Nec enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut mundus per ipsum salvetur*. Rursus quoque per seipsum ita locutus est Salvator: *Ego in judicium in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant*. Non ergo propter seipsum venit sed propter nostram salutem, nec non ut mortem destrueret, peccatum condemnaret, cæci viderent, omnesque e mortuis excitarentur. Quod si non propter seipsum sed propter nos venit: non igitur sui sed nostri causa creatur. Si porro non propter seipsum sed propter nos creatur, non ergo ipse est creatus, sed nostra assumta carne hæc ille ait. Quod autem is sit Scripturarum sensus, licet ab Apostolo discere, qui epistola ad Ephesios ita scribit: *Qui medium septi parietem diruit, cum inimicitiam in carne sua, legem mandatorum in decretis, abrogavit, ut duos crearet in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem*. Quod si duo in illo creantur, qui & sint in ipsius corpore: non immerito igitur, duos in se ferens, ipse quoque quasi creatus est. Namque creatos in seipso conjunxit, & ipse in illis erat, veluti illi. Sic porro duobus in illo creatis, dicere maxime ei convenit: *Dominus creavit me*. Ut enim nostris infirmitatibus susceptis ipse infirmus esse dicitur, quamvis infirmus non sit, quippe qui sit Dei virtus: ut item peccatum & maledictio pro nobis factus est, licet ipse non peccaverit, sed quia ipse peccata nostra & maledictionem portavit: ita nos in seipso creans, recte dixerit, *creavit me in opera*, licet ipse creatus non sit. (Hebr. 2. 14. 1. Cor. 15. 21. Rom. 8. 3. Joan. 3. 17. Joan. 9. 39. Ephes. 2. 14.)

56. Nam si, ut illi sentiunt, quasi natura Verbi creata esset, dicit, *Dominus creavit me*, utpote qui sit creatus: sane non propter nos creatus erit dicendus. Si vero ille propter nos non est creatus; in ipso non creati sumus: quod si in illo creati non sumus; eum igitur non in nobis sed extra nos haberemus, ut si nimirum doctrinam ab eo tamquam a magistro accepissemus. Quod si ita de nobis se res habet, proculdubio carnis peccatum, nihilominus quam antea, regnare perseverat, nec ex illa expulsum est. Verum his adversatur Apostolus, qui paulo ante ita ait: *Ipsius enim opus sumus creati in Christo Jesu*. Si ergo nos in Christo creati sumus, non igitur ille est qui creatur, sed nos ipsi sumus qui in illo creamur, nostrique causa vox illa, *creavit*, scripta est. Nam nostram ob necessitatem Verbum, etiamsi sit creator, vocem tamen rerum creatarum non renuit, nec ista vox ejus propria est quatenus est Verbum, sed nostrum est istud vocabulum, *creavit*, qui nempe in eo creamur. Ac quemadmodum ut Pater est semper, ita etiam ejus Verbum semper est, & quatenus est semper, dicit: *Ego eram qua delectabatur: ego vero per singulos dies ante faciem ejus lætabar*: &, *Ego in Patre & Pater in me est*: sic cum nostræ necessitatis causa factus est homo, convenienter admodum, ut nos quæ nostra sunt usurpat ipse, nempe, *Dominus creavit me*, ut eo in carne habitante, peccatum ex carne penitus exterminaretur, & nos liberum sensum haberemus. Ecquid vero illum hominem factum loqui decebat? In principio eram homo? At minime hoc ei congruebat, nec verum erat. Ut autem cum ita loqui dedecebat, sic proprium est & conveniens de homine dici, *creavit*, &, *fecit ipsum*. Hinc etiam causa cur hujusmodi dictio, *creavit*, adhibeatur, adjuncta est, quæ nempe operum est necessitas. Ubi porro adjecta causa est, ea lectionis difficultatem penitus tollit. Namque hic causam, cur vox, *creavit*, sit adhibita, *opera* assignat. At cum de ejus ex Patre generatione sermo aperte habetur, mox subditur: *Ante omnes colles gignit me*. Causa utique hic non additur, ut in voce, *creavit*, ubi subjungitur, *in opera*: sed absolute dicitur, *gignit me*, ut & illud, (Ephes. 2. 10. Prov. 8. 30. Joan. 14. 10. Prov. 8. 25.)

In

In principio erat Verbum. Nam etiamsi nulla fuissent creata opera; nihilominus Verbum Dei erat, & Deus erat Verbum. Ipsum autem Verbum nequaquam homo factus esset, nisi causa fuisset hominum necessitas. Itaque Filius res creata non est: nam si res creata esset, non dixisset, *Gignit me*: cum res creatæ externa sint effectoris opera, res autem genitæ non sint quid externum, ut opus, sed sunt ex patre, cujus naturæ sunt quid proprium. Hinc illæ, res sunt creatæ; hic vero, Verbum Dei & Filius unigenitus est.

57. Sane Moyses de rebus creatis non dixit, In principio genuit, neque, In principio erat, sed,
Genes. 1. *In principio fecit Deus cælum & terram*. Nec item
Psal. 118. 73. David canebat, *Manus tuæ genuerunt me*, sed, *fecerunt me & formaverunt me*, qui idem ubique de rebus creatis loquens, verbo, *fecit*, utitur, non autem, ubi de Filio illi est sermo. Nec enim di-
Psal. 2. 7. xit, *feci*, sed, *genui*, &, *gignit me*, &, *eructavit cor*
Psal. 44. *meum Verbum bonum*. Igitur de rebus creatis dici-
Genes. 1. tur, *In principio fecit*; de Filio autem, *In principio*
Joan. 1. *erat Verbum*. Id porro est discriminis, quod res creatæ sub principio sunt factæ, habentque existendi principium temporis distinctum intervallis, ita ut hæc verba, *in principio fecit*, idem valeant ac si diceretur, *a principio fecit*, quemadmodum Dominus, qui quod fecerat, recte ipse noverat,
Mat. 19. 4. docuit, cum Pharisæos his confutavit verbis, *Qui illos a principio creavit, masculum & feminam fecit eos*. Res enim factæ ab aliquo principio, cum aliquando non essent, & conditæ sunt & creatæ, quod ipse Spiritus sanctus ita in Psalmis
Psal. 101. 26. declaravit, *Et tu secundum principia, Domine, ter-*
Psal. 73. 2. *ram fundasti*, & iterum, *Memor esto congregationis tuæ quam possedisti a principio*. Manifestum autem est id quod fit *secundum principia*, principium habere ex quo creatur, & Deum congregationem ab aliquo possedisse principio. Jam quod hæc verba, *In principio fecit*, ex eo quod dicitur, *fecit*, idem sit ac *cœpit facere*, ipse docet Moyses, qui post absolutam rerum omnium creationem sic
Genes. 2. 3. loquitur: *Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omnibus operibus suis quæ cœpit Deus facere*. Itaque res creatæ fieri cœperunt. At Dei Verbum cum principium, ex quo sit, nullum habeat, merito nec esse nec fieri cœpit, sed semper fuit. Opera igitur principium, cum fiunt, habent, quod quidem principium rebus, quæ fiunt, prius est: Verbum autem cum non sit ex numero rerum quæ fiunt, ipse potius rerum principium habentium effector est. Deinde, ipsum esse sive natura rerum factarum, in eo ipso quod fiunt, modum & mensuram habet, easque Deus ab aliquo principio per Verbum facere incœpit, ut nempe esset perspicuum illas non fuisse priusquam fierent. At Verbum non in alio principio habet ut sit quam solo in Patre, qui, ut illi etiam consentiunt, principii est expers, ut ipse quoque Filius sine principio existat in Patre, a quo genitus est, non autem creatus.

Res creatæ, ab aliquo principio fieri cœperunt: At Dei Verbum a nullo cœpit esse principio, sed semper fuit.

58. Id igitur inter eum qui genitus est, & res factas discrimen novit divina Scriptura, quæ & eum qui genitus est, Filium esse, nec ab aliquo cœpisse principio sed æternum esse declarat; rem autem factam, tamquam opus extra effectorem existens, fieri incœpisse docet. Hinc enim Joannes de Filio disserens nec horum vocabulorum ignorans differentiam, non dixit: In principio factus aut formatus est, sed, *In principio erat Verbum*, ut per hanc vocem, *erat*, genitus esse agnosceretur, nullusque temporum fingeret intervalla, sed semper & ab æternitate Filium extitisse crederemus. Quæ cum ita esse probatum sit, qui fit, o Ariani, ut his, quæ

Deut. 32. 6. in Deuteronomio habentur, non intellectis, rursus impii in Dominum esse audeatis, cum dicitis illum factum vel creatum sive genitum esse? Contenditis enim rem genitam & rem factam, idem significare? At nihilo secius ex hoc ipso loco, imperitiæ & impietatis convincemini. Itaque hic est primus, de quo agitur, locus: *Numquid non hic ipse pater tuus possedit te, & fecit te, & creavit te?* Et paulopost in eodem Cantico: *Deum*
Deut. 32. 6. Ibid. v. 18. *qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Dei te nutrientis?* Quorum quidem verborum sententia admirabilis plane est. Nec enim primum dixit, *genuit*, ne id vocabulum idem posset significare, ac, *fecit*, indeque ansam illi haberent ita loquendi: Moyses quidem narravit
Genes. 1. 26. Deum a principio dixisse, *Faciamus hominem*: idem
Deut. 32. 18. autem post hæc dixit: *Deum qui te genuit dereliquisti*, utpote cum hæ voces utrumque promiscue significent: siquidem idem est res genita ac facta. Verum post verba, *possedit*, &, *fecit*, addidit verbum, *genuit*, ut oratio suam secum interpretationem haberet. Nam dictione, *fecit*, vere id quod naturæ hominum proprium est significat, eos nempe facta esse opera: at dictione, *genuit*, summam Dei erga homines benignitatem postquam illos creavit indicat, in quam quia se præbuerunt ingratos, eos merito objurgat Moyses. Hinc primo ait:
Deut. 32. 6. *Haeccine Domino rependitis?* deinde subjungit: *Numquid non hic ipse pater tuus possedit te, fecit te, & creavit te?*
Ibid. v. 17. Postea vero pergit: *Immolaverunt dæmoniis & non Deo, diis quos ignorabant. Novi recentesque venerunt quos non coluerunt patres eorum. Deum qui te genuit dereliquisti*.

Explicantur aliquot Deuteronomii loca, adversus pravam Arianorum interpretationem.

59. Deus enim non tantum homines creavit, sed etiam filios vocavit, tamquam si illos genuisset. Nam vox, *genuit*, filium indicat, uti per Prophetam dicit, *Filios genui & exaltavi*. Quocirca quoties Scriptura de filio loquitur, non vocem, *creavi*, usurpat, sed vocem, *genui*. Id videtur Joannes his verbis significare: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* Joan. 1. 12.
his qui credunt in nomen ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt: quæ verba e re fuerit observare. Siquidem verbum, *fieri*, adhibet, quia non natura sed adoptione filii esse dicuntur: dictione autem, *geniti sunt*, usus postea est, quia illi quoque nomen filii acceperunt. Sed populus, ut ait Prophe- Isai. 1. 2.
ta, repulit benefactorem. Hæc est autem Dei benignitas, quod quorum effector est, horum etiam pater gratia postea fiat, quod tunc contingit cum creati homines, ut ait Apostolus, Spiritum Filii ejus claman- Galat. 4. 6.
tem, Abba, Pater, in suis cordibus suscipiunt. Hi porro sunt qui suscepto Verbo; potestatem ab eo accepere filios Dei fieri. Nec enim alio modo filii possunt fieri, cum ex natura sua sint creati, nisi Spiritum ejus qui naturalis & verus est Filius acceperint. Quod ut fieret, Verbum caro factum est, ut hominem ad divinitatem recipiendam idoneum redderet. Eamdem hanc sententiam licet discere ex Malachia Propheta ita loquente: *Numquid non Deus unus creavit vos?* Malach. 2. 10.
Numquid non pater unus omnium vestrum? Hic enim primum posuit, *creavit*, deinde, *pater*, ut nempe ostenderet nos a principio natura creatos esse, Deumque creatorem nostrum esse per Verbum: postea vero nos filios adoptione effici, cumque Deum creatorem, nostrum etiam fieri patrem. Itaque Pater proprius est Filii, nec aliquid creatum sed Filius est quoque Patris proprius. Quocirca inde perspicuum etiam est nos non natura filios esse, sed Filium qui in nobis est; nec vicissim Deum, patrem nostrum natura esse, sed Verbi quod in nobis est, in quo & per quod clamamus, Abba, Pater. Similiter Pater illos in quibus suum Filium viderit, filios vocat, & dicit, *genui*, quandoquidem verbum, *gignere*, filium

lium significat, ut verbum, *facere*, ad opera refertur. Hinc nos non primum gignimur, sed fimus, unde scriptum est: *Faciamus hominem*. Postea vero, gratia Spiritus accepta, gigni dicimur. Certe magnus Moyses in Cantico optime priore in loco dixit, *possedit*, deinde, *genuit*, ne audientes, *genuit*, nostræ naturæ qualis ab initio fuit oblivisceremur, sed ut disceremus nos ab initio creatos esse, atque cum gigni gratia dicimur, nihilominus nos ex natura homines factos esse.

60. Quod autem non idem sit res creata & genita, sed inter se & natura & verborum significatione differant, ipse Dominus in iisdem Proverbiis declarat. Nam postquam dixit: *Dominus creavit me initium viarum suarum*, subdidit: *Ante omnes colles gignit me*. [*Prov. 8. 22.*] [*Ibid. v. 25.*] Quod si Verbum natura & substantia creatum esset, nihilque rem genitam inter & creatam differret, non subjunxisset, *gignit me*, sed satis habuisset dictionem, *creavit*, usurpare, quippe quæ idem ac, *genuit*, significaret. Verum ubi dixit: *Creavit me initium viarum suarum in opera sua*, non simpliciter addidit, *genuit me*, sed cum conjunctione, *vero*, ut hoc modo dictionem, *creavit*, confirmaret, cum dicit: *Ante omnes vero colles gignit me*. Nam verbum, *creavit*, cum vocabulo, *gignit me*, conjunctum, unam perficit sententiam, indicatque aliquam ob causam dictum esse, *creavit*; ut &, *gignit me*, esse ante, *creavit*. Quemadmodum enim si rursus dixisset, *Dominus gignit me*, deindeque addidisset, *ante omnes vero colles creavit me*; profecto, *creavit*, prius esset quam, *genuit*: ita quandoquidem primum dixit, *creavit*, deinde subjunxit, *ante omnes vero gignit me*, necessario ostendit, *genuit*, prius esse quam, *creavit*. Namque dicendo, *ante omnes vero gignit me*, se alium ab omnibus esse declarat, cum ex supra dictis constet, nullam e rebus creatis prius altera factam esse, sed res omnes factas uno eodemque mandato simul extitisse. Hinc nec eadem adjuncta sunt dictionibus, *creavit*, &, *gignit me*: sed post, *creavit*, additur, *principium viarum*: at non dixit, principium gignit me, sed, *ante omnes gignit me*. Atqui is qui ante omnes est, non est omnium principium, sed alius est ab omnibus. Quod si alius est ab omnibus, inter quæ ipsum quoque principium omnium comprehenditur: haud dubium est quin alius sit a rebus creatis. Et proinde cum Verbum aliud sit ab omnibus atque ante omnia existat, evidens est ipsum postea, humana assumta natura, creari principium viarum in opera, ut, quemadmodum ait Apostolus, ille qui principium & primogenitus est ex mortuis, idem ipse in omnibus primatum tenest. [*Coloss. 1. 18.*]

61. Quapropter cum id discriminis intercedat inter, *creavit*, &, *gignit me*, atque, *principium viarum*, &, *ante omnes*, concludendum est Deum qui hominum creator est, per suum Verbum, quod in illis habitat, eorumdem patrem postea fieri. De Verbo autem contraria omnino est ratio. Siquidem Deus, qui Verbi Pater natura est, ejus post hæc creator & effector factus est, cum scilicet Verbum creatam & factam carnem induit, & homo factus est. Nam sicut homines, spiritu Filii accepto, filii per ipsum efficiuntur: ita Dei Verbum cum humanam carnem induit, tunc & creari & factum esse dicitur. Itaque si nos natura filii sumus, fatendum quoque est Verbum natura & creatum & factum esse. Sed si nos adoptione tantum & gratia filii efficimur, clarum pariter est Verbum propter gratiam nobis donandam factum hominem dixisse, *Dominus creavit me*. Deinde quandoquidem creato corpore assumto, nostri secundum corpus similis factus est, ideo non immerito & frater noster & primogenitus appellatus est. Nam tametsi post nos homo propter nos factus est, ac proinde frater noster, ob corporis similitudinem: A verum ea ratione dicitur & est noster primogenitus, quatenus omnibus hominibus Adæ peccato perditis, ejus caro, utpote Verbi corpus facta, prima omnium servata est & liberata, indeque nos, ut qui cum Verbo corpore sumus conjuncti, per idem ejus corpus salvi efficimur. In illo siquidem nobis Dominus ad regnum cælorum & ad suum Patrem se ducem præbuit, cum ait: Ego sum via & janua, ac per me omnes introire oportet. [*Joan. 10. 9.*] Quapropter primogenitus ex mortuis dicitur, non quod primus nostrum mortuus est, nos enim prius mortui fueramus: sed quia morte pro nobis suscepta B & destructa, primus, ut homo, revixit, cum suum corpus pro nobis ex mortuis excitavit. Hinc enim postquam revixit ille, jam nos deinceps & ab illo & propter illum revocamur quoque ad vitam.

62. Quod si *primogenitus creaturæ* dicitur: non veluti rerum creatarum æqualis, aut iisdem prior tempore, hoc appellatur nomine: (qui enim id fieri posset, cum ipse sit unigenitus?) sed ob singularem Verbi erga res creatas benignitatem, qua etiam multorum factus est frater. [*Qua ratione Verbum, Primogenitus creaturæ, dicitur.*] [*Coloss. 1. 15.*] Siquidem is unigenitus dicitur, cui nulli alii sunt fratres: is autem dicitur primogenitus, cui alii sunt fratres. Hinc nullo C in loco Scripturarum legitur, *primogenitus Dei*, aut, *creatura Dei*: sed ista, *Unigenitus*, *Filius*, *Verbum*, &, *Sapientia*, ad Patrem referuntur, ad quem tamquam quid proprium pertinent. *Vidimus enim gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*. [*Joan. 1. 14.*] Et, *Misit Deus Filium suum unigenitum*. [*1. Joan. 4. 9.*] Et, *In sæculum, Domine, Verbum tuum permanet*. [*Psal. 118. 89.*] Et, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*. [*Joan. 1.*] Et, *Christus Dei virtus & Dei sapientia*. [*1. Cor. 1. 24.*] Et, *Hic est Filius meus dilectus*. [*Matth. 3. 17.*] Et, *Tu es Christus Filius Dei viventis*. [*Matth. 16. 17.*] *Primogenitus* autem appellatur ex summa sua erga creatam D naturam humanitate: ejus quippe dictus etiam est primogenitus. Dictione autem, *creavit*, significatur gratia quam in opera contulit: namque in illa creatur. [*Prov. 8. 22.*] Si ergo unigenitus est uti revera est, vox ista, *primogenitus*, est sane explicanda. Sed si primogenitus est, unigenitus dici non debet. Idem enim non potest unigenitus & primogenitus esse, nisi ad diversa respiciat, ita ut unigenitus quidem dicatur, quatenus ex Patre genitus est, quemadmodum dictum est: primogenitus vero, quatenus singulari erga creatam naturam benignitate usus est, multosque sibi fratres E reddidit. Certe, cum duo illa nomina inter se sint contraria, haud immerito possit affirmari nomen unigeniti proprie magis Verbo convenire, quandoquidem nullum aliud est verbum, nulla alia sapientia, sed solus ipse verus est Patris Filius. Etenim, ut supra observavimus, nulla adjuncta causa, sed absolute de illo dictum est, *unigenitus Filius qui est in sinu Patris*. [*Joan. 1. 18.*] At cum, *primogenitus*, dicitur, causa annectitur, creata nempe natura, ut Paulus ipse his indicat verbis, *quia in ipso creata sunt omnia*. [*Coloss. 1. 16.*] Si porro universæ res creatæ, in illo sunt creatæ, alius certe est a rebus creatis, nec ipse res F est creata, sed rerum creatarum creator.

63. Non ergo primogenitus vocatus est, quia ex Patre est genitus, sed quia in illo factæ sunt res creatæ. Quocirca quemadmodum ante res creatas ipse erat Filius per quem res creatæ factæ sunt: ita antequam primogenitus omnium rerum creatarum dictus est, nihilominus ipsum Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Verum ea impii cum non intelligant, hæc dictitando circumcursant: Si omnium rerum creatarum primogenitus est, profecto ipse quoque una est e rebus creatis. Stulti! nam contra, si omnium plane rerum creatarum primoge-

nitus est, ergo alius est a rebus omnibus creatis. Nec enim dixit, primogenitus aliarum rerum creatarum, ne tamquam una e rebus creatis esse putaretur: sed scriptum est, *omnium rerum creatarum*, (Genes. 35. 22.) ut alius ab illis esse ostenderetur. Hinc Ruben non dictus est primogenitus omnium liberorum Jacob, sed ipsius Jacob & fratrum, ne alius a liberis Jacob esse existimaretur. Quin etiam de ipso Domino non dicit Apostolus, Ut fiat primogenitus omnium, ne aliud corpus (Rom. 8. 29.) a nostro habere crederetur, sed, *in multis fratribus*, ob suæ carnis cum nostra similitudinem. Igitur si etiam Verbum una esset e rebus creatis, sane Scriptura dixisset ipsum esse aliarum rerum creatarum primogenitum. Verum cum Sancti dicant primogenitum illum esse rerum omnium creatarum, evidens profecto est Filium Dei alium esse ab omnibus creatis rebus, non autem creatum esse. Alioquin si creatus esset, ipse sui ipsius esset primogenitus. Qui ergo fieri potest, Ariani, ut idem ipse seipso prior & posterior sit? Insuper, si creatus est, resque universæ creatæ, per ipsum factæ sunt, & in ipso consistunt, quomodo & res creatas creare & una ex rebus quæ in ipso consistunt potest esse? Quæ illorum commenta cum absurda esse luculenter pateat, certe a veritate ipsa convincuntur, quæ quidem nos docet, illum primogenitum in multis fratribus ob carnis cognationem vocatum fuisse, primogenitum vero ex mortuis, quia ex ipso & post ipsum mortuorum est resurrectio; denique primogenitum omnis creaturæ, propter Patris in homines benignitatem, per quam non solum omnia in ipsius Verbo constituta sunt, verum ipsa etiam (Rom. 8. 19.) creatura, quæ, ut ait Apostolus, *revelationem filiorum Dei expectans, liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Cujus hoc pacto liberatæ nec non omnium, qui filii facti fuerint, Dominus primogenitus futurus est, ut cum ipse primus dicitur, ea quæ post ipsum sunt perseverent, utpote quæ ex Verbo tamquam ex aliquo principio pendeant.

64. Sane nec ego dubitem quin ipsos etiam impios pudeat suæ hujusmodi sententiæ. Nisi enim ita se res habeat, uti supra diximus, sed eum, natura creatum, inter res creatas velint esse rerum omnium creatarum primogenitum, animadvertant se eo progressuros ut illum brutarum animantium rerumque inanimatarum fratrem & similem esse opinentur. Siquidem hæ quoque partes sunt rerum omnium creatarum. Necesse est autem primogenitum solo tempore primum esse, genere vero & similitudine eumdem esse ac omnes quorum est primogenitus. An non porro, cum hæc dicunt, omnem prætergrediuntur impietatem? Quis vero hæc illos dicentes ferat? aut potius quis vel talia cogitantes odio non prosequetur? Palam enim omnibus est neque eum propter se, tanquam si creatus esset, neque ob aliquam cognationem quam secundum naturam cum omnibus rebus creatis habeat, earum esset primogenitum appellatum: sed quatenus Verbum, cum res creatas initio effecit, se ad eas benigne accommodavit, ut fieri possent. Nec enim ejus naturam, quæ purus & paternus est splendor, ferre potuissent, nisi se ad illas paterna benignitate accommodasset, iisdemque naturam ut essent dedisset. Alia autem ratio est, quod ejusdem Verbi benignitate, res creatæ filiorum dignitatem per ipsum consequuntur, ut illarum, sicuti diximus, modis omnibus primogenitus fieret, tum cum eas creat, tum cum ipse in orbem terrarum, omnium causa, introducitur. (Hebr. 1. 6.) Namque ita scriptum est, *Cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Audiant Christi inimici, seque ipsi discerpant, quod nimirum ejus in orbem terrarum ingressus, causa est cur omnium primogenitus sit appellatus. Quocirca Patris quidem unigenitus est Filius, quoniam solus ipse ex illo est: est autem rerum creatarum primogenitus, quia omnes adoptione filii efficiuntur. Ut porro inter fratres primogenitus est, idemque ex mortuis, primitiæ eorum qui dormierunt, (1. Cor. 15. 20.) revixit: ita quia eum in omnibus primum locum decebat obtinere, ideo etiam principium viarum creatur, ut per illud incedentes, & per Filium qui ait, *Ego sum via & janua*, ingressi, factique cognitionis Patris participes, nos etiam audiamus, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*: (Psal. 118. 1.) &, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. (Matth. 5. 8.)

65. Cum igitur ipsa declaret veritas Verbum natura non esse creatum, consequens est ut jam explicemus, quare principium viarum appellatum fuerit. (Cur Verbum principium viarum appelletur, & carnem assumserit.) Nempe quoniam perierat prima per Adamum via, nec amplius in Paradisum tendebamus, sed ad mortem deflexeramus, audiebamusque, *Terra es, & in terram reverteris*, (Genes. 3. 19.) idcirco clementissimum Dei Verbum, volente Patre, creatam carnem induit, ut quam primus homo, violata lege, morte affecerat, eidem, suis corporis sanguine, vitam redderet, *nobisque viam novam & viventem per velamen*, ut ait Apostolus, *idest, per carnem suam innovaret*. (Hebr. 10. 20.) Quod idem alibi his verbis significat, *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce omnia nova facta sunt*. (2. Cor. 5. 17.) Si porro nova creatura facta est, sane inter novas has res creatas primum aliquem esse oportuit: atqui merus homo & tantummodo terrestris, quales nos post violatam legem facti sumus, is esse non poterat. Namque in prima creatione infideles facti sunt homines, ac per eos prima illa periit creatura, & proinde opus alio erat qui & primam renovaret, & novam factam conservaret. Itaque non aliquis alius, sed Dominus mira benignitate principium novæ creaturæ creatur via, unde jure merito ait, *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua*, ut non jam secundum priorem illam vivat homo, sed ut existente jam principio novæ creaturæ, Christumque ejus viarum principium habentes, ipsum deinceps sequamur dicentem, *Ego sum via*. Id ipse beatus Apostolus epistola ad Colossenses his verbis docet, *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens*. (Coloss. 1. 18.)

66. Namque si, uti dictum est, ob resurrectionem ex mortuis ipse principium appellatur: tunc autem facta est resurrectio, cum nostra indutus carne se ipse pro nobis morti tradidit: planum utique fuerit his ejus verbis, *Dominus creavit me initium viarum*, non ipsius naturam sed corporeum adventum significari. Mors enim ejus fuit propria corporis, ac proinde quemadmodum mors est corporis propria, ita corporeæ præsentiæ propria sunt illa verba, *Dominus creavit me initium viarum suarum*. Cum enim Salvator hac ratione secundum carnem creatus sit, eorumque qui recreantur factus fuerit principium, ac nostrum habeat primitias, humanam scilicet carnem quam assumsit; convenienter post ipsum futurus creatur populus, de quo ait David: *Scribatur hæc in generationem alteram. & populus qui creabitur, laudabit Dominum*: (Psal. 101. 19.) & rursus Psalmo vigesimo primo, *Annuntiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus*. (Psal. 21. 32.) Nec enim amplius audituri sumus, *Quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini*: (Genes. 2. 17.) sed, *ubi sum ego, & vos eritis*: (Joan. 14. 3.) adeo ut jam dicere liceat: *Ipsius enim factura sumus creati in operibus bonis*. (Ephes. 2. 10.) Præterea

post-

postquam opus Dei, id est, homo, perfectus creatus, prævaricatione inops effectus est, & peccato mortuus; cum item dedeceret Dei opus imperfectum remanere, unde fit ut omnes Sancti Psalmo centesimo trigesimo septimo Deum hac de re ita precentur, *Domine, retribues pro me: Domine, opera manuum tuarum ne despicias:* idcirco perfectum Dei Verbum, corpus imperfectum induit, atque in opera creari dicitur, ut pro nobis debito soluto, ea quæ homini deerant, per seipsum expleret atque perficeret. Deerant autem homini immortalitas & via ad paradisum. Hoc ipsum Salvator his verbis indicat: *Ego te glorificavi in terra: opus perfeci quod faciendum mihi dedisti.* Et iterum: *Opera quæ Pater mihi perficienda dedit: ipsa opera quæ facio, testimonium perhibent de me.* Opera porro quæ sibi Patrem perficienda dedisse declarat, ipsa illa sunt in quæ creatur, ut in Proverbiis ait, *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua.* Nam idem est dicere, dedit mihi Pater opera, &, creavit me Dominus in opera.

Psal. 137. 8.
Joan. 17. 4.
Joan. 5. 36.
Prov. 8. 22.

67. Quandonam igitur opera perficienda suscepit, o Dei hostes? Hinc enim quid dictio, *creavit*, significet, facile intelligetur. Si responderis principio suscepisse opera perficienda, cum illa e nihilo fecit ut essent: falsum id utique est; necdum enim facta erant. Atqui de his tamquam quæ jam essent apparet eum loqui. Neque etiam fas est istud de tempore intelligere quod prius fuit quam Verbum caro fieret, ne inutilis ejus videatur adventus, cum hujusce rei causa advenerit. Itaque jam restat ut fateamur tunc accepisse opera cum homo factus est. Siquidem tunc illa perfecit, cum nostra sanavit vulnera, nobisque ex mortuis resurgere concessit. Quod si cum Verbum caro factum est, tunc ei data sunt opera, liquet ipsum, cum homo factus est, tunc quoque in opera esse creatum. Non ergo hoc verbo, *creavit*, ejus natura significatur, uti sæpius dictum est, sed ortus ipsius corporeus. Tunc enim, quod opera imperfecta & mutila peccato facta fuerant, creari secundum corpus dicitur, ut illis perfectis atque in integrum statum restitutis, Ecclesiam Patri exhiberet *non habentem maculam*, ut ait Apostolus, *aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* In illo ergo perfectum est hominum genus, qualeque initio factum fuerat, vel potius ampliore cum gratia restitutum atque reparatum est. Siquidem ex mortuis excitati, mortem non amplius pertimescimus, sed in Christo semper in cælis sumus regnaturi. Quod ideo consequimur, quod ipsum Dei Verbum proprium atque ex Patre genitum carnem induit factusque homo est. Nam si creatam cum haberet naturam, factus postea fuisset homo: idem profecto quod antea mansisset hominum genus, neque cum Deo conjunctum fuisset. Qui enim res facta per rem factam cum Creatore conjungi posset? Aut quid auxilii similibus posset dari a similibus, cum ipsa eodem auxilio indigeant? Qui vero, si Verbum res creata esset, posset Dei sententiam abrogare, peccatumque dimittere, cum hoc Dei proprium esse scripserint Prophetæ? Nam *Quis Deus similis tui, qui aufers peccata, & transcendis iniquitates?* Siquidem Deus dixit, *Terra es, & in terram reverteris*, eaque causa est cur homines facti mortales fuerint. Quomodo igitur peccatum possent res factæ solvere? Verum ipse solvit Dominus, ut idem ipse ait, *Nisi Filius vos liberaverit*, vereque ostendit Filius liberator se nec creatum nec factum esse, sed naturæ Patris, qui sententiam illam initio tulerat, solusque peccata condonat, proprium esse Verbum & imaginem. Cum enim in Verbo dictum fuerit, *Terra es & in terram reverteris*, valde congruenter per idem ipsum Verbum atque in ipso libertas & solutio damnationis facta est.

Ephes. 5. 27.
Non potuit hominum genus per creaturam reparari.
Mich. 7. 18.
Genes. 3. 19.
Joan. 8. 36.

68. Atqui, inquiunt, etiamsi Salvator creatus esset, poterat Deus tantummodo dicere, atque ita solvere maledictionem. At simili modo ipsis ita occurri possit: Etiam sine ullo ejus adventu poterat Deus tantummodo dicere, atque ita solvere maledictionem. Verum attendere oportet quid sit hominibus utile, non autem quid in omnibus possit Deus. Namque etiam ante Noe arcam, homines qui peccaverant poterat interimere: tamen id nonnisi post arcam fecit. Poterat quoque absque Moyse, solummodo dicere, populumque educere ex Ægypto: at id per Moysem fieri conveniebat. Poterat item Deus populum sine judicibus conservare: verum e re populi erat judices pro tempore habere. Quin etiam ipse Salvator poterat ab initio advenire; vel postquam advenit, poterat non tradi Pilato: attamen in fine sæculorum advenit, & quæsitus dixit, *Ego sum.* Quod enim ille facit, id hominibus expedit, nec aliter fieri decuit: quod autem & expedit & decet, id ipse curat & providet. Venit itaque non ut illi ministraretur, sed ut ipse ministraret, & nobis restitueret salutem. Certe tametsi legem e cælo poterat enunciare, vidit tamen hominibus conducere, eam e monte Sina proferri: quod quidem fecit ut & Moyses posset ascendere, & illi, verba propius audiendo, facilius crederent. Verumtamen quanta cum ratione id factum fuerit, ex his perspicere licet. Si Deus pro sua potentia dixisset, solutaque esset maledictio: apparuisset quidem jubentis potestas, talisque factus fuisset homo qualis fuit Adam ante peccatum, qui nimirum gratiam extrinsecus acciperet, nec eam corpori connexam haberet. Enimvero cum istiusmodi esset Adam, in paradiso est collocatus: imo vero forte pejor factus est, quippe qui peccare didicerit. Quod si, cum talis fuisset, contigisset quoque ut a serpente deciperetur, Deum iterum jubere & maledictionem solvere opus fuisset, eoque modo nullum finem consecuta esset necessitas, hominesque nihilominus rei mansissent, ac peccato serviissent. Ita autem semper peccando, semper condonante opus habuissent, ac proinde numquam fuissent liberati, cum ex se toti sint carnei, atque ob carnis infirmitatem legi semper succumbant.

Joan. 18. 5.
Quod deus facit, idipsum hominibus expedit, nec aliter fieri decet.
Matth. 20. 28.

69. Præterea si Filius res creata esset, homo nihilominus mortalis remaneret, utpote minime cum Deo copulatus. Nec enim res aliqua creata res alias creatas cum Deo potest conjungere, cum ipsa conjungentem aliquem quærat. Neque pars aliqua creatæ naturæ salutem illi posset afferre, cum ipsa salute quoque indigeat. Quod ne fieret, Deus sui ipsius Filium misit, qui creata carne assumta factus est filius hominis, ut quoniam omnes rei essent mortis, ille qui alius est ab omnibus, proprium corpus pro omnibus morti offerret, atque ita omnibus veluti per ipsum mortuis, & sententia adversum nos lata compleretur, (omnes enim in Christo mortui sunt) & omnes deinceps a peccato & maledictione, quæ ex eo secuta est, per ipsum fierent liberi, vereque in perpetuum permanerent, immortalitate & incorruptione, postquam resurrexissent, induti. Namque postquam Verbum carnem induit, ut sæpe dictum est, ab ea extinctus penitus est serpentis morsus, & quicquid mali exoriebatur ex carnis motibus, præcisum omnino est, ac denique ipsa mors peccati comes fuit simul interemta, ut ipse Dominus hujusmodi verbis declarat: *Venit Princeps hujus mundi & nihil in me invenit.* Et, *In hoc enim apparuit*, uti scripsit Joannes, *ut dissolvat opera diaboli.* His autem carne dissolutis,

Non poterat homo per rem creatam immortalis fieri.
Joan. 14. 30.
1. Joan. 3. 8.

omnes

omnes propter carnis cognationem liberati sumus, A jamque nos etiam cum Verbo copulati fuimus. Porro cum Deo conjuncti, non amplius in terra remanebimus, Joan. 14. 3. sed ut ipse dixit, ubi ille erit, nos quoque erimus, nec serpentem amplius sumus formidaturi. Profligatus enim ille est a Salvatore cum in sua carne persequente ac dicente, Matt. 4. 10. *Vade post me, satana:* atque ita extra paradisum in ignem æternum est dejectus. Nec etiam ullæ mulieris illecebræ cavendæ nobis erunt: Matth. 22. 30. *In resurrectione enim nec nubunt nec nubuntur, sed sunt sicut Angeli.* Galat. 6. 15. Et in Galat. 3. 28. Christo Jesu nova creatura erit, neque masculus aut femina, sed omnia & in omnibus erit Chri- B stus. Ubi autem Christus adest, quis timor vel quid periculi possit accidere?

70. Id autem factum minime fuisset, si quid creatum esset Verbum. Nam diabolus qui & ipse creatura est, perpetuum cum creatura gessisset bellum, & homo quicumque fuisset intermedius, morti semper subjectus fuisset, quippe qui nihil haberet in quo & per quod cum Deo conjunctus liber fieret ab omni metu. Quocirca ipsa veritas ostendit Verbum non esse e factis rebus, sed illarum potius esse auctorem. Ita enim corpus factum & humanum assumsit, ut illud tamquam opifex reficeret, C & divinum in seipso redderet, atque hoc pacto nos omnes ad illius similitudinem in cælum introduceret. Atqui homo cum re creata conjunctus non potuisset divinus effici, nisi Filius verus Deus esset, neque homo se Patri sistere ausus esset, nisi is qui corpus induit, naturale & verum ejus esset Verbum. Ac quemadmodum nunquam a peccato & a maledictione liberati fuissemus, nisi caro, quam induit Verbum, natura humana esset; nihil enim nobis cum aliena re commune posset esse: ita nunquam homo divinus effectus fuisset, nisi is qui caro factus est, natura esset verum & proprium Patris Verbum. Namque idcirco hujusmodi D copulatio facta est, ut eum, qui natura homo est, cum illo, qui natura Deus est, conjungeret, hocque pacto stabilis & firma esset ejus salus &, ut ita loquar, deificatio. Qui ergo Filium natura esse ex Patre aut ejus substantiæ proprium esse inficiantur, negent quoque eum veram humanam carnem ex Maria semper virgine accepisse. Nihil enim nobis hominibus profuisset, si nec Verbum verus & naturalis Dei filius esset, nec vera esset caro E quam assumsit. Sed profecto veram accepit carnem, quantumvis furat Valentinus. Erat item & natura & verum Dei Verbum, insaniant licet Ariani: atque in ea carne nostrum novæ creationis fuit principium, homo pro nobis creatus, qui & nobis viam illam, ut dictum est, renovavit.

71. Itaque Verbum nec res est creata, nec opus. Nam idem est res creata & facta, atque opus: unde si res creata & facta esset, esset quoque opus. Hinc non dixit: Creavit me opus, neque, cum operibus fecit, ne natura & substantia res creata esse videretur: F neque, creavit me ad opera facienda, ne rursus eum tamquam organum nostri causa factum esse arbitraremur, quæ prava est impiorum sententia: neque etiam dixit, Ante opera creavit me, ne quemadmodum est ante omnia genitus, ita quoque, si ante opera creatus diceretur, inde colligeretur idem significari vocabulis, *genitus*, &, *creavit*: verum cautissime addidit, *in opera*, quod idem est ac si diceret: in carnem me fecit Pater, ut homo fierem. Unde ex hoc etiam loco evidens sit illum non opus sed genitum esse. Nam ut qui domum ingreditur, non est pars domus, sed alius est a domo: ita qui in opera creatur, alius sane est ab operibus. Alioquin si, ut putatis, o Ariani, Dei Verbum opus est, quonam, amabo, in manu & sapientia A factum est? Nam omnia quæ facta sunt, in manu & sapientia Dei facta sunt, ut Deus ipse ait, *Manus mea fecit hæc omnia.* Et David, *Et* Esai. 66. 2. *tu initio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Psal. 101. 25. Et rursus Psalmo centesimo quadragesimo secundo: *Memor fui dierum* Psal. 142. 5. *antiquorum, & meditatus sum in omnibus operibus tuis; in factis manuum tuarum meditabar.* Itaque si in manu Dei facta sunt opera, scriptum autem est, *Omnia per Verbum facta sunt & sine ipso* Joan. 1. 3. *factum est nihil:* & rursus: *Unus Dominus Jesus,* 1. Cor. 8. 6. *per quem omnia:* &, *In ipso omnia constituta* Coloss. 1. 17. B *sunt:* clarum utique est Filium non esse opus, sed Dei manum & sapientiam. Quod cum non ignorarent Babylonis martyres Ananias, Azarias & Misael, Arianam & ipsi impietatem redarguunt. Namque postquam dixissent, *Benedicite omnia opera* Daniel. 3. 57. *Domini Domino*, ea quidem quæ cum in cælis tum in terra existunt, atque universas res creatas tamquam opera recensuerunt: at Filium prætermiserunt. Nec enim dixere, Benedic Verbum, & lauda sapientia: nempe ut ostenderent res alias omnes & laudantes & opera esse, Verbum autem nec opus nec e laudantium esse C numero, sed una cum Patre laudari, adorari, & Deum agnosci, atque ejus quidem Verbum & sapientiam esse, operum vero creatorem. Id etiam Spiritus in Psalmis dilucide admodum distinxit his verbis, *Rectum est* Psal. 32. 4. *Verbum Domini & omnia opera ejus in fide:* Et alibi: Psal. 103. 24. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine; omnia in sapientia fecisti.*

72. Atqui si Verbum opus esset, absque dubio in sapientia quoque fuisset factum, nec ipsum Scriptura ab operibus discriminasset, neque illa quidem, opera; hoc autem, Verbum & propriam Dei sapientiam appellasset. Cum autem Scriptura ipsum D ab operibus secernat, docet profecto sapientiam esse operum effectricem, non vero opus. Eadem distinctione usus est Paulus Epistola ad Hebræos, ubi hæc scribit: *Vivum enim est Verbum Dei & efficax & a-* Hebr. 4. 12. *cutius omni gladio ancipiti, & pertingit usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum, & judex cogitationum, & meditationum cordis, nec ulla est creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus, ad* E *quod nobis est sermo.* Ecce res quidem factas, *creaturam*, appellat: Filium vero Verbum Dei esse novit, utpote qui alius sit a rebus creatis. Cum item addit, *Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus, ad quod nobis est sermo*, alium certe eum ab omnibus esse significat. Hinc ille quidem judicat: singulæ vero res creatæ ei rationem referre tenentur. Ex eo etiam lo- Rom. 8. 21. 22. co, ubi universa creatura nobiscum una dicitur congemere ut liberetur a servitute corruptionis, Filium alium a rebus creatis esse ostenditur. Enimvero si creatus esset, unus & ipse esset gementium, qui alio pa- F riter opus haberet, a quo simul ipse cum omnibus filius efficeretur & liberaretur. Si porro res omnis creata congemit ut liberetur a corruptione servitutis, ipse autem Filius non unus est gementium, nec indigentium libertate, sed ipse est qui omnes & filios efficit & liberos reddit, ut olim Judæis ajebat ipse, *Servus non* Joan. 8. 35. *manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum. Si ergo Filius vos liberaverit, vere liberi eritis:* ex his profecto luce ipsa clarius fit Dei Verbum non creatum esse, sed verum & natura proprium Patris Filium. Hæc quæ de loco illo Proverbiorum, *Dominus creavit* Prov. 8. 22. *me initium viarum*, licet paucis disseruimus, tamen, ut equidem reor, ampliorem doctioribus dicendi copiam adversus Arianam hæresim queunt suppeditare. Alius Proverbiorum locus explicatur. Quando vero hæretici etiam sequentem hunc versum male interpretantur, *Ante ævum fundavit me*, quæ Prov. 8. 23.

sci-

ſcilicet verba de divinitate non de ejus adventu corporeo dicta eſſe autumant: neceſſe omnino eſt ut hunc etiam verſum explicemus, illorumque errorem pateſaciamus.

Prov. 3. 19.

73. Scriptum eſt: *Dominus ſapientia fundavit terram*. Si igitur ſapientia terram fundavit, qui fieri poteſt ut is qui fundat, fundetur? Verum id etiam proverbii inſtar dictum eſt, ejuſque nobis quærenda ſignificatio eſt, ut cognoſcamus Patrem ſapientia creare & fundare terram, ut firma & ſtabilis permaneat: ipſam vero ſapientiam noſtri cauſa eſſe fundatam, ut videlicet noſtræ novæ creationis & renovationis principium fieret & fundamentum. Hinc nec eo in loco ait, Ante ævum Verbum vel Filium me fecit, ne quaſi initium, quo fieri cœpiſſet, habere crederetur. Namque id ante omnia quærendum eſt, ſi nempe Filius ipſe eſt, eaque de re Scripturæ ſunt præcipue ſcrutandæ. Id enim cum interrogarentur & ipſi Apoſtoli, Petrus ita reſpondit, *Tu es Chriſtus, Filius Dei viventis*. Idem vero & ipſe pater Arianæ hæreſis in primis percunctatus aſt, *Si Filius Dei es*. Hoc enim veritatem & præcipuum noſtræ fidei fundamentum eſſe non ignorabat, &, ſi ipſe eſſet filius, finem habituram eſſe diabolicam tyrannidem: ſin autem creatus eſſet, unum quoque eum eſſe ex Adæ poſteris quem olim decepit, proindequa nihil hoc curandum eſſe. Ea ſimiliter de cauſa Judæi indignabantur, quod Dominus ſe Filium Dei, & Deum ſui proprium patrem diceret. Nam ſi ſe unam a creatis rebus vel factum aſſe dixiſſet, nihil illos perturbaſſent hujuſmodi verba, nec impia eſſe judicaſſent, utpote quibua non latebat Angelos olim ad ſuos patres acceſſiſſe. Verum quia ſa Filium dicebat, id non rei creatæ ſed divinitatis ac paternæ naturæ notam eſſe perſpiciebant.

Mat. 16. 16.
Mat. 4. 6.

74. Par itaque erat Arianos ſaltem ſuum imitari patrem, quidque rei eſſet inquirere, ita nt, ſi dixiſſet quidem, Verbum vel Filium me fundavit, idem ſentirent atque nunc ſentiunt: at ſi non hæc ejus eſſent verba, ea quoque quæ non eſſent non comminiſcerentur. Nec enim dixit, Ante ævum Verbum vel Filium me fundavit, ſed tantum, *fundavit me*, ut nimirum indicaret, quemadmodum jam obſervavi, non propter ſe, ſed propter illos qui ſuper ipſum ædificantur, hæc, proverbii inſtar, locutum eſſe. Id optime intelligebat Apoſtolus cum ita ſcripſit: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus. Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet*. Porro neceſſe eſt ut tale ſit fundamentum qualia ſunt quæ ſuper ipſum ædificantur, ut inter ſe poſſint apte congruere. Atqui ut Verbum, tales, qualis & ipſe eſt, qui ſecum conveniant habere non poteſt, quippe, cum ſit unigenitus. At factus homo ſimiles habet, quorum videlicet ſimilem carnem aſſumſit. Itaque ſecundum naturam humanam fundatur, ut & nos tamquam lapides pretioſi ſuper ipſum ædificari poſſimus, & templum efficiamur ſancti Spiritus in nobis habitantis. Ceterum ut ipſa fundamentum eſt, nos autem ſumus qui ſuper ipſum ædificamur: ita etiam idem ipſe vitis eſt, nos autem veluti palmites cohærentes, non quidem ſecundum divinitatis naturam, nam hoc fieri nequit, ſed ſecundum naturam humanam (neceſſe enim eſt vitis ſimiles eſſe palmites) quia nos ſcilicet ſecundum carnem ſimiles illius ſumua. Quoniam vero hæretici nihil niſi humanum ſapiunt, haud ab re fuerit eos humanis axemplis eodem ex loco depromtis confutare. Itaque non dixit, fundamentum me fecit, ne inde eum rem factam eſſe atque ortus principium habuiſſe ſuſpicati hæretici, impietatis ſtabiliendæ occaſionem impudenter arriperent: ſed dixit: *Fundavit me*. Porro quod fundatur, lapidibus ſuper ipſum projectis fundatur, quod quidem non quovia modo perficitur, ſed quum lapis a monte tranſlatus, in imis terris collocatur. Nam quamdiu lapis eſt in monte, nondum poſitus eſt in fundamentum. Cum vero exigente cauſa, tranſlatus fuerit, & terræ profundo coopertus, tunc ſi vox lapidi daretur, hæc utique poſſet dicere, Qui me huc tranſtulit, nunc fundavit me. Igitur ipſa quoque Dominus, non tunc eſſe cœpit, cum fundatus eſt: (ſiquidem antea erat Verbum) ſed poſtquam noſtrum induit corpus, quod ex Maria deſectum accepit, tunc dixit, *fundavit me*: quod idem eſt ac ſi diceret: Me, qui ſum Verbum, terreno corpore cooperuit. Sic enim ille, qui noſtra ſuſcipit, noſtri cauſa fundatur, nt nos, qui ſimile habemus corpus, carnis ſimilitudine in illo aptati & colligati, in virum perfectum occurramus, immortaleſque & incorrupti maneamus.

1. Cor. 3. 11.
Ibid. v. 10.
Epheſ. 4. 13.

75. Nemo vero his etiam loquendi modis conturbetur: *Ante ævum*, &, *priuſquam terram faceret*, &, *antequam montes collocarentur*. Recte enim iſta conjunxit cum verbis, *fundavit*, & *creavit*. Namque hæc ejus ſecundum carnem diſpenſationem ſpectant. Etenim gratia quæ nobis a Salvatore donata eſt, modo quidem apparuit, ut ait Apoſtolus, exortaque eſt poſtquam ipſa advenit: verum antequam nos naſceremur, vel potius ante mundi conſtitutionem præparata fuit, cujus hæc cauſa & recta eſt & admiranda. Deum de nobis poſterius deliberare minime decebat, ne res noſtras ignorare videretur. Quocirca cum noa rerum univerſarum Deus per proprium Verbum crearet, & ea, quæ ad nos pertinent, ſupra nos proſpiceret, prænoſceretqne nos poſtquam boni facti fuiſſemus, legem violaturos, atque idcirco e paradiſo axpellendos: ille qui perhumanus & benignus eſt, in proprio Verbo, per quod nos creavit, noſtræ ſalutia diſpenſationem præparavit, ut videlicet, etiamſi contingeret ut a Dæmone circumventi caderemus, ne mortui penitua remaneremus, ſed ut redemtionem & ſalutem in Verbo nobis præparatam habentes, reviviſceremus & immortales eſſemus, poſtquam ipſa pro nobis principium viarum eſt creatus, & qui creaturæ primogenitus aſt, fratrum factus fuit primogenitus, & ipſe, mortuorum primitiæ, revixit. Hæc ipſa eſt beati Apoſtoli Pauli doctrina, qui illa Proverbiorum verba, *ante ævum*, &, *antequam terra fieret*, ita Epiſtola ad Timotheum interpretatur: *Collabora Euangelio ſecundum Dei virtutem, qui ſalvos nos fecit & vocavit vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum proprium propoſitum & gratiam, quæ nobis data eſt in Chriſto Jeſu ante æterna tempora, & nunc apparuit per adventum Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui mortem quidem deſtruxit, vitam autem illuminavit*. Et ad Epheſios: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nobis in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto Jeſu, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate, qui prædeſtinavit nos in adoptionem per Jeſum Chriſtum in ipſum*.

Prov. 8. 23.
Tit. 2. 11. Gratia nobis Salvatoris adventu data, ante mundi conſtitutionem a Deo fuit præparata.
2. Tim. 1. 8.
Epheſ. 1. 3.

76. Quomodo ergo nos elegit antequam eſſemus, niſi, ut ipſe dixit, in ipſo fuiſſemus præſignati? Qui vero fieri potuit, ut nos, priuſquam homines crearentur, in adoptionem prædeſtinaverit, niſi ipſe Filius ante ævum fundatus eſſet, ſuſcepta, noſtri gratia, diſpenſatione? Vel quomodo, ut ſubjicit Apoſtolus, *forte ſumus prædeſtinati*, niſi ipſe Dominus ante ævum fundatus fuiſſet, ita ut ipſi propoſitum fuerit omnem judi-

Hominum prædeſtinatio ante ævum in Chriſto fundata.
Ibid. v. 11.

judicii adversum nos lati sortem carne suscipere, quo nos deinceps filii in ipso efficeremur? Quomodo item nos, qui nondum eramus, sed tempore exstitimus, ante æterna tempora accepimus, nisi gratia, quæ ad nos pervenit, in Domino fuisset reposita? Hinc ille in judicio, cum unusquisque pro suis factis mercedem est accepturus, dicet, *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Quomodo igitur, vel in quo, antequam essemus, paratum est, nisi in Domino, qui ante ævum eam ob causam fundatus est, ut nos super ipsum tamquam ædificati, vitæ & gratiæ quæ ab illo oritur, velut apti lapides, participes essemus? Id autem eo factum est, quantum pie potest cogitari, ut, quemadmodum dixi, a morte temporaria excitati, perpetuo vivere possimus, quod nobis nequaquam licuisset qui terreni sumus homines, nisi ante ævum nobis spes vitæ & salutis in Christo esset præparata. Itaque jure merito Verbum in nostram veniens carnem, in eaque principium viarum in opera sua creatum, hac ratione, ut erat in ipso Patris voluntas, fundatur, sicuti commemoratum est, ante ævum, & antequam terra fieret, & montes collocarentur, fontesque scaturirent, ne scilicet, cum terra, montes, rerumque apparentium figuræ in fine præsentis ævi præterierint, nos, similiter, ut illa, vetustate conficeremur; sed potius ut etiam postea vivere valeremus, utpote qui nobis ante res illas præparatam in ipso Verbo habeamus secundum electionem vitam & benedictionem spiritualem. Sic enim vitam minime fluxam licebit consequi, constanterque in Christo vivemus, quoniam ante illa omnia vita nostra in Christo Jesu fundata & parata fuerit. Prov. 8.

Hebr. 1. 2. 77. Nec enim in alio quam in Domino qui est ante sæcula & per quem facta sunt sæcula, vitam nostram fundari par erat, ut, cum illa in ipso veluti esset nos etiam æternæ vitæ hæredes esse possemus. Bonus enim est Deus: proindeque cum sit semper bonus, id profecto voluit, quippe qui infirmam nostram naturam ejus auxilio & salute opus habere cognosceret. Ac quemadmodum si quis sapiens architectus domum statueret ædificare, simulque in animo haberet eamdem, si forte postea destruatur, reficere: ille utique prius præpararet daretque artifici ea quæ ad instaurationem essent necessaria, itaque fieret ante domum ipsam ejus instaurationis præparatio: haud aliter nostræ salutis renovatio in Christo ante nos fundata est, ut in ipso quoque refici possemus. Quapropter consilium & propositum ante ævum est paratum: tunc autem effectum opus est, cum exegit necessitas & Salvator advenit. Namque ipse Dominus instar omnium nobis in cælis erit, cum nos in æternam vitam admittet. Hæc profecto sufficere possint ad ostendendum Dei Verbum creatum non esse, rectamque Scripturæ esse sententiam. Verum quandoquidem accurate expensa illa verba rectum quaqua ex parte sensum includere comperiuntur, e re esse videtur nec istum reticere: forte accidet ut multis asserendis pudore afficiantur insani. His autem quæ jam tractata sunt opus nobis est: hic enim de eodem proverbio de eademque sapientia agitur. Non dixit Verbum se natura esse creatum, sed in Proverbiis dixit, *Dominus creavit me*. Prov. 8. 22. Manifestum est autem hic sensum aliquem non obvium sed latentem significari, quem quidem consequemur, si proverbii velum detrahamus. Ecquis enim opificem Sapientiam dicentem audiens, *Dominus creavit me principium viarum suarum*, non continuo sensum exquirat, secumque cogitet quomodo creatrix creari possit? Quis unigenitum Dei Filium se viarum principium creari aientem audiens, non qua ratione id dixerit investiget, admireturque, qui fieri queat ut unigenitus Filius multorum aliorum sit principium? Ænigma sane illud est. Verum *vir intelligens*, inquit Scriptura, *intelliget parabolam & obscurum sermonem, verbaque & ænigmata sapientum*. Prov. 1. 6.

78. Unigenita igitur ipsaque Dei sapientia, omnium creatrix est & effectrix. *Omnia*, enim inquit, *in sapientia fecisti*, &, *impleta est terra creatione tua*. Psal. 103. 24. Ut autem res factæ non tantum existerent, sed etiam bene existerent, placuit Deo ut sua Sapientia se ad res creatas accommodaret, ut formam speciemque aliquam ipsius imaginis cum in omnibus simul tum in singulis imprimeret, quo nimirum perspicuum fieret & sapientia ornatas esse res factas, & digna Deo esse opera. Imago divinæ Sapientiæ omnibus rebus impressa est. Ut enim nostrum verbum, Verbi, qui Dei est Filius, est imago: ita sapientia in nobis facta ejusdem Verbi, quæ ipsa est Sapientia, imago quoque est, in qua cum vim sciendi & intelligendi habeamus, idonei efficimur qui creatricem Sapientiam recipiamus, ejusdemque Patrem per ipsam possimus cognoscere. Nam *qui habet Filium*, inquit, *habet & Patrem*, *& qui me recipit, recipit eum qui misit me*. Matth. 10. 40. Quoniam ergo hujusmodi Sapientiæ forma creata in nobis & in omnibus est, non immerito vera & opifex Sapientia ea quæ suæ formæ propria sunt sibi ipsi adsciscens ait, *Dominus creavit me in opera sua*. Quippe ea quæ sapientia, quæ in nobis est, loquitur, hæc ipse Dominus tamquam propria usurpat. Quocirca non ille creatur qui creator est, sed propter suam imaginem in ipsis operibus creatam, ista velut de se ipse ait. Hinc quemadmodum ipse Dominus dixit, *Qui vos recipit, me recipit*, Matth. 10. 40. eo quod ejus forma in nobis est: sic etiamsi inter res creatas non annumeretur, tamen quia ejus forma & imago in operibus creatur, quasi ipse esset, ait: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*. Porro idcirco sapientiæ forma in operibus facta est, ut, quemadmodum supra memini, mundus in ipsa Verbum, suum opificem, & Patrem per Verbum agnosceret. Enimvero hoc ipsum est quod Paulus docet: *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestum fecit. Invisibilia enim ipsius ex creatione mundi operibus intellecta conspiciuntur*. Rom. 1. 19. Quapropter Verbum natura nequaquam est creatum, sed ille Proverbiorum locus de sapientia, quæ in nobis & vere est & esse dicitur, est intelligendus.

79. Veruntamen si his fidem habere noluerint, ipsi nobis respondeant, utrum in rebus creatis aliqua sit sapientia, vel non? Si nulla sit; quare Apostolus his verbis conqueritur: *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum?* 1. Cor. 1. 21. Vel si nulla est sapientia, cur multitudo sapientum in Scriptura memoratur? Sapien. 6. 26. Namque *Sapiens perterritus declinat a malo*, Prov. 14. 16. &, *Cum sapientia ædificatur domus*. Prov. 24. 3. Ecclesiastes quoque dicit: *Sapientia hominis illuminabit vultum ejus*: Eccles. 8. 1. idemque temerarios his verbis increpat, *Ne dixeris, quid factum est, quod priora tempora his præsentibus meliora fuerunt? Nec enim in sapientia istud sciscitatus es*. Eccles. 7. 11. Quod si in rebus creatis est sapientia, ut hisce verbis testatur filius Sirachi, *Effudit illam in omnia opera sua cum omni carne secundum donationem suam, & præbuit illam diligentibus se*; Eccles. 1. 10. quæ quidem effusio minime significat naturam Sapientiæ quæ per se ipsa est atque unigenita, sed illius quæ expressa in mundo est: quid ergo incredibile videtur, si ipsa opifex & vera Sapientia, cujus forma seu figura est sapientia ac scientia quæ in mundum effusa est, tamquam de seipsa dicat, *Dominus creavit me in opera sua?* Nec enim sapientia quæ in mundo est, creatrix est, sed in operibus est creata, secundum quam *Cæli enarrant gloriam Dei*, Psal. 18. *& ope-*

& opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Eam si homines in seipsis habuerint, veram Dei Sapientiam agnoscent, patebitque illos ad imaginem Dei factos esse. Quemadmodum enim si quis Imperatoris filius, patre urbem aliquam ædificare eupiente, suum nomen singulis ædificiis securitatis causa inscriberet, ut nempe ædificia, sui nb nominis speciem singulis impressi, possent persistere, eoque ex nomine cum sui ipsius tum patris meminisse: si is, inquam, urbe ædificata interrogaretur, quonam modo facta esset, recte responderet: Tute est ædificata; mea quippe imago, sicuti voluit pater, in singulis expressa est ædificiis; meum enim nomen creatum in illis est. His autem ille verbis non suam sane naturam, sed suam dumtaxat figuram suo nomine creatam esse significaret. Eodem plane modo juxta id exempli, his qui sapientiam, quæ in rebus ereatis existit, admirantur, respondet vera Sapientia, *Dominus creavit me in opera*. Mea enim figura in illis est, & ego sic me ad res efficiendas accommodavi.

80. Nec vero mirum videatur, si Filius de sua quæ in nobis est figura, tamquam de seipso loquatur, cum (idem enim repetere nihil est reformidandum) Saulo Ecclesiam, in qua ejus figura & imago erat, persequente, quasi ipse esset quem ille persequeretur, dixerit, *Saule, quid me persequeris?* (Actor. 9. 4.) Ut ergo nemini mirum videretur, uti diximus, si sapientiæ forma, quæ in operibus est, diceret, *Dominus creavit me in opera*: ita si ipsa vera & creatrix Sapientia, quod & unigenitum Dei est Verbum, ea quæ suæ propria sunt imaginis usurpaverit, ac velut de se ipsa dixerit, *Creavit me in opera*, nemo dimissa sapientia, quæ in mundo & operibus creata est, arbitretur verbum istud, *creavit*, de natura Sapientiæ quæ per seipsa est dictum esse, ne vinum cum aqua miscens, veritatem surripere videatur. (Esai. 1. 22.) Namque illa creatrix & opifex est sapientia: ejus autem forma in operibus creatur tamquam imaginis similitudo. Hujusmodi porro sapientia *principium viarum* esse dicitur, quia quoddam est principium & elementum cognitionis Dei. Eam enim quis primam veluti viam ingressus, & timore Dei custodiens, ut dixit Salomon, *principium sapientiæ timor Domini*, (Proverb. 1. 7.) deindeque mente progrediens, & creatricis Sapientiæ, quæ in rebus creatis apparet, cognitionem assecutus, in ipsa ejus quoque Patrem haud dubie contemplaturus est, ut ipse Dominus his verbis testatur, *Qui vidit me vidit Patrem*. (Joan. 14. 9.) Joannes item scribit: *Qui confitetur Filium, Patrem quoque habet*. (1. Joan. 2. 24.) Ait autem, *ante ævum fundavit me*, quia in ejus forma sive figura constanter & semper manent opera. Præterea ne quis, his de sapientia hoc modo in operibus creata auditis, Dei Filium qui vera est Sapientia, creatum esse existimaret, necessario addidit, *antequam montes*, &, *antequam terram*, &, *ante aquas*, &, *ante colles gignit me*, ut, cum dicit, ante res universas creatas, (universam siquidem creatam naturam his verbis comprehendit) ostenderet se non natura una cum operibus creatam esse. Namque si in opera creata est, & ante opera est, patet utique eam fuisse antequam creata est. (Prov. 8. 23.) Non ergo natura & substantia creata est, sed, ut ibidem subjicitur, genita est. Quid porro differentiæ & discriminis sit inter rem natura creatam & genitam antea exposuimus.

81. (Prov. 8. 27.) Quia vero addidit, *Quando præparabat cælos cum illo aderam*, sciendum est hæc eam dicere, non quod Pater cælos & superiores nubes per ipsam non paraverit. Nec enim dubium est quin omnia in Sapientia creata sint, nihilque sine ipsa factum sit. Verum hæc sunt quæ hisce verbis illa significat: Omnia quidem in me & per me facta sunt: quia autem opus erat ut sapientia in operibus crearetur, ego quidem secundum naturam cum Patre aderam, me vero ad res factas benigne accommodans, meam figuram in illis apte imprimebam, ut universus mundus tamquam in uno corpore non secum discordaret sed concordaret. Quotquot igitur recta mente pro data sibi sapientia res creatas contemplantur; ipsis quoque licet dicere: Dispositione tua permanent omnia. (Psal. 118. 91.) Qui vero ista negligunt & contemnunt, ad illos hæc spectant verba: *Cum se sapientes esse dicerent, stulti facti sunt*. (Rom. 1. 22.) Nam *quod notum Dei est, manifestum est in illis. Deus enim illis patefecit.* (Ibid. v. 19.) *Invisibilia enim ipsius, ex creatione mundi, operibus intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, adeo ut careant excusatione, quippe qui cum Deum cognoscerent non ut Deum coluerunt, sed rebus creatis potius servierunt quam omnium creatori, qui est benedictus in secula. Amen.* (Ibid. v. 25.) Pudore quoque certe afficientur, hæc audientes: *Nam quia in sapientia Dei*, prout explicavimus, *mundus Deum per sapientiam non cognovit, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*. (1. Cor. 1. 21.) Nec enim jam amplius, ut superioribus temporibus, Deus per imaginem & umbram sapientiæ quæ in rebus creatis est, cognosci voluit, sed placuit ipsi ut ipsa vera Sapientia carnem assumeret, homo fieret, & crucis mortem pateretur, ut per fidem, quæ in ea consistit, omnes deinceps credentes salvi esse possent. Ipsa ergo Sapientia Dei est, quæ antea per suam imaginem in rebus creatis impressam, (quam ob causam creari dicitur) & seipsam & per se suum Patrem notum reddebat. Postea vero eadem ipsa, quæ & Verbum est, caro facta est, ut ait Joannes, (Joan. 1. 14.) destructaque morte, ac nostro genere liberato, & se & per se Patrem clarius patefecit: unde hæc ejus verba: *Da eis ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. (Joan. 17. 3.)

82. Itaque universa terra cognitione ejus repleta est. Siquidem una est Patris per Filium, & Filii ex Patre cognitio: ipso gaudet Pater, eodemque gaudio Filius in Patre delectatur dicens: *Ego eram, quo delectabatur, per singulos dies in conspectu ejus delectabar*. (Prov. 8. 30.) Hæc proculdubio rursus probant Filium non alienum sed proprium naturæ Patris esse. Ecce enim non propter nos, ut impii dictitant, factus est, neque omnino e nihilo est, neque Deus sibi auctorem gaudii comparavit extrinsecus; sed illæ voces aliquid, quod proprium sit & simile, significant. Quando ergo contigit ut Pater non gauderet: Quod si semper gavisus est, semper fuerit necesse est is in quo gaudebat. In quo porro gaudet & lætatur Pater, quam eum se ipse cernit in propria imagine, quæ Verbum suum est? (Prov. 8. 16) Quod si etiam post perfectum mundum filiis hominum delectabatur, ut ibidem scriptum est, nec id utique alio modo intelligendum est. Ita enim delectabatur, non quasi gaudium ipsi accidisset, sed quatenus opere ad suam imaginem facta intuebatur. Illa proinde Dei oblectatio suam imaginem causam habet. Et ipse vero Filius an alio oblectatur modo, quam cum se ipse in Patre contemplatur? Idem enim hisce ejus verbis declaratur: *Qui vidit me, vidit Patrem*: &, (Joan. 14. 9.) *Ego in Patre, & Pater in me est*. Probatum itaque omni ex parte est vanum & futile esse quod tantopere jactitatis, o Christi hostes. Frustra illa undique circumfertis & pervulgatis verba, *Dominus creavit me principium viarum suarum*, (Prov. 8. 22.) quæ nimirum perverse interpretamini, vestraque vos ipsi potius commenta quam Salomonis mentem proponitis. Jam enim ostendimus fictum totum esse quod ipsi quidem sentitis: at

ille

ille Proverbiorum locus, & quæcumque supra disputata sunt, probant profecto Filium non esse natura & substantia creatum, sed proprie ex Patre genitum, e- A jusque esse sapientiam & Verbum verum, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. [Joan. 1. 3.]

EJUSDEM CONTRA ARIANOS

Oratio tertia.

1. QUandoquidem semel Ariani, ut videtur, animum induxerunt a veritate desciscere, in seipsos attrahere contendunt hæc Scripturæ verba, *Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit*. [Prov. 18. 3.] Neque enim convicti quiescunt, nec hærentes erubescunt: [Jerem. 3. 3.] sed veluti frontem gerentes meretricis, omnem pudorem exuerunt ut suam adversus omnes defendant impietatem. Postquam enim probatum a nobis est illorum Scripturæ locorum, nempe, *Dominus creavit me*, &, *Tanto præstantior factus Angelis*, &, *primogenitus*, &, *Qui fidelis est ei qui fecit eum*, rectam esse significationem, iisdemque veram in Christum pietatem edoceri: [Prov. 8. 22. Hebr. 1. 4. Rom. 8. 29. Coloss. 1. 15. Hebr. 3. 2.] nescio quonam pacto illi tamquam serpentis veneno perfusi, nec videntes quæ videnda sunt, nec ea quæ legunt intelligentes, sed tamquam ex impii sui cordis profundo ructantes, jam hęc Domini verba, *Ego in Patre & Pater in me est*, exagitare cœperunt. [Joan. 14. 10.] Quomodo, inquiunt, iste in illo & ille in isto contineri potest? Vel qua prorsus ratione Pater, qui major est, in Filio qui minor est, potest comprehendi? Aut quid mirum est Filium in Patre esse, quandoquidem etiam de nobis scriptum est, *In ipso enim vivimus, & movemur & sumus?* [Act. 17. 28.] Sane hoc illis merito pro sua perversitate accidit, ut Deum corpus esse existiment, nec intelligant quid sit verus Pater & verus Filius, quid lux invisibilis & æterna, ejusque invisibilis splendor, quid invisibilis item substantia, quid figura & imago non corporea? [Hebr. 1. 3.] Namque si cognoscerent, non profecto tam impie Dominum gloriæ deriderent, neque res, quæ corporeæ non sunt, tamquam corporeas cogitantes, ea quæ recte dicta sunt ipsi prave interpretarentur. Par erat utique illos his vel solum auditis, utpote Christi verbis, credere, cum simplex fides curiosa eloquentia sit præstantior. Verum quoniam hoc quoque Scripturæ loco ad suam confirmandam hæresim profana temeritate abuti conantur; necessarium duximus & illorum convincere improbitatem, & quæ vera sit hujus loci interpretatio, ad fidelium securitatem patefacere. Non enim, ut illi opinantur, his verbis, *Ego in Patre & Pater in me est*, significatur eos in se invicem immitti, sesque, veluti vacua quædam vasa, invicem implere, ita ut Pater, Filii, & Filius, Patris vacuitatem repleat, neuterque illorum plenus & perfectus sit. Siquidem id proprium est corporum, nec absque summa impietate vel etiam dici queat. Plenus enim & perfectus est Pater, & ipse Filius plenitudo est Patris. Nec vero eodem modo quo Deus est in Sanctis ut eos corroboret, ita est & in Filio. Ipse enim virtus est sive robur & sapientia Patris: ejusque communione, res factæ in Spiritu sanctificantur: ipse autem Filius non alicujus communione filius est, sed proprius est Patris fetus. Nec item Filius est in Patre eadem ratione quam indicant hæc verba, *In ipso vivimus, & movemur, & sumus*. Nam ipse ex Patre existit tamquam ex fonte vita, in qua omnia cum vitam accipiunt tum consistunt. Non enim vita in vita vivit, alioquin vita non esset: sed potius vitam ipse omnibus impertit.

2. Jam vero argutias quoque Asterii sophistæ, hæresis patroni, si placet, dispiciamus. [Asterii Ariani refellitur falsa interpretatio.] Hic enim Judæos æmulatus, ea quæ sequuntur scripsit. „ Perspicuum enim est, inquit, illum idcirco dixisse seipsum in Pa„ tre & Patrem in seipso esse, quod nec ipsum quidem „ sermonem quem proferebat sui esse diceret, sed Pa„ tris, nec propria item sui esse opera, sed Patris, a quo „ videlicet agendi virtutem acceperat. „ Profecto si puerulus ista loqueretur, veniam ex ætate posset consequi. Cum autem hęc ille scribat qui Sophista vocatur, & omnia se profitetur cognoscere; qua, quęso, damnatione dignus esse censendus est? An non etiam seipsum ab Apostolo alienum probat, quippe qui persuasibilibus sapientiæ sermonibus glorietur, quibus & alios se decipere posse confidit, cum tamen nec ipse ea quæ dicit, nec de quibus contendit intelligat. [1. Cor. 2. 4. 1. Timot. 1. 7.] Ea enim quæ Filius soli Filio, qui Verbum & sapientia, ac Patris naturæ imago est, convenire & propria esse docuit, iste rebus omnibus creatis attribuit, illisque cum Filio pugnat esse communia: quin etiam virtutem virtuti Patris impertiri impius asseverat, ut ex impia ejus doctrina efficiatur, Filium in filio factum esse filium, & Verbum potentiam verbi accepisse. Nec item eum ut filium ista vult dixisse, sed ipsum, ut qui ea quoque didicerit, una cum aliis operibus collocat. Si enim propterea quod verba quæ proferebat Filius, non ejus essent sed Patris, ut & opera, idcirco dicebat, *Ego in Patre, & Pater in me est*: cum ipse quoque David dicat, *Audiam quid loquetur in me Dominus Deus*: [Psal. 84. 9.] Et Salomon: *Sermones mei a Deo dicti sunt*: cum similiter Moyses sermonum Dei administer fuerit, singulique Prophetæ non propria, sed Dei verba annunciaverint, unde ajebant, *Hæc dicit Dominus*: cum item opera ipsa quæ Sancti effecere, non sua esse sed Dei virtutem suppeditantis affirmarint, ut ex Elia & Elisæo patet qui Deum invocavere ut mortuos ipse excitaret: unde idem Elisæus postquam Naamani lepram sanasset, ei dixit: *Ut scias esse Deum in Israel*: [4. Reg. 5.] Samuel quoque messis tempore Deum ut pluviam daret oravit: Apostoli denique se non propria virtute sed Dei gratia signa & prodigia facere fatebantur: ex his, inquam, dilucide secundum illum sequitur vocem hujusmodi omnium quoque esse communem singulosque posse dicere, *Ego in Patre, & Pater in me est*, nec proinde jam unum hunc esse Dei Filium & Verbum ac Sapientiam, sed eum unum quoque ex multis esse.

3. Atqui si hæc esset verborum Domini sententia, non ita eum loqui oportuisset. *Ego in Patre, & Pater in me est*, sed potius: Ego etiam sum in Patre, & Pater in me etiam est; ut videlicet nihil se proprium & singulare apud Patrem, tamquam Filium, habere, sed communi cum omnibus gratia gaudere significaret. Verum non ita se res habet, ut opinantur illi, qui cum eum verum ex Patre Filium esse non sentiant, falsa de vero fingunt, cui soli dicere convenit, *Ego in Patre, & Pater in me est*. [Quomodo Filius sit in Patre, & Pater in Filio.] Filius enim in Patre est, quantum licet intelligere, quia totum quod est Filius, hoc naturæ Patris proprium est, eo modo quo ex luce splendor, & ex fonte fluvius exoritur, adeo ut qui Filium videt, id quod proprium est Patris videat, intelligatque Filium idcirco in Patre esse quia ex Patre habet ut sit; & vicissim Patrem in Filio esse, quia Filius est

id

id quod proprium est ex Patre, sicuti sol est in splendore, mens in verbo, & fons in fluvio. Ita enim qui Filium contemplatur, id quod naturæ Patris proprium est simul contemplatur, Patremque in Filio esse intelligit. Nam cum forma & divinitas Patris hoc ipsum sit quod est Filius, omnino sequitur ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio. Quocirca cum
Joan. 10. 30. antea dixisset, *Ego & Pater unum sumus*, hic recte
Joan. 14. 10. ait, *Ego in Patre & Pater in me est*, ut scilicet eamdem amborum divinitatem unamque naturam esse doceret.

Qua ratione Pater & Filius sint unus Deus.

Sabellii error.

4. Unum enim illi sunt, non quod unum in duas partes sit divisum, quæ nihil sint præter unum; neque quod unum bis nominetur, ita ut idem aliquando Pater, aliquando sui Filius fiat; quæ cum sentiret Sabellius, hæreticus est judicatus. Verum duo quidem sunt, quia Pater, Pater est, nec ipse est Filius; & vicissim Filius est Filius, nec ipse Pater est. Una vero illorum natura est: nec enim genitoris genitus est dissimilis, cum imago ejus sit, & omnia quæ Patris sunt, sint quoque Filii. Hinc Filius alius non est Deus, quia non extrinsecus effictus est: alioquin complures dii inducerentur, si extranea excogitaretur divinitas præter Patris divinitatem. Tametsi enim * aliud est Filius, ut genitus: attamen idem est, ut Deus: atque adeo ipse & Pater unum sunt cum naturæ proprietate, tum eadem & una divinitate, quemadmodum dictum est. Enimvero ipse quoque splendor lux est, nec sole posterior, neque alia lux, neque quatenus ejus sit particeps, sed totus proprius ejus est fetus. Hujusmodi porro fetus necessario lux una est, nec dici potest duas illas esse luces, sed duo quidem esse solem & splendorem, unam vero ex sole ortam lucem esse, quæ in splendore orbem illuminat universum. Ita similiter Filii divinitas, est quoque ipsa Patris, quam quidem ob causam individua est, atque hoc pacto unus est Deus, nec alius est præter illum. Quia ergo unum illi sunt, unaque ipsa est divinitas, idcirco eadem de Filio quæ de Patre dicuntur, Patris excepto nomine. Sic ergo Filius dicitur Deus: *Et Deus erat Verbum*: item omnipotens, *Hæc dicit qui erat, & qui est, & qui venturus est omnipotens*: similiter Dominus, *unus Dominus Jesus Christus*: lux quoque esse dicitur, *Ego sum lux*: nec non peccata delere: *Ut autem sciatis*, inquit, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*: & quæcumque alia similia inveneris. Nam *omnia*, inquit ipse Filius, *quæcumque habet Pater, mea sunt*: & rursus, *mea tua sunt*.

Eadem de Filio quæ de Patre dicuntur, præter Patris nomen. *Joan. 1. 1.* *Apocal. 1. 8.* *1. Cor. 8. 6.* *Joan. 8. 12.* *Luc. 5. 24.* *Joan. 16. 15.* *Joan. 17. 10.*

5. Porro is qui ea quæ Patris sunt Filio attribui audierit, hac ratione Patrem in Filio videbit; Filiumque similiter intuebitur in Patre, cum illa quæ de Filio dicuntur, eadem quoque de Patre dicantur. Cur vero ea quæ Patris sunt, Filio attribuuntur, nisi quia Filius ex illo genitus est? Cur item quæ Filii sunt, eadem propria sunt Patris, nisi quia Filius ejus naturæ proprius est fetus? Quare cum Filius proprius si naturæ Patris fetus, jure merito ea, quæ Patris sunt, sui esse asseverat. Quapropter bene ac congruenter post hæc
Joan. 10. 30. verba, *Ego & Pater unum sumus*, subjecit, *Ut co-*
Ibid. v. 38. *gnoscatis quia Pater in me est, & ego in Patre*; post quæ
Joan. 14. 9. rursus addidit: *Qui vidit me, vidit Patrem*, quorum utique trium locorum una eademque est sententia. Qui enim ita scit unum esse Filium & Patrem, novit certe eum in Patre, & Patrem in Filio esse. Divinitas enim Filii, Patris quoque ipsa est, eademque est in Filio: quod qui comprehenderit, is persuasum facile habebit, eum qui Filium vidit, Patrem vidisse: quippe cum Patris divinitas in Filio conspiciatur. Id autem facilius, imaginis

A Imperatoris exemplo, poterit intelligi. Nempe in imagine species quidem & forma Imperatoris est: in Imperatore autem eadem species est quæ in imagine videtur. Perfecta enim similitudo est in Imperatoris imagine, ita ut & is qui imaginem viderit, in ipsa Imperatorem intueatur, & vicissim qui Imperatorem viderit, agnoscat illum ipsum esse qui in imagine conspicitur. Ex eo autem quod nulla discrepent dissimilitudine, si quis post imaginem, vellet Imperatorem videre, recte illi imago diceret: Ego & Imperator unum sumus; ego enim in illo sum, & ille in me: quodque in me vides,
B idem in illo aspicis, & quod in illo vidisti, idem in me cernis. Itaque qui imaginem adorat, in ea quoque Imperatorem adorat: imago siquidem, ejus species & forma est. Cum igitur Filius imago quoque sit Patris; intelligere necesse est divinitatem & proprietatem Patris, hoc ipsum esse quod est Filius. Hoc autem est quod his verbis significatur, *Qui in forma Dei existens*, &, *Pater in me*. *Philip. 2. 6.* *Joan. 14. 10.*

6. Ceterum non ex parte tantum, divinitatis forma est, sed hoc quod est Filius, plenitudo est divinitatis Patris, ita ut Filius totus sit Deus. Hinc cum *Philip. 2. 6.*
C æqualis Deo esset, non rapinam arbitratus est Deo æqualem esse. Similiter, quia Filii divinitas & species seu forma nullius alius quam Patris est, hoc ipsum est quod dixit, *Ego in Patre*. Sic *Deus in Christo erat mundum reconcilians sibi*. Namque naturæ Patris proprius est Filius, in quo natura creata cum Deo reconciliatur. Sic ea quæ Filius agebat, opera Patris erant, quia Filius species seu forma erat Patris divinitatis, quæ ipsa opera efficiebat. Sic qui videt Filium, Patrem simul videt, quia in paterna divinitate & est & cernitur Filius; paternaque species, quæ in illo est, Patrem in eodem exhibet, atque
D hoc modo Pater est in Filio. Proprietas autem & divinitas, quæ ex Patre in Filio existit, Filium in Patre commonstrat, eumdemque ab eo dividi numquam posse ostendit. Quocirca qui audit & videt ea, quæ de Patre dicuntur, de Filio quoque dici, non quod hæc per gratiam ejus accidant naturæ, aut quatenus sit horum particeps, sed quia hoc ipsum quod est Filius, proprius est naturæ Patris fetus: ille proculdubio optime, ut jam dixi, hæc verba intelliget, *Ego in Patre & Pater in me est*: &, *Ego & Pater unum sumus*. Talis siquidem est Filius qualis Pater, eo quod omnia habeat quæ Patris sunt: quo fit ut & ipse una
E cum Patre significetur. Nemo enim patrem appellaverit, nisi existat filius. Nec vero qui Deum effectorem dicit, idcirco res effectas necessario significat: siquidem opifex etiam est ante opera. Sed qui Patrem dicit, omnino cum Patre Filium quoque existere significat. Unde qui credit in Filium, in Patrem credit, quippe qui in eum credat qui proprius est naturæ Patris: atque hoc pacto una est fides in unum Deum: & ille vero qui Filium adorat & honorat, in Filio adorat & honorat Patrem, quia una est ambo-
F rum divinitas. Qua de causa unus est honor unaque adoratio, qua Pater in Filio & per Filium colitur, & qui ita adorat, unum Deum adorat, quia unus est Deus, nec alius est præter eum. Cum ergo solus Pater dicitur Deus: cum item dicitur unus esse Deus, &, *Ego sum*; &, *Præter me non est Deus*: &, *Ego primus & ego post hæc*: hæc, inquam, omnia recte dicuntur, quia unus & solus & primus est Deus. Nec vero hujusmodi verbis excluditur Filius. Absit. Ipse enim est in uno, primo & solo, tamquam unius, solius & primi solum item Verbum, sapientia & splendor. Ipse item primus est, quippe qui divi-

Joan. 14. 10. *Joan. 10. 30.* *Exod. 3. 14.* *Deut. 32. 39.* *Esai. 44. 6.*

* Ita vertimus, textum Græcum secuti: licet vulgo doceant Theologi Filium non *aliud*, sed *alium* esse a Patre. Verum ista dictione, *aliud*, idem hic significat sanctus Athanasius quod Theologi dictione, *alius*, ut patet.

divinitatis primi & solius plenitudo sit, totusque & plenus Deus. Itaque non ejus causa illa dicta sunt, sed ad declarandum non esse alium qualis est Pater ejusque Verbum: eamque Prophetæ mentem esse clarum manifestumque est omnibus.

7. Verum quandoquidem impii hæc circumferentes, impie de Domino loquuntur, nobisque hujusmodi verbis obtrectant: Ecce unus & solus & primus dicitur Deus, quare ergo vos Filium Deum quoque esse contenditis? si enim esset Deus, non diceret, Ego solus, neque quod, unus est Deus: Deut. 32. 39. Deut. 6. 4. eamobrem operæ pretium est etiam de hujusmodi dictis pro nostra facultate disserere, ut inde omnibus pateat vere Arianos Dei hostes esse. Si igitur Filio contentio esset cum Patre, non immerito hujusmodi ille audiret voces; & si quemadmodum David de Adonia & Absalone audivit, ita Pater Filium videret, recte item hæc verba sibi ipsi diceret & proferret, ne forte Filius, seipsum Deum dicendo, aliquos a Patre abduceret. Sed si contra se res habet, illeque qui Filium cognoscit, Patrem melius cognoscit, quem nempe illi Filius ipse patefacit: si, inquam, melius quoque in Verbo, uti dictum est, videbit Patrem: si item postquam advenit Filius, non seipsum sed Patrem honoravit, unde cuidam ad se accedenti ait, Luc. 18. 19. Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus: & interroganti quodnam majus mandatum esset in lege, Marc. 12. 29. respondit, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est: turbis similiter ait, Joan. 6. 38. Ego de cælo descendi, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem Patris qui misit me: sic quoque docebat discipulos, Joan. 14. 28. Pater meus major me est: & Joan. 5. 23. Qui me honorat, honorat eum qui misit me: Quod si Filius talem se erga Patrem præbet, quid illic est contrarium, ut quis illa Scripturæ loca hoc modo velit intelligere? In primis vero, si Verbum Filius est Patris, quis præter Dei hostes adeo demens sit, ut suspicetur Deum hæc locutum esse, quo suum Verbum calumniaretur & tolleret. Non est hæc Christianorum sententia: absit. Nec enim propter Filium ista scripta sunt, sed ad falsorum deorum, qui ab hominibus ficti sunt, eversionem: idque haud absque recta ratione.

Deus se solum esse Deum ait, non ut Filium, sed ut falsos deos a Divinitate excludat.

8. Quia enim qui falsis diis sunt addicti, a vero Deo recedunt: ideo Deus qui bonus est curamque hominum habet, cum errantes revocat, ait, Ego Deus solus, &, Ego sum, &, Præter me non est Deus, aliaque id genus, cum ut ea quæ nulla sunt exploderet, tum ut omnes ad seipsum converteret. Ac quemadmodum si quis per diem & sole lucente lignum temere pingeret, in quo ne species quidem esset luminis, diceretque hanc imaginem causam esse lucis: quod sol animadvertens si diceret, Ego solus sum lux diei, nec est alia lux præter me: nemo profecto hæc a sole dicta esse arbitraretur, ut suum excluderet splendorem, sed tantum illius erroris tollendi causa, qui in lignea imagine inanisque figuræ dissimilitudine objiceretur: ita similiter dixit Deus, Ego sum, &, Ego solus Deus, &, non est alius præter me, ut homines a falsis diis averteret, indeque discerent verum eum esse Deum. Ceterum cum hæc Deus diceret, ea sine dubio per suum Verbum ipse dicebat, nisi forte hodierni Judæi addant ista Deum minime per suum Verbum locutum fuisse. Verum ita illa dicta sunt, quantumvis furant diabolici viri. Nam Verbum Domini factum est ad Prophetam, hæcque audita sunt. Quod si ejus erat Verbum, ac per ipsum hæc dicebantur, nihilque est quod vel dicat vel faciat Deus, nisi in Verbo: non igitur propter ipsum dicta ista sunt, o Dei hostes, sed propter aliena, & quæ ab ipso non sunt. Etenim, ut in eodem insistamus exemplo, si sol illa verba protulisset, non his utique dictis indicasset se splendorem suum extra se habere, sed potius lumen suum in splendore esse ostendens, errorem illum refellisset. Nec ergo pariter dicta illa sunt ad excludendum Filium, neque propter illum, sed ad confutandum mendacium. Hinc Deus initio mundi nusquam illis est usus vocibus, cum Adamo loqueretur, quamvis Verbum, per quod omnia facta sunt, cum illo esset. Nec enim tum his opus erat, cum nondum idola fuerant inventa. Postea autem quam homines a veritate defecerunt, sibique deos ad arbitrium confinxerunt, tunc ad falsos deos exterminandos verba hujusmodi fuere necessaria. Mihi vero liceat etiam addere, illa ante hæreticorum insaniam dicta esse, ut inde exploratum haberent, eum quem extra Patris naturam Deum fingunt, non esse verum Deum, neque solius primique imaginem & filium.

9. Quocirca etsi Pater solus verus Deus dicitur, non profecto dicitur ad repudiandum eum qui dicit, Joan. 14. 6. Ego sum veritas, sed ad illos rejiciendos qui natura veri non sunt, qualis ipse est Pater ejusque Verbum. Sic enim Dominus ipse statim conjunxit, Joan. 17. 3. Et quem misisti Jesum Christum. Qui si res esset creata, non certe conjunxisset, nec se cum suo creatore numerasset. Quæ enim societas vero cum non vero? Cum igitur se cum Patre conjunxerit, utique hoc facto declaravit se naturæ Patris esse, nosque docuit vere se ex vero Patre esse genitum. Idem docuit Joannes, ut & ipse quoque didicerat, sic in Epistola scribens: 1. Joan. 5. 20. Et sumus in vero, in Filio ejus Jesu Christo: ipse est verus Deus & vita æterna. Cum item Propheta de creatione dicit, Job. 9. 8. Qui solus extendit cælos: cumque Deus ipse ait, Esai. 44. 24. Ego solus cælos extendi; perspicuum sane omnibus est in solo solius quoque Verbum, in quo omnia facta sunt & sine quo factum est nihil, significari. Igitur si per Verbum facti sunt cæli, dicit tamen Deus, Ego solus, sed cum solo intelligitur Filius, per quem facti sunt cæli: similiter ergo etiamsi dicatur, Unus Deus, &, Ego solus, &, Ego primus, in uno, solo & primo simul esse Verbum, ut in luce splendorem, haud dubie est intelligendum: quod quidem de nullo alio præterquam de Verbo intelligi potest. Namque res ceteræ omnes per Filium e nihilo sunt factæ, multumque ab illo natura differunt: ipse autem Filius vere & naturaliter est ex Patre genitus. Hæc proinde verba, Esai. 44. 6. Ego primus, quæ stultis adhibere visum est hæresis propugnandæ causa, ipsorum impietatem magis redarguunt. Ego, inquit Deus, primus & ego postea. Quod si igitur velint eum, inter res se posteriores numerari, earumque primum dici, ut & illæ ipso sint posteriores, inde certe efficiętur ut ipse opera solo tempore antecedat: quod quidem unum omnem superat impietatem. Sin autem hæc verba, Ego primus, protulit, ut se non esse ex aliquo, nec aliquem ante se fuisse, sed se omnium esse principium & causam ostenderet, atque ut Gentilium exploderet fabulas; perspicuum quoque est Filium primogenitum appellari, non quod inter res creatas numeretur, sed ad indicandum omnium creationem & adoptionem per Filium esse effectam. Siquidem quemadmodum Pater primus est, ita & ipse primus est, quatenus nimirum imago primi est, & in eo est primus, ipseque ex Patre est genitus, in quo item omnis natura creata cum creatur tum adoptatur.

Filium & Patrem non voluntate tantum aut consensu, sed natura unum esse contra Arianos astruitur.

10. Verum ista illi propriis commentis conantur dissolvere. Ajunt itaque Filium & Patrem non ita unum & quid simile esse, ut Ecclesia prædicat, sed ut ipsi docent. Quia enim, inquiunt, quæ vult Pater, eadem etiam vult Filius, ejusque cogitationibus & judiciis non adversatur, sed in omnibus plane cum illo con-

consentit, eaque sermonibus suis docet, quæ Patris dogmatis & doctrinæ sunt admodum consentientia: idcirco ipse & Pater unum sunt. Hæc illa sunt quæ nonnulli eorum non tantum dicere, sed etiam scribere ausi sunt, quibus quid, quæso, absurdius & ineptius dici queat? Namque si propterea Pater & Filius unum sunt, hocque modo Patris simile est Verbum, sequitur profecto ut etiam Angeli, aliique nobis superiores spiritus, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, res item aspectabiles, sol, lunaque & stellæ sint filii uti Filius, ac de iisdem dicatur illos & Patrem unum esse, singulosque Dei esse Verbum. Quæ enim vult Deus, eadem & illi volunt, nec ab ejus sententia & judicio dissentiunt, sed in omnibus creatori obediunt. Siquidem in propria gloria non permansissent, nisi quæ Pater voluit, illi quoque voluissent. Hinc ille qui non permansit, sed Esai. 14. 12. mente depravatus est, hæc audivit, *Quomodo cecidit e cælo Lucifer, ille qui mane oriebatur?* Cum igitur tales illi sint, quare solus iste, Filius unigenitus, Verbum & Sapientia est? Vel cur, si tot sunt Patris similes, solus iste imago est? Namque inter ipsos etiam homines multi reperientur qui Patris sint similes, plurimi scilicet Martyres, & ante Martyres, Apostoli & Prophetæ, atque ante istos Patriarchæ. Quin etiam complures quoque hodie Salvatoris man- Luc. 6. 36. datum servant, fiuntque misericordes ut Pater cæle- Ephes. 5. 1. stis, atque hisce monitis obsequuntur, *Estote itaque imitatores Dei sicut filii dilecti: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos:* multi etiam Pauli imitatores effecti sunt ut & ille Christi. Atqui nemo tamen illorum vel Verbum aut Sapientia, vel unigenitus Filius, vel imago est, nec ausus est di- Joan. 10. 30. cere, *Ego & Pater unum sumus*, vel, *Ego in Patre,* Joan. 14. 10. *& Pater in me est:* sed hominum quidem nomine di- Psal. 85. 8. ctum est, *Quis similis tui in diis, Domine*, &, Psal. 88. 7. *Quis similis erit Domino in filiis Dei?* ille autem solus vera & naturalis imago Patris esse dicitur. 1. Cor. 11. 7. Nam tametsi ad imaginem quoque Dei facti fuimus, Deique imago & gloria appellamur, at non nostri causa hujusmodi nomen sumus consecuti, sed propter inhabitantem in nobis imaginem veramque Dei gloriam, quæ ejus Verbum est, quod propter nos caro postea est factum.

11. Cum igitur ex his dilucidum sit adeo ineptam & absurdam esse illorum sententiam, certe similitudo illa & unitas ad Filii naturam est necessario referenda. Nisi enim ita intelligatur, nihil ille supra res factas habiturus est, uti diximus, neque Patris futurus est similis, sed Patris dogmatum duntaxat: imo ab ipso Patre differet, quandoquidem Pater est pater, dogmata autem & doctrina, Patris sunt. Si igitur Filius secundum dogmata & doctrinam Patri est similis: profecto ex illorum sententia Pater solo nomine pater futurus est, nec Filius simillima ejus imago erit: imo nullam plane proprietatem, nullam Patris similitudinem habere videbitur. Quæ enim similitudo vel quæ proprietas Patris in illo esse potest, qui diversus est a Patre? Namque Paulus ipse qui doctrinæ Salvatoris consimilia docebat, similis eidem natura non fuit. Errant igitur qui ita sentiunt: vereque unum sunt Filius & Pater, quemadmodum supra dictum est: atque ita Filius, Patris est similis & ex ipso Patre genitus, qualem videlicet intelligimus & cernimus filium se habere erga patrem, & splendorem erga solem. Quia enim hoc modo se habet Filius, idcirco cum agit Filius, Pater similiter agit, & cum Filius ad Sanctos accedit, Pater quoque ad illos in Filio accedit, ut ipse hisce pollicitus est verbis, *Ego & Pater veniemus, &* Joan. 14. 23. *mansionem apud eum faciemus.* Siquidem pater in imagine cernitur, & in luce splendor existit. Hinc, ut paulo ante diximus, cum Pater dat gratiam & pacem, eamdem pariter dat Filius, uti Paulus in omnibus suis Epistolis significat, dum ita scribit: *Gratia vobis & Pax a Deo patre nostro & Domino Jesu* Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 3. Ephes. 1. 2. &c. *Christo.* Una enim eademque est gratia quæ a Patre in Filio datur, quemadmodum una est lux solis & splendoris, & sol nonnisi per suam lucem illuminat. Sic item Thessalonicensibus precatur: *Ipse autem Deus & Pater noster & Dominus Jesus Christus di-* 1. Thess. 3. 11. *rigat viam nostram ad vos*, quibus verbis Patris & Filii unitatem servavit. Nam non dixit, *dirigant*, quasi duplex gratia a duobus nempe ab illo & illo daretur, sed, *dirigat*, ut illam a Patre per Filium dari significaret: quæ quidem impios cogerent saltem erubescere, nisi erubescere nollent.

12. Namque si non esset unitas, nec Verbum naturæ Patris proprius esset fetus, ut lucis splendor, sed Filius a Patre natura differret, satis certe esset si solus Pater daret, cum nullam rem creatam in dandis gratiis sociam habeat Creator. Quapropter hic dandi modus signum est unitatis Patris & Filii. * Nemo igitur quid a Deo & ab Angelis aut aliqua alia re creata precatus fuerit, nemoque cuiquam dixerit, Det tibi Deus & Angelus: sed quæ precamur, a Patre & Filio precamur, ob eorum unitatem unicamque donationem. Quæ enim dantur, per Filium dantur, nihilque omnino est quod non per Filium efficiat Pater: hincque certa & secura est gratia quam accipimus. Quod si Patriarcha Jacob suis nepotibus Ephraim & Manasse benedicens dixit, *Deus qui* Genes. 48. 15. *pascit me a juventute mea usque in præsentem diem: Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*: nequaquam ex hisce verbis aliquem ex creatis & qui natura sunt Angeli, cum Deo, a quo Verbum Dei, Angelus interdum in Scripturis appellatum. creati sunt, conjunxisse existimandus est, neque Deo altore suo dimisso benedictionem pro nepotibus ab Angelo poposcisse, sed his dictis, *Qui eruit me de cunctis malis*, ostendit non aliquem ex creatis Angelis, sed Dei esse Verbum, quod cum Patre in oratione consociavit, quia per ipsum Deus quos voluerit liberat. Nam cum nescius non es- Esai. 9. 6. set illum magni consilii Angelum Patris vocari, non alium præter ipsum esse significavit, qui & benediceret & de malis erueret. Nec enim arbitrandum est eum voluisse, ut sibi quidem Deus, nepotibus vero Angelus benediceret: sed quem ipse ita rogabat, *Non te di-* Genes. 32. 26. *mittam, nisi mihi benedixeris*, (is porro Deus erat, ut idem testatur: *Vidi Deum facie ad faciem*) eumdem Ibid. v. 30. precabatur ut filiis Joseph benediceret. Proprium Numer. 20. 21. quidem Angeli est Deo imperanti ministrare: hinc- Deuter. 2. 36. que multoties scribitur præivisse ut Amorrhæum Amos 2. 9. expelleret, missusque fuisse ut populum in itinere tueretur. Verum nec ista ejus sunt opera, sed Dei imperantis & mittentis, cujus est liberare quos voluerit: qua de causa non alius quam ipse Dominus Deus illi apparuit & ait: *Ecce ego tecum ero, ad te custodiendum quocumque ieris.* Nec item alius quam ipse Deus apparuit Laban, ejusque cohibuit Genes. 31. 24. insidias, cui & jussit ut ne verbis asperis cum Jacob ageret. Ipse autem Jacob non alium sane quam Deum his verbis invocabat, *Erue me de manu fratris* Genes. 32. 11. *mei Esau, quia eum timeo.* Hæc etiam ad uxores dixit: *Deus non permisit Laban ut mihi noceret.*

13. Non alium quoque præter Deum precabatur David ut se liberaret: *Ad te, Domine, cum* Psal. 119. 1. *affligerer, clamavi, & exaudisti me. Domine, libera*

ani-

* Nemo hæc S. Athanasii verba putet officere Sanctorum invocationi. Namque cum Angelos aut Sanctos invocamus, non ab illis sed a Deo bonorum omnium auctore quæ petimus, ipsis intercedentibus, obtenturos speramus.

animam meam a labiis iniquis & a lingua dolosa. Eidem rursus gratias agens, hæc Psalmi decimi septimi verba cecinit, die qua Dominus eum de manu omnium inimicorum eruit: [Psal. 17. 2.] *Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus*. Paulus etiam multas passus vexationes, non alii quam Deo gratias hoc modo agebat, [2. Cor. 1. 10.] *Ex omnibus eripuit me Dominus, & erepturus est, in quem speravimus*. Nec item alius quam Deus Abrahæ atque Isaac benedixit. Ipse autem Isaac Deum his verbis pro Jacob orabat, [Genes. 28. 3.] *Deus autem meus benedicat tibi, & crescere te faciat atque multiplicet, ut sis in turbas populorum, & det tibi benedictionem Abrahæ patris mei*. Si porro nullius alius quam Dei est benedicere & liberare: si nullus præter ipsum Dominum, Jacob liberavit, quem liberatorem ipse Patriarcha pro nepotibus invocabat: perspicuum inde est eum nullum alium cum Deo in sua oratione conjunxisse præter Verbum, quod idcirco Angelum appellavit, quod solum ipsum Patris impertiat cognitionem. Simile item est quod scribit Apostolus, [Rom. 1. 7.] *Gratia vobis & pax a Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo*. Ita enim tuta erat benedictio cum ob individuam Filii & Patris naturam, tum quia una & eadem erat data gratia Nam licet dederit Pater, quod tamen datur, per Filium datur. Similiter licet Filius dare dicatur, Pater est qui per Filium & in Filio dat. Hinc Apostolus ad Corinthios scribit, *Gratias ago Deo meo semper pro vobis pro Dei gratia, quæ vobis in Christo Jesu est data*. Quin etiam idem istud in luce & splendore animadvertere est. Nam quod lux illuminat, idem quoque splendor illuminat, & vicissim quod splendor illuminat, hoc lux quoque illuminat. Sic Pater videtur, cum videtur Filius, quia ipse Patris est splendor, atque hoc pacto Pater & Filius unum sunt.

[Nulla res creata, causa est efficiens.] 14. Idem autem de factis & creatis rebus nequit dici. Neque enim Patre aliquid efficiente, id etiam Angelus aliquis aut alia res creata efficit, cum nihil horum causa sit efficiens, sed omnes omnino sint res factæ, ab eo, qui solus est, separatæ & disjunctæ, quæ & aliam ab ipso naturam habent, & opera sunt, neque ea quæ Deus efficit, possunt efficere, neque, uti supra dixi, Deo gratiam impertiente, eam cum illo impertire queunt: nec quis, si Angelum videret, se Patrem vidisse recte posset dicere. Nam Angeli, ut [Hebr. 1. 14.] scriptum est, ministratores sunt spiritus ad ministrandum missi, qui dona, quæ ab ipso per Verbum dantur, his annunciant qui ea accipiunt. Hinc ipse apparens Angelus, se a Domino missum esse fatetur, uti Gabriel Zachariæ & Deiparæ Mariæ confessus est. [Maria Θεοτόκος sive Deipara.] Hinc etiam qui Angelum vidit, se Angelum non Deum vidisse novit. Vidit enim Angelum Zacharias, vidit vero Esaias Dominum: Angelum vidit Manue pater Samsonis, Deum autem Moyses intuitus est: Gedeon Angelum aspexit, at Abrahæ Deus ipse apparuit: atque adeo nec qui Deum videbat, is cernebat Angelum: nec qui videbat Angelum, is se Deum videre existimabat. Multum siquidem, imo se totis a Deo creatore res factæ natura differunt. Quod si aliquando apparente Angelo, is, qui spectator erat, Dei audiit vocem, ut in rubo evenit: namque [Exod. 3. 2.] *Angelus Domini e rubo apparuit instar flammæ ignis, & vocavit Dominus Moysem de rubo dicens:* [Ibid. v. 4. 6.] *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob*. Atqui non erat Angelus, Deus Abraham: sed Deus erat qui in Angelo loquebatur: unde quod quidem apparebat, Angelus erat, Deus autem in illo loquebatur. Ut enim in tabernaculo Moysi loquebatur in columna nubis: ita etiam Deus in Angelis loquens apparet; qua quidem ratione cum Jesu filio Nave per Angelum loquebatur. [Josue 1.] Quæ porro loquitur Deus, manifestum est ea illum per Verbum, non vero per alium aliquem loqui. Verbum autem, quod a Patre nec separatum est, nec Patris naturæ dissimile est aut alienum, quicquid efficit, ea ipsa sunt Patris opera, ita ut idem & unum opus efficiat, & quæ dat Filius, Patris sint quoque munera. Qui item vidit Filium, novit se, cum illum vidit, non Angelum, neque aliquem Angelis majorem, neque prorsus rem aliquam creatam vidisse, sed Patrem. Similiter qui Verbum audit, se Patrem audire novit, non secus ac ille qui splendore illuminatus, a sole se illuminari non ignorat.

15. Idcirco enim divina Scriptura nobis hujusmodi exempla suppeditavit, ut rem ita intelligeremus, sicuti supra docuimus. Ex quibus certe cum proditores Judæos confutare, tum Gentilium calumnias facile est refellere, qui, quoniam Trinitatem colimus, multos a nobis deos agnosci ajunt & arbitrantur. [Trinitatem agnoscentes non multitudinem admittimus deum.] Nec enim, ut etiam ex allato exemplo constat, tria principia vel tres partes inducimus, uti Marcionistæ & Manichæi: quandoquidem nec tres soles in exemplum proposuerimus, sed solem & splendorem, unamque lucem ex sole in splendore existentem. Ita unum agnoscimus principium: nec opifici Verbo diversum aliquem divinitatis modum, sed ipsam solius Dei divinitatem attribuimus, eo quod ex ipso natum sit. Verum multo æquius Ariani accusari possint multos vel etiam nullos deos admittere, quippe qui inepte contendant & Filium externum creatumque esse, & Spiritum sanctum e nihilo esse. [Ariana impietas & [illegible] & nullos deos inducere convincitur.] Vel enim Verbum non esse Deum fateantur necesse est: vel si Deum esse, quia id scriptum est, inficiari non audeant, ipsumque velint naturæ Patris esse alienum: planum est multos deos propter diversam illorum naturam ab illis induci, nisi forte Deum illum nonnisi communicatione esse, uti res alias omnes, dicere non vereantur. Verum si hæc illorum est sententia, non minus impii sunt habendi; qui nempe Verbum inter res ceteras collocent; quod absit ut nobis unquam in mentem veniat. Siquidem una est divinitatis forma quæ eadem est quoque in Verbo. Unus, inquam, est Deus Pater, in seipso existens, cum in omnibus est: in Filio autem apparens, cum per res omnes pervadit: itemque in Spiritu, cum in omnibus per Verbum in ipso Spiritu agit. Sic enim unum per Trinitatem Deum esse confitemur: quæ quidem nostra sententia longe melius cum pietate congruit, quam multiformis multiplexque hæreticorum divinitas, cum unam in Trinitate divinitatem propugnemus.

16. Namque si non ita se res habet, sed Verbum e nihilo factum & creatum est: vel ergo non est Deus verus, cum sit una e rebus creatis; vel si Scripturis refragari non audentes, Deum illum appellant, igitur necesse est ut duos deos admittant, unum creatorem, creatum alium, ac duobus proinde dominis serviant, uni non-facto, alii facto & creato, hocque pacto duas habeant fides, unam in verum Deum, aliam in factum ab ipsisque fictum & dictum Deum. Necesse est autem eos adeo obcæcatos a facto recedere, cum non-factum adorant, & vicissim se a creatore avertere, cum ad creatum accedunt. Nec enim hic in illo videri potest, quippe cum alienæ & diversæ sint amborum cum naturæ tum effectus. Si igitur hæc illorum est sententia, complures profecto deos agnoscunt: huc enim devenit eorum impietas qui ab uno Deo desciscunt. [Ariani Gentilibus annumerandi.] Cur ergo Ariani ita sentientes seipsos cum Gentilibus non annumerant, cum ipsi perinde ac Gentiles rei creatæ potius serviant, quam

Deo

Deo omnium creatori? Verum ut credulos & simplices possint circumvenire, nomen quidem Gentilis fugiunt, sed tamen similem occulte tuentur sententiam. Siquidem acutum illud dictum quod usurpare solent, Non confitemur duo non-facta, nonnisi ad simplicium animos in errorem inducendos excogitavere. Nam cum dicunt, Non confitemur duo non-facta, duos utique confitentur deos, qui diversas habeant naturas, hic factam, ille non-factam. Quod si Gentiles uni non-facto & multis factis serviunt, illi autem non facto & uni facto: non eos idcirco a Gentilibus credendum est diffidere. Enimvero hic quem factum dicunt, unus est ex multis: & multi quos Gentiles venerantur, eamdem, ac iste unus, habent naturam, cum & iste & illi similiter sint creati. Miseri sane illi eoque magis quod tam perverse de Christo sentiendo non leve sibi ipsi damnum intulerint, utpote qui a veritate desciverint, & Christum negantes, ipsam Judæorum proditionem sua superarint impietate, ita ut Deo invisi jam cum Gentilibus volutentur, rei creatæ diisque diversis servientes. Unus enim est Deus, non multi; unum item ejus est Verbum, non multa: nam Deus est Verbum, (Joan. 1.) quod & solum paternam speciem habet. Hinc cum talis esset Salvator, Judæos his verbis coarguebat: *Qui misit me Pater, ille testimonium perhibuit de me: neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis, & Verbum ejus non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis.* (Joan. 5. 37.) Bene ille Verbum cum specie conjunxit, ut ostenderet Dei Verbum, imaginem, figuram, & speciem sui Patris esse, Judæosque Verbum ipsum, quod Dei species est, non recepisse, cum eum qui illis loquebatur recipere noluerunt. Hunc ipsum cum vidisset Jacob Patriarcha, benedictus est, & pro Jacob, Israel ab eo est appellatus, quemadmodum divina Scriptura his verbis memorat, *Sol autem ipsi exortus est, quando transivit* * *Speciem Dei*. (Genes. 32. 31.) Hæc porro ille erat qui dicebat, *Qui vidit me, vidit Patrem:* (Joan. 14. 9.) &, *Ego in Patre & Pater in me est:* &, *Ego & Pater unum sumus.* (Joan. 10. 30.) Ita enim Deus unus est, unaque est fides in Patrem & Filium. Quocirca cum Verbum sit Deus, (Deuter. 6. 4.) rursus sequitur ut Dominus Deus noster, Dominus unus sit, quippe qui secundum naturæ proprietatem proprius & individuus sit unius Filius.

(Proponitur & refellitur Arianorum responsio.) 17. Verum nec his frangitur Arianorum impudentia, sed sic illi respondent: „ Non uti vos dicitis, sed ut „ nos volumus. Nam etsi ea quæ a nobis primo fuerant „ excogitata evertistis: attamen recentius aliquid in„ venimus, quod hujusmodi est. Ita scilicet Pater & „ Filius unum sunt, & ita Pater est in Filio, & Filius „ in Patre, quemadmodum nos quoque in illo existi„ mus. Hæc enim in Joannis Euangelio scriptum est, „ ubi Christus hæc pro nobis postulare non est grava„ tus: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quod dedisti* (Joan. 17. 11.) „ *mihi, ut sint unum, sicut & nos.* Et rursus paulo„ post: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis* (Ibid. v. 20.) „ *qui credunt per verbum eorum in me, ut omnes unum* „ *sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in* „ *nobis unum sint: ut mundus credat, quia tu me mi*„ *sisti, & ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis, ut* „ *sint unum, sicut & nos unum sumus, ego in eis & tu* „ *in me, ut sint perfecti in unum, & ut cognoscat mun*„ *dus, quia tu me misisti.* Quibus illi innixi verbis, sic subdole calumniant: „ Si quemadmodum nos in Pa„ tre unum efficimur, ita & ille & Pater unum sunt, „ hocque modo ipse est in Patre; cur vos ex his ejus „ verbis, *Ego & Pater unum sumus*, &, *ego in Pa*„ *tre & Pater in me est*, eum proprium & similem „ naturæ Patris esse concluditis? Siquidem necesse „ est vel nos etiam naturæ Patris proprios esse, vel „ illum alienum esse, sicuti nos alieni sumus. „ En quæ illi effutiunt. Ego vero nihil aliud in tanta illorum perversitate perspicio, præter inconsideratissimam temeritatem diabolicamque dementiam. Videntur enim perinde ac diabolus dicere, In cælum ascendemus, similes altissimo erimus: (Esa. 14. 13.) quippe qui ea, quæ gratis donantur hominibus, donantis divinitati velint esse æqualia. Quia enim homines filios appellari audierunt, se etiam vero & naturali filio æquales esse arbitrati sunt: qui iidem his Salvatoris verbis auditis, *ut sint unum sicut & nos*, se iterum decipiunt, sicque seipsos futuros esse arroganter existimant, ut Filius in Patre & Pater in Filio est: nec attendunt hujusmodi cogitationem causam casus & ruinæ sui patris diaboli fuisse.

18. Itaque, ut sæpe diximus, si Dei Verbum idem ac nos est, nihilque a nobis differt, nisi solo tempore: per me licet, esto nostri similis, eumdemque locum apud Patrem occupet quem nos obtinemus: nec unigenitus, nec solum Verbum vel Patris Sapientia appelletur, sed idem quoque nobis omnibus, utpote similibus, concedatur nomen. Par enim est horum commune esse nomen, quorum una est natura, etiamsi ætate inter se differant. Hinc homo est Adam, homo similiter Paulus, homo item qui modo gignitur: nec intervallis temporum immutari potest natura generis. Quocirca si etiam solo tempore a nobis differt Verbum, necesse omnino est nos similes ejus esse. Verum neque nos Verbum aut Sapientia sumus, neque Verbum creatum est aut factum. Alioquin si omnes ex uno facti sumus, quare ipsum solum est Verbum? Sed si talia eos loqui decet, nos certe illorum impietates vel solum cogitare dedecet. Etsi vero nihil opus est verba illa curiosius expendere, cum tam aperte nihil nisi pium significent, rectaque sit nostra fides: ut tamen inde etiam impios illos esse appareat, age, ex hoc ipso loco breviter, ut a Patribus edocti sumus, eorum hæresim refutare ne gravemur. Mos est divinæ Scripturæ res naturales nominibus in similitudinem & exemplum proponere, ut nimirum ex illis motus hominum, qui ex voluntate oriuntur, fiant manifesti, atque hoc pacto eorum mores vel malos vel bonos esse ostendatur. Hinc malos mores perstringit cum ait, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus:* (Psal. 31. 9.) vel cum eos, qui tales jam sunt effecti, his objurgat verbis: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est cum jumentis intellectu destitutis, & similis factus est illis:* (Psal. 48. 13.) & rursus, *Equi salaces facti sunt.* (Jerem. 5. 8.) Salvator quoque, qualis esset Herodes hisce verbis indicavit, *Dicite vulpi illi.* (Luc. 13. 32.) Hæc item ad discipulos ajebat, *Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ:* quibus utique verbis non nos hortabatur ut pecora, serpentes, vel columbæ natura efficeremur, cum ipse nos tales non fecerit, ac proinde id natura fieri non queat; sed ut ferinos illorum devitaremus impetus, & cognita serpentis prudentia, nos ab ipso non sineremus decipi, ac denique ut columbæ mansuetudinem amplecteremur.

19. Ex rebus similiter divinis exempla hominibus proponit Salvator. *Estote*, inquit, *misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est:* (Luc. 6. 36.) &, *Eritis vos perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est.* (Mat. 5. 48.) Hæc autem dicebat, non ut nos tales efficeremur qualis est Pater: nam id fieri nequit, cum & creati & ex nihilo facti simus. Verum quemadmodum cum ait,

* Sic vertimus, non vero, *Species Dei*. Nam nomen loci est quem pertransivit Jacob oriente sole. In Vulgata legitur, *Phanuel*, & in Hebræo, פְּנוּאֵל, & versu 30. פְּנִיאֵל, id est, Facies sive Species Dei.

Nolite fieri sicut equus, non nos cavere jussit ne jumenta efficeremur, sed ne eorum imitaremur feritatem: ita non ut Dei similes efficeremur, dixit, *Estote misericordes sicut Pater*, sed ut ad ejus beneficia attendentes, quæ agimus bona, non propter homines sed propter ipsum agamus, atque ita ab ipso non ab hominibus mercedem consequamur. Ut enim tametsi unus ipse est natura Filius, verus, & unigenitus, nos tamen filii quoque efficimur, non ut ille quidem re & natura, sed vocantis dumtaxat gratia: ut item quamvis homines terreni simus, dii nihilominus appellamur, non quidem sicut verus Deus ejusque Verbum, sed ut Deo id donanti visum est: ita etiam, sicut Deus, misericordes efficimur, non quidem ipsi Deo exæquati, vel natura & revera benefici facti, cum non nostrum sed Dei sit benefacere; sed ut ea, quæ Deus gratis nobis tribuit, aliis absque delectu impertiamur, in omnesque prorsus beneficentiam extendamus. Siquidem ea tantum ratione, non alia, possumus ejus esse quodammodo imitatores, cum ipsius dona nobis invicem subministramus. Ut igitur ista hoc modo recte & bene intelligantur, sic locus ex Joanne allatus aliud nihil significat. Nec enim ait, ut Filius est in Patre, ita nos in illo esse. Qui enim id fieri queat, cum ille sit Verbum & sapientia Dei, nos autem ex terra formati simus: cum, inquam, ille natura & substantia sit Verbum & Deus verus, uti scribit Joannes, *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, & sumus in vero, in Filio ejus Jesu Christo: hic est verus Deus & vera vita*: nos autem nonnisi adoptione & gratia, ejusdem Spiritus facti participes, filii per ipsum efficiamur? *Quotquot* enim, inquit, *receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus*. Hinc ille quidem est veritas, ut testatur ipse: *Ego sum veritas*, qui idem Patrem alloquens ait: *Pater, sanctifica eos in veritate: Verbum tuum veritas est*: nos vero sola tantum imitatione cum præditi virtute, tum filii efficimur.

Qua ratione misericordes, sicut Deus, esse possimus.

1. Joan. 5. 20.

Joan. 1. 12.

Joan. 14. 6.

Joan. 17. 17.

20. Non ergo ut sui similes efficeremur, ait, *Ut unum sint sicut & nos*, sed ut quemadmodum ille, tamquam Verbum, est in proprio Patre, ita & nos secundum aliquam similitudinem, in ipsumque intuentes, unum inter nos animorum concordia & consensu efficiamur, nec dissideamus ab invicem, ut Corinthii, sed idem omnino sentiamus, ut in Actibus de quinque illis millibus legitur, qui omnes veluti unus erant. Hinc dicitur, ut filii, non ut Filius; & dii, non ut ipse: misericordes ut Pater, non vero ut Pater. Verum ita unum, quemadmodum dictum est, sicut Pater & Filius effecti, non eo modo erimus quo Pater est natura in Filio & Filius in Patre, sed quantum per naturam & vires nobis licet aliquam inde exprimere similitudinem, discereque quanam ratione unum esse debeamus, quemadmodum misericordes esse didicimus. Res enim similes cum similibus unitate quadam copulantur. Hinc universa caro genere conjungitur. At Verbum, nostri est dissimile, Patris vero simile, proindeque natura & revera unum est cum suo Patre. Nos autem, qui ejusdem sumus generis, cum ex uno omnes facti fuerimus, unaque sit omnium hominum natura, unum inter nos caritate efficimur, qua in re Filii & Patris unitas nobis est exemplar. Ut enim, cum mansuetudinem doceret, se ipse in exemplum his verbis proposuit, *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde*, non quidem ut ei exæquaremur, cum id fieri nequeat, sed ut in illum intuentes semper mansueti permaneremus: ita quoque, cum hic vellet veram, firmam & indissolubilem caritatem inter nos esse, se ipse in exemplum proponit, & ait, *ut unum sint sicut & nos*, utque in nobis individua est unitas, sic & illi individuam naturam ex nobis ediscentes, concordiam inter se servent. Tutior autem est illarum rerum imitatio quæ ad ipsam naturam pertinent, uti dictum est. Nam cum illæ perseverent & numquam mutentur, mores autem hominum facile sint mutabiles: sane possumus, ad rem natura immutabilem contuentes, perversa fugere, atque in bonis sectandis nos ipsos optime conformare. Sic enim horum verborum, *Ut & ipsi in nobis unum sint*, recta omnino est sententia.

Act. 4. 32.

Matth. 11. 29.

21. Si igitur fieri posset ut nos eo modo in Patre essemus quo ipse est Filius; dicendum fuisset, Ut & illi in te unum sint, quemadmodum Filius est in Patre. Atqui hoc nequaquam dixit, sed cum ait, *in nobis*, discrimen & differentiam rei indicavit, ipsum nempe in solo Patre ut solum Verbum & Sapientiam esse, nos vero in Filio, & per ipsum in Patre esse. Quibus utique dictis nihil aliud voluit significare quam hujusmodi sententiam: Ita illi nostra unitate unum sint inter se, ut nos natura & revera unum sumus: non possunt autem unum inter se esse, nisi in nobis discant unitatem. Hanc porro nostram expositionem Paulus his verbis confirmat: *Hæc autem transfiguravi in me & Apollo, ut in nobis discatis non supra quod scriptum est inflari*. 1. Cor. 4. 6.
Illa ergo dictione, *in nobis*, minime significatur nos esse in Patre, quemadmodum in ipso est Filius, sed exemplum & specimen proponitur, idemque est ac si diceretur: Ex nobis discant. Ut enim Paulus Corinthiis, sic Patris & Filii unitas norma est omnibus & regula, juxta quam, naturalem Patris & Filii unitatem contemplantes, possunt discere, quonam & ipsi modo unum inter se esse animorum consensu debeant. Quod si etiam aliter hunc Scripturæ locum defendere oporteat, hæ voces, *in nobis*, idem valent ac si diceretur, virtute Patris & Filii ut unum fiant, idipsum dicentes. 1. Cor. 1. 10.
Id enim sine Deo fieri nullo modo potest. Hanc autem interpretationem possumus aliis Scripturæ locis comprobare, istis, exempli causa, *In Deo faciemus virtutem*. &, *In Deo transgrediar murum*, &, *In te inimicos nostros ventilabimus cornu*. Claram est igitur nos in nomine Patris & Filii unum effectos, firmum caritatis vinculum habere posse. Hinc Dominus eandem dilatans sententiam, ait: *Et ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis ut sint unum, sicut & nos unum sumus*. Apposite hic quoque non dixit, ut sint in te sicuti ego sum, sed, *sicut nos sumus*, qua quidem particula, *sicut*, aperte ostendit non identitatem, ut ita loquar, significari, sed imaginem & exemplar proponi.

Psal. 59. 14.

Psal. 17. 30.

Psal. 43. 6.

Joan. 17. 22.

22. Itaque Verbum quidem vere eamdem naturam habet ac Pater: nobis autem id dumtaxat licet imitari, sicuti dictum est: unde continuo subjunxit, *Ego in eis & tu in me, ut sint perfecti in unum*. Quibus verbis majus & perfectius aliquid pro nobis poscit. Constat enim Verbum in nobis factum esse, quippe cum nostrum induerit corpus. *Et tu in me, Pater*: siquidem tuum ego sum Verbum, & proinde cum tu in me sis quia tuum sum Verbum: cum item sim in illis, propter corpus, cumque propter te in me hominum salus perfecta fuerit, rogo ut & ipsi unum fiant, corporis scilicet quod in me est ejusque perfectionis communione, quo & ipsi unitatem cum eo habentes, unumque in ipso effecti, perfecti redduntur, ut omnes a me veluti gestati unum sint corpus & unus spiritus, occurrantque in virum perfectum. Ephes. 4. 13.
Omnes enim ipsius facti participes unum efficimur corpus, qui nempe unum Dominum in nobis ipsis habemus. Cum igi-

igitur ea sit vera hujusce loci Scripturæ interpretatio, magis profecto inde redarguitur hæretica Christi hostium sententia. Nam, ut quæ fuse a nobis sunt dicta, breviter repetam, si simpliciter & absolute dixisset, Ut sint in te unum, vel, Ut ipsi & ego in te unum simus, aliquam saltem ex hujusmodi verbis causam habuissent, quam & absque pudore potuissent proferre. Verum non ita locutus est, sed hæc sunt ejus verba: *sicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut omnes unum sint*. Qua particula, *sicut*, procul illos abesse significat a modo quo ipse est in Patre, procul, inquam, non loco, sed natura. Siquidem nihil loco procul est a Deo: sed sola natura procul ab ipso sunt res universæ. Quocirca ut supra docui, particula, *sicut*, non identitatem vel æqualitatem significat, sed nota est alicujus similitudinis cum re de qua agitur.

23. Quin-etiam idem discere possumus ex his Salvatoris verbis, *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti*

Mat. 12.40.

tribus diebus & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ. Neque enim Jonas talis fuit qualis Salvator: neque Jonas in infernum descendit, neque cetus fuit infernus: præterea neque absorptus Jonas eos quos cetus absorpserat reduxit, sed solus ex ceto, Deo jubente, egressus est. Non ergo identitatem aut æqualitatem, sed aliud & aliud particula, *sicut*, significat, similitudinemque dumtaxat aliquam ob illud triduum denotat. Nec igitur ex hac Domini voce, *sicut*, intelligendum est nos ita esse posse, ut est Filius in Patre, & Pater in Filio. Nos enim, sicut Pater & Filius, unum efficimur sententiarum & animorum concordia: Salvator vero sicut Jonas erit in terra. Sed ut Jonas Salvator non fuit, sic nec Salvator, quemadmodum absorptus est Jonas, ita ad inferos descendit: sed res omnium diversa est. Sic atiam tametsi nos unum efficimur sicut Filius est in Patre, tamen non tales futuri sumus qualis est Filius, neque pares illi erimus: aliud quippe & aliud sumus. Quocirca particula, *sicut*, hic ubi de nobis sermo habetur, usus est, quia res natura diversæ cum ad aliquid aliud referuntur, fiunt sicut illud. Quamobrem ipse quidem Filius absolute, nullaque addita conjunctione, in Patre esse dicitur, quia hoc illi ex natura est: nos autem qui id ex natura non habemus, imagine & exemplo indigemus ut de nobis dicat, *Sicut tu in me & ego in*

Joan. 17.21.

te. Cum autem, inquit, illi ita perfecti fuerint, tunc cognoscet mundus quia tu me misisti. Nisi enim venissem & eorum corpus gestassem, nullus sane illorum perfectus fuisset: sed omnes corrupti permansissent. Operare ergo in illis, Pater & sicut mihi hoc corpus gestandum dedisti, tuum illis impertire Spiritum, ut in illo unum fiant, & in me perfecti evadant. Nam illorum perfectio argumento est Verbum tuum advenisse: ita ut mundus eos perfectos Deoque plenos videns, omnino crediturus sit me a te missum esse & advenisse. Unde enim illis perfectio accedere posset, nisi ego tuum Verbum, ipsorum corpore assumto, homo essem factus, & opus quod mihi dedisti, Pater, perfecissem? Opus autem perfectum est, quia homines a peccato redemti, jam amplius mortui non manent, sed divini affecti, in nos intuentes, vinculum mutuæ inter se caritatis in nobis habent.

24. Nos itaque, quatenus allata Scripturæ verba licuit simplicius perpendere, hæc fuse disseruimus. Beatus autem Joannes breviter & longe nobis accuratius quæ sit illius loci sententia, ax Epistola sua declaraturus est, qua & pravam impiorum interpretationem refutabit, & simul docebit, quomodo nos in Deo esse possumus, & Deus in nobis: quo item pacto nos unum in ipso efficimur, & quantum Filius natura a nobis differat; tandemque Arianos coercebit, quominus amplius sperent se ut Filium futuros aliquando esse, ne ipsos quoque hæc verba respiciant, *Tu autem homo es & non Deus*: &, *Ne tu, qui pauper es, te Diviti æquaveris*. Hæc sunt ergo quæ scribit Joannes: *In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis*. Itaque propter Spiritus gratiam, quæ nobis data est, & nos in illo sumus, & ille est in nobis: ac proinde cum Dei ille Spiritus sit, idcirco quando ille in nobis adest, nos, qui eumdem Spiritum habemus, jure merito in Deo esse axistimamur: eaque ratione Deus est in nobis. Non igitur ut est Filius in Patre, ita & nos in Patre sumus. Namque Filius non fit Spiritus particeps ut sit in Patre, neque ipse Spiritum accipit, sed eum potius omnibus impertit. Nec item Spiritus Verbum cum Patre conjungit, sed potius Spiritus hoc a Verbo accipit. Denique Filius in Patre est tanquam proprium ejus Verbum & splendor: nos autem, si quidem absit Spiritus, alieni & procul a Deo sumus; sed Spiritus participes effecti, cum ipsa conjungimur divinitate, ac proinde non nostrum est nos esse in Patre, sed Spiritus qui in nobis est & in nobis manet, quamdiu scilicet eum in nobis confessione servabimus, ut idem Joannes his verbis docet: *Quisquis confessus fuerit Jesum esse Filium Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo*. Quæ ergo nobis similitudo vel æqualitas est cum Filio? Vel potius an non undique maximeque a Joanne convincuntur Ariani, aliter Filium in Patre esse, & aliter nos in eodem esse, neque nos unquam sicut illum futuros, neque Verbum sicut nos esse, nisi forte, ut mos illis est, hic quoque temere contendant etiam Filium ipsum, nonnisi Spiritus participem effectum, & recta factis meruisse ut in Patre esset, quod certe vel solum cogitari absque summa impietate non potest. Namque, ut dictum est, ipse dat Spiritui, & quæcumque Spiritus habet, hæc a Verbo habet.

Ezech. 28.2. Prov. 23.(?)

1. Joan. 4.13.

Quomodo nos in Deo sumus, & Deus in nobis est.

Verbum non per Spiritum conjungitur cum Patre, sed potius Spiritus ipsum habet a Verbo.

1. Joan. 4.15.

Quæcumque habet Spiritus, hæc a Verbo habet.

25. Cum igitur de nobis dixit Salvator, *Sicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*, non nos eosdem ac seipsum fore significavit, ut ex Jonæ exemplo probavimus; sed est postulatio qua Patrem precatur, uti scribit Joannes, ut Spiritum per se impertiat credentibus, per quem videmur & in Deo esse, & per eumdem in ipso conjungi. Quia enim Verbum est in Patre, & Spiritus ex Verbo datur, nos idcirco Spiritum cupit accipere, ut cum eum acceperimus, tunc Spiritum Verbi in Patre existentis habentes, etiam nos ipsi per Spiritum, unum in Verbo & per Verbum in Patre effecti essa videamur. Id autem quod ait, *ut nos*, nihil aliud indicat quam, ut hujusmodi Spiritus gratia in discipulos infusa, stabilis & irrevocabilis reddatur. Nempe, ut supra explicavi, id quod Verbo in Patre natura inest, hoc nobis per Spiritum ita vult dari ut sit irrevocabile. Quod cum non ignoraret Apostolus, ait, *Quis nos separabit a caritate Christi? Nam Dei dona & gratia vocationis* * *irrevocabilia sunt*. Itaque Spiritus est qui in Deo existit, non autem nos secundum nos. Unde quemadmodum filii & dii efficimur ob Verbum quod in nobis habemus: ita in Filio & in Patre erimus, unumque in iisdem effecti esse existimabimur, propterea quod in nobis sit Spiritus qui in Verbo est, quod ipsum Verbum est in Patre. Quocirca cum aliquis vitio aliquo a Spiritu defecerit, illa quidem gratia apud eos qui voluerint irrevocabilis permanet,

Joan. 17.20.

Rom. 8.35.

Rom. 11.29.

Gratia peccato amittitur, sed pœnitentia recuperatur.

* Ita commode vertimus. Vulgata habet, *Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei*, id est, ejusmodi sunt, ut Deum non pœniteat illa dedisse, nec ea revocet, quod idem omnino est.

net, si modo ipsos postquam ceciderint pœniteat: verumtamen ille qui cecidit non amplius in Deo est, eo quod sanctus & paracletus Spiritus, qui in Deo est, ab ipso recesserit; sed hujusmodi peccator in illo erit cui sese ipse subjecit, quod utique Sauli evenit, [1. Reg. 16. 14.] a quo nimirum discessit Dei Spiritus, quemque malus spiritus vexavit. Profecto his auditis erubescere deberent Dei hostes, nec se amplius Deo æquales fingere. Verum nec intelligunt; nam, *Impius*, inquit, [Prov. 29. 7.] *scientiam non intelligit*: nec pios illi perferunt sermones, sed vel solo auditu ipsis sunt graves.

[Alia Arianorum objectio proponitur & refellitur.] 26. Ecce enim illi veluti impietatibus nusquam defessi, sed non secus ac Pharao indurati, humana Salvatoris acta in Evangeliis cernentes & audientes, Samosatensem imitati, paternæ Filii divinitatis penitus obliti sunt, temerariaque lingua fidentes, hæc rursus objiciunt: „ Qui fieri potest, „ inquiunt, ut Filius sit natura ex Patre, vel Patri „ secundum naturam similis, cum ipse dicat, [Matt. 28. 18.] *Da-* „ *to est mihi omnis potestas*; &, [Joan. 5. 22.] *Pater neminem ju-* „ *dicat, sed omne judicium dedit Filio*; &, [Joan. 3. 35.] *Pater di-* „ *ligit Filium & omnia tradidit in manu ejus. Qui* „ *credit in Filium, habet vitam æternam*. Et iterum: [Luc. 10. 22.] „ *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: & nemo* „ *novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius re-* „ *velare*. & rursus, [Joan. 6. 37.] *Omne quod dedit mihi Pater, ad* „ *me veniet*. Tum ita ratiocinantur: Si talis na- „ tura esset Filius, qualem vos affirmatis, nequaquam „ illi opus fuisset ista accipere, sed ea natura ut filius „ habuisset. Qui item naturalis & vera Patris virtus „ esse potest is qui, ubi patiendi tempus advenit, [Joan. 12. 27.] „ ait, *Nunc anima mea turbata est: & quid dicam?* „ *Pater, serva me ex hac hora: sed propterea veni in* „ *horam hanc. Pater, glorifica nomen tuum. Venit er-* „ *go vox de cælo, Et glorificavi, & iterum glorifi-* [Matth. 26. 39.] „ *cabo*. similia rursus alibi profert: *Pater, si fieri* „ *potest, transeat calix iste*. &, [Joan. 13. 21.] *Cum hæc dixisset Jesus* „ *turbatus est spiritu, & contestatus est, & dixit,* „ *Amen, amen dico vobis, unus ex vobis me traditurus* „ *est*. Ex quibus ita perversi concludunt: Si virtus ille „ sive potentia fuisset, non profecto timuisset, sed „ ipse potius aliis vim & potentiam præbuisset. Ad- „ dunt item: Si natura vera & propria Patris sapien- [Luc. 2. 52.] „ tia erat, cur igitur scriptum est, *Et Jesus proficie-* „ *bat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homi-* [Mat. 16. 13.] „ *nes*: idemque cum venisset in partes Cæsareæ Phi- „ lippi, interrogavit discipulos quem se esse dice- „ rent homines: cum item in Bethaniam advenisset, [Joan. 11. 34.] „ sciscitatus est ubinam jaceret Lazarus: prætere a di- [Marc. 6. 38.] „ scipulis ait, *Quot panes habetis?* Qui igitur, inqui- „ unt, fieri potest, ut ille sit sapientia, qui in sapien- „ tia proficit, & ea nescit quæ ab aliis optat discere? „ Id etiam iidem dicunt: Qui potest ille proprium „ Patris Verbum esse, sine quo non fuit aliquando „ Pater, & per quod omnia efficit, ut vestra est sen- [Mat. 27. 46.] „ tentia, qui in cruce clamabat, *Deus meus, Deus* „ *meus, quare dereliquisti me?* Sic etiam precatus e- [Joan. 12. 28. Ibid. 17. 5.] „ rat, *Glorifica nomen tuum*: &, *Glorifica me, Pater* „ *gloria quam habui apud te, priusquam mundus fieret*. „ Precatus item est in solitudine, discipulosque est hor- „ tatus ad orandum, ne intrarent in tentationem. Et, [Mat. 26. 41. Marc. 13. 32.] „ *Spiritus quidem*, ajebat, *promptus est, caro autem infir-* „ *ma*. &, *De die & hora illa nemo novit neq. Angeli, neq.* „ *Filius*. Ex quibus locis ita improbi argumentantur: „ Si, ut vos putatis, semper Filius apud Patrem exsti- „ tisset, diem illum minime ignoraret, sed tanquam „ Verbum cognosceret: nec item a Patre derelinquere- „ tur, qui una cum ipso existeret, nec gloriam postula- „ ret, quam in Patre haberet, nec denique prorsus pre- „ caretur, quippe qui, ut Verbum, nulla omnino re in- „ digeret. Verum quia & creatus erat & una e rebus „ factis, hinc ita loquebatur, hisque indigebat quæ „ non ipse habebat. Siquidem rerum creatarum „ proprium est his indigere quæ non habent. „

27. Hæc igitur sunt quæ impii insaniendo proferunt. Qui quidem, cum res hujusmodi cogitent, possent etiam audacius interrogare, Quare omnino Verbum caro factum sit, tumque subjungere: Quomodo enim ille qui Deus erat, homo potuit fieri? Vel quomodo ille qui corporis expers est, corpus potuit gestare? Imo quin Judæos potius imitentur & cum Caipha clament, Cur Christus, qui homo est, se ipsum Deum facit? [Joan. 10. 33.] his enim & similibus sermonibus Judæi olim obstrepebant, cum hæc viderent, quæ nunc Ariani legentes, nolunt credere, sed ad blasphemias delapsi sunt. [Ariani cum Judæis non insolenter comparantur.] Si quis igitur Judæorum & Arianorum verba inter se velit conferre, is facile perspiciet illos in eamdem omnino infidelitatem incurrere, paremque eorum impietatem & audaciam, ac communem illis contra nos esse pugnam. Nam Judæi quidem ajebant: Qui fieri potest ut ille qui homo est, Deus sit? Ariani vero: Si Deus verus est ex Deo, quo pacto potuit fieri homo? Judæi præterea scandalum patiebantur, hujusmodique cavillabantur verbis: Si Filius Dei esset iste, crucem non tolerasset. Ex adversa autem parte Ariani hæc nos interrogant: Quare asseverare audetis illum proprium naturæ Patris Verbum esse qui corpus quod pati possit habet? Judæi item Dominum necandum quærebant, quod Deum, suum esse patrem diceret, eique se parem faceret, cum se ea agere quæ ille agit testaretur. Eadem quoque est Arianorum doctrina, illum nempe neque parem esse Deo, neque Deum proprium ac naturalem Verbi patrem esse: quin etiam illos, qui ita sentiunt, ad necem perquirunt. Insuper is erat etiam Judæorum sermo: *Nonne hic est Filius Joseph, cujus nos* [Joan. 6. 42.] *patrem & matrem novimus? Quomodo igitur dicit,* [Ibid. 8. 58.] *priusquam Abraham fieret, ego sum, & de cælo descenди?* Judæis consentiunt Ariani, atque ista pariter decantant: Qui fieri potest ut ille sit Verbum vel Deus, qui dormit, ut homo, qui flet & interrogat? Scilicet utrique humanas propter affectiones, quibus pro carnis, quam induit, conditione se subjecit Salvator, Verbi proprietatem & divinitatem rejiciunt.

28. Cum igitur stulta ejusmodi doctrina tota sit Judaica, atque ex proditore Juda exorta; vel ergo palam illi fateantur se Caiphæ & Herodis discipulos esse, nec Judaismum Christianismi titulo occultent, sed corporeum Salvatoris adventum penitus, ut supra diximus, negent: ea enim est propria illorum hæresis sententia: vel si, tum ut Constantio non displiceant, tum illorum gratia quos deceperunt, Judæorum ritus palam amplecti & circumcidi non audent, desinant ergo eadem ac Judæos loqui. Convenit enim eos ab illorum mente discedere, quorum nomen refugiunt. Enimvero nos Christiani sumus, o Ariani, nos, inquam, Christiani sumus, propriumque nostrum est Evangelia de Salvatore recte intelligere, non autem eum cum Judæis lapidibus percutere, si ipsum de sua divinitate & æternitate loquentem audiamus, neque scandalum vobiscum pati, ob humilia verba quibus ut homo utitur. Quapropter si vos Christiani quoque esse optatis, Arii insaniam deponite, vestrasque aures impiis maledictis sordidatas, piis abluite sermonibus, exploratumque sit vobis statim atque Ariani esse destiteritis, Judæorum quoque perversitatem dimissuros, foreque ut tenebris dissipatis lux veritatis vobis continuo affulgeat, nec nos jam amplius calumniaturi sitis, quasi duo æterna agnoscamus: vos quippe ipsi intelligetis Dominum verum & naturalem Dei Filium esse, nec tantummodo æternum esse

se

se agnosci, sed etiam simul cum æternitate Patris existere. Alia siquidem sunt quæ æterna quoque dicuntur, quorum tamen ipse effector est: nam Psalmo vigesimo tertio scriptum est, [*Psal. 23. 7.*] *Tollite portas, principes, vestras, & elevamini portæ æternæ*. Verum est autem hæc ab illo facta esse: quapropter si ille rerum æternarum opifex est, quis nostrum jam in dubium vocaverit ipsum esse ante res hujusmodi æternas? At vero non tam ob æternitatem cognoscitur Dominus, quam quod Dei Filius est. Quia enim est Filius, hinc a Patre separabilis non est, neque fuit unquam cum non esset, sed semper fuit, cumque sit imago & splendor Patris, æternitatem quoque Patris possidet. Itaque qua quidem ratione convicti fuerint male illa Scripturæ loca intelligere quæ obtendebant, ex his quæ supra paucis disputata sunt disci potest: quod autem etiam ea, quæ nunc ex Euangeliis opponunt, futilia admodum ac levia sint, facile perspicere est, si in primis quis sit Christianæ fidei scopus perceperimus, eoque tamquam regula utentes, lectioni Scripturæ divinitus inspiratæ, ut monet Apostolus, attenderimus. [*2. Timot. 4. 14.*] Hunc enim cum ignorarent Dei hostes, a via veritatis aberravere, [*Rom. 9. 32.*] & in lapidem offensionis offendere, ea sapientes quæ sapere non oportet.

[Quid Scriptura sacra de Christo Domino doceat.]

29. Hic igitur scopus & character est sanctæ Scripturæ, uti sæpe diximus, nempe ut duo de Salvatore demonstret, illum scilicet Deum semper fuisse, & Filium esse, quippe cum sit Patris Verbum, splendorque & sapientia, ipsumque postea propter nos, carne ex Virgine Deipara * Maria assumta, hominem factum esse. [Maria Θεοτόκος sive Deipara.] Atque hunc quidem scopum per universam divinitus inspiratam Scripturam inculcari deprehendere est, quemadmodum testatur ipse Dominus his verbis: [*Joan. 5. 39.*] *Scrutamini Scripturas, quia illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*. Verum ne, omnia loca adducendo, multus hac in re probanda videar, ea, quæ sequuntur, vice omnium afferre satis fuerit. Hæc igitur sunt Joannis verba: [*Joan. 1. 1.*] *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Deinde: [*Joan. 1. 14.*] *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*. Paulus autem ita scribit: [*Philip. 2. 6.*] *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, forma servi accepta, in similitudinem hominum factus, & figura inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Ex his porro, si quis eadem ratione universam Scripturam perlustrare voluerit, clare percipiet quare initio Pater illi dixit: [*Genes. 1. vers. 3. 6. 26.*] *Fiat lux*, &, *Fiat firmamentum*, & *Faciamus hominem*: cur item eum in fine sæculorum in mundum miserit, [*Joan. 3. 17.*] non ut mundum judicaret, sed ut mundus per ipsum salvus fieret: similiter cur scriptum sit: [*Matth. 1. 23.*] *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus*.

30. Qui igitur divinam Scripturam legerit, discat quidem verba ex vetere Testamento, sed ex Euangelio attendat Dominum hominem factum esse. Nam, *Verbum*, inquit, *caro factum est, & habitavit in nobis*. Homo, inquam, factus est, non autem in hominem venit. [Verbum non in hominem venit, sed homo factus est.] Id enim scire etiam necesse est, ne forte in hujusmodi sententiam deflectentes impii, aliquos decipiant, illique existiment, quemadmodum olim Verbum in unumquemque Sanctorum descendit, ita etiam in hominem venisse, ut eum sanctum redderet, & in ipso appareret, uti in aliis contigit. Si enim ita se res haberet, & in homine tantummodo apparuisset: nihil sane esset quod admirationem posset movere, nec qui eum videbant, obstupefacti dixissent: [*Joan. 19. 9.*] Undenam iste est? &, [*Joan. 10. 33.*] Cur tu homo cum sis, teipsum facis Deum? Audire siquidem illi consueverant, Factum est Verbum Domini ad singulos Prophetas. Nunc autem postquam Dei Verbum, per quod omnia facta sunt, etiam filius hominis fieri non renuit, seque ipsum humiliavit, servi forma accepta: idcirco crux Christi Judæis est scandalum, [*1. Cor. 1. 24.*] nobis autem Christus Dei virtus & Dei sapientia est. Nam *Verbum*, ut ait Joannes, *caro factum est*. [*Joan. 1.*] Siquidem mos est Scripturæ sacræ hominem carnem appellare. Hinc apud Joelem Prophetam dicitur: [*Joel. 2. 28.*] *Effundam de spiritu meo in omnem carnem*. Item Daniel Astyagi dixit: [*Daniel. 14. 4.*] *Ego idola manufacta non colo, sed Deum viventem, qui cælum & terram creavit, & in omnem carnem dominatum habet*. Hic enim, ut & Joel, hominum genus carnis nomine significat.

31. Olim igitur ad singulos Sanctos factum est Verbum, eosque, qui ipsum digne susceperunt, effecit sanctos: nec tamen cum illi nascerentur, dictum est ipsum hominem factum esse, nec cum paterentur, passum esse. Cum autem in fine sæculorum ad destruendum peccatum ex Maria prodiit, (ita enim Patri visum est suum mittere Filium factum ex muliere, factum sub lege) [*Galat. 4. 4.*] tunc dictum est ipsum carne assumta hominem factum esse, atque pro nobis in ea esse passum, ut ait Petrus: [*1. Petri 4. 1.*] *Christo igitur pro nobis passo in carne*, ut scilicet planum fieret, omnesque crederemus eum ipsum, qui semper Deus fuit, & eos, ad quos accessit, sanctos effecit, omniaque juxta Patris voluntatem administrat, ** propter nos hominem postea factum fuisse, atque, ut loquitur Apostolus, divinitatem corporaliter in carne habitasse, [*Coloss. 2. 9.*] quod idem est ac si diceret, cum Deus esset, proprium habuit corpus, quo ut instrumento utens, homo propter nos factus est. [Cur quæ carnis propria sunt, Verbo attribuantur.] Hinc quæ carnis sunt propria, illi attribuuntur, quia nempe in ea existebat: sic ergo dicitur esurire, sitire, pati, laborare, & similia quæ ad carnem pertinent. At quæ propria Verbi erant opera, ut mortuos ad vitam revocare, cæcis visum restituere, hæmorrhoissam sanare, per proprium præstabat corpus. Proinde Verbum proprias carnis infirmitates portabat, quia caro sua erat: & vicissim caro divinitatis operibus faciendis inserviebat, quia in illa erat, quippe quæ Dei corpus esset. Apte autem Propheta voce, *portavit*, usus est, [*Esai. 53. 4. Matth. 8. 17.*] nec dixit, Infirmitates nostras sanavit, ne extra corpus esse, illudque dumtaxat sanare, uti semper fecit, videretur, atque iterum homines morti obnoxios relinqueret. Verum nostras infirmitates no-

* Hoc loco hæc sunt Cyrilli notanda verba: ὁ τῆς ἀοιδίμου μνήμης πατὴρ ἡμῶν Ἀθανάσιος τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας κοσμήσας τὸν θρόνον ἐφ' ὅλοις ἔτεσι τεσσαράκοντα καὶ ἓξ τοῖς [illegible], καὶ ταῖς τῶν ἀνοσίων αἱρετικῶν εὑρεσιλογίαις ἀνάλωτόν τινα καὶ ἀποστολικὴν ἀντεξάγων σύνεσιν, καὶ τὴν οἰκουμένην [illegible] τοῖς ἰδίοις συγγράμμασι [illegible], καὶ ἐπ' ὀρθότητι τῆς ἐνθέου δογμάτων παρὰ πάντων μαρτυρούμενος, τὸ περὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος συντεθεικὼς βιβλίον, ἐν τῷ τρίτῳ λόγῳ, ἄνω τε καὶ κάτω Θεοτόκον ἀποκαλεῖ τὴν ἁγίαν παρθένον. Id est, *Percelebris memoriæ pater noster Athanasius, qui totos sex & quadraginta annos Ecclesiæ Alexandrinæ sedem ornavit, quique ineptis impiorum hæreticorum commentis invictam planeque apostolicam opposuit sapientiam, ac suis libris, veluti unguento fragrantissimo, totum orbem recreavit, cujus tum rectam doctrinam, tum in dogmatis pietatem testantur omnes, de sancta & consubstantiali Trinitate librum nobis composuit, in cujus tertia Oratione supra infraque Deiparam appellat sanctam Virginem*. Hæc ille, qui deinde Athanasii refert verba.

** Hic locus exstat in Concilio Lateranensi sub Martino I. tom. VI. Concilior. pag. 905. diciturque esse ἐκ τοῦ κατὰ Ἀρειανῶν λόγου γ'. *ex Oratione tertia contra Arianos*.

ſtraque peccata ipſe portat, ut omnibus evidens ſit & hominem propter nos eum eſſe factum, & corpus, quod in illo noſtra peccata portabat, proprium ipſius eſſe. Nihil autem ei nocuit peccata noſtra ſuo corpore in lignum tuliſſe, ut ait Petrus: at nos homines propriis affectionibus liberati ſumus, & Verbi juſtitia repleti.

1. Petri 2. 24.

32. Hinc cum caro pateretur, extra eam non erat Verbum, quæ cauſa eſt cur ejus eſſe paſſio dicatur. Cum item ipſe Patris opera divine efficeret, extra ipſum non erat caro, ſed in ipſo corpore hæc efficiebat Dominus. Idcirco enim factus homo ajebat: *Si Patris mei opera non facio, mihi credere nolite: ſin autem facio, ſi mihi credere nolitis, operibus ſaltem credite, ut cognoſcatis Patrem in me eſſe, & me in illo.* Certe cum opus fuit ſocrum Petri febri laborantem curare, humano quidem more manum extendit, ſed morbum divinitus repreſſit. Similiter cum cæcum natum ſanavit, humanum ſputum e carne emiſit, ſed per lutum oculos ejus divine aperuit. In Lazaro quoque e mortuis excitando humanam quidem vocem, ut homo, edidit: ſed divine, ut Deus, Lazarum ad vitam revocavit. Hæc autem idcirco ita palam fiebant, quod non ſpecie ſed revera corpus haberet. Nempe decebat Dominum, humanam carnem induentem, totam eam cum propriis affectionibus induere, ut quemadmodum proprium ejus eſſe corpus dicimus, ita etiam corporis affectiones, ejuſdem ſolum propriæ eſſe dicerentur, tametſi ejus non attingebant divinitatem. Itaque ſi alterius eſſet corpus, illius etiam eſſe affectiones dicerentur: ſed ſi Verbi caro eſt (*Verbum enim caro factum eſt*) neceſſe eſt carnis affectiones illius dici cujus ipſa caro eſt. Cujus porro dicuntur affectiones, quales in primis ſunt, condemnari, flagellis cædi, ſitire, cruci affigi, mori, aliæque corporis infirmitates, ejuſdem quoque ſunt tum præclare geſta tum gratia. Eam igitur ob rem congruenter & convenienter hujuſmodi affectiones non alterius, ſed Domini eſſe dicuntur, ut & gratia ab illo ſit, & nullius alius, ſed vere Dei cultores eſſemus, quippe qui nullam e rebus factis nec vulgarem aliquem hominem, ſed verum & natura ex Deo genitum Filium invocemus, qui idem tamen factus eſt homo, nihilominus & Dominus & Deus & Salvator eſt.

Joan. 10. 37. — Matth. 8. 14. — Vide pag. 300. — Humanam carnem cum ſuis affectionibus eſſe ſumpſit Dominus. — Joan. 1. 14.

33. Cui porro id admirabile non videbitur, vel quis rem vere divinam eſſe non conſenſerit? Niſi enim divinitatis Verbi opera per corpus eſſent facta, nunquam homo divinus effectus fuiſſet: & viciſſim niſi quæ carnis propria ſunt, Verbi eſſe dicerentur, ab his homo non penitus fuiſſet liberatus. Verum ſi ad aliquod tempus, ut ſupra dixi, ceſſaſſent, rurſus tamen in homine peccatum & corruptio remanſiſſet, uti antea contigit hominibus: neque id probatu eſt difficile. * Multi nempe ſancti & ab omni peccato puri extitere: quin etiam Jeremias ab utero ſanctus eſt effectus, & Joannes cum in matris utero adhuc geſtaretur, ad Deiparæ Mariæ vocem lætitia exultavit. Verumtamen *regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſem, etiam in eos, qui non peccaverunt, in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, atque ita homines nihilominus mortales & corrupti propriiſque naturæ affectionibus ſubjecti permanſere. Jam vero poſtquam Verbum homo factus eſt, & quæ carnis ſunt, propria ſibi eſſe voluit, hæc non amplius corpus ſtringunt, ob Verbum quod in ipſo factum eſt, ſed conſumta ab illo ſunt, nec jam homines ſuas propter affectiones peccatores & mortui manent, ſed Verbi virtute reviviſcentes, immortales atque incorrupti perpetuo durant. ** Quocirca cum caro ex Deipara Maria naſcitur, ipſe tamen natus eſſe dicitur, quo donante alii naſcuntur ut ſint, ut ſcilicet noſtrum ipſe ortum in ſe transferat, hincque nos non jam, ut terra ſola, in terram revertamur, ſed tamquam cum cæleſti Verbo conjuncti, in cælos ab ipſo perducamur. Similiter igitur haud abſque ratione alias corporis affectiones in ſeipſum tranſtulit, ut videlicet, non jam ut homines, ſed ut proprie ad ipſum Verbum pertinentes, æternæ vitæ participes redderemur. Nec enim deinceps, ut in priori origine, in Adam morimur, ſed noſtra origine omnibuſque carnis infirmitatibus in Verbum ipſum translatis, e terra excitamur, ſoluta peccati maledictione, ejus merito, qui in nobis, noſtri gratia, maledictio factus eſt, idque admodum convenienter. Nam quemadmodum nos omnes, ut qui ex terra ſumus, in Adam morimur: ita ex aqua & ſpiritu ſurſum regenerati, omnes in Chriſto vita donamur, quaſi caro non jam terreſtris, ſed Verbum & ipſa effecta eſſet ob ipſum Dei Verbum, quod noſtri cauſa caro factum eſt.

Niſi ea, quæ carnis propria ſunt, Verbi eſſe dicerentur, ab his homo liberatus non fuiſſet. — Jerem. 1. 5. — Luc. 1. 44. — Maria Deipara. — Rom. 5. 14. — Maria Deipara.

34. Ut autem accuratius cognoſci poſſit naturam Verbi pati nihil poſſe, carniſque infirmitates propter carnem ipſi attribui, haud ab re erit beatum Petrum audire: dignus ſiquidem teſtis eſt cui de Salvatore dicenti fides habeatur. Sic ergo in Epiſtola ſcribit: *Chriſto igitur pro nobis carne paſſo.* Proinde cum eſurire dicitur & ſitire, laborare, ignorare, dormire, flere, poſtulare, fugere, naſci, calicem deprecari, ac denique quæcumque carnis propria ſunt, de ſingulis recte dici poſſit: Chriſto igitur carne pro nobis eſuriente & ſitiente, ſeque ignorare dicente, colaphis cæſo, & laborante pro nobis carne: exaltato item, naſcente, creſcente, carne; timente & latente, carne; ac dicente ſimiliter, *Si fieri poteſt tranſeat a me calix iſte*, vapulante & accipiente, pro nobis carne: in ceteris demum ſimilibus rite addi queat, *pro nobis carne*. Idcirco enim & ipſe Apoſtolus dicit, *Chriſto igitur paſſo*, non divinitate, ſed, *pro nobis carne*, ut illæ affectiones non propriæ Verbi naturæ, ſed carnis natura propriæ eſſe agnoſcerentur. Nemini igitur hæc humana ſint ſcandalo, ſed omnes potius agnoſcamus Verbum quidem pro naturæ ſuæ conditione nihil pati poſſe, ſed propter carnem quam induit iſta illi attribui, quia nempe hæc carnis propria ſunt, ipſumque corpus Salvatoris eſt proprium. Quocirca ille quidem, nullis ex natura ſua obnoxius affectionibus, ſicuti eſt permanet, nec ob his læditur, ſed eas potius delet & exterminat: homines autem, ipſis affectionibus in illum, qui earum expers eſt, veluti translatis & deletis, iis & ipſi liberi pariter in perpetuum fiunt, quemadmodum his verbis Joannes docet: *Et ſcitis quod ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt.* Quæ cum ita ſint, nullus certe locus hæretico relinquitur hoc modo obtrectandi: Quare caro quæ natura mortalis eſt reviviſcit? Quod ſi reviviſcit, cur non iterum eſurit & ſitit, & patitur, mortaliſque manet, cum ex terra ſit fa-

Chriſtus non divinitate, ſed carne, humanis obnoxius fuit affectionibus. — 1. Pet. 4. 1. — Matth. 26. 39. — 1. Joan. 3. 5.

* Hic locus citatur a Cyrillo Epiſtola ad Monachos Ægypti, Concilii Epheſini pag. 24. itemque a Caſſiano Lib. 7. de Incarnatione cap. 29. apud quem ut & apud Cyrillum deſinit poſt *lætitia exultavit*. Habetur item Actione 1. Concilii Epheſini pag. 509. cum hoc titulo, Ἀθανασίου τοῦ ἁγιωτάτου γενομένου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας ἐκ τοῦ κατὰ Ἀρειανῶν βιβλίου, *Athanaſii ſanctiſſimi Epiſcopi Alexandriæ ex Libro contra Arianos*, eſtque omnino Latine habetur in Actione 1. Concilii Chalcedonenſis pag. 286. Ad hunc item locum hæc exſtat nota in Codicibus Baſilienſi & Felc. 2. [illegible] Id eſt, *Sancta prima Epheſina Synodus eſto adducens contra Neſtorium ejuſque aſſeclas, oſtendens & Deum eſſe Chriſtum; & Deiparam, ſanctam Mariam, quæ ipſum ſecundum carnem peperit.*

** Hæc item exſtant apud Cyrillum in defenſione Anathematiſmi I. in Concilio Epheſino pag. 835.

facta? Quomodo vero quod illi naturale est ab ea discessit? Tunc enim caro ad hujusmodi nugacem hæreticum posset respondere: Ego quidem ex terra sum secundum naturam mortalis, sed postea Verbi caro facta sum, quod meas affectiones, tametsi earum expers, portavit, hisque ipsa libera effecta sum, nec jam deinceps illis servio ob Dominum qui me ab iisdem liberavit. Nam si me reprehendis quod a naturali corruptione fuerim liberata: vide ne etiam reprehendas, quod Dei Verbum meam servitutis formam acceperit. * Ut enim Dominus induto corpore homo est factus; ita nos homines per Verbi carnem assumti, divini ab eo efficimur, æternæque vitę hæredes in posterum sumus.

Ex diversis Christi Domini factis, divina ejus a humana natura dignoscitur.

Quid de Christo juxta rectam fidem sit sentiendum.

Christi opera tum divina tum humana ab uno sunt.

35. ** Hęc primum expendere necesse fuit, ut si Dominum viderimus, sui corporis instrumento, aliquid divine agentem aut dicentem, meminerimus eum, cum Deus sit, ista efficere. Si vero rursus eumdem viderimus humano more loqui & pati, non ignoremus illum, carne induta, factum esse hominem, sicque illa & agere & loqui. Si enim quod utriusque proprium est perceperimus, & utraque ab uno agi consideraverimus & intellexerimus, recta profecto erit fides nostra, nec unquam futurum est ut erremus. At si quis his quæ a Verbo divine fiunt conspectis, ejus corpus negaverit: vel si ea quæ corporis propria sunt intuitus, corporeum Verbi adventum ausus fuerit inficiari, aut ex humanis gestis abjecte de Verbo senserit, isti non secus ac Judaico cauponi, vinum cum aqua miscenti, crux scandalum erit, idemque, Gentili similis, prædicationem stultitiam esse censebit: quod jam Dei hostibus Arianis accidit, qui nimirum ob humanos Salvatoris actus, creatum eum esse arbitrati sunt. Quidni igitur etiam ob divina illius opera, ejus corporis procreationem negaverint, seseque deinceps Manichæis adjunxerint? Verum vel saltem sero illi quidem discant Verbum carnem esse factum: nos autem fidei scopum retinentes, agnoscamus eorum, quæ male illi intelligunt, rectam esse significationem. Nam hæc dicta, *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus*: &, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*: &, *Non possum ego a meipso facere quidquam, sed sicut audio, judico*, aliaque id genus nequaquam demonstrant Filium aliquando ista non habuisse. Qui enim fieri possit, ut ea quæ Pater habet, ille non semper habuerit, qui solus natura Verbum & Sapientia Patris est: cujus item hæc sunt verba: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*, &, quæ mea sunt, Patris etiam sunt? Si enim quæ Patris sunt, sunt quoque Filii, hæcque semper Pater habet, perspicuum sane est ea quæ Filius habet, cum eadem sint Patris, semper in illo esse. Non igitur ista commemorabat, quasi ea aliquando non habuerit: sed quod Filius, qui ea, quæ habet, semper habet, ipsa a Patre habet.

Esaiæ 1. 22.
1. Cor. 1. 23.
Joan. 3. 35.
Matth. 11. 27.
Joan. 5. 30.
Vide supra pag. 19.
Joan. 16. 15.
Joan. 17. 10.

36. Ne quis enim Filium omnia, quæ habet Pater, habere intelligens, ex summa illa similitudine, quæ absque ulla est differentia, & ex identitate, ut hoc verbo utar, eorum quæ habet, eo impietatis cum Sabellio errans deveniret, ut ipsum esse Patrem arbitraretur: idcirco his est usus vocibus, *data est mihi*, *accepi*, *tradita sunt mihi*, ut id solum ostenderet, se videlicet Patrem non esse, sed Patris Verbum æternumque esse Filium, qui ob suam quidem cum Patre similitudinem semper habet quæ ab eo habet; quia vero Filius idem ipse est, idcirco ex Patre habet quæ semper habet. Quod enim hæc verba, *data est*, *tradita sunt*, aliaque similia, Filii divinitatem non minuant, sed potius eum vere Filium esse argumento sint, ex iisdem illis vocabulis licet discere. Nam si omnia illi tradita sunt, primum sequitur eum alium esse ab omnibus quæ accepit. Deinde, cum omnium sit hæres; certe solus ipse quoque, Filius & proprius est Patris secundum naturam. Si enim e numero omnium esset, non omnium profecto esset hæres: sed quilibet etiam accepisset, uti voluisset ac dedisset Pater. Quapropter cum omnia ipse accipiat, alius utique est ab omnibus, solusque est proprius Patris. Quod vero his verbis *data est*, &, *tradita sunt*, non significetur eum his aliquando caruisse, ex simili loco perspicere ceteraque inde licet intelligere. Ait nempe Salvator ipse: *Sicut Pater habet vitam in semetipso: Sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*. Nam cum dicit, *dedit*, se non esse Patrem declarat: particula autem, *Sic*, utitur, ut naturalem Filii cum Patre similitudinem & proprietatem significet. Si igitur fuit aliquando cum Pater non haberet ea quæ habet: nullum dubium est quin etiam fuerit aliquando Filius, cum illa non haberet. Nam ut Pater habet, ita & Filius. Verum si id impium dictu est, e contrario autem pium est affirmare, semper Patrem habuisse, an non perabsurdum est, Filio asseverante quemadmodum Pater habet ita & Filium habere, illos nihilominus contendere non ita sed aliter habere? Utique Verbum magis fide dignum est, proindeque omnia quæ se a Patre accepisse testatur, ea semper habens, a Patre habet. Porro Pater illa a nemine habet, sed Filius habet a Patre. Nam, ut splendoris exemplo utar, si ipse splendor ita loqueretur. Omnem locum mihi lux ad illuminandum dedit, neque ex meipso illumino, sed ut luci placet: sane hisce verbis non indicaret se aliquando non habuisse, sed potius ea esset sententia: Ego lucis sum proprius, ejusque omnia mea sunt. Idem similiter & multo magis de Filio intelligendum est. Omnia enim Pater Filio dedit, & rursus idem Pater omnia in Filio habet. Filio item habente, eadem quoque Pater habet. Siquidem Filii divinitas, Patris est divinitas, atque ita Pater in Filio res omnes providentia gerit & administrat.

Matth. 28. 18.
Joan. 10. 18.
Matth. 11. 27.
Joan. 5. 26.
Pater omnia Filio dedit, & rursus omnia in Filio habet.

37. Hæc igitur est illorum verborum sententia. Quæ pariter de Salvatore humano more dicuntur, eorum quoque pia est significatio. Idcirco enim illa prius examinare visum est, ut, si Dominum interrogantem audierimus, ubi Lazarus jaceat: & cum, ubi in partes Cæsareæ venit, percuntatur, Quem me homines esse dicunt: &, Quot panes habetis: &, Quid vultis ut faciam vobis: ex his quæ explicavimus, ista etiam recte possimus intelligere, minimeque, ut Dei hostes Ariani, scandalum patiamur. Itaque primum ab impie sentientibus requirendum est, undenam eum ignorare arbitrentur? Nec enim eum, qui interrogat, necesse est ignorare de quibus interrogat: verum licet etiam scientem de his quæ cognoscit sciscitari. Certe ipse Joannes Christum interrogantem, Quot panes habetis, non nescientem sed scientem agnoscit, hinc enim ait: *Hoc autem dicebat tentans Philippum: ipse enim sciebat quid esset facturus*. Quod si noverat quid faceret, non igitur nesciens sed sciens interrogabat. Hoc autem ex loco alia possumus intelligere. Nec enim ignorans Dominus interrogabat, ubinam jaceret Lazarus, neque, quem ipsum homines dicerent, sed hoc ipsum quod interrogabat cognoscens, sciensque quid esset facturus: atque ita facillime acutum illorum sophisma diluitur. Quod si in eo, quod

Joan. 11. 34.
Matt. 16. 13.
Marc. 6. 38.
Marc. 10. 36.
Joan. 6. 6.

* Hic locus citatur in Synodo VI. Œcumenica actione IV. in Epistola Agathonis Papæ, pag. 655. ubi in Latino textu ita habetur: *Sanctus vero Athanasius atque Christi Confessor in Libro tertio adversus Arianos*, &c. In Græco autem, ὁ ἅγιος δὲ Ἀθανάσιος ὁμοίως ὁ ὁμολογητὴς τοῦ Χριστοῦ ἐν τῷ τρίτῳ λόγῳ κατὰ Ἀρειανῶν, &c.

** Hæc citat Cyrillus in Defensione Anathematismi IV. in Concilio Ephesino pag. 879. habenturque Latine in Concilio Lateranensi sub Martino I. p. 301.



Quomodo quædam Christus ignoraverit.

quod interrogare dicitur, velint insistere, audiant nullam in divinitate ignorantiam esse, sed proprium esse carnis ignorare, uti dictum est. Quod quidem verum esse comperies, si observes quo pacto Dominus qui interrogavit ubi jaceret Lazarus, ipse non præsens sed procul absens dixerit Lazarum mortuum esse, quove in loco mortuus esset. Et vero ille ipse, quem ignarum esse existimant, is est qui cogitationes prænoscit discipulorum, & quæ in singulorum corde geruntur quidque sit in homine accurate novit: & quod majus est, solus ipse Patrem cognoscit & dicit: *Ego in Patre & Pater in me est.* (*Joan. 14. 11.*)

38. Itaque omnibus perspicuum est ignorationem ad carnem pertinere, ipsum autem Verbum, quatenus Verbum est, omnia prius etiam quam oriantur, cognoscere. Nec enim eo quod homo factus sit, Deus esse desiit: neque quia Deus est, id quod humanum est fugit: absit; sed potius Deus cum esset, carnem assumsit, & cum esset in carne, carnem ipsam divinam reddidit. Nam quemadmodum in ipsa interrogabat: ita in eadem mortuum excitavit, omnibusque aperte indicavit eum qui mortuis vitam & animam restituit, multo magis res omnes occultas optime nosse. Sciebat igitur ubi jaceret Lazarus, sed tamen sciscitatus est. Id autem fecit sanctissimum Dei Verbum, quod omnia nostri causa sustinuit, cum ut hoc modo nostram ignorantiam portans, nobis solius veri sui Patris cognitionem impertiret, tum ut nos doceret seipsum propter nos ad omnium salutem missum esse, qua gratia nulla certe major possit esse. Illa igitur Salvatoris verba quæ Ariani objiciunt, *Data est mihi potestas*, & *Glorifica Filium tuum*, ut & hunc Petri locum, *Data est illi potestas*, eadem prorsus ratione explicamus. Dicimus nempe ista omnia propter corpus eum humano more loqui. Nam licet nulla re indigeret, accepisse tamen dicitur quæ ut homo accepit, ut nimirum tamquam Domino accipiente, & dono in ipso considente, stabilis gratia permaneret. Purus enim homo his quæ accipit spoliari potest, ut ex Adamo clarum est, qui scilicet quæ acceperat perdidit. Quocirca ut gratia auferri non posset, eamque constanter homines conservarent, proprium ille sibi vult esse, collatum in nos beneficium; seque, ut hominem, potestatem accepisse testatur, quam semper habet ut Deus, & ait, *Glorifica me*, qui alios glorificat, ut nimirum carnem his rebus egentem se habere significaret. Unde illa accipiente, quandoquidem ipsa accipiens in eo est, qua assumta factus est homo, idcirco quasi ipse esset qui acciperet, dicitur accipere. (*Matth. 28. 18. Joan. 17. 1.*)

Ut gratia in homine stabilis permaneret, Verbum gratiam ut homo accepit.

39. Si igitur, ut sæpius dictum est, Verbum homo non factum est: esto secundum vos proprium Verbi accipere, gloria egere, & ignorare. Sed si Verbum factum est homo, uti revera est, propriumque sit hominis accipere, egere, & ignorare, cur dantem quasi accipientem cogitamus? cur illum, qui aliis necessaria suppeditat, indigere suspicamur? cur denique Verbum a Patre ut imperfectum & egens dividimus, humanumque genus gratia privare audemus? Enimvero si ipsum Verbum, quatenus Verbum est, per seipsum accepisset & glorificatum fuisset: si item secundum divinitatem, sanctitatem esset adeptum, ac revixisset; quæ spes, quæso, hominibus posset esse? Nudi enim profecto, timidique & mortui, quales erant, remanerent, nullamque eorum quæ Filio data sunt haberent communionem. Quid porro Verbum advenit & caro factum est? Si ut hæc acciperet quæ accepisse dicit: vacuum igitur his antea erat, omninoque futurum est ut potius ipsi corpori maximas habeat gratias, quo videlicet assumto, ista a Patre acceperit, quæ, antequam in carnem advenisset, non habuit, ac proinde Verbum potius videbitur melius propter corpus effectum esse, quam corpus propter ipsum. Verum tota Judaica est ejusmodi sententia. At si Verbum venit ut hominum genus redimeret, atque ut sanctos illos & divinos redderet, caro factum est: (hujus enim gratia caro factum est) cui nondum exploratum est ea quæ, cum caro factum est, se accepisse testatur, non propter seipsum, sed propter carnem se accepisse significare? Siquidem gratiæ per ipsum a Patre datæ, ad illam pertinebant carnem, in qua ille ipse erat qui ista loquebatur. Videamus autem quænam petebat, & quæ tandem illa sunt quæ se accepisse dixit, ut saltem ita illi erubescant. Gloriam igitur petebat, ajebatque, *Omnia mihi tradita sunt*: post suam item resurrectionem se omnem accepisse potestatem affirmat. Atqui antequam dixit, *Omnia mihi tradita sunt*, omnium erat dominus: quippe cum omnia per ipsum facta sint, & unus esset dominus, per quem omnia. Similiter cum gloriam postularet, dominus utique gloriæ & erat & est, uti Paulus testatur: *Si enim cognovissent, numquam dominum gloriæ crucifixissent.* Habebat siquidem quam hujusmodi poscebat verbis: *Gloria quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* (*Joan. 17. 5.*)

Quomodo Christus gloriam & potestatem accepisse dicatur. (*Joan. 17. 2. Luc. 10. 22. Matth. 28. 18. Joan. 1. 3. 1. Cor. 8. 6. 1. Cor. 2. 8.*)

40. Potestatem pariter, quam post resurrectionem accepisse dicit, habuit etiam priusquam eam acciperet, suamque ante resurrectionem. Etenim ipsa per seipsum Satanam sic increpabat, *Recede a me, Satana*: suis item discipulis potestatem adversus illum dedit, cum illis reversis ait, *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Verum iterum ostenditur illud quod accepisse dicit, etiam habuisse priusquam acciperet. Siquidem dæmones abigebat, & quæ ligaverat Satanas, ipse solvebat, ut patet in illa Abrahæ filia. Peccata item condonavit, cum Paralytico & mulieri quæ ipsius unxit pedes, dixit: *Remittuntur tibi peccata.* Mortuis præterea vitam reddidit, visumque cæco nato restituit: quæ quidem omnia effecit non præstolatus donec ea agendi acciperet potestatem, sed ut hujusmodi potestate jam præditus. Ex quibus dilucidum est quæ, ut Verbum, habuit, eadem & factum hominem & postquam revixit se accepisse dicere: nempe ut homines in terris quidem, tamquam divinæ naturæ participes per ipsum effecti, potestatem adversus dæmones consequerentur, in cælis vero, tamquam corruptione liberati, perpetuo regnare possint. Id enim generatim sciendum est nihil eorum quæ accepisse dicit, quasi ea non haberet accepisse: nam Verbum, utpote Deus, illa semper habuit. Verum secundum humanam naturam accepisse nunc dicitur, ut carne in ipso accipiente, inde in nobis quæ data sunt constanter permanerent. Nam & illud quod a Petro dictum est, *Qui accepit a Deo gloriam & honorem, subjectis ipsi Angelis*, eodem modo est interpretandum. Quemadmodum enim, ut homo, sciscitabatur, & Lazarum, ut Deus, a mortuis excitabat: ita hæc vox, *accepit*, de humana natura dicta est: Angelorum autem subjectio, Verbi divinitatem demonstrat. (*Matt. 4. 10. Luc. 10. 19. Luc. 10. 18. Luc. 13. 16. Matt. 9. 2. Luc. 7. 48. 2. Pet. 1. 17. 1. Pet. 3. 22.*)

41. Tandem ergo quiescite, o Deo invisi, Verbumque deprimere desinite, neve ejus divinitatem, quæ eadem est Patris, adimere velitis, utpote quem indigentem esse & ignorantem existimatis, ne vestra commenta, ut olim Judæi lapides, in Christum jaciatis. Nec enim ista ad Verbum quatenus Verbum est pertinent, sed hominum propria sunt. Enimvero quemadmodum illo conspuente, manum extendente, & Lazarum vocante, ipsa miracula, tametsi per corpus fierent, non hominis, sed Dei esse dicimus: ita cum humana in Euangelio de Salvatore nar-

narrantur, debemus ad naturam eorum quæ referuntur attendere, perspicereque hæc Dei aliena esse, nec proinde ejus divinitati sed humanitati esse attribuenda. Nam etsi Verbum caro factum est, propriæ nihilominus sunt carnis affectiones: & vicissim quamvis caro in Verbo divine gestatur, gratia tamen & virtus Verbi est. Itaque Patris opera per carnem efficiebat, sed nihilominus carnis affectiones in illo exhibebantur, ut cum sciscitatus est, & Lazarum ad vitam revocavit: cum item matrem his verbis increpavit, *Nondum venit hora*, & tamen continuo aquam in vinum convertit. Siquidem verus Deus in carne, & vera caro erat in Verbo. Idcirco ex operibus quidem se Filium Dei, suumque ostendebat Patrem: sed ex carnis affectionibus se verum corpus habere, illudque proprium sui esse probabat.

Joan. 2. 4.

Qua ratione Christus diem & horam Judicii ignorasse dicatur.

42. Quæ cum ita sint, jam, si placet, hunc locum expendamus, *De die autem illo vel hora nemo scit neque Angeli neque Filius*. Illi enim bisce in verbis, quamquam hic ignari admodum & cæci, certissimum suæ hæresis argumentum consistere arbitrantur. Ego vero cum hæreticos hæc obtendere, iisdemque se se instruere conspicio, Gigantes mihi videre videor qui rursus bellum Deo inferre audeant. Nempe cæli & terræ Dominus, per quem omnia facta sunt, ab illis de die & hora illa judicatur: & Verbum cui omnia nota sunt, ab illis accusatur tamquam qui diem illum ignoret: Filius denique qui Patrem ipsum cognoscit, diei horam nescire dicitur; quibus quid stultius dici, vel quæ par insania possit esse? Per Verbum omnia facta sunt, tempora, tempestates, nox, dies, res omnes creatæ: & tamen opifex, opus dicitur ignorare? Certe ipsa lectionis series horam & diem illam a Filio Dei cognosci docet, quantumvis Arianos præcipites agat sua inscitia. Siquidem ille qui dixit, *neque Filius*, idem ipse discipulis quæ diem illum antecedere debeant enarravit hujusmodi verbis: Hæc & hæc futura sunt, deinde sequetur finis. Atqui ille qui ea quæ diei illi præcurrunt novit, diem quoque ipsum, qui prædicta est secuturus, sine dubio cognitum habet. Namque si horam illam non nosset, neque ea quæ ipsam antecedunt posset significare, utpote ignarus quandonam futura illa hora esset. Enimvero quemadmodum si quis domum vel urbem aliquam ignorantibus indicare volens, ea quæ ante domum vel urbem occurrunt referret, omnibusque enarratis diceret, Deinde statim urbs vel domus occurret; haud dubie nosset ille ubinam domus vel urbs exstaret. Nisi enim cognosceret, nec illa, quæ ante ipsas occurrunt, auderet indicare, ne videlicet locorum ignoratione audientibus procul divertendi causa foret, vel ipse in re significanda insciens erraret. Ita, quandoquidem Dominus ea, quæ diei illi & horæ præcurrent, edicit, fatendum sane est accurate illum nosse, nulloque modo ignorare quandonam illa hora diesve immineat.

Marc. 13. 32.

Matth. 24. 3.

43. Cur autem quod probe sciebat, tunc non aperte dixerit discipulis, curiosius inquirere nemo debet, cum ille tacuerit. *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Cur vero, cum sciret, dixerit nihilominus, *neque Filius novit*, neminem fidelium arbitror ignorare eum propter carnem ut hominem ita esse locutum. Nec enim hujusmodi defectus ad Verbum pertinet, sed ad humanam naturam, cujus ignorantia propria est. Quod quidem facile intelligi poterit, si quis sincero animo, quandonam quibusve hæc dixerit Salvator, velit perpendere. Non scilicet ista dixit, quando cæli per ipsum facti sunt, non quando Verbum apud ipsum Patrem omnia componebat, neque priusquam homo fieret, sed cum Verbum caro factum est. Quapropter omnia quæ ipse postquam factus est homo, humano more loquitur, ea humanæ naturæ æquum est adscribere. Nimirum Verbi proprium est res factas cognoscere, earumque tum principium tum finem non ignorare, quippe cum ejus sint opera. Novit proinde quot quamque diuturna cuncta effecerit, cumque singulorum principium & finem noscat, novit omnino generalem & communem omnium finem. Certe cum in Euangelio de se, ut homine, ita loquitur, *Pater venit hora, glorifica Filium tuum*, clare demonstrat se ipsam quoque horam, qua omnium rerum finis est futurus, ut Verbum, cognoscere, sed * ut hominem ignorare. Hominis enim proprium est ignorare, maximeque rea hujusmodi. Verum hoc ipsum singularis Salvatoris benevolentiæ & benignitatis est effectus. Quoniam enim homo factus est, idcirco propter carnem ignorantem dicere non erubescit, Nescio, ut scilicet ostendat se ut Deum scire, at secundum carnem ignorare. Itaque non dixit, Neque Filius Dei novit, ne divinitas ignorare videretur; sed tantummodo, *neque Filius*, ut nimirum ignoratio, Filii ex hominibus nati esse intelligeretur.

Rom. 11. 34.

Prov. 8. 27.

Joan. 17. 1.

Christum, ut Verbum, diem & horam ultimam novisse, at ut homo ignorabat.

44. Hinc etiam cum idem de Angelis assereraret, non ultra progressus dixit, neque Spiritus sanctus: sed id reticuit. Quo quidem facto duo significavit primum, si Spiritus novit, multo magis Verbum, quatenus Verbum est, nosse, utpote a quo Spiritus ipse accipit: alterum, se, de Spiritu tacendo, aperte ostendisse de humana sua administratione se dixisse, *neque Filius*. Cujus quidem rei argumentum est, quod, cum secun-

* Multa in hanc rem possent differi, sed satius duximus huc ea tantum adducere, quæ habet Eulogius Patriarcha Alexandrinus contra Agnoetas, quæque magnopere laudat Gregorius magnus, epistola ad ipsum scripta. Sic igitur ille apud Photium Codice 230. de his Scriptoribus, qui Christo ut homini, ignorantiam tribuerunt, non indocte disputat. [illegible] Id est, *Nonnulli vero ipsum Christum ajunt dicere se diem ultimum ignorare, ut propriam naturæ humanæ notam ostenderet & indicaret, non autem quasi ipse ignoraret; absit: (nec enim absque periculosa temeritate adscribi illi ignorantia potest, sive secundum divinitatem, sive secundum humanitatem) sed quod, ut ait beatus Cyrillus, mera cogitatione mentisque perceptione, quodam contemplandi modo, utriusque naturæ propria & singularia consideremus indicia; vel quod, ut docet Theologus Gregorius, cum naturæ cogitatione discernuntur, distinguuntur & nomina. Proprium autem puræ humanitatis indicium est ignorantia. Hac, inquam, ratione potest ignorantia humanitati Christi attribui, ut est mera humanitas. Et certe id dilucide declaravit Theologus ipse cum ait:* Novit ut Deus, ignorat vero ut homo, si quis videlicet id quod apparet ab eo quod intelligitur discriminet. *Hæc dictis Eulogius subdit: Quod si aliqui e Patribus ignorantiam in Salvatore ex parte humanitatis admiserunt, non id ut dogma protulerunt, sed ut Arianorum insaniam repellerent, qui ignorantiam humanæ naturæ in divinitatem transferebant, ut interatum Dei Verbum probarent esse creatum: contentf nempe existimaverunt illi hoc humanitati adscribere, quam seurre illos ea in ipsam divinitatem pertrahere.* Hæc ille, ut exstant apud Photium. Addere fortassis liceat hujusmodi sententiam in nemine videri damnatam olim fuisse, nisi cum alio errore conjunctam.

secundum humanam naturam dixisset, *neque Filius*, se tamen secundum divinam naturam omnia cognoscere ostenderit. Namque ab hoc ipso Filio, cui diem illam ignotam esse ait Patrem cognoscere declarat. *Nemo* enim, inquit, *Patrem cognoscit nisi Filius*. Atqui nemo est præter Arianos, qui non fatentur eum qui Patrem cognoscit, multo magis quicquid res creatas spectat, quod & earum finem comprehendit, compertum habere. Quod si dies illa & hora a Patre jam sit definita, perspicuum est eam per Filium fuisse definitam, eumque proinde quod ipse definierit cognoscere. Nihil enim est quod non per Filium factum sit & definitum. Ille igitur cum sit rerum omnium effector, novit profecto quales & quotas quamque diuturnas esse voluerit Pater. Atqui illarum & numero & diuturnitate comprehenditur futura ipsarum mutatio. Præterea quæcumque Patris sunt, sunt etiam Filii, ut testatus ipse est, proindeque si Patris est diem illum cognitum habere, dubium non est quin Filio quoque perspectus sit, idque etiam ex Patre proprium ille habeat. Insuper, Filius est in Patre & Pater in Filio: unde si Pater diem & horam illam cognoscit, clarum est Filium, qui in Patre est & quæ Patris sunt novit, hanc item & diem & horam non ignorare. Rursus, si Filius vera est imago Patris, ipse autem Pater diem & horam illam novit: plane liquet Filium hac quoque in re Patris esse similem. Nec vero mirum est illum, per quem omnia facta sunt, & in quo omnia constant, res factas earumque cum proprium, tum communem finem cognoscere: sed mirum potius est me hujusmodi illorum procacitate, quæ quidem Arianorum insaniæ admodum est consentanea, coactum, hanc veritatis defensionem suscepisse. Cum enim Dei Filium, æternum Verbum, inter res creatas numerant, parum certe abest quin ipsum etiam Patrem rebus creatis inferiorem dicere meditentur. Nam si is qui Patrem novit, diem & horam illam non novit, vereor ne, (quod insani illi dixerint,) rerum creatarum, imo minimæ rerum creatarum partis cognitio, major sit ipsa Patris cognitione.

Matth. 11. 27.

Nihil est quod per Filium non fuerit factum & definitum.

Joan. 16. 15.

Joan. 1. 3. Coloss. 1. 17.

45. Verum illi quidem, qui adeo impia in Spiritum proferunt, tantæ impietatis veniam exspectent nullam, uti præmonuit Dominus: nos autem qui Christum & amamus & in nobis gerimus, agnoscamus Verbum, non quasi ignorans, quatenus est Verbum, dixisse, Nescio, noverat quippe; sed id quod humanum est exhibens; quia scilicet & hominum proprium est ignorare, & ipse ignorantem induerat carnem, in qua cum esset, secundum eam dicebat: Nescio. Itaque postquam dixerat, *neque Filius novit*, adduxeratque in exemplum ignorantiam hominum, qui Noe ætate degebant, continuo addidit: *Vigilate itaque, quia vos nescitis qua die Dominus vester venturus sit*. & rursus: *Qua non putatis hora, Filius hominis venturus est*. Ego enim similis vobis propter vos effectus, dixi: *neque Filius*. Atqui si secundum divinam naturam ignorasset, dicendum illi erat: Vigilate itaque quia nescio, & qua non puto hora: quod cum non dixerit, sed, *vos nescitis*, &, *qua non putatis*, profecto demonstravit hominum esse ignorare, propter quos, simul ipse carne assumta, & factus homo, dicebat, *neque Filius novit*. Nec enim carne noverat, licet, ut Verbum, cognosceret. Exemplum porro Noe Christi hostium impudentiam penitus confringit. Nec enim illic dixit, Non cognovi, sed, *Non cognoverunt donec venit diluvium*. Enimvero homines quidem non cognoverunt: at ille qui diluvium induxit, qui & ipse Salvator erat, diem & horam noverat, qua cœli catarractas aperuit disrupitque abyssos, & Noe dixit: *Ingredere tu & filii tui in arcam*. Quod si ignorasset, non antea Noe his verbis denuntiasset: *Post septem dies ego adducam diluvium in terram*. Quocirca si in die illo significando, Noe exemplo utitur, ipseque diluvii noverat diem; certe sui quoque adventus non ignorat diem.

Matth. 12. 32.

Mat. 24. 42.

Ibid. v. 44.

Mat. 24. 39.

Genes. 7. 1.

Ibid. v. 4.

46. Quin etiam in fine parabolæ Virginum apertius declaravit, quinam sint qui diem & horam illam ignorent, cum dixit, *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam*. Is nempe qui paulo ante dixerat, *nemo novit neque Filius*, nunc non ait, Ego nescio, sed, Vos nescitis. Similiter igitur discipulis de fine sciscitantibus, recte tunc secundum carnem propter corpus dixit, *neque Filius*, ut nempe doceret se, ut hominem, non nosse. Hominum quippe proprium est ignorare. Et vero si Verbum ille est, si idem ipse venturus est, si judex & sponsus est, novit utique quando & qua hora venturus & dicturus est, *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illucescet tibi Christus*. Nam quemadmodum factus homo, cum hominibus esurit, sitit & patitur: ita pariter cum hominibus, ut homo, non novit; at cum sit in Patre Verbum & Sapientia, secundum divinitatem novit, nihilque prorsus est quod nesciat. Sic de Lazaro, ut homo interrogat, cum tamen ipse, ut eum a mortuis excitaret, progrederetur, sciretque undenam animam ejus revocaret: atqui majus aliquid est cognoscere ubinam sit anima quam ubi corpus jaceat. Verum, quatenus homo, percuntabatur, ut vitam Lazaro, tamquam Deus, redderet. Sic item cum in partes Cæsareæ venisset interrogavit discipulos, tametsi id de quo interrogabat, ante Petri responsum sciret. Etenim si Pater Petro ea quæ quærebat Filius patefecit, non dubium est quin per Filium fuerint patefacta. *Nemo enim*, inquit, *novit Filium nisi Pater, & Patrem nisi Filius, & cui Filius voluerit revelare*. Proinde, si Patris & Filii cognitio per Filium habetur, nullus dubitandi locus est, quin ipse Dominus qui interrogabat, id prius Petro ex Patre revelaverit deindeque, ut homo, interrogaverit, quo demonstraret ea, de quibus secundum carnem sciscitabatur, & quæ Petrus erat dicturus, se secundum divinitatem cognita habere. Fatendum ergo est illa cognovisse Filium, qui nempe omnia & suum Patrem novit, qua Patris cognitione nihil sane majus aut perfectius esse potest.

Mat. 25. 13.
Mar. 24. 36.
Marc. 13. 32.

Ephes. 5. 14.

Luc. 10. 22.

47. Et hæc quidem sufficiunt ad illos plene refellendos. Liberet tamen hæc ab illis requirere, quo evidentius sit eos & veritatis & Christi nefarios hostes esse: scilicet Apostolus secunda ad Corinthios Epistola ita scribit: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit*. Quid ergo hic dicitis? Novit Apostolus quid sibi in visione contigerit, licet dicat, nescio, vel non novit? Si non novisse respondetis, videte ne erroribus assueti, in Phrygum quoque impietatem incidatis, quorum nempe sententia est Prophetas & alios Verbi administros ignorare tum ea quæ agunt, tum quæ annuntiant. Quod si nosset cum dixit, *nescio*, quippe qui Christum in seipso sibi omnia patefacientem haberet: an non revera perversus & damnatione per se dignissimus est Dei hostium animus, qui Apostolum dicentem, *nescio*, scire ajunt, & Dominum similiter dicentem, *nescio*, nescire contendunt? Nam si eo quod Christus in illo esset, scivit Paulus ea quæ se nescire ait: an non multo magis scit Christus, licet se nescire dicat? Itaque Christo patefaciente, noverat Apostolus quid sibi evenisset: siquidem idcirco ipse ait, *Scio hominem in Christo*. Nam qui hominem noverat non sane ignorabat quonam modo raptus fuisset ille homo. Elisæus item qui Eliam in cælum rapi vidit, noverat sane quomodo assumtus esset: attamen quamvis id non igno-

2. Cor. 12. 2.

Phrygum error de Prophetis. Vide Epiph. hær. 48.

gnoraret, filiis Prophetarum arbitrantibus Eliam in aliquem montium a Spiritu projectum fuisse; ille, inquam, qui initio noverat quod viderat, eaque de re illos fecerat certiores, iisdem importune urgentibus & cogentibus, conticuit & abire sivit. Num ergo quia conticuit, nescivit? Certe scivit: sed eos, quasi rem ipse nesciret, dimisit, ut tandem persuasi, non amplius de Eliæ assumtione ambigerent. Multo igitur magis Paulus, ipse raptus, noverat etiam quonam modo raptus fuisset. Namque id ipsi Eliæ minime latuit, ita ut si quis eum hac de re interrogasset, potuisset utique narrare, quonam modo fuisset ipse assumtus. Sed tamen Paulus se nescire testatur, duas, ut ego quidem reor, ob causas. Primo, ut ipse dixit, ne quis visionum excellentia, majorem eum putaret esse quamquod videret. Deinde, quandoquidem Salvator se nescire dixerat, idem illum decebat dicere, ne servus supra Dominum & discipulus supra magistrum esse existimaretur.

Vide 4. Reg. 2.

48. Qui igitur Paulo dederat ut sciret, ipse multo magis sciebat. Qui enim ea quæ illi diei præcurrunt enuntiat, novit certe, quemadmodum dixi, quandonam illa dies & hora ventura sit: & tamen, licet cognosceret, dicit, *neque Filius novit*. Cujus ergo gratia tunc dixit, nescio, quæ ipse, ut Dominus, noverat? Sane si conjectura uti licet, nostræ utilitatis causa, ut reor, id fecit. Faxit autem ipse ut hoc quod opinor verum sit. Utrobique Salvator ad nostrum attendit commodum. Nam quæ ante finem occurrent indicavit, ne, ut dixit ipse, stupore perculsi his accidentibus turbaremur, sed potius ex his secuturum finem præstolaremur. Noluit porro de illa die & hora secundum divinitatem dicere, novi: sed, ut jam exposui, secundum carnem, quæ nempe id ignorabat, ait, non novi; ne rursus eum discipuli interrogarent, eosque ille, si reticeret, dolore afficeret, vel si diceret, præter illorum & nostrum commodum ageret. Quicquid enim facit, id totum nostri gratia est, quandoquidem & ipsum Verbum propter nos caro factum est. Propter nos igitur dixit: *neque Filius novit*. Nec vero hoc mendacium fuit: siquidem pro humana conditione, ut homo, dixit, nescio, nec permisit ut discipuli se dicere cogerent, quippe cum hujusmodi verbo, nescio, illorum repressERIT percuntationes. Præterea scriptum est in Actibus Apostolorum, cum Angelis inveheretur, ut homo ascendens, & carnem, quam gestabat, in cælum efferens, idque videntes discipuli hæc iterum ab eo quærerent, quandonam finis futurus esset, & quando tu venturus es, ipsum apertius ita illis respondisse: *Non est vestrum nosse tempora & momenta quæ Pater posuit in sua potestate*. Non tunc ut antea tamquam homo dixit, *neque Filius*, sed, *vestrum non est scire*. Jam siquidem revixerat caro deposueratque mortalitatem, & divina effecta erat, ac proinde eum in cælos ascendentem jam non decebat secundum carnem respondere, sed ut Deum docere & dicere: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem*. Quæ autem virtus Patris præter Filium? *Christus* enim *Dei virtus & Dei Sapientia*.

Actor. 1. 7.

1. Cor. 1. 24.

49. Noverat itaque Filius utpote qui Verbum erat, unde mihi videtur illorum verborum is esse sensus: Ego quidem novi, sed vestrum non est nosse. Idcirco enim cum in monte sederem, secundum carnem dixi, *neque Filius novit*, quia id vobis atque omnibus utile erat. Hæc siquidem & de Angelis & de Filio audire vobis conducit propter futuros impostores, ut, si ipsi dæmones, Angeli specie simulata, de fine mundi disseruerint, eis non credatis, quippe qui illum ignorent. Si item Antichristus, se ipse ementitus, dicat, Ego sum Christus, atque de die illo & fine loqui aggrediatur, ut audientes decipiat, vos mei hujusce vocis, *neque Filius*, memores, fidem illi denegetis. Præterea valde hominibus utile est finem & diem finis ignorare, ne, si eum cognoscerent, intermedium negligerent tempus, diesque fini proximos expectarent, ut tunc solum sibi vacarent & vigilarent. Quocirca tempus mortis singulorum reticuit, ne hujusmodi cognitione inflati homines, maximam temporis partem negligenter agerent. Utrumque ergo & omnium rerum & singulorum finem nos celavit Verbum: (nam singulorum finis, omnium quoque finis est, cum omnium finis in singulorum fine contineatur) ut, quandoquidem incertus ille est & semper a nobis expectatur, quotidie velut vocati proficiamus, ad ea quæ sunt priora nosmetipsos extendentes, & quæ retro sunt obliviscentes. Quis enim die extremi finis cognito non intermedium differret tempus? E contrario autem quis illo ignorato, non se quotidie debeat parare? Hinc subdidit Salvator: *Vigilate ergo quia neque vos nostis qua hora Dominus vester venturus sit*: &, *qua non putatis hora filius hominis veniet*. Itaque ob utilitatem quæ ex hac oritur ignorantia, ita est locutus. His enim verbis nos hortatur ut semper parati simus. Vos enim, inquit, nescitis: ego vero Dominus novi quando venturus sum, quamvis Ariani me, qui Patris sum Verbum, non expectent.

Utile est hominibus illum & horam ultimam ignorare.

Philip. 3. 13.

Luc. 12. 40.

50. Sic ergo Dominus, qui quid nobis expediret, melius quam nos noverat, suos discipulos firmavit ac munivit, illique hujusmodi instructi admonitione, emendaverunt Thessalonicenses, ea in re alioquin erraturos. Quando vero neque his cedunt Christi hostes, tametsi non me fugit durius illis cor esse quam Pharaoni, placet tamen illos iterum ea de re interrogare. Deus in Paradiso percuntatur, *Adam, ubi es?* Cainum quoque ipse interrogat, *Ubi est Abel frater tuus?* Quid hic itaque respondetis? Nam si eum nescire existimatis, & idcirco sciscitari: cum Manichæis profecto consentitis, qui videlicet ista audent docere. Sin autem veriti ne Manichæi palam audiatis, vel inviti conceditis eum scientem interrogare; quid, quæso, absurdum aut quid mirum vobis videtur, si Filius in quo tunc Deus interrogabat, idem, inquam, ipse Filius carne circumdatus discipulos tamquam homo interroget? nisi forte Manichæi jam facti, illum Scripturæ locum, ubi Deus Adamum interrogat, velitis reprehendere, idque eo tantum animo, ut nova improbe excogitetis & audeatis. Hinc enim in omnibus convicti, Lucæ verba jam insusurratis, quæ quidem recte sunt dicta, sed a vobis perverse intelliguntur. Quænam autem illa sint afferre necesse est, ut hac etiam ratione pateat quam corruptam illi habeant mentem.

2. Thessalon. 2. 2.

Genes. 3. 9.

Genes. 4. 9.

Manichæorum impia opinio.

Genes. 3. 9.

51. Hæc igitur sunt Lucæ verba: *Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*. Hic, inquam, ille locus est, ad quem quoniam offendunt, ab illis non secus ac a Sadducæis & Pharisæis sciscitandum est, quo de loquatur Lucas. Sic autem illos aggrediamur: Jesus Christus homone est ut alii omnes homines, an vero Deus est carnem gestans? Si purus homo est, ut ceteri homines, utique ut homo proficiat: quæ quidem est Samosatensis sententia, quam toto vos animo amplectimini, sed nomine tenus præ metu hominum negatis. Si vero Deus est carnem gestans, uti revera est, & Verbum caro factum est, isque, qui Deus erat, in terram descendit: quos progressus queat ille habere qui æqualis Deo existit, aut quo modo crescere possit Filius qui semper est in Patre? Nam si is, qui est in Patre, proficere potest, quid, quæso, est, ultra Patrem, ut inde possit proficere?

Quo sensu Christus profecisse dicatur.

Luc. 2. 52.

Pauli Samosatensis error.

Vide supra num. 35. re? Deinde, eadem re fuerit eadem hic dicere, quæ supra differuimus cum explicaremus quonam sensu aliquid accepisse & gloriam adeptus esse diceretur. Nimirum, si homo factus profecit, ergo antequam fieret homo, perfectus non erat, ac proinde ejus perfectionis causa fuit potius caro, quam ipse, carnis. Insuper, si ille qui Verbum est proficit, quid majus potest fieri quam Verbum, Sapientia, Filius, & Dei virtus? hæc siquidem sunt ipsum Verbum, quorum si quis veluti radium posset accipere, is sane summe perfectus inter homines esset, Angelisque fieret æqualis. Etenim Angeli ipsi atque Archangeli, Dominationes Virtutesque omnes & Throni, Verbi participes effecti, faciem Patris ejus perpetuo vident. Qui ergo fieri potest ut ille qui aliis impertit perfectionem, ipse post illos proficiat? Angeli namque humanam ejus administraverunt nativitatem, & Lucæ verba post hujusmodi Angelorum administrationem prolata sunt. Qui igitur possit id vel in mentem hominis prorsus venire? Quomodo, inquam, Sapientia in sapientia profecit? Quomodo qui aliis dat gratiam, (uti Paulus suis in omnibus epistolis, hisce *2. Thess. 3. 18. & alibi.* verbis agnoscit, *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis*) ipse in gratia profecit? Vel enim Apostolum mentiri contendant, vel Filium non esse sapientiam audeant affirmare. Vel si est sapi- *1. Cor. 1. 24.* entia, ut dixit Salomon, & Paulus scripsit, *Christus Dei virtus & Dei sapientia:* quem, quæso, progressum accepit Sapientia?

52. Homines quidem, utpote creati, in virtute progredi & proficere possunt. Hinc Enoch translatus est, Moysesque crescendo proficiebatur & Isaac pro- *Philip. 3. 13.* ficiendo magnus est effectus: Apostolus item ad ea quæ priora sunt se testatur extendere. Singuli scilicet ulteriorem ante se gradum quo progrederentur habuere. At Dei Filius, qui quidem solus ipse est, quonam se potest extendere? Omnia siquidem, in eum contuendo, proficiunt: ipse vero, cum solus sit, in solo est Patre, a quo non ultra progreditur, sed semper in eo manet. Itaque hominum est proficere: at Dei Filius, quia nihil quo progrederetur haberet, cum in Patre sit perfectus, seipsum pro nobis humiliavit, ut nos in ejus humilitate magis crescere possemus. Aliud autem nihil est incrementum nostrum quam ut a rebus quæ sensus movent recedamus, & ad ipsum accedamus Verbum: quandoquidem & ejus humilitas nihil aliud est quam quod carnem nostram accepit. Non ergo Verbum, ut Verbum, proficit, cum perfectum sit ex perfecto Patre, nullaque omnino re egeat, sed potius aliis proficiendi sit causa. Ve- *Christus non quatenus Verbum profecisse dictus est, sed quatenus homo.* rum hic etiam humano more dictus est proficere, quoniam hominum sit proficere. Hinc caute admodum Euangelista ætatem cum progressione conjunxit: siquidem nulla est Verbi & Dei ætas, sed ætates ad corpora pertinent. Ad corpus igitur spectat hujusmodi progressus: eo enim proficiente, in ipso pariter cernentium oculis proficiebat patefactio divinitatis. Quanto porro manifestius divinitas se explicabat, tanto magis apud omnes homines gratia ejus tamquam hominis crescebat. Nam infans quidem gestabatur, puer autem factus remansit in templo, ipsosque sacerdotes de lege interrogavit. Sensim autem crescente corpore, & Verbo seipsum in eo patefaciente, primo Petrus deindeque alii eum vere Filium Dei esse confitentur, quantumvis Judæi cum veteres tum novi isti ultro claudant oculos, ne videant quod hic, in sapientia proficere, non significet ipsam Sapientiam proficere, sed humanam tantum naturam in ea proficere. Siquidem *Luc. 2. 52.* *Jesus proficiebat sapientia & gratia:* vel potius, ut apposite simul & vere loquamur, ipse in seipso proficiebat. Nam *Sapientia ædificavit sibi* *Prov. 9. 1.* *domum*, fecitque ut domus in seipsa proficeret.

53. Ceterum quænam illa est progressio, quam, uti supra dixi, gratia & divinitas hominibus a Sapientia impartita, destructo in illis peccato & corruptione, propter ipsorum cum carne Verbi similitudinem & cognationem? Ita enim corpore ætate crescente, in illo quoque crescebat major divinitatis explicatio, omnibusque ostendebatur templum Dei ipsum esse, & Deum esse in corpore. Quod si rixari velint in eo quod *Verbum caro factum* Jesus sit appellatus ad eum- *Joan. 1. 14.* que illud dictum, *proficiebat*, referant: audiant neque ea re imminui paternam lucem, quæ Filius ipse est. Verum id rursus ostendit Verbum hominem esse factum, veramque carnem habuisse. Unde, quemadmodum diximus eum carne passum esse, carne esuriisse, carne defatigatum esse: ita, & merito quidem, affirmare licet eum carne profecisse. Neque enim illa, qualemcumque diximus, progressio fiebat, quasi Verbum extrinsecus existeret: sed in illo erat & ejus dicitur caro proficiens, ut scilicet hominum progressus, propter ipsorum cum Verbo societatem, stabilis posset perseverare. Nec ergo Verbum proficiebat, nec caro erat Sapientia; sed caro facta est Sapientiæ corpus. Quocirca, uti docuimus, non Sapientia, quatenus est Sapientia, ipsa per seipsam proficiebat; se sola humanitas in Sapientia proficiebat, humanam paulatim transcendens naturam, divina reddita, ipsiusque Sapientiæ facta & omnibus apparens instrumentum, quo ad agendum & elucendum ipsa uteretur divinitas. Hinc nequaquam dixit, Verbum proficiebat, sed, Jesus, quod quidem nomen Dominus factus homo accepit; ita ut ad humanam naturam progressus ille pertineat, eo quo supra explicavimus modo.

54. Itaque quemadmodum carne proficiente, ipse proficere dicitur ob suam cum corpore conjunctionem: ita quæ illi tempore mortis accidisse legimus, ut turbari, flere, eadem ratione interpretari oportet. Enimvero illi in omnes sese vertunt partes, suamque hæresim ex his veluti commendantes ac confirmantes, hisce nos verbis adoriuntur. Ecce, inquiunt, flevit & dixit, *Nunc anima mea turbata est:* rogavit item *Joan. 12. 27. Matth. 26. 39.* ut calix transiret: qui ergo fieri potest ut is, qui hæc dixit, Deus sit & Verbum Patris? Ita sane, o Dei hostes: scriptum est eum flevisse, & dixisse, Turbatus sum, illa quoque verba in cruce pronunciasse, *Eloi, Eloi, lama sabacthani*, id est, *Deus meus, Deus meus,* *Marc. 15. 34.* *quare dereliquisti me?* Rogavit etiam ut transiret calix: namque hæc fatemur scripta esse. Verum vos similiter velim vicissim respondere: necesse enim est idem ad singula quæ objicitis retorquere. Si purus homo est qui loquitur, lacrymetur utique & mortem reformidet, ut homo. Sed si Verbum est in car- *Quomodo Christus timuisse dicatur.* ne: (nam eadem semper dicere, grave esse minime debet) quem ille qui Deus est timere potuit? Vel quare ille, qui vita est & alios ex morte eripit, mortem ipse pertimesceret? Vel qui fieri potuit ut is qui ajebat, Nolite timere eum qui occidit corpus, ti- *Luc. 12. 4.* more ipse corriperetur? Quonam pacto ille qui Abrahæ dicebat, *Noli timere, quia ego tecum sum:* il- *Genes. 26. 24.* le qui Moysem adversus Pharaonem corroborabat: qui filio Nave ajebat, *Fortiter & viriliter age:* quo- *Josue 1. 6.* modo, inquam, ipse Herodem & Pilatum potuit metuere? Præterea, illene qui alios ad non timendum adjuvat, (Nam, *Dominus*, inquit, *mihi adjutor,* *Psal. 117. 6.* *non timebo quid faciat mihi homo*) ipse præsides mortales homines metuebat? illene qui contra mortem venit, mortem timuit? An non absurdum & impium est contendere, eum mortem & inferos extimuisse,

quo

quo conspecto inferorum janitores tremuerunt? Enimvero si secundum vos Verbum timuit, cur cum longe ante Judæorum prædixisset insidias, non aufugit, sed quæsitus dixit, *Ego sum?* (Joan. 18. 5.) Siquidem poterat non mori, uti his verbis docet, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam:* (Joan. 10. 18.) &, *nemo tollit eam a me.*

55. Verum hæc non naturæ Verbi, quatenus Verbum est, propria erant: sed Verbum, o Christi hostes & ingrati Judæi, in carne hæc patiente existebat. Hinc ista non ante carnem assumtam dicta sunt: sed postquam Verbum caro & homo est factum, hæc de humana natura dicta esse scriptum est. Certe ille, de quo ista scripta sunt, Lazarum a mortuis excitavit, aquam convertit in vinum, cæco nato visum restituit, & dixit, *Ego & Pater unum sumus.* (Joan. 10. 30.) Quocirca si ex humanis ejus gestis occasionem captant humiliter & abjecte de Dei Filio sentiendi; imo vero hominem eum totum e terra non autem e cælo esse arbitrantur: cur non etiam ex divinis factis Verbum in Patre existens agnoscunt, propriamque deponunt impietatem? Illis enim licet perspicere eumdem omnino esse qui illorum operum auctor est, & qui patibile corpus se habere ostendit, cum illud flere esurire, & quæ corporis propria sunt, in eo apparere permisit. Hujusmodi quippe corporis affectionibus demonstrabat se, cum Deus esset impassibilis, passibilem assumsisse carnem: at ex operibus palam faciebat se, cum Dei Verbum esset, hominem postea factum esse, unde ajebat: (Joan. 10. 38.) Si mihi, utpote quem humano corpore amictum cernitis, credere non vultis, saltem operibus credite, ut cognoscatis me in Patre & Patrem in me esse. Plane impudentes & impii admodum esse mihi videntur Christi adversarii, qui nimirum ubi audierint, *Ego & Pater unum sumus*, sensum verborum adulterare, & Patris ac Filii unitatem dividere totis conantur viribus: cum autem flevisse, sudasse, passum esse audiunt, non corpus adspectant, sed ex his inter res creatas eum, per quem factæ illæ sunt, audent annumerare. Quid ergo adhuc illos inter & Judæos interest? Ut enim illi Dei opera impie Beelzebuli adscribebant; ita isti, quia Dominum operum illorum auctorem inter res creatas collocant, easdem ac illi pœnas pendent inexpiabiles.

56. Atqui æquum fuisset illos ex his verbis, *Ego & Pater unum sumus*, unam divinitatem & naturæ Patris proprietatem percipere; ex hac autem voce, *lacrymatus est*, & similibus, ea corporis propria esse agnoscere, maxime cum utrobique consentaneæ rationes illis suppetant, quippe cum illa quidem de eo ut de Deo, hæc autem propter humanum ejusdem corpus scripta sint. Nec enim in eo, qui corporis expers esset, corporis proprietates fuissent, nisi corpus corruptioni obnoxium ac mortale assumsisset. Mortalis siquidem fuit sancta Maria ex qua ejus productum corpus est; ac proinde, quoniam in corpore patiente, lacrymante, & laborante esset, necesse fuit ut isthæc, quæ carnis propria sunt, de eo una cum corpore dicerentur. Sive igitur flevit & perturbatus est, non Verbum, ut Verbum, flebat & perturbabatur, sed id pertinebat ad carnem: sive oravit ut transiret calix, non ipsa divinitas reformidabat, sed illa affectio erat humanitatis propria, ut & voces istæ, *Ut quid dereliquisti me*, quæ ejus esse eodem, quo supra explicavimus, modo sunt intelligenda. Nam tametsi nihil patiebatur, cum Verbum patibilem non habeat naturam; perinde tamen ac si vere pateretur, hæc ab Euangelistis scripta sunt, quia scilicet Dominus factus homo est, ac proinde ista tamquam ab homine & fiunt & dicuntur, ut videlicet ipse levatis hujusmodi carnis affectionibus, eam his redderet liberam. Quapropter nec a Patre derelinqui potuit Dominus, utpote qui in illo semper exstiterit, tum antequam hæc diceret, tum cum has emitteret voces. Neque etiam fas est dicere Dominum timore perculsum fuisse, cujus metu perterriti inferorum janitores, captivos dimisere; hincque monumenta aperta sunt, & multa Sanctorum corpora revixere, suisque apparuere. (Matth. 27. 52.) Taceant igitur omnes hæretici, nec affirmare audeant Dominum timuisse, quem mors ipsa, ut draco, fugit, quem dæmones metuunt, quem mare veretur, cujus causa scinduntur cæli, omnesque concutiuntur potestates. Ecce enim illo dicente, *Ut quid dereliquisti me*, demonstravit Pater se & semper, & tunc in eo fuisse. Terra enim Dominum loquentem agnoscens, statim tremuit, velum scissum est, sese sol abscondit, diruptæ petræ sunt, monumenta, ut jam dixi, sunt aperta, quique in illis jacebant mortui revixerunt: & quod in primis mirum est, qui tum aderant eumque prius negaverant, postea his conspectis vere eum Filium Dei esse sunt confessi.

57. Quod autem ad id spectat quod dixit, *Si fieri potest, transeat calix*, (Mat. 26. 39.) discite quomodo Petrum eadem dicentem his increpaverit verbis: *Non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum*. Siquidem hoc ipsum volebat ille quod deprecabatur & refugiebat, quippe eam ob rem venisset: verum ejus quidem erat id velle, ad quod scilicet ipse venerat, sed carnis erat pavere. (Christus ut homo mortem deprecabatur, quam ut Verbum volebat.) Unde ut homo has voces protulit, ipseque utrumque dixit, ut se ostenderet & Deum esse qui vellet, & factum hominem carnem paventem habuisse, cujus gratia suam ipse voluntatem humanæ miscuit infirmitati, ut ea absumta fidentem & audacem hominem adversus mortem redderet. En igitur rem plane admirabilem: ille nimirum quem Christi hostes præ timiditate loqui arbitrantur, hujusmodi ipse timiditate homines intrepidos & fortes reddidit. Hinc beati Apostoli hisce post eum animati vocibus, mortem contemsere, ut etiam nihil de judicibus curarent suis, sed audacter dicerent, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. (Act. 5. 29.) Alii item sancti Martyres tanta fuere fidentia & fortitudine, ut se potius in vitam migrare quam mortem pati existimarent. Nonne igitur perquam absurdum est servorum Verbi constantiam admirari, ipsi autem Verbo adscribere timiditatem, per quod mortem illi despexerunt? Proinde ex invicta sanctorum Martyrum animi magnitudine clarum est non divinitatem ipsam timuisse, sed nostram timiditatem fuisse a Salvatore sublatam. Ut enim morte mortem, & humanis factis humana omnia delevit: ita illa sua timiditate nostram prostravit timiditatem, fecitque ut homines mortem non amplius reformidarent. Itaque omnia illa simul & ajebat & efficiebat. Humanæ enim naturæ erant hujusmodi voces: *Transeat calix*, &, *ut quid me dereliquisti?* Sed ipse divine efficiebat ut sol deficeret, & mortui reviviscerent. Si item ut homo ajebat, *Nunc anima mea turbata est*; (Joan. 12. 27.) dixit, pariter, ut Deus, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*. (Joan. 10. 18.) Perturbari enim carnis proprium est: sed potestatem habere animam suo arbitrio ponendi & sumendi, id utique non hominum sed potentiæ Verbi proprium est. Nec enim homo sua potestate, sed naturæ necessitate invitusque moritur. (Vide admonitionem in Orationem contra Gentes.) At Dominus, qui ipse quidem immortalis est, sed mortalem assumserat carnem, potestatem habuit, ut Deus, discedendi a corpore, illudque iterum assumendi, cum voluerit. Qua de re ita cecinit David: *Non derelinques animam meam in inferno, neque dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. (Psal. 15. 10.) Siquidem decebat carnem, quæ corruptioni erat obno-

obnoxia, non amplius pro natura sua mortalem manere, sed propter Verbum, quod illam induerat, corruptionis expertem esse. Nam ut ipse, nostro accepto corpore, nostra est imitatus: ita nos, suscepto Verbo, immortalitatis ejusdem participes efficimur.

58. Frustra ergo scandalum pati simulant, & vilia de Verbo sentiunt Ariani, quod ipsum perturbatum fuisse & flevisse scriptum sit. Hinc enim ne humanum quidem sensum habere videntur, quippe qui hominum ignorent naturam & proprietates, ob quas certe eo magis admirationi esse debuit, quod Verbum in hujusmodi carne fuerit, nec prohibuerit insidiatores, nec interfectores ultum sit, quamvis id facile ille potuisset, qui ab aliis mortem prohibet, & mortuos ad vitam revocat. Verum corpus suum pati permisit, quandoquidem, ut supra dixi, idcirco venerat ut carne pateretur, eoque pacto caro in posterum impassibilis redderetur & immortalis, atque, quemadmodum sæpe diximus, ut injuriis ceteraque velut illo patiente, ea ad homines jam non amplius auderent accedere, sed ab ipso penitus delerentur, illique deinceps perpetuo incorrupti, tamquam templum Verbi, permanerent. Si hæc secum Christi hostes cogitassent, Ecclesiasticumque scopum tamquam fidei anchoram agnovissent, neutiquam circa fidem fecissent naufragium, neque adeo essent impudentes, ut his resisterent qui se lapsos conantur erigere; nec illos sibi infensos haberent, qui se ad veram pietatem amplectendam cohortantur. Sed enim, ut videtur, mala profecto res est hæreticus, penitusque corruptum & ad impietatem proclive cor habet. En namque tametsi illos quavis ex parte refellimus, ostendimusque omni prorsus intelligentia vacuos esse; tamen nullo modo erubescunt: sed quemadmodum hydra, Græcorum fabulis celebrata fera, novos dicitur serpentes, occisis prioribus, peperisse, aliisque semper producendis cum interfectore contendisse: ita illi Deo infensi & invisi, non secus ac hydræ, anima emorientes in his quæ prætendunt argumentis, Judaicas alias stultasque sibi effingunt quæstiones, ac veluti inimicam ipsam habentes veritatem, nova semper excogitant, ut eo magis se Christi hostes esse nullis non declarent modis.

1. Timoth. 1. 19.

Ariani hydræ similes.

59. Post tot enim contra ipsos allata argumenta, quæ vel ipsum Diabolum eorum patrem cogerent erubescere & retro recedere, ecce nova iterum alia commenta tortuoso ex corde suo eructant, aliisque illi obstrepunt, aliis hujusmodi verba, instar culicum, insusurrant. Per nos licet, inquiunt, ita hæc se habeant, uti vos interpretamini; rationibus & argumentis vincite: sed tamen fatendum est Filium a Patre, voluntate & arbitrio, factum esse. Sic illi, voluntatis & arbitrii nomine objecto, multos seducunt: quæ quidem si quis e recte credentibus paulo simplicius diceret, nullus esset suspicionis locus, sed recta mente corrigerentur verba simplicius prolata. Quando vero hæc vox hæreticorum est, quorum verba merito suspecta sunt, &, ut scriptum est, *Impii vero dolos administrant*, &, *Sermones eorum dolosi*, etiamsi aliquid tantum innuerint, quippe cum corruptum cor habeant: age, istud quoque quod ajunt dispiciamus, ne forte omni ex parte convicti, vocabulum aliud recentius, velut hydræ, comminiscantur, ut subtili hujusmodi dicendi artificio & dolo suam alia iterum ratione disseminent impietatem. Siquidem ille idem omnino significat qui ait, Voluntate factus est Filius, ac qui dicit, Fuit aliquando cum non esset, & ex nihilo factus est Filius, & res creata est. Verum quia hæc dixisse illos jam pudet, aliis idem verbis significare subdole & versute conantur, nobisque voluntatis vocabulum, non secus ac sepiæ atramentum, objiciunt, ut & simplicium animis offundant tenebras, & ne ipsos suæ hæresis capiat oblivio. Nobis enim velim patefaciant, unde tandem illa voluntatis & arbitrii eruerint vocabula, vel quonam ex Scripturæ loco ea exprompserint impietatis inventores, quorum utique verba suspecta non absque causa habemus. Sane Pater nobis Verbum suum e cælo hujusmodi vocibus revelavit, *Hic est Filius meus dilectus*. Si item per Davidem loquitur, *Eructavit cor meum Verbum bonum*. Joanni quoque dicere præcepit, *In principio erat Verbum*. Ita etiam psallit David, *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Denique Apostolus scribit, *Qui cum sit splendor gloriæ*: & rursus, *qui cum in forma Dei esset*: &, *qui est imago Dei invisibilis*.

Refellitur quod ajunt Ariani Patrem voluntate Filium genuisse.

Verba hæreticorum suspecta esse debent. Prov. 12. 5.

Matth. 3. 17.
Psalm. 44.
Joan. 1.
Psal. 35. 10.
Hebr. 1. 3.
Philip. 2. 6.
Coloss. 1. 15.

60. Ubique omnes quid sit Verbum docent, nemoque prorsus ipsum vel ex voluntate esse, vel omnino factum esse ait. Illi vero ubinam, quæso, repererunt voluntatem & arbitrium Verbo Dei antecedere; nisi forte missis Scripturis, Valentini impietatem amplexi, simulatione utantur? Nam Ptolemæus Valentini discipulos docuit Non-facto duo esse paria, cogitationem scilicet & voluntatem, primumque cogitasse, deinde voluisse, nec quæ cogitaverit potuisse proferre, nisi cum voluntatis virtus accessisset. Hinc certe suam doctrinam mutuati Ariani, voluntatem & arbitrium Verbo volunt antecedere. Verum illi quidem Valentini propugnent errores: nos autem qui divina evolvimus oracula, dictionem, *erat*, de Filio scriptam invenimus, audivimusque solum eum in Patre esse & Patris imaginem esse. Didicimus vero solis rebus factis voluntatem & arbitrium antecedere, quippe cum illæ natura aliquando non essent. Hæc nos docet David Psalmo centesimo decimo tertio, ubi ita canit: *Deus autem noster in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit*: & centesimo decimo Psalmo: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*: & Psalmo centesimo trigesimo quarto: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis*. Itaque si opus ille est & res facta atque unus ex omnibus: ipse quoque voluntate factus dicatur; ita enim opera fieri docet Scriptura. Ipse etiam Asterius, hæresis patronus, huic sententiæ assentitur sic scribens: „Nam si creatore indignum est eum volentem „agere, ejus ergo voluntas ab omnibus similiter „amoveatur, ut integra illi servetur dignitas. „Sin vero Deo velle convenit, sit igitur etiam „in primogenito id quod præstantius est. Nec „enim potest fieri ut uni eidemque Deo conve„niat velle & nolle in rerum procreatione.„ Quibus Sophista verbis summam complexus impietatem, cum nempe rem factam & genitam confundit, Filiumque unam esse ex omnibus rebus genitis asseverat, postea concludit congruenter dici opera voluntate & arbitrio facta esse.

Ptolemæi Valentiniani error. Vide Irenæum libro 1. contra hæreses cap. 8. & Epiphanium hæresi 33.

Psal. 113. 11.
Psal. 110. 2.
Psal. 134. 6.

61. Itaque si Filius alius est a rebus omnibus, uti antea probatum est, potiusque opera per eum facta sunt; absit ut voluntate dicatur exstitisse, ne ipse eodem modo fiat, quo ea, quæ per ipsum facta sunt, prodierunt. Namque Paulus per voluntatem Dei Apostolus postea factus est, cum id antea non esset. Vocatio item nostra, cum aliquando non fuerit, nunc autem facta sit, antecedentem habet Dei voluntatem, &, ut idem Paulus loquitur, secundum propositum ejus voluntatis facta est. Præterea, quod per Moysem dicitur, *Fiat lux*, &, *Producat terra*, &, *Faciamus hominem*, quæ reor esse, quemadmodum supra

1. Cor. 1. 1.
Ephes. 1. 5.
Genes. 1.

supra dictum est, voluntatis creatoris. Nam ea quidem, quæ aliquando non erant, sed extrinsecus postea fiunt, facere creator deliberat: cum autem Verbum suum ex seipso natura gignit, præviam nullam adhibet deliberationem. Siquidem in eo Pater alia, quæcumque producere statuit, facit & creat: uti nos etiam Jacobus Apostolus his verbis docet, *Volens genuit nos Verbo veritatis*. Itaque Dei voluntas, quæ sive illos qui regenerantur, sive ea quæ semel fiunt spectat, in Verbo est, in quo res, prout sibi placuerit, facit & regenerat, ut Apostolus ad Thessalonicenses his verbis scribit, *Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu erga vos*. Porro si is, in quo res Deus facit, idem est in quo ejus voluntas est; si item in Christo voluntas Patris est: qui fieri potest ut ipse voluntate & arbitrio factus sit? Nam si ipse secundum vos voluntate factus est, necesse est ut voluntas eum creandi in alio quodam verbo, per quod & ipse fiat, constituatur. Siquidem ostendimus Dei voluntatem non in rebus quæ fiunt, sed in illo esse per quem & in quo res fiunt. Præterea quandoquidem idem est dicere voluntate aliquem factum esse, & fuisse aliquando cum non esset; satis illis sit affirmare fuisse aliquando cum non esset, ut pudore suffusi, quod hujusmodi verbis tempora significentur, intelligant se, cum Filium voluntate factum esse dicunt, tempora similiter ante Filium exstitisse significare. His enim, quæ aliquando non fuerunt, ut omnibus rebus creatis, omnino antecedit deliberatio. Si vero verbum rerum creatarum est opifex, atque una cum Patre exsistit: qui illi, qui ab æternitate existit, quasi ipse antea non fuisset, queat deliberatio antecedere? Si enim antecedit deliberatio, quomodo per ipsum omnia facta sunt? Quin potius ipse quoque Filius inter res omnes numerandus erit, utpote voluntate procreatus, quemadmodum & nos Verbo veritatis facti sumus filii; ac proinde necesse est, uti dictum est, aliud quæramus verbum, per quod istud quoque sit factum, & cum omnibus, quæ Deus producere voluit, procreatum.

Jacob. 1. 18.

1. Thessalon. 5. 17.

62. Si igitur est aliud Dei verbum: concedo Verbum verbo esse factum. At si aliud nullum est, uti se res habet, sed omnia per ipsum facta sunt, quæ Pater fieri voluit: an non inde liquet multiformem esse illorum versutiam? Namque veriti Verbum Dei factum & creatum dicere, vel non fuisse priusquam genitum est, ipsum alia ratione creatum esse conantur ostendere, cum voluntatis nomen prætendunt, & hæc dictitant: Si voluntate non factum est, ergo necessitate & nolens Deus Filium habuit. Ecquis igitur necessitatem illi potest imponere, o sceleratissimi, qui omnia ad vestram hæresim attrahitis? Scilicet viderunt quidem quod voluntati opponitur: at quod majus & superius est, minime intellexerunt. Ut enim voluntati opponitur id quod est præter mentem: sic deliberationi antecellit & præit id quod ex natura est. Itaque domum quisque deliberans ædificat, sed filium ex natura gignit: unde id quidem quod voluntate ædificatur, fieri incipit, atque aliunde quam ab architecto est; at filius proprius est naturæ patris fetus, neque aliunde quam ab ipso est: quapropter nec de illo deliberat, ne etiam de se ipse deliberare videatur. Quanto igitur filius re creata superior est, tanto etiam id, quod ex natura est, rei illi præstat quæ est ex voluntate. Certe æquum erat eos his auditis id quod ex natura est voluntati non adscribere. Illi vero obliti sermonem hic esse de Filio Dei, humanas oppositiones, necessitatem scilicet & quod præter mentem est, in Deum inducunt, ut videlicet verum Dei Filium esse inficientur. Ceteroquin nobis ipsi respondeant: Deum bonum & misericordem esse, num ipsi ex voluntate est vel non ex voluntate? Si ex voluntate; ergo cœpit bonus esse, fierique potest ut bonus non sit? Siquidem deliberandi & eligendi facultas utramque in partem propendendi vim habet, estque rationalis naturæ affectio. Quod si, quia id absurdum sit, dici non potest Deus ex voluntate misericors & bonus esse, audiant quid ex ipsorum verbis sequatur: Ergo necessitate & nolens bonus est. Quis igitur necessitatem Deo imposuit? Quod si perabsurdum est necessitatem Deo attribuere, proindeque dicendus est natura esse bonus: multo magis & verius fatendum est natura non voluntate patrem Filii esse.

Deus natura, non voluntate, pater est Filii.

63. Id præterea nobis velim edisserant: (nam ad illorum contundendam impudentiam, eos rursus placet interrogare, audacius quidem, sed tamen tuendæ piæ fidei gratia; tu autem, Domine, mihi sis, quæso, propitius.) Num Pater prius deliberavit, deinde postea quam voluit, ita existit, vel num antequam deliberaret? Par est enim eos qui talia de Filio non dubitant dicere, eadem de Patre audire, ut intelligant se sua hac temeritate ipsum quoque Patrem impetere. Quod si hanc suam de voluntate sententiam propugnare ipsi deliberantes & statuentes, Patrem ex voluntate exstitisse responderint: quid igitur erat antequam deliberaret, vel quid amplius habuit, uti vos dicitis, postquam deliberavit? Quod si absurda & valde futilis est hujusmodi quæstio, nec ista fas est omnino dicere, cum satis sit vel solum nomen Dei audire ut sciamus & intelligamus eum esse qui est: an non pariter absurdum est talia de Dei Verbo cogitare, voluntatemque & arbitrium nobis objectare? Siquidem satis est vel solum Verbi nomen audire, ad sciendum & percipiendum Deum, qui non ex voluntate existit, nec item voluntate sed natura proprium habere Verbum. An non porro omnem insaniam is superat qui vel cogitet Deum deliberare, consultare, eligere, seque ipsum ad volendum adhortari, ut non sine Verbo & Sapientia sit, sed ut Verbum & Sapientiam habeat; namque de seipso consultare videtur, qui de eo quod suæ naturæ proprium est deliberat. Cum igitur valde impia sit hujusmodi sententia, congruenter pietati dicendum est res quidem factas, Dei proposito & voluntate esse procreatas, Filium vero non voluntatis opus esse ut res creatas, sed natura proprium esse substantiæ fetum. Cum enim sit proprium Patris Verbum, non sinit aliquam ante se cogitari voluntatem, utpote cum ipse sit vivens Patris consilium & virtus, eorumque effector quæ Patri placent, quemadmodum de se ipse in Proverbiis ait, *Meum est consilium & securitas, mea est prudentia, mea est fortitudo*. Ut enim quatenus est prudentia in qua cælos præparavit, & ut item quatenus est fortitudo & virtus, (nam *Christus Dei virtus*) nunc paulum variato loquendi modo dixit, *Mea est prudentia, & mea est fortitudo*: ita cum dixit, *Meum est consilium*, se Patris vivens esse consilium significat, quemadmodum etiam a Propheta didicimus, eum magni consilii angelum fieri, & voluntatem Patris appellatum esse. Scilicet ita eos æquum est refellere qui humana de Deo cogitant.

Prov. 8. 14.

Prov. 3. 19.

1. Cor. 1. 24.

Esai. 9. 6.

64. Itaque si res factæ, voluntate ac proposito conditæ sunt: si universa creata natura voluntate facta est: si item Paulus per Dei voluntatem vocatus est Apostolus: si denique nostra vocatio proposito & voluntate est facta; omnia autem per Verbum facta sunt: haud dubie ipsum Verbum extra eorum numerum est quæ voluntate facta sunt, vel potius vivens est Patris consilium, in quo omnia illa facta sunt; in quo & sanctus David Psalmo septuagesimo secundo gratias his verbis agebat, *Tenuisti manum dexteram meam, & in consilio tuo*

1. Timoth. 1.

Ephes. 1. 5.

Psal. 72. 24.

Verbum Patris est consilium & voluntas.

tuo deduxisti me. Qui igitur fieri potest ut Verbum, quod consilium & voluntas Patris est, ipsum quoque voluntate & arbitrio sit productum, uti res aliæ singulæ? nisi forte, ut jam dixi, rursus insanientes contendant ipsum per seipsum vel per aliquid aliud esse factum. Quidnam ergo tandem illud est per quod factum est? Aliud illi confingant verbum, & Valentini commenta amplexati, Christum alium nominent. Nihil enim ejusmodi habent Scripturæ. Verum si alium ipsi excogitaverint, certe ille quoque per aliquem fieri dicendus erit: atque adeo nobis ita ratiocinantibus, quidque ex illorum sententia sequatur excutientibus, multiformis esse deprehenditur impiorum hæresis, quæ & deorum inducit multitudinem, & in summam incidit insaniam, qua Filium & creatum & ex nihilo esse pugnantes, hanc suam impietatem aliis verbis contegunt, cum voluntatis & arbitrii prætendunt nomina, quæ quidem, cum de factis & creatis rebus sermo est, recte adhibentur. An non ergo impium est ea, quæ rerum factarum propria sunt, ipsi adscribere creatori? An non nefas dictu est voluntatem ante Verbum in Patre esse? Si enim voluntas in Patre præcedit, non ergo verum dicit Filius cum ait, *Ego in Patre*; aut si ipse quoque in Patre est, certe secundus in illo esse existimabitur, nec eum convenit dicere, *Ego in Patre*, cum voluntas in qua omnia facta sunt, & in qua ipse secundum vos fuit productus, prior eo sit. Nam etiamsi gloria differat, nihilominus unus est ex his quæ voluntate efficiuntur. Porro, ut antea diximus, si ita se res habet, quare igitur ille dominus est, res autem aliæ in servorum numero habentur? Nimirum Dominus ille est, quia Patris dominationi est unitus: res autem creatæ in servorum sunt numero, quia extra Patris unitatem existunt, & factæ sunt cum aliquando non essent.

Vide Irenæum lib. adversus hæreses cap. 1. & Epiphanium hæres. 31.

Joan. 14. 10.

65. Certe cum Filium volunt voluntate factum esse, quidni etiam prudentia factum esse affeverent? Nam idem esse arbitror voluntatem & prudentiam. De quo enim quis consultat, hoc idem prudentia perpendit: vicissimque, quod quis prudentia perpendit, de hoc eodem consultat & deliberat. Hinc illa Salvator mutua inter sua ratione veluti germana simul has verbis copulavit: *Meum est consilium & securitas, mea est prudentia, mea est fortitudo*. Nam ut fortitudo & securitas idem est, cum eadem sit virtus & potentia: ita idem est prudentia & consilium, quæ ipse Dominus est. At nolunt impii Filium Verbum & vivens consilium esse: sed prudentiam, consilium & sapientiam velut habitum quemdam Deo, humano more, modo adesse, modo abesse fingunt, omnemque lapidem movent, ac Valentini prætendunt cogitationem & voluntatem, ea tantum mente ut Filium separent a Patre, nec proprium illum Patris Verbum sed rem creatam esse fateantur. Hæc itaque illos audire convenit similia his, quæ olim ad Simonem Magum dicta sunt: Impietas Valentini vobiscum sit in interitum. Quisque autem Salomoni potius credat Verbum sapientiam & prudentiam esse dicenti, cujus hæc nimirum sunt verba: *Dominus sapientia fundavit terram, & cælos in prudentia paravit*. Ut vero hic cælos in prudentia, ita in Psalmis Verbo Domini firmatos esse dicitur. Ut porro Verbo cæli firmati sunt, sic quæcumque voluit fecit, & ut Apostolus ad Thessalonicenses scribit, *Voluntas Dei in Christo Jesu est*. Igitur Dei Filius ipse est Verbum & sapientia, ipse prudentia & vivens est consilium, atque in eo voluntas Patris est. Ipse veritas, lux & virtus est Patris. Quod si voluntas Dei est sapientia & prudentia, si item Filius ipsa sit sapientia: igitur qui contendit Filium voluntate factum esse, idem omnino est ac si diceret Sapientiam in sapientia factam esse, & Filium in filio esse effectum, ac Verbum per verbum creatum esse; quæ utique Deo divinisque ejus Scripturis maxime repugnant. Enimvero Apostolus Filium non voluntatis, sed proprium paternæ naturæ splendorem & figuram esse his verbis prædicat: *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus*. Si ergo, ut supra diximus, paterna natura & substantia ex voluntate non est, liquet neque id, quod paternæ substantiæ proprium est, ex voluntate esse posse. Siquidem qualis cujusve modi fuerit beata illa natura, talem & ejusmodi necesse est esse proprium ex ipsa ortum fetum. Hinc Pater non dixit: Hic est voluntate mea factus filius, neque, quem meo arbitrio habui filium, sed simpliciter, *Filius meus*, & potius, *in quo mihi complacui*; quorum quidem verborum significatio ejusmodi est: Hic est natura Filius, in quo omnium quæ mihi placent voluntas reposita est.

Prov. 8. 14.

Act. 8. 20.

Prov. 3. 19.

Psal. 32. 6.

Psal. 134. 6.

1. Thessal. 5. 18.

Heb. 1. 3.

Matth. 3. 17.

66. Num ergo, quia ex natura non autem ex voluntate sit Filius, præter voluntatem Patris & nolente Patre est Filius? Minime vero. Sed potius Pater vult Filium, atque, ut ipse loquitur, *Pater diligit Filium, & omnia ostendit illi*. Ut enim non ex voluntate bonus esse cœpit nec tamen contra mentem & sententiam est bonus; namque hoc ipse vult quod est: ita licet Filius ex voluntate esse non incœperit, non tamen præter voluntatem & mentem Patris est. Nam quemadmodum suam vult ipse substantiam, sic cum Filius proprius sit ejus naturæ, non præter voluntatem ejus est. Filium ergo velit & diligat Pater, eaque ratione pie quis cogitet Deum non nolle, sed velle. Etenim Filius eadem voluntate, qua eum vult Pater, Patrem ipse amat, vult & honorat, unaque est voluntas quæ ex Patre in Filio existit, ita ut inde Filius in Patre & Pater in Filio conspiciatur. Nemo igitur ex Valentini sententia antecedentem inducat voluntatem, nulliusque deliberationis obtentu seipsum medium inter solum Patrem solumque Filium audeat intrudere. Siquidem insanus ille fuerit qui voluntatem & deliberationem inter Patrem & Filium collocaverit. Enimvero aliud est si dicas, Voluntate factus est, & aliud si dixeris, Eum Pater diligit & vult, utpote qui natura proprius sui sit Filius. Nam qui dixit, Ex voluntate factus est, primo illum aliquando non fuisse significat. Deinde voluntas in utramque partem propendendi vim habet, uti supra dictum est, ac proinde cogitare liceret, Patrem potuisse nolle Filium. Atqui dicere, Filium potuisse non esse, summa certe impietas & audacia est, quæ ipsam Patris naturam lacessat, si nimirum id quod proprium ejus est potuerit non esse. Idem enim est ac si diceretur Patrem potuisse non esse bonum. Verum quemadmodum & semper & natura bonus est Pater, ita semper natura est generans. Hic autem loquendi modus. Pater vult Filium, &, Verbum vult Patrem, non antecedentem denotat voluntatem, sed naturæ germanitatem, essentiæque proprietatem ac similitudinem designat. Ut enim de splendore & luce dici potest: Splendor non habet voluntatem in luce antecedentem, sed est naturalis ejus fetus, quem vult lux a qua gignitur, non voluntatis deliberatione, sed natura & veritate; ita de Patre & Filio recte dici possit: Pater amat & vult Filium, &, Filius amat & vult Patrem.

Filius non est nolente Patre, sed volente.

Joan. 3. 35.

67. Ne igitur voluntatis opus appelletur Filius, nec Valentini error in Ecclesiam inducatur; sed vivens ille consilium verusque & naturalis Patris fetus esse dicatur, ut lucis splendor. Sic enim Pater ipse est locutus, *Eructavit cor meum Verbum bonum*: cui Filius his verbis concinit, *Ego in Patre, & Pater in me est*. Itaque si Verbum est in corde, ubi est voluntas?

Psal. 44.

Joan. 14.

Simi-

Similiter si Filius est in Patre, ubi est arbitrium? Deinde, si ipse est voluntas, quomodo consilium sive voluntas in voluntate est? Valde enim hoc absurdum est: ne scilicet Verbum in verbo, Filius in filio, & Sapientia in sapientia fieri existimetur, uti sæpius dictum est. Namque Filius omnia ipse est quæ Patris sunt, nihilque ante Verbum est in Patre: sed in Verbo etiam est voluntas, & per ipsum ea, quæ voluntatis sunt, opere perficiuntur, ut ex divina Scriptura didicimus. Vellem vero ut impii qui eo devenerunt amentiæ, & de voluntate disputant, vellem, inquam, ut non jam interrogarent mulieres, quas ita prius percuntabantur, Habuistine filium priusquam genuisses? Verum patres potius hoc modo interrogent: An deliberando patres efficimini, an vero secundum naturam vestræ etiam voluntatis? An liberi similes sunt vestræ naturæ & substantiæ? Hæc igitur inquirant a parentibus, ut ab his ipsis consutentur, a quibus quæ elicienda esset ex sua de nascendi modo quæstione conclusio tam impense flagitarunt, speraruntque rem ex ipsis plane cognituros. Hæc scilicet illi sunt responsuri: Ea quæ gignimus, non voluntatis sunt, sed nostri sunt similia: neque prius deliberando, patres efficimur, sed gignere proprium est naturæ, quandoquidem nos quoque ipsi parentum sumus imagines. Vel ergo seipsos condemnent, & mulieres de Filio Dei desinant interrogare: vel certe ab ipsis discant non voluntate sed natura & revera filium gigni. Æquum enim est eos argumentis ex hominum natura petitis refelli, qui humana de divinitate improbe cogitant. Quid igitur adhuc insaniunt Christi hostes? Nam hanc illorum rationem ut & alias omnes ostendimus ac convicimus nihil nisi fabulas & mera commenta esse. Sero igitur saltem animadvertant in quantam insipientiæ voraginem sese præcipitaverint, ac nostris monitionibus excitati, tandem inde festinent emergere, seque ex diaboli laqueis expedire. Siquidem benigna est veritas quæ assidue clamat: Si mihi ob corporis amictum non creditis, operibus saltem credite, ut cognoscatis, quia ego in Patre, & Pater in me est, &, ego & Pater unum sumus, &, qui vidit me, vidit Patrem. [*Joan.* 10. 38. *Joan.* 10. 30. *Joan.* 14. 9.] Verum Dominus quidem pro more suo clementer agit, & omnes elisos erigit, ut ait David: [*Psal.* 145. 8.] at impii dominicam vocem nolentes audire, nec ferentes Dominum, Deum & Dei Filium palam ab omnibus agnosci, veluti scarabæi, cum suo patre diabolo miseri circumeunt, ut nova impietatis confirmandæ reperiant argumenta. Quid igitur ultra vel unde invenire possint, nisi a Judæis & Caipha impia mutuentur maledicta, & cum Gentilibus verum Deum negent? Siquidem clausæ illis sunt divinæ Scripturæ, ex quibus videlicet & stulti & Christi hostes esse omni ex parte sunt convicti.

* EJUSDEM

Oratio quarta.

[*Joan.* 1. *Rom.* 9. 5.] 1. EX Deo Deus est Verbum: namque *Deus erat Verbum*. Et rursus: *Quorum patres, & ex quibus Christus qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, amen*. Quia porro ex Deo Deus est, & Dei Verbum, Sapientia, Filius & Virtus est Christus, idcirco unus Deus in divinis Scripturis annunciatur. Cum enim Verbum unius Dei sit filius, ad illum cujus est refertur, ita ut duo quidem sint Pater & Filius, unitas vero divinitatis individua sit nulloque modo separabilis: ac proinde dicendum est unum esse divinitatis principium, non duo principia: unde proprie & monarchia est. [Unum est in divinitate principium, non duo.] Ex ipso autem principio Verbum filius natura existit, non ut aliud principium per seipsum subsistens, neque aliunde quam ex ipso uno principio natus, ne dyarchiam & polyarchiam, id est, duo vel plura principia diversitas inducat, sed unius principii proprius est Filius, propria sapientia, propriumque Verbum ex eo existens. [*Joan.* 1.] Nam, ut docet Joannes, in isto principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Deus enim principium est. Unde quia ex hoc principio est, idcirco etiam *Deus erat Verbum*. Porro quemadmodum unum est principium & proinde unus Deus: [Una est in divinitate essentia & substantia. *Exod.* 3. 14.] ita quæ verissime est essentia & substantia, una est quæ dicit, *Ego sum qui sum*, non autem duæ, ne scilicet duo sint principia. Ex una autem illa substantia existit natura & vere filius, Verbum, sapientia, propriaque ejus virtus, nec ab ea separabilis. Ut vero non alia est essentia seu substantia, ne duo sint principia: sic Verbum quod ex una existit, nihil fluxum, nec vox tantum significans est, sed essentiale Verbum & essentialis est sapientia, quæ vere Filius est. [Filius, essentiale est Dei Verbum essentialisque sapientia.] Nam nisi essentiale Verbum esset, sequeretur Deum verba sua per aerem effundere, corpusque, ut homines, habere. Quoniam vero homo non est, nec item ejus Verbum quicquam hominum infirmitati simile habet. Ut enim principium una est essentia, ita unum est essentiale & subsistens ejus Verbum & sapientia. Nam ut ex Deo Deus est, ex sapiente sapientia, ex rationali mente Ratio seu Verbum, & ex Patre Filius: ita ex substantia substantialis est, ex essentia essentialis, ac denique vere est ut qui sit ab eo qui est.

2. Alioquin nisi essentialis esset sapientia Verbumque essentiale, & Filius qui vere sit, sed simpliciter sapientia, Verbum, & Filius in Patre, sane ipse Pater ex sapientia & Verbo esset compositus. Quod quidem si verum est, supra allata absurda sequentur necessario: ipse autem suimet pater & filius futurus est, ipse seipsum est geniturus, & a seipso gignetur: vel certe merum nomen erit Verbum, Sapientia & Filius; ille autem, de quo hæc dicuntur, vel potius qui hæc omnia est, nihil erit subsistens. Si itaque nihil est subsistens, vana igitur & inutilia sunt illa nomina, nisi forte quis dicat ipsum Deum sapientiam ipsam & Verbum ipsum esse. Quod si concedatur: vere ipse suimet pater & filius erit; pater videlicet cum sapiens dicitur: filius, cum sapientia. Atqui ea in Deo non sunt ut qualitas. Apage igitur, id indignum Deo. Ex his enim efficitur Deum ex essentia & qualitate compositum esse. Siquidem omnis qualitas in essentia est: ac proinde divina unitas, quæ individua est, composita videbitur, utpote in essentiam & accidens divisa. Sic itaque temerarios hosce homines interrogemus: Filius sapientia & Verbum Dei esse prædicatus est; quonam igitur modo id ipse est? Si ut qualitas; id absurdum esse jam ostendimus. Si vero ipse Deus sapientia ipsa est: certe quod inde absurdi sequitur, dictum a Sabellio est. Quamobrem fatendum est eum tamquam fetum proprie ex ipso Patre esse, juxta lucis exemplum. Ut enim ab igne lux oritur: ita Verbum ex Deo est, Sapientia ex Sapiente, & ex Patre Filius. Hac enim ratione unitas individua & integra manet, ejusque filius Verbum non aliquid est essentia vacuum vel

* Vide Admonitionem pag. 260. num. 2.

vel non subsistens, sed vere essentiale est. Alioquin A nisi hæc ita esse concedatur, sane quicquid ipse dicitur, cogitatione & verbo tenus existet: quæ sententia si est repudianda, igitur verum Verbum essentiale est. Namque ut vere Pater est, ita vere est Sapientia. Unde efficitur ut duo sint Pater & Filius, non vero idem, ut contendit Sabellius: sed Pater, pater est; & Filius, filius. Unum autem sunt, quia Filius essentiæ Patris natura filius est, propriumque ejus Verbum existit. Id Dominus ipse ajebat, *Ego & Pater unum sumus*. Nec enim Verbum separatum a Patre est, nec umquam Pater sine Ratione sive Verbo fuit vel est. Verbum igitur Deus B est, nec Pater sine Verbo est: unde dixit, *Ego in Patre, & Pater in me est.*

Error Sabellii. — *Joan. 10. 30.* — *Joan. 14. 10.*

3. Præterea, Christus Verbum Dei est num ergo ex seipso exstitit, deindeque existens cum Patre est copulatus? An vero Deus ipsum fecit, & sui ipsius Verbum appellavit? Si primum concedatur, id est, si seipso exstitit & est Deus, duo igitur erunt principia, nec ille Patris proprius erit, & merito quidem, utpote qui non ipsius Patris sed sui ipsius sit. Quod si extrinsecus factus est, res creata certe erit. Restat itaque ut eum ex ipso Deo esse dicamus: quod si ve- C rum est, * aliud sane fuerit id quod est ex aliquo, & aliud id ex quo est: ac proinde fatendum est duo esse. Nam si duo non fuerint, sed hæc de eodem dicantur: idem igitur sui causa & effectus erit, idem quod gignitur & gignit; quod quidem absurdum ex Sabellii errore manare ostensum est. Quod si ex ipso quidem est, nec tamen aliud ab eo: sequitur ut idem sit & gignens & non gignens; gignens, quia ex se illud profert; non gignens, quia aliud ab eo non est. Quod postremum si admittatur, colligitur eumdem cogitatione tantum, Patrem & Filium dici. Sed si id absurdum est: igitur duo erunt Pater & Filius. Unum i- D tem iidem erunt, quia Filius non extrinsecus sed ex Deo genitus est. Si quis autem Verbum, fetum sive genitum dicere reformidat, ipsumque cum Deo existere putat tantummodo dicendum: caveat ille ne nomine Scripturæ usitato uti refugiens, in absurdam incidat opinionem, qua Deum duplicis naturæ inducat. Si enim non concedit Verbum ex unitate esse, sed tantum cum Patre fuisse copulatum, duas certe admittit essentias, quarum neutra alterius parens est. Idem etiam de virtute sive potentia dicendum est. Id autem E facilius poterit intelligi, si in Patre spectetur. Unus enim est Pater, non duo, sed ex uno est Filius. Ut ergo non sunt duo patres, sed unus: ita non duo principia sunt, sed unum, & ex uno essentialis existit Filius. Rursus vero Arianos interrogemus. Nam quod ad Sabellii sectatores attinet, illi ex Filii notitia refellendi sunt: Ariani vero, ex Patris notione.

Quonam modo refellendi sint Sabelliani & Ariani.

4. Sic igitur differendum est: Vel Deus est sapiens, nec sine Verbo sive Ratione; vel contra, sine sapientia est & Verbo seu Ratione? Si secundum admittitur, id per se absurdum esse liquet: si primum conceditur, rursus sciscitandum est, quonam modo sit sapiens, nec sine F Verbo seu Ratione: extrinsecus ne sapientiam & Verbum, an vero ex seipso habeat? Si extrinsecus habet: aliquis igitur prius illi dedit, ipseque, antequam acciperet, sine sapientia & Verbo sive Ratione erat. Quod si ex seipso habet Verbum, palam igitur est ipsum ex nihilo non esse, neque fuisse aliquando cum non esset. Siquidem semper fuit, quippe cum ille, cujus imago est, semper existat. At si responderint A Deum sapientem quidem esse nec sine Verbo sive Ratione, sed propriam in seipso habere sapientiam, propriumque Verbum, non autem Christum, sed in quo ipsum etiam Christum fecerit: dicendum quod, si Christus in illo Verbo factus sit, sine dubio omnia quoque in eodem facta sunt, ipsumque illud ex Verbum de quo Joannes dicit: *Omnia per ipsum facta sunt*: & Psalmista, *Omnia in sapientia fecisti*. Quin & ipse Christus mentitus esse reperietur cum ait, *Ego in Patre*, quandoquidem alius est in Patre. Falsum item ex illorum sententia erit quod dicitur, *Verbum caro factum est*. Namque si illud Verbum caro factum B est in quo omnia facta sunt, nec Christus est in Patre Verbum per quod omnia facta sunt: igitur Christus non factus est caro, sed forte Christus Verbum appellatus est. Quod quidem si verum est, primo, alius erit quam qui nomine significatur: deinde, non per eum omnia facta erunt, sed in illo, in quo Christus quoque ipse factus est. Sin autem dixerint sapientiam in Patre instar qualitatis esse, vel eum sapientiam ipsam esse; quæ supra recensuimus absurda, necessario consequentur, videlicet eum compositum esse, suique ipsi- C us esse patrem & filium. Verum coarguendi illi sunt & confutandi. Siquidem Verbum, quod in Deo est, nec creatum, nec ex nihilo potest esse. Si item Verbum in Deo est; ipse certe Christus fuerit, qui ait, *Ego in Patre, & Pater in me est*; qui idem idcirco unigenitus est, quia nullus alius ex eo sit genitus. Unus hic est Filius, qui & Verbum, sapientia & virtus sive potentia est. Nec enim ex his est compositus Deus, sed horum est genitor. Namque quemadmodum res creatas Verbo producit, ita secundum propriæ essentiæ naturam Verbum gignit, per quod omnia efficit, creat & administrat. Siquidem omnia D Verbo & sapientia facta sunt, ejusque imperio universa perseverant. Idem autem de Filio dicendum: nimirum si nihil gignit Deus, nihil item agit sive efficit: nam ejus fetus est Filius per quem agit. ** Sin minus: ad easdem interrogationes eademque absurda impudentes hi homines revolventur.

Joan. 1. 3. — *Psal. 103. 24.* — *Joan. 14. 10.* — *Sapientia in Deo non instar qualitatis est, nec ipse Pater sua est sapientia.* — *Joan. 14. 10.* — *Psal. 118. 91.*

5. Ex Deuteronomio: *Vos autem, qui adhæretis domino Deo vestro, vivitis universi hodierna die*. Ex his verbis discrimen Filii & rerum creatarum licet perspicere, intelligereque Filium Dei creatum E minime esse. Enimvero Filius dicit, *Ego & Pater unum sumus*: &, *Ego in Patre, & Pater in me est*: res autem factæ cum proficiunt, Domino adhærent. Nempe Verbum, tamquam proprium, est in Patre: at res factæ utpote quæ extrinsecus existunt, adhærent: nimirum natura alienæ sunt, voluntate autem adhærent. Etenim Filius qui natura est, unum est cum genitore: qui vero extrinsecus adoptatur, generi adjungitur sive adhæret. Hinc statim subdit. *Quæ natio magna, cui Deus appropinquat?* Et alibi: *Deus appropinquans ego*. Nam rebus factis appropinquat, quippe cum illæ sint ipsi F externæ: at Filio, utpote proprio, non appropinquat, sed in eo est: nec adhæret Filius, sed una cum Patre est. Unde rursus Moyses in eodem Deuteronomio sic loquitur: *Vocem ejus audietis, & ipsi vos adjungemini*. Quod autem adjungitur, extrinsecus adjungitur.

Deuter. 4. 4. — *Joan. 10. 30.* — *Deuter. 4. 7.* — *Jerem. 23. 23.* — *Deuter. 13. 4.*

6. Jam quod pertinet ad levem & humanam Arianorum opinationem, qua nempe Dominum egenum fuisse ex his ipsius verbis suspicantur, *Data est mihi*, acco-

Matth. 28. 18.

* Sic hic & mox, Græcum secuti, reddimus, non, *alius*, ut solent loqui in scholis Theologi. Vide supra pag. 209. num. 4.

** Totum hunc locum perperam intellexit Nannius, cujus hæc est versio in editione Commel. *Quod si illud non admiseris, eadem controversia similesque importunitates impudentibus illis occurrent. Nos autem qui Deo appositi addictique sumus, quæramus eum in hoc ipso die*. In aliis item editionibus non minus male emendatum est hoc modo: *Quod si illud &c. impudentibus ipsis occurrent, ex illo Deuteronomii*: Vos autem qui Deo appositi addictique estis, quærite eum in hoc ipso die.

Philip. 2. 9. Coloss. 3. 1. *accepi*, ut & ex his Pauli locis, *Idcirco exaltavit illum*, & , *Sedit a dextris*, aliisque similibus; respondendum est Dominum nostrum, qui idem Verbum & Filius Dei est, corpus gestasse, & filium quoque hominis factum fuisse, ut medius Deum inter & homines effectus, quæ Dei sunt, nobis subministraret: quæ nostri, Deo offerret. Quocirca cum esurire, flere, defatigari & clamare Eloi, Eloi, dicitur, quæ quidem humanæ nostræ sunt affectiones & miseriæ, eas a nobis accipit ac Patri offert, & pro nobis intercedit, ut in ipso penitus deleantur. His autem Verbis, *Data est mihi potestas*, & *accepi*, & *idcirco exaltavit eum Deus*, munera in nos a Deo per illum collata significantur. Nec enim indigens erat Verbum vel unquam factum est; nec rursus homines idonei erant qui ista sibi compararent: sed per Verbum nobis donata sunt; unde illa tanquam ipsi donata, nobis impertiuntur. Siquidem eam ob rem homo factus est, ut illa velut sibi data, in nos transferrentur. Nec enim purus homo dignus unquam fuisset qui hæc acciperet; nec item purum Verbum his posset indigere: conjunctum igitur nobis est Verbum, tuncque nos potestatis participes reddidit & exaltavit. Verbum siquidem in homine existens, hominem exaltavit: & Verbo item in homine existente, accepit homo. Quia ergo Verbo in carne existente, exaltatus homo est, potestatemque accepit, idcirco ista ad Verbum referuntur, quandoquidem propter ipsum data sunt. Hæc enim dona propter Verbum in homine existens concessa sunt. Unde quemadmodum Verbum caro factum est: ita & homo quæ accepit, per Verbum accepit. Omnia enim quæ homo accepit, Verbum accepisse dicitur: ut videlicet ostenderetur, quoniam homo pro suæ naturæ conditione dignus non esset, qui illa acciperet, per Verbum carnem factum, ea illum accepisse. Quocirca si quid Domino datum esse, vel aliquid hujuscemodi dicitur, intelligendum est non ei tamquam indigenti fuisse datum, sed homini per ipsum Verbum. Etenim quisquis pro alio intercedit, gratiam ipse accipit non qua indigeat sed propter illum cujus causa intercedit.

7. Nimirum quemadmodum nostras infirmitates ipse non infirmus suscepit, & esurivit quamvis non esuriens, ut nostra Patri offerens deleret: ita pro infirmitatibus, dona a Deo ipse accipit, ut homo ipsi conjunctus horum particeps esse queat. *Joan. 17. 7.* Hinc ipse ait: *Omnia quæcumque dedisti mihi, dedi eis*: *Ibid. v. 9.* & iterum, *pro eis rogo*. Pro nobis nempe rogabat, his quæ nostra sunt susceptis, & dabat quæ ipse accipiebat. Quoniam igitur Verbo conjuncto cum homine, Pater propter ipsum Verbum homini dabat ut exaltaretur, omnemque potestatem haberet, & alia hujusmodi: idcirco omnia adscribuntur ipsi Verbo, cui & veluti dantur, quæcumque nos per ipsum accipimus. Ut enim propter nos homo factus est: ita nos propter eum exaltamur. Nihil igitur absurdi est si, quemadmodum seipsum propter nos humiliavit, ita & propter nos exaltari dicatur. Itaque *donavit illi*, id est, nobis propter ipsum, & *exaltavit*, id est, nos in ipso. Verbum porro, cum nos exaltamur, accipimus, & adjuvamur, quasi ipsum exaltaretur, acciperet & adjuvaretur, gratias agit Patri, nostraque in *Joan. 17. 7.* se ipsum transfert, & ait: *Omnia quæcumque dedisti mihi, dedi eis*.

Eusebianorum ab Arianis dissidere simulantium futilis doctrina.

8. Ariani, Eusebii gregales, cum filio principium existendi tribuunt, simulant se nolle eum regni principium habere. Atqui istud ridiculum fuerit: siquidem qui Filio dat existendi principium, manifeste principium quoque regnandi illi dat; ac proinde fatendo quod negant, se cæcos ipsi esse produnt. Qui item ajunt merum nomen Filii esse, Filium autem Dei, id est, Verbum Patris, essentia & substantia vacuum esse, fingunt se adversus illos indignari qui dicunt, Fuit aliquando cum non esset. Atqui id etiam ridiculum est. Nam qui illum ne esse quidem volunt, illis succensent, qui eum saltem tempore esse concedunt. Itaque hi etiam confitentur quod negant, cum alios reprehendunt. Præterea, Eusebiani qui Filium confitentur, eum natura Verbum esse negant, solaque cogitatione Verbi nomen Filio volunt concedi: alii vero qui Verbum confitentur, negant ipsum esse Filium, solaque cogitatione nomen Filii Verbo tribui volunt: vano utrique conatu.

Joan. 10. 30. 9. *Ego & Pater unum sumus*. Vel duo, vos, unum esse dicitis, vel unum duplici nomine ornatum esse, vel unum in duo esse divisum. Si unum in duo divisum est, necesse est corpus esse id quod divisum est neutrumque esse perfectum, quippe cum utrumque pars sit, non vero totum. Sed si unum est duplici ornatum nomine: hæc Sabellii sententia est, qui Patrem & Filium eumdem esse docet, & utrumque tollit, Patrem quidem, cum Filius est; Filium vero, cum est Pater. Quod si duo unum sint, necesse est illos duos quidem esse, unum vero secundum divinitatem, & quatenus Filius Patri est consubstantialis, & ex ipso Patre Verbum est: ita ut duo quidem sint, quia Pater est, & Filius quod est Verbum; unum autem, quia Deus unus est. Nam nisi ita sit, dicendum certe illi erat: Ego sum Pater, vel, Ego & Pater sum. Nunc vero ista voce, *Ego*, Filium significat; genitorem autem, cum subdit, *& Pater*: denique dictione, *unum*, unam divinitatem suamque designat consubstantialitatem. Nec enim, ut Gentiles putant, idem est sapiens & sapientia, vel idem Pater & Verbum; absurdum enim est eumdem sui ipsius patrem esse: verum divina doctrina Patrem & Filium novit, sapientem & sapientiam, Deum & Verbum: maxime autem cavet ne quid dividuum, dissolubile vel separabile omnino in Deo admittat.

Qua ratione Pater & Filius & duo & unum sint.

10. Ceterum si quis duos esse Patrem & Filium audiens, nos calumnietur quasi qui duos Deos inducamus: (nonnulli enim id sibi fingunt, statimque nos his verbis irrident, Vos duos deos asseritis) hujusmodi hominibus sic respondendum est: Si is, qui Patrem & Filium agnoscit, duos deos dicit: necesse est igitur ut Filio repudiato, a Sabellio stet qui unum esse credit. Namque si is, qui duos dicit, Gentilis est: igitur ille, qui unum dicit, Sabellianus est. Verum non ita se res habet; absit: sed quemadmodum is, qui Patrem & Filium duos esse agnoscit, unum Deum esse confitetur: ita ille qui Deum unum credit, Patrem & Filium duos credat esse, sed unum divinitate, & quatenus ex Patre natum Verbum, ab ipso Patre nec separari nec dividi nec sejungi potest. Humano, si placet, utamur exemplo. Ignis & splendor ex eo ortus, duo quidem sunt quatenus existunt & cernuntur: unum vero sunt, quatenus splendor ab igne est, nec ab eo dividi potest.

11. Sane illi in eamdem dementiam incidunt ac Ariani. Nam & ipsi Verbum ajunt propter nos creatum esse, ut nos videlicet crearet, quasi Deus nostram expectasset creationem, ut vel secundum illos ipsum emitteret, vel secundum istos crearet. Plus igitur nobis tribuunt Ariani quam Filio. Nec enim nos propter illum, inquiunt, sed ille propter nos factus est: si nempe idcirco creatus est & existit, ut nos Deus per eum crearet. Hi autem pari vel etiam majori impietate minus Deo quam nobis concedunt. Nos enim sæpe vel silentes, & solum cogitantes agimus, ita ut ea quæ cogitamus, etiam imaginibus & simulacris exprimantur: hi vero Deum silentem nihil agere, sed tantum loquentem vim habere volunt, si utique silens

In illos qui aiebant Filium, ante creatum mundum, tacite in Patre extitisse, emissumque ut mundus

crearetur, quo creato ad Patrem rediisse.

lens nihil potuerit efficere, sed loquens creare inceperit. Enimvero æquum est nos ab illis quærere, num Verbum, cum esset in Deo, perfectum fuerit, ita ut posset agere? Si imperfectum erat, cum in Deo esset, tuncque perfectum est, cum est genitum; nos ergo ejus perfectionis causa sumus, si nempe propter nos genitum fuerit. Ita enim propter nos agendi potestatem acceperit. Si vero perfectum erat, cum in Patre esset, ita ut etiam potuerit agere, frustra certe genitum est, siquidem creare poterat, cum adhuc in Patre esset: ac proinde, vel non genitum est; vel non propter nos genitum B est, sed quia semper ex est Patre. Ejus enim ortus non nostri creationem sed ipsum ex Deo esse significat: erat siquidem etiam antequam crearemur.

12. Quin etiam idem profecto audebunt de Patre ipso dicere. Namque si silens agere non potuit, necesse est ut gignendo, id est, loquendo virtutem acceperit. At unde & per quid accepit? Quod si Verbum in se habens, potuit agere, inutiliter ergo gignit, cum silens possit agere. Deinde, si Verbum priusquam genitum est, in Deo erat; igitur genitum foris & extra Deum est. Quod si verum est, C

Joan. 14. 10. quare ergo nunc dicit: *Ego in Patre, & Pater in me est?* Si porro nunc est in Patre, ergo semper fuit in Patre, uti nunc quoque est, futileque dictu est ipsum propter nos genitum fuisse, ac post nos recurrere, ut sit quemadmodum erat. Nec enim erat quod nunc non est; nec nunc est quod non erat: sed est quemadmodum erat semper, idemque ac eodem modo semper est. Alioquin imperfectum & mutabile esse videretur. Si enim quod erat, id postea erit, quasi nunc non sit ipsum esset; igitur nunc non est quod erat & erit. Rem clarius expono. Si in Deo antea erat, & postea rursus erit: perspicuum est D Verbum nunc in Deo non esse. Verum revincuntur

Joan. 14. 10. hac Domini voce: *Ego in Patre, & Pater in me est*. Sic enim nunc est, uti fuit semper. Si porro nunc est uti fuit semper: non igitur, aliquando gignebatur, & aliquando non gignebatur; nec item aliquando in Deo silentium & quies fuit, aliquando autem idem locutus est: sed semper est Pater, & Filius ejus Verbum, qui Filius non solo nomine Verbum est, nec Verbum cogitatione est Filius, sed Patri consubstantialis existit: nec ille propter nos est genitus, sed nos propter illum facti sumus. Ceteroqui si propter nos genitus est, & nos tunc, cum est genitus, creati E sumus, ejusque ortu constitutæ sunt res creatæ, ac deinde recurrit ipse ut sit quod prius erat: primum inde efficitur ut genitus, rursus non generetur. Nam si eum procedere, ipsum est gigni: igitur cum revertitur, gigni desinit. Postquam enim ad Deum reverterit, Deus rursus silebit. Atqui si silebit, erit quod eo silente erat, nempe quies, non autem rerum creatio, quæ proinde finem habebit. Nam ut procedente Verbo, factæ sunt & extiterunt res creatæ: ita recurrente Verbo, jam non amplius existent res creatæ. Quid igitur eas fieri opus fuit, si esse desinent? Vel quare locutus est Deus, ut F post hæc sileret? Cur vero protulit quem deinde revocat? Cur eum gignit, cujus generationem finem voluit habere? Incertum autem est quid iterum erit. Vel enim semper taciturus est, vel rursus est geniturus, aliasque res creandas cogitaturus; nec enim easdem est effecturus, quippe quas factas permansisse A satius fuisset: sed alias producturus est, quas delebit similiter, aliasque iterum cogitabit, idque infinite.

13. Forte autem hujusmodi opinio ex * Stoicorum schola emanavit, qui nempe Deum putant contrahi rursusque cum rebus creatis dilatari, infiniteque quiescere. Quod enim dilatatur, contractum dilatatur; & quod extenditur, contractum extenditur: atque idem quidem est, nihil autem aliud præter affectionem quamdam patitur. Itaque si Unitas dilatata, facta est Trinitas; si item Unitas est Pater, Trinitas vero est Pater, Filius, & Spiritus sanctus: primo sequitur ut dilatata Unitas aliquam passa sit affectionem, B factaque sit quod non erat: siquidem dilatata est quæ lata non erat. Deinde, si ipsa Unitas in Trinitatem dilatata est, Trinitasque Pater est & Filius & Spiritus sanctus: ipse ergo Pater factus est & Filius & Spiritus, ut sentit Sabellius, nisi forte Unitas quam ille propugnat, aliquid sit aliud præter Patrem. Igitur non jam Unitas dilatari dicenda erat, sed trium potius esse effectrix, ita ut primo sit Unitas, deinde & Pater, & Filius & Spiritus. Nam si ipsa dilatata est, seque ipsam extendit, ipsa sane fuerit id quod extensum est. Dilatata proinde Trinitas, non amplius est Unitas, quæ cum esset Unitas, nondum Trinitas erat: i- C gitur cum item Pater esset, nondum erat Filius & Spiritus, qui Pater postquam ista factus est, non jam tantum Pater est. Verum nemo hæc dixerit, nisi qui corpus Deo falso affingat, eumque patibilem naturam habere arbitretur. Quid enim est dilatari quam passio seu affectio rei dilatatæ? Vel quid est res dilatata, quam quæ antea non hujusmodi, sed contracta erat? Eadem quippe est, soloque temporis spatio a seipsa differt.

Stoicorum de Deo opinio.

In eos qui Unitatem in Trinitatem dilatatam falso existimabant.

14. Id non ignorabat divinus Apostolus qui ita ad Corinthios scribit: *Non coangustamini in nobis: dilatamini vero & vos Corinthii*. Illos scilicet hortabatur ut ab angustia D in latitudinem se transferrent. Ut autem si coangustati Corinthii, dilatati postea essent, non alii sed Corinthii semper fuissent: ita si Pater in Trinitatem dilatatus est, certe Trinitas solus rursus est Pater. Idem iterum ait, *Cor nostrum dilatatum est*. Noe item dicit, *Dilatet Deus Japhet*. Siquidem idem cor, idemque est Japhet in dilatatione. Si ergo Unitas dilatavit, res alias dilatavit: vel si ipsa se dilatavit, ea sane fuerit idipsum quod dilatatum est. Quid vero illud est præter Filium & Spiritum sanctum? Non ab re autem erit eum qui ita sentit interrogare, quinam sit E hujusmodi dilatationis effectus, vel potius, (ipsa veluti coram veritate) cur omnino dilatata Unitas sit? Quod enim non idem manet, sed postea dilatatur, causam habeat necesse est per quam dilatetur. Si ut Verbum & Spiritus cum illo esset: præposterum est dicere Unitatem; deinde, dilatatam esse. Nec enim posterius est Verbum & Spiritus, sed semper, ne videlicet Deus sine Verbo seu Ratione esse putetur, uti sentiunt Ariani. Quocirca, si semper fuit Verbum & Spiritus, semper quoque dilatata fuit, non autem primum fuit Unitas. Quod si posterius dilatata est, posterius igitur est Verbum. Si vero propter humanæ naturæ assum- F tionem dilatata est, tuncque facta est Trinitas: igitur ante naturam humanam assumtam nondum erat Trinitas. Inde item sequetur ut Pater caro factus sit, si nempe ipse, qui Unitas erat, hominem assumendo dilatatus est: qui & idem fortassis Unitas postea erit, & caro, &, quod tertium est, Spiritus; si nempe ipse est qui dilatatus est: ac proinde solo nomine Trinitas futura est.

2. Cor. 6. 11.

2. Cor. 6. 11.
Genes. 9. 27.

* Stoicorum sententiam sic explicat Diogenes Laertius in Zenone, prout legit Justus Lipsius Physiologiæ Stoicorum lib. 11. dissertat. 11. λέγουσι δὲ κόσμον τριχῶς· αὐτόν τε τὸν θεὸν τὸν ἐκ τῆς ἁπάσης οὐσίας ἰδίως ποιὸν, ὃς δὴ ἄφθαρτός ἐστι καὶ ἀγέννητος, δημιουργὸς ὢν τῆς διακοσμήσεως, κατὰ χρόνων ποιὰς περιόδους ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν οὐσίαν, καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτοῦ γεννῶν. Id est, *Mundum vero tripliciter dicunt: primo ipsum Deum, universæ essentiæ proprium effectorem, qui sane corruptionis expers est & ingenitus, ordinis & dispositionis rerum opifex, per certas temporum periodos universam in seipsum absumens essentiam, iterumque ex seipso generans*.

ra est. Quod si ad creandum dilatata dicatur, id quoque absurdum est. Fieri enim poterat ut ipse manens Unitas, omnie efficeret. Nec enim dilatatione indigebat Unitas, nec infirma erat priusquam dilateretur. Nam absurdum & impium est id de Deo sentire & dicere. Aliud insuper ebsurdum inde consequetur. Si enim rerum creatarum gratia dilatata est; si quamdiu erat Unitas, nullæ erant res creatæ: cum post absolutem creationem, rursus e dilatata fieri debeat Unitas; utique delebuntur quoque res creatæ. Ut enim creandi causa dilatata est: ita cum dilatata esse desinet, existere similiter desinent res creatæ.

15. Hæc itaque ebsurda ex illa orientur opinione, qua Unitas in Trinitatem dilatari dicitur. (In illos qui Verbum a Filio distinguunt.) Quando vero qui ita sentiunt, Verbum & Filium dividere audent, contenduntque eliud esse Verbum, & alium Filium; prius Verbum esse, deinde Filium: age, ista quoque, si placet, perpendamus. Verie autem illorum est temeritas. Alii enim hominem, quem Salvator assumsit, Filium esse volunt: alii utrumque, nempe hominem & Verbum, tunc Filium factum fuisse putant, cum inter se copulati sunt. Alii eutem arbitrantur ipsum Verbum tunc Filium factum esse, cum homo factus est: siquidem ex Verbo, inquiunt, factus est Filius, qui antea non Filius, sed dumtaxat Verbum erat. Porro uterque error Stoicorum est, quo & Deus diletari dicitur, & Filius negatur. Valde autem illud ineptum est quod, cum Verbum agnoscant & nominent, ipsum Filium esse inficiantur. Enimvero si Verbum ex Deo non esset, haud immerito ipsum Filium esse negarent. At si ex Deo est, cur non perspiciunt id, quod ex aliquo existit, filium ejus esse ex quo est? Deinde, si Verbi Deus pater est; quidni Verbum, sui patris filius fuerit? siquidem pater ille est & dicitur ejus, qui suus est filius: & similiter filius il le est & dicitur ejus, qui suus est pater. Quapropter si Deus non est Christi pater, nec Verbum filius esse potest. Sed si pater est Deus: vere & Verbum, filius est. Quod si postea pater esse dicatur, cum primum Deus esset: hæc ipsa est Arianorum doctrina. Sed præterea absurdum est Deum mutari: nam id corporeum est. Si vero respondeant patrem Filii factum esse, ut postea rerum creatarum factus est opifex: scire operæ pretium est mutationem non ad Deum, sed ad ea, quæ postea fiunt, pertinere.

16. Quapropter si Filius esset opus; recte quoque Peter, ejus postea efficeretur. Sed si Filius non est opus: semper ergo Pater, semper & Filius est. Si porro semper est Filius, ipsum sane fuerit Verbum. Nisi enim Verbum, Filius fuerit: qui id audebit negare, fateri eum necesse est vel Verbum, Patrem esse; vel Filium Verbo esse præstantiorem. (Joan. 1. 18.) Nem cum Filius sit in sinu Patris, necesse est vel Verbum ante Filium non esse; nihil enim est ante eum qui in Patre est: vel si Verbum aliud est præter Filium, sequitur ut Verbum sit ipse Pater in quo est Filius. Quod si Verbum non est Pater, sed Verbum: igitur Verbum est extra Patrem, quippe cum Filius in sinu Patris sit. Nec enim ambo, nempe Verbum & Filius, in sinu Patris sunt, sed unum esse oportet, eumque Filium, qui est unigenitus. Rursus, si aliud est Verbum & alius Filius, Filius Verbo præstantior erit. (Mat. 11. 27.) Nemo enim Patrem cognoscit nisi Filius, non autem Verbum. Vel igitur Patrem non novit Verbum; vel si novit, false dicitur, *nemo novit*. Quod idem urgendum est de hisce verbis, *Qui vidit me, vidit Patrem*, &, *Ego & Pater unum sumus*. (Joan. 14. 9. Joan. 10. 30.) Namque hæ voces Filii sunt, non Verbi, ut putant illi, idque ex Euangeliis dilucidum est. (Ibid.) Nem Domino, ut narrat Joannes, dicente, *Ego & Pater unum sumus, sustulerunt lapides Judæi, ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus, Multa opera bona ostendi vobis ex Patre, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dii estis? Si illos dixit Deos ad quos Verbum Dei factum est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris, nolite credere mihi. Sin autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut sciatis & cognoscatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Atqui, prout sonant ipsa verba, non dixit, Deus sum, vel, Filius Dei sum, sed, *Ego & Pater unum sumus*.

17. Judæi quidem hac dictione, *unum*, eum se esse Patrem dixisse arbitrabantur, quemadmodum sentit Sabellius: at Salvetor noster peccatum illorum coarguit hujusmodi ratiocinio: Etiamsi me Deum dixissem, vos tamen scriptum meminisse oportebat, *Ego dixi, Dii estis*. Deinde hæc verba, *Ego & Pater unum sumus*, explanans, mutuam Filii & Patris unitatem eisdem indicari docet, cum ait, *Quia dixi, Filius Dei sum*. Nem tametsi verbis id non expressit, tamen quod his vocibus, *unum sumus*, significatur, ad ipsum retulit Filium. Nihil unum est cum Patre, nisi quod ex ipso Patre est. Quid porro ex ipso Patre fuerit præter Filium? Itaque concludit, *Ut cognoscatis quia ego in Patre, & Pater in me est*. Nec enim quid *unum* istud esset explicans, dixit in eo esse quod idem illud sit quocum unum est: sed in eo quod ipse sit in Patre, & Pater in Filio, qua videlicet ratione inter se sunt conjuncti, nec e se separari queunt. Namque ipsum quoque Sabellii hoc in loco evertit errorem, quippe qui non dixerit, Ego sum Pater, sed, *Filius Dei sum*. Arium pariter profligat cum eit, *Unum sumus*. Quocirca si aliud est Filius, & aliud est Verbum: non Verbum unum est cum Petre, sed Filius: neque qui Verbum vidit, vidit Patrem, sed qui Filium vidit. Præterea, vel Filius major est Verbo, vel Verbum nihil emplius habet quam Filius. Ecquid enim mejus vel perfectius esse possit, quam quod significatur hisce dictionibus, *Unum*, *Ego in Patre*, *& Pater in me est*: *Qui vidit me, vidit Patrem?* (Joan. 10. 30. Joan. 14. 10. & 9.) Hæ enim voces Filii sunt. Ait ergo idem Joannes: *Qui vidit me, vidit eum qui misit me*. (Joan. 12. 45.) Et, *Qui me recipit, recipit eum qui misit me*. (Matth. 10. 40.) Et, *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non judico eum. Non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvum faciam mundum: sed sermo quem audit, ille judicabit eum in novissimo die: quia ego ad Patrem vado*. (Joan. 12. 46. Joan. 12. 49.) Eum, qui mandatum non servaverit, prædicatione judicandum esse declarat. (Joan. 15. 22.) Nisi enim, inquit, venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc eutem excusationem nullam habebunt, cum verba mea audierint, quibus salutem percipiunt qui ea custodiunt.

18. Verum fortassis eo impudentiæ devenient, ut contendant has voces non Filii sed Verbi esse. At ex supradictis perspicuum est ea Filii esse verba. Qui enim hic dicit, *Non veni ut judicem sed ut salvum faciam mundum*, (Joan. 12. 47.) alius certe non est quam unigenitus Dei Filius. (Joan. 3. 16.) Sic enim antea loquitur idem Joannes: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daderit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit,*

jam judicatus est, quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera. Itaque si ille qui dicit, [*Joan. 12. 47.*] *Non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvum faciam eum*, ipse est qui etiam dicit, [*Ibid. v. 45.*] *Qui videt me, videt eum qui misit me*: si item ille, qui venit ut mundum salvum faciat, non judicet, unigenitus est Dei Filius; utique manifestum est ipsum esse Filium qui dicit, [*Joan. 12. v. 44. & 47.*] *Qui videt me, videt eum qui misit me*. Etenim is qui dicit, [*Joan. 3. 18.*] *Qui credit in me*, &, *si quis audierit verba mea, ego non judico eum*, ipse est Filius de quo hæc dicit, *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei*. [*Ibid. v. 19.*] Et rursus, hoc est judicium ejus [B] qui non credit in Filium, quia lux venit in mundum, nec crediderunt ei, nempe Filio. [*Joan. 1. 9.*] Lux enim certe ipse est, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum; qui quidem quamdiu secundum humanam naturam in terris mansit, lux erat in mundo, ut ipse ait: [*Joan. 12. 36.*] *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Ego* [*Ibid. v. 46.*] *enim, lux*, inquit, *in mundum veni*.

19. Quibus ita probatis perspicuum sane est Filium esse ipsum Verbum. Porro si Filius lux est, [C] quæ venit in mundum; sine ulla controversia sequitur ut per Filium factus fuerit mundus. Sic enim Euangelista initio Euangelii ita de Joanne Baptista [*Joan. 1. 8.*] loquitur: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Nempe, ut antea diximus, ipse Christus lux vera est, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Namque si in mundo ipse erat, & mundus per eum factus est: necesse igitur est ipsum Dei Verbum esse, per quod omnia facta fuisse idem testatur. Vel enim duos mundos admittere cogentur, ut unus per Filium, & alius per [D] Verbum factus sit: vel si unus est mundus, & una creata natura, sequitur & unum & eumdem Filium ac Verbum ante omnem creatam naturam exstitisse, quippe quæ per ipsum facta fuerit. Quocirca si quemadmodum per Verbum, ita & per Filium omnia facta sunt: nihil contrarium esse apparebit, sed potius idem omnino erit dicere, In principio erat Vebum, &, In principio erat Filius. Sed si, eo quod non dixerit Joannes, In principio erat Filius, negant Filio convenire quæ Verbi propria sunt: similiter igitur Verbo non conveniunt quæ propria sunt Filii. Atqui demonstratum est ad Filium hæc pertinere ver- [E] ba, [*Joan. 10. 30.*] *Ego & Pater unum sumus*, ipsumque esse, [*Joan. 1. 18.*] *qui est in sinu Patris*; has similiter voces ejus esse, [*Joan. 12. 45.*] *Qui videt me, videt eum qui misit me*: Verbo item & Filio commune esse quod dicitur, mundum nempe per ipsum factum esse: ex quibus evidens fit Filium ante mundum exstitisse: siquidem necesse est opificem ante opera esse. Deinde ex illorum sententia sequitur id quod ad Philippum dictum est, non ad Verbum sed ad Filium pertinere. Nam, ut narrat Euangelista, dixit Jesus: [*Joan. 14. 9.*] *Tanto tempore vobiscum sum, nec cognovisti me, Philippe? Qui vidit me, vidit Patrem. Et quomo-* [F] *do tu dicis, ostende nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor: Pater autem qui in me manet, ipse facit opera. Credite mihi quod ego in Patre sum, & Pater in me. Alioquin propter opera ipsa credite mihi. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora his faciet, quia ego ad Patrem vado. Et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.* Itaque si Pater in Filio glorificatur, Filius sine dubio fuerit qui ait: *Ego in Patre, & Pater in me est*, &, *Qui me* [A] *vidit, vidit Patrem*. Qui enim hæc loquitur, seipsum Filium esse probat, cum addit, *ut glorificetur Pater in Filio*.

20. Si igitur contendunt hominem, quem gestavit Verbum, Filium Dei unigenitum esse, non autem Verbum: sequitur ut homo sit ille qui in Patre est, & in quo Pater est: homo item ille fuerit qui unum ipse & Pater est, quique in sinu est Patris, & lux vera est. Hinc fateri cogentur mundum per hominem factum esse, & hominem eum esse qui venit non ut judicaret, sed ut mundum salvum faceret: ipsum denique esse priusquam Abraham fieret. *Jesus* enim, inquit, [*Joan. 8. 58.*] *dixit illis: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum*. An non vero perabsurdum di- [B] ctu est eum exsistere, antequam fieret Abraham, quem ex semine Abrahæ post quadraginta duas ætates natum esse volunt? Si item caro, quam Verbum gestavit, Filius est: an non vehementer repugnat contendere hanc ipsam carnem, quam ex Maria accepit, esse per quam mundus factus est? Quid vero de his verbis dicturi sunt, *In mundo erat?* [*Joan. 1. 10.*] Namque Euangelista ut significaret exstitisse Filium, priusquam secundum carnem nasceretur, hæc subjecit verba, *In mundo erat*. Porro si non Ver- [C] bum est Filium, sed homo est Filius, quomodo mundum possit servare, cum ipse quoque sit ex mundo? Quod si nec his rationibus, eorum comprimetur impudentia, respondeant ubinam futurum sit Verbum, si homo est in Patre? Quotum autem Verbum erit cum Patre, cum homo & Pater unum sint? Quod si homo, unigenitus est; quotum, tertio, erit Verbum? Vel enim secundum esse respondebit aliquis: vel si supra unigenitum est; ipse certe Pater fuerit. Quemadmodum enim unus est Pater; ita unigenitus ex eo natus, unus est. Quid præterea Verbum homine amplius habet, si Verbum Filius non sit? [D] Mundum quidem per Filitum & Verbum factum esse scriptum est, communeque est Verbo & Filio mundum creare: at Patrem non a Verbo sed a Filio videri declarat Scriptura; nec item mundus pee Verbum, sed per unigenitum Filium salvus fieri dicitur. Namque, inquit, dixit Jesus: [*Joan. 14. 9.*] *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovisti me, Philippe? Qui vidit me, vidit Patrem*. Nec etiam a Verbo, sed a Filio Patrem cognosci legimus: uti nec Verbum videre Patrem dicitur sed unigenitus Filius qui est in sinu Patris.

21. Ecquid porro Verbum ad nostram salutem amplius possit conferre quam Filius, si nem- [E] pe, ut arbitrantur, alius est Filius, & aliud Verbum? Nos enim non in Verbum, sed in Filium credere jubemur, ut Joannes his Verbis declarat: [*Joan. 3. 36.*] *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem Filio non credit, non videbit vitam*. Insuper sanctum Baptisma, in quo totius nostræ fidei posita est constitutio, non in Verbum, sed in Patrem & Filium & sanctum Spiritum datur. Quapropter si secundum illos aliud est Verbum, & alius Filius, nec Verbum est Filius: nihil sane ad Ver- [F] bum Baptisma pertinet. Quomodo igitur Verbum secundum illos una est cum Patre, cum in Baptismi donatione una cum eo non sit? At forte, responsuri sunt Verbum in Patris nomine contineri. Quidni ergo & Spiritus? An vero extra Patrem existit Spiritus? Deinde, si Verbum non est Filius, homo igitur post Patrem nominandus erit, & Spiritus post hominem: nec jam Unitas ex illorum sententia in Trinitatem dilatabitur, sed in quaternitatem, nempe in Patrem, Verbum, Filium, & Spiritum sanctum. Verum hic eos pudor in aliud cogit confugere diverticulum. Ajunt igitur non hominem seorsum, quem gestavit Dominus,

sed

sed utrumque, Verbum scilicet & hominem, esse Filium: ambo enim simul conjuncti, ut inquiunt, Filius appellatur. Quis igitur amborum, causa alterius est? Uter utrum effecit Filium? Vel, ut planius loquar; num Verbum Filius est propter carnem, an vero caro propter Verbum Filius dicitur? Anne potius neutrum alteri causa est cur Filius appelletur, sed solus amborum congressus? Quod si Verbum propter carnem, Filium esse responderint; certe carnem Filium esse necesse est: quo ex responso omnia illa absurda consequentur, quæ ex illorum superius dictum est oriri sententia, qui hominem Filium esse affirmant. Si vero propter Verbum, caro Filius dicitur; igitur Verbum etiam ante carnem, Filius erat. Nam qui fieri potest ut alios ille filios reddat, qui ipse filius non est, præsertim Patre existente? Profecto, si sibi ipse filios efficit, Pater dicendus est: si Patri, ipse sit quoque filius, vel potius ipse verus sit Filius necesse omnino est, propter quem scilicet alii filii efficiuntur.

22. Ceteroquin, si ille non sit filius, & nos filii sumus, utrique non illius sed nostri pater erit Deus. Cur ergo id sibi tamquam proprium his verbis vendicat, *Pater meus*, &, *Ego ex Patre*. Si enim communis omnium pater est, non ejus solius est pater, neque solus ille ex Patre exivit. Interdum autem nostrum etiam patrem dici docet, ob suam scilicet cum nostra carne communionem. Ideo enim Verbum caro factum est, ut, quoniam Verbum est Filius, propter Filium in nobis habitantem noster quoque pater appellaretur. Nam, inquit, *misit Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba, Pater*. Itaque Filius, qui in nobis est, proprium suum Patrem invocans, nostrum etiam patrem a nobis appellari concedit. Veruntamen in quorum cordibus Filius non est, nec etiam Deus, eorum pater dici potest. Igitur si homo propter Verbum Filius dicitur, cum veteres, antequam Verbum humanam assumsisset naturam, filii sint appellati, omnino necesse est Verbum etiam ante suum adventum Filium fuisse. Hinc illa Scripturæ verba, *Filios genui*: & in historia Noe: *Videntes filii Dei*: & in Cantico: *Numquid non ipse est pater tuus?* Erat ergo & verus Filius, propter quem illi filii dicuntur. Quod si secundum illos neutrum horum est Filius, sed amborum congressu constituitur, necesse omnino est neutrum esse Filium; id est, nec Verbum nec hominem Filium esse, sed quamdam causam propter quam copulati sunt: ac proinde causa illa quæ Filium efficit, copulatione prior erit. Ergo ex hoc item responso sequitur Filium ante carnem exstitisse. Verum his ita demonstratis, aliud quærunt effugium: nempe ajunt non hominem Filium esse, neque utrumque simul, sed Verbum, quod quidem in principio fuit dumtaxat Verbum; cum autem homo factus est, tunc Filius est nominatus. Nam antequam advenisset, inquiunt, non erat Filius, sed tantummodo Verbum: ac proinde ut Verbum caro factum est, cum antea caro non esset; ita Verbum Filius factus est, cum prius Filius non esset. Hæ illorum sunt ineptiæ, quas refutare haud est difficile.

Joan. 5. 17. Ibid. 16. 28.

Galat. 4. 6.

Deus, illorum pater non est, in quorum corde non est Filius.

Esai. 1. 2. Genes. 6. 2. Deuter. 32. 6.

Adversus illos qui ajebant Verbum tunc solum Filium fuisse appellatum, cum homo est factus.

23. Nam si Verbum, humana accepta natura, Filius est factus: igitur naturæ humanæ assumtio causa ejus rei est. Quapropter si homo causa est cur Verbum sit Filius, vel * utrumque: eadem certe absurda occurrent. Deinde, si prius Verbum est, & posterius Filius, sequitur ut Patrem posterius, non prius cognoverit. Nec enim eum novit quatenus Verbum est, sed quatenus Filius. *Nemo enim novit Patrem nisi Filius*. Sequetur item nonnisi posterius contigisse ut in sinu Patris fuerit, ipseque & Pater unum facti sint, eveneritque id quod dixit, *Qui vidit me, vidit Patrem*. Nam hæc omnia de Filio dicta sunt. Insuper ex his cogentur fateri Verbum nihil fuisse præter merum nomen. Neque enim in nobis cum Patre erat, nec qui Verbum videbat, Patrem videbat, nec cuiquam omnino notus erat Pater, quippe qui per Filium cognoscatur: sic enim scriptum est, *Et cui Filius revelaverit*. Unde cum Verbum nondum esset Filius, nondum quoque Pater cognoscebatur. Quomodo igitur Moysi & Patribus apparuit? Ipse enim in libris Regnorum ita loquitur? *Revelatus sum omnibus patribus vestris*. Proinde si revelatus est Deus, certe Filius revelavit, ut ipse testatur, *& cui Filius revelaverit*. Itaque impium & stultum dictu est aliud esse Verbum, & alium esse Filium. Nec vero ab re erit inquirere undenam hujusmodi hauserint opinionem. Ajunt igitur, cum in vetere Testamento nulla Filii sed solius Verbi fiat mentio, idcirco se opinari Filium Verbo juniorem esse, quippe cum nihil de ipso dictum sit in vetere Testamento, sed tantum in novo. Hæc sunt quæ illi proferunt, sed impie. Nam primo Testamenta dividere, ita ut unum cum alio non cohæreat, Manichæorum atque Judæorum est, quorum nimirum alii veteri, alii novo Testamento adversantur. Deinde si, ut putant, ea quæ in veteri exstant Testamento, tempore antecedunt, ea autem, quæ in novo Testamento continentur, recentiora sunt, velintque ex divinis litteris tempora æstimari, necesse sane est ista esse recentiora, nempe, *Ego & Pater unum sumus*, *Unigenitus*, *Qui vidit me, vidit Patrem*. Non enim ex vetere Testamento sed ex novo hæc testimonia proferuntur.

Matth. 14. 27.

Joan. 14. 9.

Matth. 11. 27.

1. Reg. 2. 27.

Joan. 10. 30. Joan. 1. 18. Joan. 14. 9.

24. Atqui non ita est, sed etiam revera in vetere Testamento multa de Filio occurrunt, ut in Psalmo secundo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; & in nono inscriptio, *In finem pro occultis Filii, Psalmus David*: & in quadragesimo quarto, *In finem pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto*: & apud Esaiam, *Cantabo dilecto canticum dilecti vineæ meæ. Vinea facta est dilecto*. Quis autem dilectus est præter Filium unigenitum, ut in Psalmo centesimo nono habetur, *Ex utero ante Luciferum genui te*, de quo postea dicendi locus erit: & in Proverbiis, *Ante omnes colles gignit me*: & apud Danielem, *Et species quarti, similis Filio Dei*, pluraque alia. Si ergo ex veteri Testamento petitur antiquitas, fatendum utique est antiquum Filium esse, cum multis in locis veteris Testamenti commemoretur. Ita est, inquiunt, sed ista prophetice dicta sunt: ergo & illa pariter de Verbo prophetice memorata sunt. Nec enim unum prophetice est dictum, aliud vero non prophetice. Nam si hæc verba, *Filius meus es tu*, futurum aliquid significent; idem etiam de illis verbis dicendum est, *Verbo Domini cæli firmati sunt*. Nec enim dixit, facti sunt, vel fecit. Quod autem vocabulum, *firmavit*, de futuro intelligendum sit, conjicere licet ex his verbis: *Dominus regnavit*: deinde, *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur*. Si item ea, quæ in Psalmo quadragesimo quarto pro Dilecto narrantur, ad futurum tempus pertinent; idem quoque erit dicendum de his quæ sequuntur, *Eructavit cor meum Verbum bonum*. Similiter si hæc verba, *Ex utero*, hominem denotant; ergo & quod ex corde eructari dicitur. Namque si uterus humanum quid est, cor etiam corporea res est. Sed si quod ex corde profunditur, æternum est; illud etiam quod ex utero nascitur, æternum esse intelligendum est. Similiter si Unigenitus est in sinu, Dilectus quoque in sinu est. Idem enim est Unigenitus & Dilectus, ut ex his liquet verbis, *Hic est Filius meus Dilectus*. Nec enim ut suam in eum caritatem significaret, Dilectum ipsum

Psal. 2. 7.

Psal. 44. 1.

Esa. 5. 1.

Ps. 109. 3.

Prov. 8. 25.

Daniel. 3. 25. vel juxta Vulgatam, 92.

Psal. 32. 6.

Psal. 92.

Psal. 44.

Psal. 109. 3.

Matth. 3. 17.

* Id est, vel si Verbum & homo, sive conjunctio Verbi cum homine, causa est cur Verbum sit Filius.

ipsum appellavit, ne alios odio habere videatur: sed Unigenitum indicabat esse, ut solum eum ex seipso esse doceret. Hinc Verbum ipsum, cum unigenitum Abrahæ filium vellet designare, ait: *Offer filium tuum dilectum*. [Genes. 22. 2.] Nemini autem dubium est solum Isaac ex Sara genitum hic intelligi. Itaque Verbum est Filius, non recens factus vel nominatus Filius, sed semper Filius. Nam si Filius non est, nec Verbum esse potest. Et vicissim, si Verbum non est, nec Filius potest esse. Siquidem quod ex Patre est, Filius utique est. Quid porro est ex Patre, nisi Verbum quod ex corde progressum est, & ex utero genitum. Nec enim Pater Verbum est, aut Verbum Pater est: sed ille, Pater; hic, Filius est: ille gignit, hic gignitur.

25. Quocirca insanit profecto Arius, cum ait Verbum ex nihilo esse, fuisseque aliquando cum non esset. Insanit pariter Sabellius, cum Patrem Filium esse, & Filium Patrem esse docet, unum quidem hypostasi, sed nomine duos: quem ut suum confirmet errorem, dementer & perperam exemplo gratiæ Spiritus utitur. Ait enim: „ Quemadmodum *divisiones sunt* „ *gratiarum, idem autem Spiritus*: [1. Cor. 12. 4.] ita & Pater idem „ quidem est, sed in Filium & Spiritum dilatatur. „ Sane id perabsurdum est. Si enim eadem est ratio Dei & Spiritus: sequitur ut Pater, Verbum sit & Spiritus sanctus; ita ut sese ad cujusque necessitatem accommodans, modo sit Pater, modo Verbum, modo Spiritus: atque adeo nomine tenus Filius erit & Spiritus, re autem vera tantummodo Pater, qui, quatenus est Filius, principium habeat, ac Pater appellari desinat; qui solo nomine homo factus sit, vere autem ne advenerit quidem: qui denique false dixerit, *Ego & Pater*, [Joan. 10. 30.] cum revera ipse sit Pater; ceteraque absurda quæ Sabellii errorem subsequuntur. Necessario item evanescet Filii & Spiritus nomen, ejus expleto usu: ac proinde nihil nisi ludus erit quæ acta sunt, cum non vere sed nomine tenus exstiterint. Deleto autem, ex illorum sententia, Filii nomine, evanescet quoque Baptismi gratia, quippe qui in Filium datus sit. Quid vero inde sequetur, nisi rerum creatarum interitus? Nam si ut nos crearemur, Verbum prodiit, eoque prodeunte, existimus: certe ipso in Patrem, uti ajunt, redeunte, existere desinemus. Sic enim ille erit, ut antea erat: sic item nos nihil jam erimus, quemadmodum nihil prius eramus. Eo quippe non amplius prodeunte, nulla futura est res creata.

[Filius nullum existendi principium habuit.] 26. Verum hæc quidem absurdissima sunt. Quod autem Filius principium existendi nullum habuerit, sed semper & ante humanam naturam assumtam apud Patrem exstiterit, patet ex his verbis primæ Joannis Epistolæ: [1. Joan. 1.] *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ: & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Hic cum dicat Joannes vitam non factam esse sed fuisse apud Patrem, idem in fine ejus Epistolæ Filium vitam ipsam esse his declarat verbis: [1. Joan. 5. 20.] *Et sumus in vero, in Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus & vita æterna*. Itaque si Filius est vita quæ sit apud Patrem, cum idem Joannes dicat, *Et Verbum erat apud Deum*; [Joan. 1.] sequitur ut Filius revera sit Verbum quod semper apud Patrem est. Ut autem Filius, Verbum est: ita Deus, ipse est Pater. Ceterum Filius secundum Joannem non solum Deus, sed Deus verus est. Nam ut idem Joannes ait, *Et Deus erat Verbum*. Filius item dicit, *Ego sum vita*. [Joan. 14. 6.] Itaque Filius Verbum & vita est apud Patrem existens. Præterea quod apud eumdem Joannem legitur, [Joan. 1. 18.] *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris*, argumento est Filium semper fuisse. Quem enim Joannes Filium appellat, eumdem David manum vocat his Psalmi verbis: *Ut quid avertis manum tuam & dexteram tuam de medio sinu tuo?* [Psal. 73. 11.] Quamobrem, si manus sit in sinu, & Filius similiter sit in sinu; ipse igitur Filius est manus, & manus vicissim est Filius, per quem Pater omnia fecit. Nam *manus tua*, inquit, *fecit hæc omnia*, [Esa. 66. 2.] &, *manu eduxit populum*, [Deut. 7. 8.] nempe per Filium. Rursus si *hæc mutatio dexteræ excelsi*, [Psal. 76. 11.] &, *in finem pro iis qui commutabuntur, canticum pro Dilecto*: [Psal. 44. 1.] vere ergo ipse Dilectus, manus est quæ mutata est, de quo divina quoque vox ait: *Hic est Filius meus dilectus*. [Matth. 3. 17.] Idem igitur est, *manus mea*, &, *hic est Filius meus*.

[Qua ratione Filius ex utero ante Luciferum genitus dicatur.] 27. Porro quia nonnulli imperiti Filium esse negantes, parvipendunt ista verba, *Ex utero ante Luciferum genui te*, [Psal. 109. 3.] quæ nimirum de Maria volunt intelligi, ajuntque eum ex Maria ante matutinum sidus esse genitum, nec Deo attribui posse uterum; pauca de his dicere visum est necessarium. Itaque si, eo quod uterus humanum quiddam est, Dei alienum esse volunt: haud dubie cor item, aliquid humanum significat. Qui enim cor habet, uterum quoque sive ventrem habeat necesse est, quæ duo utique hominum membra sunt: ac proinde vel utrumque est tollendum, vel quinam sit utriusque sensus investigandum est. Ut enim ex corde prodit Verbum, ita ex utero fetus oritur. Quapropter quemadmodum cum cor Deo attribuitur, nihil humanum cogitamus; ita si Scriptura hac dictione, *ex utero*, utitur, nihil hic corporeum intelligendum est. [Divina Scriptura quæ supra hominem sunt solet humano more eloqui.] Nempe mos est divinæ Scripturæ ea, quæ supra hominem sunt, humano more efferre & significare. Hinc de creatione sic loquitur: *Manus tuæ fecerunt me & formaverunt me*: [Ps. 118. 73.] &, *Manus mea fecit hæc omnia*: [Esai. 66. 2.] &, *Ipse mandavit & creata sunt*. [Ps. 148. 5.] Scilicet aptissime singula denotat cum & id quod Filii proprium & germanum est exprimit, & res creatas indicat esse incœpisse. Nam has quidem facit & creat; Filium autem ex seipso Verbum & sapientiam gignit. Uterus enim & cor proprium & verum fetum significant. Siquidem nos verum fetum producimus ex utero: opera autem manu efficimus.

28. Quid velint igitur, inquiunt, hujusmodi verba, *ante luciferum*? Quibus ego quidem responderim, si hisce verbis, *ante luciferum*, ejus mirabilem ex Maria ortum significari putent, complures alios ante sideris ortum fuisse genitos. Quid igitur hic admiratione dignum occurrit, ubi tamen veluti singularis & insignis alicujus rei fit mentio, cum id plurimis sit commune? Deinde, aliud est gignere, aliud educere. Nam gignere incipere est aliquid procreare: educere autem nihil aliud est quam quod jam existit producere. Quocirca si hæc dictio ad corpus refertur, sciendum est eum non tunc gigni incœpisse, cum nocte pastoribus annunciatus est, sed cum Angelus ad Virginem est locutus. Tunc autem temporis nox non erat, cum id non dictum sit: at nox erat, cum ex utero prodiit. Id discriminis ipsa observat Scriptura, quæ primum quidem significat, cum eum ante Luciferum genitum dicit; alterum vero indicat, cum exitum ex utero nominat, uti Psalmo vigesimo primo habetur: *Tu es qui extraxisti me ex utero*. [Psal. 21. 10.] Præterea observandum est dictum non esse, ante ortum Luciferi, sed tantum, *ante Luciferum*. Unde si de corpore locus hic intelligendus est, necesse est corpus ante Adamum fuisse, cum ante Adamum sidera exstiterint. Vel certe quidnam hæc significet dictio indagandum nobis est. Id sane possumus a Joanne discere, ita in Apocalypsi loquente: *Ego sum Alpha & Omega, & primus ac novissimus, & principium ac finis*. [Apoc. 22. 13.] *Beati qui dila-*

tant

tant vestes suas, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem. Foris canes, & venefici, scortatores & homicidæ, & idololatræ, & omnis qui facit & amat mendacium. Ego Jesus misi Angelum meum, ut hæc vobis in Ecclesiis testificaretur. Ego sum radix & genus David, stella splendida & matutina. Et spiritus & sponsa dicunt, Veni. Et qui audit, dicat, Veni; & qui sitit, veniat: qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Itaque si genus David est stella illa splendida & matutina: liquet profecto Salvatorem ipsum, quatenus caro est, Luciferum appellari, ante quem scilicet exstiterit, quatenus ex Deo est genitus; ut is Psalmi sit sensus: Ex meipso te genui antequam in carne appareres. Siquidem hæc verba, *ante Luciferum* idem valent ac ista, ante Verbi incarnationem.

29. Aperte igitur vetus quoque Testamentum Filii meminit. Verum de his contendere supervacaneum omnino est. Namque si ea, quæ in veteri Testamento non habentur, recentiora velint esse, respondeant illi adeo pertinaces homines, quonam in loco veteris Testamenti facta fuerit mentio de Paraclito Spiritu? Meminit quidem Spiritus sancti: at nusquam Paracliti. Num ergo alius est Spiritus sanctus, & alius Paraclitus, isque junior, quandoquidem nihil de illo exstet in veteri Testamento? Verum

Ut idem est Spiritus sanctus & Paraclitus, sic Verbum & Filius idem est.

absit ut vel Spiritus junior dicatur, vel dividatur, ita ut alius sit Spiritus sanctus, & alius Paraclitus. Unus enim idemque est Spiritus, qui ut tunc, sic & nunc eos, qui ipsum recipiunt, sanctificat & consolatur; quemadmodum unus & idem Verbum-Filius etiam tunc eos qui digni erant, ad filiorum provehebat conditionem. Nam erant quoque filii in veteri Testamento, qui quidem non per alium quam per Filium dignitatem hujusmodi consequebantur. Si enim Dei Filius ante Mariam non exstitit, quomodo, quæso, ante omnes est, cum ante eum sint filii? Quomodo item primogenitus est, cum multis posterior reperiatur? Verum neque Paraclitus posterior est, quippe qui ante omnes sit: neque junior est Filius;

Joan. 1. 1. nam *In principio erat Verbum*: atque ut Spiritus & Paraclitus idem est, ita idem est Filius & Verbum. Præ-

Joan. 14. 26. terea ut Salvator de Spiritu hæc ait, *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*, quibus quidem verbis eumdem illum esse declarat, nec ipsum

Joan. 1. 14. dividit: sic Joannes pariter dicit, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*. Nec enim Joannes hic ipsum divisit, sed eumdem esse est testatus. Atque ut non alius est Paraclitus, & alius Spiritus sanctus, sed unus idemque: sic nec aliud est Verbum & alius Filius, sed Verbum est Unigenitus. Nec enim carnis sed Verbi *gloriam* dixit. Quapropter qui Verbum & Filium audet separare, Spiritum quoque & Paraclitum separet. Sin autem individuus est Spiritus, individuum pariter Verbum esse fatendum

Dilectus idem est ac Unigenitus.

est, qui idem Filius est & sapientia & virtus. Ceterum norunt ipsi Gentiles literarum periti dilectum idem esse ac unigenitum. Nam Homerus de Telemacho Ulyssis filio unigenito ita secunda Odyssea loquitur:

Quid tu care tuo volvis sub pectore fili?
Quid multas terræ partes peragrare peroptas,
Qui solus dilectus es? at divinus Ulysses
Ignotas inter gentes, patriisque remotus
Sedibus interiit.

Igitur qui solus est patri, is dilectus appellatur.

Adversus quosdam Pauli Samosatensis discipulos Verbum a Filio & Christo disjungentes.

30. Quidam ex Samosatensis sectatoribus Verbum a Filio separant, ajuntque Filium esse Christum, aliud autem esse Verbum. His autem errandi occasio fuere illa Actuum verba, quæ quidem recte protulit Petrus, sed perverse ipsi in-

Act. 10. 36. terpretantur; sunt autem hujusmodi: *Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum. Hic est omnium Dominus.* Nempe ajunt Verbum ita per Christum locutum esse, ac per Prophetas ajentes, *Hæc dicit Dominus*: alium enim fuisse Prophetam, & alium Dominum. Verum ad id possumus reponere hæc verba primæ Epistolæ ad Corinthios: *Exspectantes revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die Domini nostri Jesu Christi*. 1. Cor. 1. 7. Ut enim non alius Christus alterius Christi diem confirmat, sed ipse in sui ipsius die exspectantes confirmat: ita Pater misit Verbum carnem factum, ut homo factus per seipsum prædicaret. Hinc subdit, *hic est omnium Dominus*: atqui omnium Dominus Verbum est.

31. *Et dixit Moyses ad Aaron: Accede ad altare, & fac sacrificium pro peccato tuo, & offer holocaustum tuum, & deprecare pro te & pro domo tua, & fac dona populi, & deprecare pro illis, sicut præcepit Dominus Moysi.* Levit. 9. 7. Ecce hic quamvis unus sit Moyses, tamen ipse Moyses velut de alio Moyse dicit, *sicut præcepit Dominus Moysi*. Sic ergo etiamsi beatus Petrus divinum Verbum filiis Israel per Jesum Christum missum esse dicat, non idcirco existimandum est aliud esse Verbum & alium esse Christum, sed unum eumdemque esse, propter suam nempe cum humana natura, quam divina plane benignitate & clementia assumsit, conjunctionem: qui si etiam dupliciter intelligatur, non ita tamen ut Verbum separatum concipiatur, sicuti docet divinus Joannes cum ait, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Joan. 1. 14.

Verbum & Christus, unus idemque est.

Itaque quandoquidem id, quod præclare ac recte a beato Petro dictum est, male ac perverse intelligunt Samosatensis discipuli, patet illos in veritate non stare. Joan. 8. 44. Namque Christus in Scriptura sacra utrumque esse significatur, ut cum dicitur, *Christus Dei virtus & Dei sapientia*. 1. Cor. 1. 24. Quocirca cum Petrus ait Verbum per Jesum Christum missum esse ad filios Israel, hoc indicare intelligatur, nempe Verbum carnem factum filiis Israel apparuisse, ut Joanni consonet dicenti, *Et Verbum caro factum est*. Si vero dictum illud aliter exponant, Verbumque divinum esse, uti revera est, confitentes, assumtum ab ipso hominem, cui conjunctum esse creditur, ab eo velint separare, ipsum ajentes per Jesum Christum missum esse, sane se pugnantia loqui non attendunt. Qui enim hoc in loco divinum Verbum a divina incarnatione sejungunt, idem ipsum imminutum putant cum audiunt carnem factum esse; proindeque idem omnino sentiunt ac Gentiles, uti sane sentiunt, cum divinam incarnationem mutationem Verbi esse suspicantur.

32. Verum non ita est: absit. Quemadmodum enim inexplicabilem unionem hic prædicat Joannes, absorpto videlicet mortali a vita Joan. 1. 14. & ab eo qui ipsa per se est vita, ut ipse ad Martham ait, *Ego sum vita*: Joan. 11. 25. ita cum beatus Petrus Verbum per Jesum Christum missum esse dixit, divinam ejus significavit unionem. Nam ut is qui audit, *Verbum caro factum est*, non idcirco arbitratur Verbum amplius non esse, quod certe perabsurdum est, ut diximus: ita qui Verbum cum carne conjunctum esse audit, divinum unum simplexque intelligat mysterium. Verum luculentius certiusque quovis ratiocinio ea, quæ ab Archangelo ad ipsam Deiparam dicta sunt, divini Verbi & hominis unitatem demonstraverint: ejus hæc sunt verba:

Maria Θεοτόκος sive Deipara.

Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Luc. 1. 35. Stulte igitur Samosatenses Verbum dividunt, cum his ex verbis clarum sit ipsum unitum fuisse homini ex Maria assumto. Non

ergo Verbum per Christum est missum, sed potius in Christo misit, cum ait, *Ite, docete omnes gentes.* *Matth. 28. 19.*

33. Scilicet is est mos Scripturæ simpliciter & sine exornatione verba efferre. Sic exempli gratia in libro Numerorum hæc legimus: *Dixit Moyses Raguëli Madianitæ genero Moysis.* *Num. 10. 29.* Nec enim alius erat Moyses qui loquebatur, & alius, cujus gener erat Raguel: sed unus erat Moyses. Quapropter si pariter Verbum Dei, sapientia, virtus, dextera, brachium similiaque appellatur; si item sese nobis clementer conjunxit, nostrasque induit primitias, quibuscum sese commiscuit: ergo etiam idem Verbum cetera nomina jure merito sortitum est. Hæc enim Joannis verba *Joan. 1.* quibus Verbum in principio fuisse, & apud Deum ac Deum fuisse, omniaque per ipsum facta esse, nihilque sine ipso esse factum dicitur, aperte profecto ostendunt ipsum quoque hominem Dei Verbi opus esse. Itaque si eum, postquam corruptus est, in se suscepit, ut ipsum stabili & firma sui renovatione perpetuo permansurum reficeret, quam quidem ob causam eidem se conjunxit, ut illum in sortem conditionemve diviniorem proveheret: qui fieri potest ut Verbum per hominem qui ex Maria assumtus sit, missum esse dicatur, ipseque Apostolorum Dominus inter ceteros Apostolos, nempe Prophetas, ab eodem missos numeretur? At vero purus homo possit vocari Christus? Minime certe: at Verbo conjunctus, jure merito Christus & Filius Dei potest appellari, teste Propheta qui jam olim paternam substantiam manifeste illi attribuit, cum ait, *Et mittam Filium meum Christum.* Apud Jordanem audita item hæc vox est, *Hic est Filius meus dilectus.* *Matth. 3. 17.* Siquidem impletis promissis, recte his verbis indicavit illum esse quem se misisse dixerat.

Christus est Verbum divinum, homini ex Maria assumto in Maria conjunctum.

34. Utrumque ergo Christum esse intelligamus, Verbum scilicet divinum, homini ex Maria assumto in Maria conjunctum. Verbum enim sibi ipsi domum in ejus utero fabricavit, quemadmodum olim Adamum ex terra formaverat, imo diviniore certe modo, quo de Salomon, qui Verbum optime noverat sapientiam appellari, sic loquitur, *Sapientia ædificavit sibi domum:* *Prov. 9. 1.* quam interpretans Apostolus ait, *cujus nos Domus sumus,* *Hebr. 3. 6.* alibique templum appellat: *1. Cor. 3. 16.* quatenus nempe Deo decet in templo habitare; cujus figuram antiquis patribus per Salomonem pulerat ex lapidibus ædificandam: unde exorta veritate, figura evanuit. Namque cum perfidi Judæi figuram vellent veritatem ipsam esse, verumque evertere ædificium, quod nos Verbi cum natura humana conjunctionem esse fidenter credimus, nihil illis minatus est Dominus: sed cum probe sciret illorum temeritatem in ipsos recidere, hæc ad eos dixit: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* *Joan. 2. 19.* Quibus verbis clare ostendit Salvator sponte & ex se dissolvi hominum opera. Nisi enim Dominus ædificaverit domum, & custodierit civitatem, frustra laborant ædificantes, & vigilant custodientes. *Psal. 126. 1.* Itaque quæ quidem Judæorum erant, penitus sunt dissoluta, quippe cum nonnisi umbra essent: firmata autem est Ecclesia, utpote quæ in petra fundata est; neque portæ inferi adversus eam prævalebunt. *Matt. 16. 18.* Illorum erat dicere, *Quare homo tu cum sis, facis teipsum Deum?* *Joan. 10. 33.* horum discipulus est Samosatensis, unde non immerito sua suos docet: nos autem non ita de Christo didicimus, si tamen eum audivimus & ab ipso edocti sumus, ut vetere homine, qui corrumpitur secundum desideria erroris, deposito, induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. *Ephes. 4. 20.* Christus igitur utrumque esse pie intelligatur.

35. Ceterum si sæpe Scriptura Christum appellet ipsius corpus, at cum beatus Petrus ad Cornelium ait, *Jesum a Nazareth quem unxit Deus Spiritu sancto:* *Act. 10. 38.* & ad Judæos, *Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis:* *Act. 2. 22.* beatus item Paulus hæc ad Athenienses loquitur, *In viro, quem destinaverat, fide omnibus impertita, eo a mortuis excitato:* *Act. 17. 31.* ita sæpe quoque ostensionem & missionem idem esse ac unctionem reperimus. Ex quibus cuivis licet discere nihil in verbis Sanctorum esse dissonum: sed variis tantum nominibus conjunctionem Dei Verbi cum homine ex Maria assumto illos designare, cum eam modo unctionem appellant, modo missionem, modo ostensionem. Rectum est igitur quod ait beatus Petrus, qui veram Unigeniti prædicat divinitatem, nec Dei Verbi hypostasim disjungit ab homine ex Maria assumto: quod omnino absit. Qui enim id ille auderet, qui frequenter audiit, *Ego & Pater unum sumus,* *Joan. 10. 30.* &, *Qui vidit me, vidit Patrem?* *Joan. 14. 9.* Hinc etiam post resurrectionem idem corpus januis clausis ad universum Apostolorum cœtum ingressum est; quod ne cui incredibile videretur, ipse difficultatem removit, cum ait, *Contrectate me & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* *Luc. 24. 39.* Ubi advertendum est eum non dixisse: Hunc, vel, hominem meum, quem assumsi, contrectate, sed, *contrectate me.* Nulla proinde venia Samosatensi speranda est, quippe qui tot convictus argumentis negare non possit Verbi Dei conjunctionem: quam nimirum ipsum Dei Verbum asseruit, cum, ut modo vidimus, omnes est allocutum, quibus & se resurrexisse confirmavit, tum comedendo, tum se ipsum contrectandum permittendo, uti factum est. Nam sive cum ipse illis cibum impertiret, sive cum illi, ipsi; omnino manus ejus contrectaverunt. Siquidem *illi*, inquit, *obtulerunt partem piscis assi & favum mellis: & cum manducasset coram eis, acceptas reliquias dedit eis.* *Luc. 24. 42.* En igitur, si non ut se erga Thomam gessit, certe alia ratione fecit eos de sui resurrectione certiores, cum se illis contrectandum præbuit. Quod si ipsas etiam cicatrices cupis cernere, disce a Thoma, cui videlicet ait Dominus, *Infer manum tuam, & mitte in latus meum, & infer digitum tuum, & vide manus meas.* *Joan. 20. 27.* Suum latus suasque manus Deus Verbum appellat, seque totum hominem simul & Deum esse ostendit: quod quidem ipso etiam sensu, ut intelligere est, voluit Verbum sanctos experiri, cum suum corpus januis clausis ingressum est in cubiculum, ac repente adstans cum corpore, *Joan. 20. 19.* eos de rei veritate persuasos reddidit. Hæc autem fidelibus quidem ad confirmationem, infidelibus vero ad emendationem satis dicta sint.

36. Suum itaque errorem etiam corrigat Paulus Samosatensis, divina Salvatoris voce audita dicentis, *Corpus meum,* *Matth. 26. 26.* non autem, Christum qui alius est a me qui sum Verbum, sed qui idem mecum est, & ego cum eo. Ego enim Verbum, sum unguentum: quod autem a me unctum est, homo est; quapropter Unctus sive Christus sine me minime dicatur, sed qui mecum est, & in quo ego sum. Itaque missio illa Verbi significata, ejus indicat conjunctionem cum Jesu ex Maria assumto, qui Salvator dicitur, non aliam sane ob rationem quam quod cum Deo Verbo sit conjunctus. Idem proinde locus ille significat atque hæc verba, *Qui misit me Pater,* *Joan. 8. 16.* &, *A me ipso non veni, sed Pater me misit.* *Joan. 8. 42.* Scilicet suam cum homine conjunctionem, quocum invisibilis natura per visibilem nota hominibus esse poterat, missionem appellavit. Nec enim loca mutavit Deus (uti nos qui locis abscondimur) cum nostræ parvitatis accepta figura in carne exstitit & apparuit. Quomodo enim id

illi